



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo


Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:


- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>









Alt. 803

- 0 -



Phit. 803

-0



Phis. 803





Philos. Opera varia. 199.

Ch. II. M.

*Collegii Soc. Iesu Monachij.*

3

# PRODROMUS, SEU PROLEGOMENA AD SCHOLASTICAS DISCIPLINAS

V B I


Axiomata , Aphorismi , Proverbia , Principiaque  
Metaphysica illarum ex Primis suis  
Authoribus eruuntur , atque  
explicantur .

CUM TRIPLO CI INDICE .


*Primo Disputationum . Secundo Axiomatum .  
Tertio Rerum , & Verborum .*

A U T H O R E

JOANNE DE ULLOA MADRITANO  
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.



ROMÆ, M D C C XI. Ex Officiu Cajetani Zenobii Typographi,  
& Scalptoris SS. Domini Nostri CLEMENTIS XI.  
S V P E R I O R V M F A C U L T A T E .



Digitized by Google



BEATO  
ALOYSIO GONZAGA  
*O L I M*  
COLLEGII ROMANI ALUMNO,  
*N V N C*  
Ejusdem Collegii, ac Universitatis  
Advocato.

JOANNES DE ULLOA MADRITANUS  
SOCIETATIS JESU THEOLOGUS.  
*O. C. D.*



On marentes, sed alacres, *Beatisse Juvenis*, noster quondam Sodalis, noster modò Patronè, monumentum hoc ponimus. Non urnâ cineres tuos claudimus hlc; sed inter Philosophica, & Theologica Principia dulcem tuam memoriam conservamus. *Reliquiae cogitationis diem festum* *¶al. 75.*

*Ecclesiast.*  
45. *agent Domino communi : & Reliquiae etiam*  
*( tenues licet , leves , faciles ) cogitationum*  
*nostrarum diem quoque festum agent Tibi ,*  
*Anima felix , dilecta Deo , & Hominibus ,*  
*cujus memoria in benedictione est . Et quidem*  
*opus in utilitatem conceptum , atque editum*  
*Juventutis Collegii , & Universitatis nostrae ,*  
*cui dicari debuit , nisi Tibi , qui olim Juvenis*  
*Collegii hujus , & Universitatis , nunc Doctor*  
*sedes in Schola cœlesti ? Hæc eadem atria ,*  
*hæc subsellia , hanc pergulam , hæc Gymnasia*  
*sanctificasti , & quasi accademico jure præri-*  
*puisti quidquid utile ex hac Accademia impo-*  
*sterum prodiisset . Hic laborabas sicut unus è*  
*multis inter Rubos , & Spineta scholastica .*  
*Istic frueris sicut unus è paucissimis fructu ar-*  
*dui operis , quod ex obedientia , & charitate*  
*fuscipiebas . Per scholas has ascendisti in pal-*

*Cant. 7. mam istam , cujus modò apprebendis fructus ,*  
*quos diu optasti . Ostende igitur Juventuti*  
*Ibid. scholas frequentanti easdem , Ubra tua sicut*  
*botros vineæ , & odorem oris tui sicut malo-*  
*rum . Credebas olim , & intueris modò : quo-*  
*niam in malevolam animam non introibit Sa-*  
*pientia , nec habitabit in corpore subdito pec-*  
*catis : & meritò ; quæ enim participatio Ju-*  
*sticie*

*stitione cum iniquitate? Aut quæ societas luci* <sup>2. ad Co-</sup>  
*ad tenebras? Opitulare ergo ex sublimi isto* <sup>rinib. 6.</sup>  
*throno, ad quem Divina te evexit Clementia*  
*his clientibus tuis, ut memores, corpora sua* <sup>1. ad Co-</sup>  
*membra esse Cbristi: & membra sua templum* <sup>rinib. 6.</sup>  
*esse Spiritus Sancti, quasi à facie Colubri fu-* <sup>Ecclesiast.</sup>  
*giant peccata: & digni evadent, quibus æter-*  
*næ Sapientiæ fulgor oboriatur. Ut purâ illâ,*  
*defæcatâ, atque sincerâ fruantur aurâ, qua*  
*Spiritus Sapientiæ circumdatus incedit; opus*  
*habent Animâ nobili, excelsâ, generosâ, quæ*  
*instar Aquilæ in arduis ponat nidum suum.* <sup>Job. 39.</sup>  
*Sed heu! Scriptum est enim, Corpus, quod sap. 9.*  
*corrumpitur, aggravat animam, & terrena*  
*inhabitatio deprimit sensum multa cogitan-*  
*tem. Tu BEATISSIME ALOYSI, cuius virgi-*  
*neum corpus corruptionem ignoravit, cuius terrena,*  
*imò aulica inhabitatio sensum non*  
*depressit, ne in sublimes, vivaces, & æthe-*  
*reas cogitationes serio, & constanter incum-*  
*beret, obtine à Patre lumen Juventuti huic*  
*inlytum animi vigorem, ut periculosos annos*  
*rationi subgens, corpore, quod corrumpatur,*  
*non gravetur. Salve ANIMA BEATISSIMA, &*  
*obsequium erga Te nostrum precibus pro salute*  
*nosta tuis remunera.*

# MICHAEL ANGELUS T A M B U R I N U S.

*Præpositus Generatis Societatis Jesu.*

CUM Librum , cui titulus : *Prodromus , seu Prolegomena ad Scholasticas Disciplinas*, Auctore P. Joanne de Ulloa Societatis nostræ Sacerdote , aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus , ut Typis mandetur , si jis , ad quos pertinet , ita videbitur : cujus rei gratiâ has Literas manu nostra subscriptas , & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 24. Decembris 1710.

*Michael Angelus Tamburinus .*



IMPRIMATUR ,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac.  
Palatii Apostolici .

*Dominicus de Zaulis Arciepiscopus  
Theodosiae Vicesgerens .*



EX commissione Reverendissimi P. Fr. Paulini Bernardinii Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magistri attenit perlegi opus septem Disputationes continens , cuius titulus est : *Prodromus , seu Prolegomena ad Scholasticas Disciplinas*. Est Auctor Admodum R. Pater Joannes de Ulloa Matritensis doctissimæ , & Religiosissimæ Societatis Jesu Illustris Theologus . Et postquam attentis oculis , animoque diligenti oratione illius paginas perlegi opus undequaque perfectum , & pretiosum inveni , ut merito Sa-

pien-

pietatis nidus, ditissimus ingenii floribus distinctus hortus suavis-  
simum eruditionis odorem spirantibus possit nascupari: imò, pos-  
sum de hoc opere cum D. Ambrolio dicere, quod pulchritate maturis  
fructibus Sacrae Theologie vigeat. Si autem, ut inquit Cicero 2.  
Tuscul. effectus eloquentia est audentium approbatio: non solum  
sanè possem opus hoc ingenio, & Doctrina compositum approbare  
lector, sed & Scholasticæ Authoris eloquentiae auditor, qui ipsum  
in celeberrima Complutensi Academia, necnon in suo insigni Ro-  
mano Collegio agnoscens, Magistrum dignissimum plures audivi  
Magisterii exercitia adimplentem, omnes suas sententias ingenio,  
& eruditione scatentes, quas jam in praesenti omnibus parat mi-  
randas, omnium circumstantium admiratione defendendo. Cum  
ergo hoc opus sihil contineat, quod bonis moribus, vel sanx Do-  
ctrinæ contradicat, dignum censeo (salvo meliori) ut prælo man-  
detur. In hoc Sancti Thomæ Collegio apud SS. Vincentium,  
& Anastasium in Trivio die 15. Maji anno Domini 1711.

*Philippus de Castillion Cleric. Reg. Min. S. Theologicæ  
Doctor, & Lector Jubilatus.*



**J**USSU Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sacri tunc Pa-  
latii Apostolici Magistri, accuratè legi pro strictissima subtilissi-  
mi operis exigentia, librum, cui titulus: *Prodromus, seu Prolego-  
mena ad Scholasticas Disciplinas*: ab eximio Authore Joanne de Ulloa,  
Societatis Jesu Theologo, magno studio, parique ingenii felicitate  
scriptum, ac formatum. Etenim famosiores utriusque juris, sive  
Scibilis Theologici, ac philosophici speculationes adeo intimè per  
omnem rimam, seu fidum, vel cuniculum investigat, discutit,  
ac resolvit, ut vel sublimioribus, & acutissimis ingeniiis, quid-  
quam intimius penetrandum relinquere non videatur. Ingeniosam  
planè, ac singularem Methodum instituit; dum omnia Theorematata  
ad lapidem lydium primorum Principiorum, sive in Scholis Effato-  
rum (quæ dilucidanda proponit) vigilantissem probat, & quæ  
pro sui acumine ingenii, eisdem judicat magis consona, eligit,  
ceteraque, sive à Domesticis, sive ab Extraneis probata subtilissi-  
mis momentis, sine exceptione, abigere oititur. More Aquilæ gran-  
dis, quæ in arduis ponit nidum suum, pullorumque suorum (ut  
sc. .



Phis. 803

- 0 -



Blit. 403



Phit. 403 20





Philos. Opera varia. 1779.

Vol. II. M.

*Collegii Soc. Iesu Monachij.*

**P R O D R O M U S ,**  
**SEU PROLEGOMENA**  
**AD SCHOLASTICAS DISCIPLINAS**

*v b i*

Axiomata , Aphorismi , Proverbia , Principiaque  
Metaphysica illarum ex Primis suis  
Authoribus eruuntur , atque  
explicantur .

C U M T R I P L I C I I N D I C E .


*Primo Disputationum . Secundo Axiomatum .*  
*Tertio Rerum , & Verborum .*

A U T H O R E

JOANNE DE ULLOA MADRITANO  
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.



R OMÆ, M D C C X I. Ex Officiu Cajetani Zenobii Typographi,  
& Scalptoris SS. Domini Nostri CLEMENTIS XI.  
S V P E R I O R U M F A C U L T A T E .



Digitized by Google



BEATO  
ALOYSIO GONZAGA  
*O L I M*  
COLLEGII ROMANI ALUMNO,  
*N V N C*

Ejusdem Collegii, ac Universitatis  
Advocato.

JOANNES DE ULLOA MADRITANUS  
SOCIETATIS JESU THEOLOGUS.

*O. C. D.*



ON marentes, sed alacres, *Bea-*  
*tissime Juvenis*, noster quondam  
Sodalis, noster modò Patrone,  
monumentum hoc ponimus.  
Non urnâ cineres tuos claudi-  
mus h̄ic; sed inter Philosophica, & Theolo-  
gica Principia dulcem tuam memoriam con-  
servamus. *Reliquiae cogitationis diem festum* *¶ 1. 75.*

※ 2

agent

*Ecclesiast.* 45. agent Domino communi : & Reliquiae etiam  
( tenues licet , leves , faciles ) cogitationum  
nostrarum diem quoque festum agent Tibi ,  
*Anima felix , dilecta Deo , & Hominibus ,*  
*cujus memoria in benedictione est .* Et quidem  
opus in utilitatem conceptum , atque editum  
Juventutis Collegii , & Universitatis nostrae ,  
cui dicari debuit , nisi Tibi , qui olim Juvenis  
Collegii hujus , & Universitatis , nunc Doctor  
sedes in Schola cœlesti ? Hæc eadem atria ,  
hæc subsellia , hanc pergulam , hæc Gymnasia  
sanctificasti , & quasi accademico jure præri-  
puisti quidquid utile ex hac Accademia im-  
posterum prodiisset . Hic laborabas sicut unus è  
multis inter Rubos , & Spineta scholastica .  
Istic frueris sicut unus è paucissimis fructu ar-  
dui operis , quod ex obedientia , & charitate  
fuscipliebas . Per scholas has ascendisti in pal-  
Cant. 7. mam istam , cuius modò *apprebendis fructus* ,  
quos diu optasti . Ostende igitur Juventuti  
*Ibid.* scholas frequentanti easdem , *Ubera tua sicut*  
*botros vineæ , & odorem oris tui sicut malo-*  
*rum . Credebas olim , & intueris modò : quo-*  
Sap. 1. *niam in malevolam animam non introibit Sa-*  
*pientia , nec habitabit in corpore subdito pec-*  
*catis : & meritò ; quæ enim participatio Ju-*  
*sticie*

*stitione cum iniquitate? Aut quæ societas luci* <sup>2. ad Co-</sup>  
*ad tenebras? Opitulare ergo ex sublimi isto* <sup>rinth. 6.</sup>  
*throno, ad quem Divina te evexit Clementia*  
*his clientibus tuis, ut memores, corpora sua*  
*membra esse Christi: Et membra sua templum* <sup>1. ad Co-</sup>  
*esse Spiritus Sancti, quasi à facie Colubri fu-*  
*giant peccata: & digni evadent, quibus æter-*  
*næ Sapientiæ fulgor oboriatur. Ut purâ illâ,*  
*defæcatâ, atque sincerâ fruantur aurâ, qua*  
*Spiritus Sapientiæ circumdatus incedit; opus*  
*habent Animâ nobili, excelsâ, generosâ, quæ*  
*instar Aquilæ in arduis ponat nidum suum.* <sup>Job. 39.</sup>  
*Sed heu! Scriptum est enim, Corpus, quod* <sup>Sap. 9.</sup>  
*corrumpitur, aggravat animam, Et terrena*  
*inhabitatio deprimit sensum multa cogitan-*  
*tem. Tu BEATISSIME ALOYSI, cuius virgi-*  
*neum corpus corruptionem ignoravit, cuius terrena,*  
*imò aulica inhabitatio sensum non*  
*depressit, ne in sublimes, vivaces, & æthe-*  
*reas cogitationes serid, & constanter incum-*  
*beret, obtine à Patre lumen Juventuti huic*  
*inclytum animi vigorem, ut periculosos annos*  
*rationi subigens, corpore, quod corrumpatur,*  
*non gravetur. Salve ANIMA BEATISSIMA, &*  
*obsequium erga Te nostrum precibus pro salute*  
*nostra tuis remunera.*

# MICHAEL ANGELUS T A M B U R I N U S.

*Præpositus Generatis Societatis Jesu.*

CUM Librum , cui titulus : *Prodromus , seu Prolegomena ad Scholasticas Disciplinas*, Auctore P. Joanne de Ulloa Societatis nostræ Sacerdote , aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus , ut Typis mandetur , si jis , ad quos pertinet , ita videbitur : cujus rei gratiâ has Literas manu nostra subscriptas , & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 24. Decembris 1710.

*Michael Angelus Tamburinus .*



IMPRIMATUR ,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac.  
Palatii Apostolici .

*Dominicus de Zaulis Archiepiscopus  
Theodosiae Vicesgerens .*



EX commissione Reverendissimi P. Fr. Paulini Bernardinii Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magistri attentè perlegi opus septem Disputationes continens , cuius titulus est : *Prodromus , seu Prolegomena ad Scholasticas Disciplinas*. Est Auctor Admodum R. Pater Joannes de Ulloa Matritensis doctissimæ , & Religiosissimæ Societatis Jesu Illustris Theologus . Et postquam attentis oculis , animoque diligenti omnes illius paginas perlegi opus undequaque perfectum , & pretiosum inveni , ut meritò Sa-

pientia

pietissimis nidos, ditissimus ingenii floribus distinctus hortus suavis-  
sum eruditionis odorem spirantibus posuit nuncupari: imò, pos-  
sum de hoc opere cum D. Ambrolio dicere, quod pulchritudine maturis  
fructibus Sacrae Theologiae vigeat. Si autem, ut inquit Cicero 2.  
Tuscul. effectus eloquentiae est audientiam approbatio: non solum  
sanè possem opus hoc ingenio, & Doctrina compositum approbare  
lector, sed & Scholasticæ Authoris eloquentiae auditor, qui ipsum  
in celeberrima Complutensi Academia, necnon in suo insigni Ro-  
mano Collegio agnoscens, Magistrum dignissimum pluries audivi  
Magisterii exercitia adimplentem, omnes suas sententias ingenio,  
& eruditione scatentes, quas jam in praesenti omnibus patet mi-  
randas, omnium circumstantium admiratione defendendo. Cum  
ergo hoc opus nihil contineat, quod bonis moribus, vel sanctæ Do-  
ctrinae contradicat, dignum censeo (salvo meliori) ut prælo man-  
detur. In hoc Sancti Thomæ Collegio apud SS. Vincentium,  
& Anastasium in Trivio die 15. Maii anno Domini 1711.

*Philipus de Castillion Cleric. Reg. Min. S. Theologicæ  
Doctor, & Lector Jubilatus.*



**J**USSU Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sacri tunc Pa-  
latii Apostolici Magistri, accuratè legi pro strictissima subtilissi-  
mi operis exigentia, librum, cui titulus: *Prodromus, seu Prolega-  
mena ad Scholasticas Disciplinas*: ab eximio Authore Joanne de Ulloa,  
Societatis Jesu Theologo, magno studio, parique ingenii felicitate  
scriptum, ac formatum. Etenim famosiores utriusque juris, sive  
Scibilis Theologici, ac philosophici speculationes adeo intimè per  
omnem rimam, seu sivum, vel cuniculum investigat, discutit,  
ac resolvit, ut vel sublimioribus, & acutissimis ingeniiis, quid-  
quam intimius penetrandum relinquere non videatur. Ingeniosam  
planè, ac singularem Methodum instituit; dum omnia Theorematata  
ad lapidem lydium primorum Principiorum, sive in Scholis Effato-  
rum (quæ dilucidanda proponit) vigilantissimè probat, & quæ  
pro sui acumine ingenii, eisdem judicat magis consona, eligit,  
ceteraque, sive à Domesticis, sive ab Extraneis probata subtilissi-  
mis momentis, sine acceptione, abigere nititur. More Aquilæ gran-  
dis, quæ in arduis ponit fidum suum, pullorumque suorum (ut  
sc. .

serunt) generositate ad Solis radios explorata, quos oculis inco-  
niventibus, Solis splendorem sustinere viderit, tamquam legitimos  
filios, sibique similes diligit, atque nutrit; cæterosque autem  
tamquam Nothos, ubique dissimiles à nido abigit. Prodeat ergo  
præclarum hoc opus non tam sine Fidei Catholicæ, morumque  
Disciplinæ (ut arbitror) offensione, quam ad excellentiorum Magi-  
storum levamen; ad Discipulorum exercitationem, ac solatium;  
ad commodiorem omnium studiosorum usum, ac emolumentum.

Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam die 7.  
Septembris 1711.

*F. Paulus Maria Cavinus Sacra Theologiae Mag.  
ac Theologus Casanatensis Ord. Præd.*



IMPRIMATUR,

Fr. Joannes Baptista Carus Magister Reveren-  
dissimi Patris Paulini Bernardinii S. Apost.  
Palatii Magistri Socius Ord. Prædicatorum.



INDEX

# INDEX PRIMUS DISPUTATIONUM.

- DISPUTATIO I. *Explicantur omnia Principia dialectica, exceptis quinque, quae remittuntur ad Logicam Parvam.*
- DISPUTATIO II. *Axiomata Calculatoria.*
- DISPUTATIO III. *Axiomata circa modos Actionum, Cognitionum, atque Operationum.*
- DISPUTATIO IV. *Axiomata de Actu, & Potentia.*
- DISPUTATIO V. *Explicantur Naturae, ac Proprietates omnium Connexionum, & Oppositionum tum absolute, tum reciprocè inspecciarum. Et resolvuntur Quæstiones theologicæ inde oriundæ.*
- DISPUTATIO VI. *De Possibili, & Impossibili.*
- DISPUTATIO VII. *De Ente, & non Ente.*

# INDEX SECUNDUS AXIOMATUM.

*Primus numerus Disputationem : Secundus marginalem numerum significat.*

## A

- A** *B Actu ad Potentiam valet consequētia.* Disp. 2. num. 92.  
*Ab indifferente, ut indifferente non potest oriendi determinatio.* 4. 197.  
*Ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.* Disp. 2. Dialecticæ.
- Actiones sunt suppositorum.* 3. 2.  
*Actus potior est, quam Potentia.* 4. 1.  
*Actus, & Potentia debent esse in eodem genere.* 4. 40.  
*Actus est, qui distinguit.* 4. 190.  
*Actus quod perfectior faerit, et perfectiorem exigit potentiam.* 2. 35.  
*Ad præteritum non datur Potentia.* 4. 146.

*Affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis.* 2. 102.

*Agens agendo reputatur, & passum patiente reagit.* 2. 82.

*Agens operatur uniformiter diffimenter.* 2. 88.

*A substantia per se subiectiva non potest egredi aetio non exigitiva subiecti.* 4. 119.

## B

*Bonum ex integra causa : Malum ex quocumque defectu.* 1. 81.

*Bonum est diffusivum sui.* 4. 200.

## C

*Conclusio sequitur debiliorem partem.* 1. 61.

*Con-*

## *Index Secundus*

- Contrariorum eadem est causa.* 2. *Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.* 1. 105.
- Connexum cum connexo est connexum cum termino.* 5. 143.
- Connexum cum opposito est oppositum termino.* 5. 149.
- Cuivis Potentiae activæ correspondet Potentia passiva.* 4. 55.
- Deficere unum contradictorium est existere alterum* Disp. 3. Dialecticæ cap. 6.
- Dic̄ de omni, dici de nullo.* 1. 47.

## **E**

- Effectus universaliter in priores, & universaliores causas reducendus.* 4. 135.
- Ex duobus entibus in actu non resultat unum per se.* 4. 194.
- Ex impossibili quodlibet.* 1. 116.
- Ex multis mediis nil concluditur.* Disp. 3. Dialecticæ cap. 9.
- Ex nihil nihil fit.* 4. 196.
- Ex puris particularibus nil sequitur.* Disp. 3. Dialect. cap. 9.
- Ex puris negativis nil sequitur.* Ibid.
- Ex reciproca improportione primorum extremonrum sequitur impropositio virtutum potentium super illa.* 4. 106.

## **F**

- Faciū agitur eo modo, quo faciens facit.* 4. 132.
- Frustra datur Potentia, quæ non reducitur ad actum.* 1. 106.

*Generatio unius est corruptio alterius.* 2. 98.

## **H**

*Honor est in bonorante.* 2. 74.

## **I**

- Idem manens idem semper est natum facere idem.* 2. 106.
- Id, quo præcisè deficiente deficit aliud, non distinguitur adæquatè ab illo.* 4. 79.
- Identitas est reciproca.* 1. 48.
- Impossibile est, rem simul esse, & non esse.* 1. 1.
- Individualis sanitur à materia.* 4. 208.
- Infimum supremi est supremam Infimi.* 4. 206.
- Intelligens in actu est intellectum in actu.* 2. 9. & 4. 199.

## **L**

- Libertas ad ponendum fundamentum connexionis est ad ponendum terminum.* 5. 166.
- Libertas ad auferendum terminum est ad auferendum fundamentum.* 5. 171.

*Ma.*

## Axiomatum.

### M

- Malum ex quocumque defectu.* 1.  
81.  
*Modus cognoscendi sequitur modum effendi.* 3. 17.  
*Modus operandi sequitur modum effendi.* 3. 37.  
*Modus praedicandi sequitur modum effendi.* 3. 34.  
*Motus semper supponit subiectum mobile.* 4. 115.  
*Multitudo agensium juvat ad agendum.* 2. 97.  
*Multiplicanda non sunt entitates sine necessitate.* 1. 100.

### N

- Natura abhorret superfluum.* 1.  
100.

*Nemo dat quod non habet.* 1. 112.

### O

- Omne proportionatum uni, quod est improportionatum alteri, est improportionatum buic.* 4. 106.  
*Omne, quod movetur, ab alio movetur.* 4. 203.  
*Omne secundum quid reducatur ad aliquid simpliciter.* 6. 58.  
*Omnis distinctio est mutua.* 1. 48.  
*Oppositorum cum termino connexio-  
nis est oppositorum fundamento.* 5.  
148.

### P

- Primum in unoquoque genere est causa ceterorum.* 1. 119,  
*Potior est Actus, quam Potentia.*  
4. 1.  
*Potentiae activae correspondet Potentia passiva.* 4. 54.  
*Propter quod unumquodque tale, illud magis.* 1. 86.  
*Proportionatum improportionato est improportionatum illi alteri.* 4. 106.  
*Pura Potentia nullum habet actum.*  
4. 193.

### Q

- Quae sunt eadem uni tertio &c.*  
*Quae repugnant uni tertio &c.*  
1. 28.  
*Qui dat formam, dat consequentia ad formam.* 4. 14.  
*Quodlibet est, vel non est.* 1. 1.  
*Quod magis elongatur ab actu Potentia passiva, et major esse debet activa.* 4. 123.  
*Quod major est Persona offensa, et major est offensa.* 2. 54.  
*Quod perfectior est actus, et perfe-  
ctiorem exigit potentiam.* 2. 35.  
*Quod perfectior est Potentia, et per-  
fectiores habet operationes.* 2. 14.  
*Quod perfectius est objectum, et per-  
fectior est cognitio, et possessio ipsius.* 2. 1.  
*Quoties unum crescit ad diminu-  
tionem alterius, si hoc minuitur usque*

## *Index Secundus Axiomatum.*

*usque ad non gradum sui , itind Sicut affirmatio est causa affirmati-*  
*us surgit super omnem gradum .* *tionis ; ita Negatio negationis .*  
4. 109. 2. 102.

*Species sunt sicut numeri . 4. 207.*

## R

*Remoto priori removetur posterius.*  
2. 103.

## S


*Sicat se habet simpliciter ad sim-*  
*pliciter &c. 2. 99.*

## V


*Virtus unita fortior est dispersa ,*  
2. 96.

*Unumquodque operatur secundum*  
*quod est in actu . 3. 37.*

*Unumquodque recipitur ad modum*  
*recipientis . 3. 43.*



PRO-



# PROLOGUS AD PHILOSOPHIÆ CANDIDATOS.



LIAE scientia, scripsit sapienter Angelicus Ma-  
gister S. Thomas, non argumentantur ad sua prin-  
cipia probanda; sed ex principiis argumentantur <sup>1.p. q. i.</sup> ar.8.corp.  
ad ostendendum alia in ipsis scientiis: Verum in-  
star Olimpi verticis

Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes  
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat

Scientia quædam, cuius est, cæterarum fontes  
facultatum, speculationi insistentium, aperire; grava veritatibus  
semina dispergere, scholasticaque Principia valido rationum firmare  
præsidio. Considerandum est ( pergit S. Magister ) in scientiis philosophicis,  
quæ inferiores scientia, nec probant sua principia, nec contra  
negantem principia disputant, sed hæc relinquunt superiori scientiæ:  
Suprema veræ inter eas, scilicet Metaphysica, disputat contra negantem  
sua principia. Hæc sunt, quæ explananda suscipimus, hæc enucleare  
aggredimur. Sed qua fronte, quo fructu, qua fiduciâ? cum prin-  
cipia illa notissima sint, & veluti à Natura unicuique indita? Certè  
quia notissima sunt. Quemadmodum enim ( pæmonuit olim Philo-  
sophus ) vespertilionum oculi ad lumen diei se habent; ita & Intellectus  
anima nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. Caligant imbe-  
cilles oculi ad tanti luminis fulgorem, copiæ nimirum lucis debili-  
tatem potentias obruente; quia igitur, quod semel ignoraverint,  
blasphemare non erubescunt, id circò inconcussa hæc, ac veluti sa-

<sup>2</sup> Metaph.  
cap. 1.

A

## Prologus

crostancta principia manibus nostris attractare audemus. Accedit, Aliquos numquam alibi securius tendere infidias, quām evidenter cuiuspiam Principii umbrā protectos: additione quippe, detractio- ne, aut prava, vel unius tantum termini inversione in fallacem transit propositio alioquin evidens: & quæ multarum erat secunda veritatum, in Seminarium convertitur errorum. Non ergo magis objurgandus sum, facies istas amovens, & vera à falsis secernens,

*Erasmus Apolog.* quād qui scopis everrit fordes è templo (quidam ajebat:) Non enim quidquid in Templo est, continuè sanctum est; nec quidquid inter prin-  
pro dina- cipia scholastica circumfertur, continuè verum est. Præterea  
bus pos.  
edit.

*Felix qui rerum potuit cognoscere causas.*

*2 Metaph. cap. 2.* quia tunc scire putamus, cùm causas cognoscimus, si Aristoteli habenda est fides: Causæ ergo cùm sint reliquarum conclusionum scholastica Principia, cognoscamus hæc, ut sciamus illas.

Sed alii jam in hoc studium incubuerunt, provinciam hanc perlustrati sunt, palmam denique præcipuerunt. Fateor, Marcus Antonius Zimara, Gratianus Monfortius Capuccinus, Sebastianus Izquierdo Jesuita, de quibus, si sententiam rogarer, eam proferrem,

*Clunia- censi. lib. de sacrif. init.* quam olim Petrus Cluniensis de tribus aliis pronunciavit: *Lan-*  
*francus*, inquit, *scripti bene, plenè, perfectè*. *Guitmundus melius,*  
*pleniùs, perfectiùs*. *Algerus optimè, plenissimè, perfectissimè*. Benè profectò & feliciter scholastica Principia exenteravit Zimara, sed multum olet hirsutum illum Averroem. Melius, & felicius Mon- fortius, sed aphorismis contentus, à robustissimis identitatum, connexionum, oppositionum, distinctionumque Principiis, manum retraxit. Optimè autem, ac felicissimè P. Izquierdo, qui omnia hæc complexus, fulgentissimam facem, & numquam extinguidam Pharum Orbi litterario prætulit. Cæterū operæ

*Luce 21. 1. de Cœlo cap. 31.* pretium duximus, & nostra minuta duo, instar pauperculae Vi- duæ, in scholasticum Gazophilacium conferre: *Non enim semel neque bis, sed infinitè easdem opiniones ad nos accedere, putare oportet, clamabat Philosophus*: & meritò sanè, quoniam accessione nova cumulus plerūmque augetur. Historico stylo prosecutus Moy-

*Psal. 77. 48.* les plagas Ægypti, gravissimam quamdam prætermisit, quam multa post secula David advertit: *Tradidit grandini iumenta eorum, & pos- sessionem eorum igni*. Ubi Augustinus quodd verò posseffio eorum igne cremata sit omnino non legitur. Stylo eodem explicit Legislator idem Josephi ærumnas, sed compedes omisit, quos junior David meminit:  
*18. Psalm. 104. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus. Nimirum non omnia asse- cuti*

## Ad Philosophiae Candidatos. 3

cuti sunt qui præcesserunt : docent quidem subsequentes , sed quædam relinquunt , proprio studio , atque labore ab his sibi comparanda . Nam & pius quondam Pater familiæ , Moabithidis cuiusdam misertus , quæ Messorum vestigia premebat , præcepit pueris suis dicens . *Etiamsi vobiscum metere voluerit , ne prohibeatis eam ;* *& de vestris quoque manipulis projicite de industria , & remanere permittite , ut absque rubore colligat , & colligentem nemo corripiat .* Ex utrisque igitur , antiquis scilicet , & modernis , discipulorum oculis lux obortitur vividior : *Quia singuli quidem ( loquitur Philosophus ) nil aut parvum addunt naturæ ; ex omnibus vero collectis aliqua magnitudo fit .* *2 Metaph. cap. 1.* *Unde vulgatum fluxit Proverbium . Singula quæ non præsunt , multa collecta juvant .*

Sit ita . Sed quid agendum mihi homini ad abdita usque Metaphysicarum penetralia non irrumpenti , sed in vestibulo earumdem forsitan hærenti ? Gratia equidem , juxta regulam Aristotelis . *Non solum illis agenda sunt gracie , quorum opinioribus quis acquiesceret ; sed illis , qui superficiem tenus dixerunt : & plenam judicio rationem perhibet . Conseruant enim aliquid etiam isti : habitum namque nostrum exercerent , & exempla ingerit . Si enim Timotheus non fuisset , multum melodiae nequaquam habuissentus ; si tamen Pbrinus non extitisset , ne Timotheus quidem . Simili modo , est de illis est , qui de veritate assertuerant : à quibusdam enim aliquas accepimus opiniones ; quidam vero , ut hi fierent , causa fuerunt . Ad ultimas usque terminorum differentias penetrare conabimur . Sed consciit , quām sape humanus conatus irritus procedat , in superficie multoties forte sistimus . Opiniones id cīrco nostras , non ut dogmata , sed ut meras opiniones trademus . Longissimè enim abesse volumus à numero illorum , qui non minorem habent fidem in his , quæ opinantur , quām Lib. 7. E- alii aliis , quæ sciunt , quosque jure optimo Philosophus segillat , *tiborum* Falluntur sape sensus , & animam species ab ipsis emendicantem , *cap. 5.* miserè quoque fallunt : quidni mens ipsa deceptionem patiatur in rebus præsertim purè speculativis , quasque , nihil super illis docente Fide , per species cognoscit alienas ? Igitur ubi primū meliora produxeris , ad palinodiam parati sumus : Et errare scimus , & discere novimus . *Quis non errat mortalis !* gemebundus ajebat Pius , damnans quæ olim , dum Æneas esset contra Eugenium pro Basileensi- *Pius II.* Bulla rebus scripsérat . Verū ea esse solet ingenioi humani petulantia , ut mortem quidam prius sibi consciverint , quām videri velint , aliquando male sensisse : & nonnulli , ne vel ad horam videantur erroſa , semper errant ,*

## Prologus

**Idem ibid.** errant, & dum vel minimam tolerare honoris jacturam nequeunt, totum abjiciunt, & perpetuam noctantur infamia. Detestamus hanc Hominum fecem, qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. Superbissimi hoc agunt, qui videri Dii, non homines volunt. Prompti itaque sumus meliora à melioribus audire. Interim amicis Authoribus aliquando refragor, quia ut diserte scripsit Salomon. *Ferrum ferro acuitur, & Homo exacuit faciem Amici sui.* Ferro silicem quatiente, scintillas ille vibrat, & amico argumentum Amici quandoque tudente uberior lux lectoris oculis offundi solet.

**Proverb.** Porrò methodus scholastica erit omnino scholasticis referenda phrasibus. Explodendos putamus eos, quos scholastici vel pudet, vel tædet idiomatis, cum scholasticorum agant personam. Nauta celestis delectatur, castrensi fremitu Miles, forensibus terminis Jurisconsultus, campestribus Paganus, quidni scholasticus scholasticis terminis? Tria instrumenta sciendi passim ingeremus, scholasticam formam, quæ arguentum tumulibus sedandis apta nata est, constanter amplectemur, sed terminorum divisiones frequentius appellabimus. *Nam cum multipliciter dicantur res (scribit Philosophus) et si nihil ad rationem refert, mentem indefinitè sese habere, necesse est, si quispiam ut indivisibili eo utatur, quod multis dividitur modis.* Non est enim manifestum, per quam ipsorum naturam id accidat, quod di-  
1 de Cœlo  
c. 11. text.  
110. stum est. Inhio claritati, & ægræ admodum claritatem nancisceris, ubi confusio, quam sola fugat divisio, regnaverit. Ante primam rerum divisionem

**Ovidius 1.** *Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,*  
**Metamor-** *Quem dixerit chaos: Rudis, indigestaque moles:*  
**phoseon.** *Nec quicquam, nisi pondus iners, congestaque codens*  
*Non bene junclarum discordia semina rerum.*

Ait simul, ac divisio prodiit:

*Hanc Deus, & melior litem Natura diremit:*  
*Nam Cœlo terras, & terris abscidit undas:*  
*Et liquidum spissò secrevit ab aere Cœlum.*  
*Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,*  
*Dissociata locis concordi pace ligavit.*

Fateor divisionem quandoque offundere caliginem oculis. Sed  
*Est modus in rebus, sunt certi denique fines.*

Quando axiomata exponere incipiām, uniuscujusque originem  
primo investigabo, sedulò pensans à quoniam, quanam authoritate  
traditum sit, quo tempore invalescere cœperit inter scholasticos.

Tum

## *Ad Philosophiae Candidatos.* 5

Tum Authorum placita exponam. Postea meam mentem aperiām, præmissa exacta divisione terminorum, ex quorum commixtione Authorum rixæ emanare solent. Ac demum ad Quæstiones, vel philosophicas, vel theologicas excurrām ( sobriè tamen ) quas Axio-  
ma concernit. Quo circa opus hoc, nec purè philosophicum, nec  
purè theologicum credideris: Metaphysica enim utramque faculta-  
tem juvat, & jam huic, jam illi incubat Scholæ. Quando Principia  
sublimiora ab Aphorismis distincta evolvero, tunc liberius curret  
Attramentum. Identitas, Distinctio, Connexio, Oppositio, Possi-  
bile, Impossibile, & Contingens sunt septem illæ columnæ, quas  
excidit sibi sapientia scholastica, ædificatura sibi ex suis domum.  
Septem his fulcris totum ædificium fulcitur. In eis igitur ad per-  
pendiculum veritatis erigendis, amplius immorabor, ubi copiosam  
sophismatum, & cavillationum legetem, quæ nostris temporibus  
in scholas irruperunt, magno Juvenum plausu, & non minore se-  
num dolore, unâ veritatis falce armatus rescindam. Demum ut  
præfert titulus libri, non tam scholasticas disputationes, quæ  
*Prodromum, seu Prolegomena scholastica* tibi polliceor, hoc est, præ-  
ambula necessaria ad rectam, exactam, scientificam, atque methodi-  
dicam illarum noticiam. Ne autem res modo abstracto sicco, & pe-  
nitus arido procedat, digrediar interdum jam ad has, jam ad illas  
philosophicas, aut theologicas difficultates, in quas vergit principium  
quod tunc explicandum suscipitur. Et quia Principia Metaphysica  
circa rerum connexiones, atque oppositiones: item circa Possibile,  
& Impossibile; circa ens, & non ens feraciora sunt ejusmodi diffi-  
cultatum, tum solidarum, tum sophisticarum; hac de causa  
diutius in eis immorabor, datus in prima Disputatione  
Logice Majoris principia metaphysica circa Iden-  
titates, ac Distinctiones.



6  
D I S P U T A T I O P R I M A  
DE PRINCIPIIS DIALECTICIS.

Quatuor explicata dabimus, cæteris jam explicatis in Dialectica. Præmittemus quisnam fuerit uniuscujusq; Author, & quomo-  
do per subsequentes Philosophos,  
ac Theologos intellecta fuerint.

- Caput I. *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Ubi etiam. Quodlibet est, vel non est.* Num. 1.
- Caput II. *Quæsiuncula super hoc Principio.* Num. 17.
- Caput III. *An & qua ratione sint vera illa Principia. Quæ sunt eadem uni tertio &c. quæ repugnant uni tertio &c. Ubi etiam. Dici de Omni. Dici de Nullo.* Num. 28.
- Caput IV. *Resolutio questionis cum illationibus.* Num. 39.
- Caput V. *An & qua ratione omnis identitas, & distinctio sit mutua.* Num. 48.
- Caput VI. *An & qua ratione Conclusio sequatur partem debiliorem.* Num. 61.
- Caput VII. *Resolvitur difficultas.* 67.
- Caput VIII. *An & quo jure Bonum ex integra causa:* Num. 81.
- Caput IX. *An & qua ratione. Propter quod unumquodque tale &c.* Num. 86.
- Caput X. *An & qua ratione. Ab actu ad Potentiam.* Num. 93.
- Caput XI. *Tria alia axiomata.* Num. 100.
- Caput XII. *Reliqua Dialecticorum Axiomata.* Num. 116.



CA.

# CAPUT PRIMUM.

*Impossibile est idem simul esse, & non esse.*

1.  OC est omnium principiorum firmissimum ; ait Philosophus , sed quia humanum ingenium petulcum esse solet , notissimasque veritates quandoque cavillatur , multa circa hoc principium notanda occurunt ne .

4. Metb.  
cap.3.sex.  
8.

Aliqui abutantur illo . Primum est : impossibilitas significata per tò *impossibile* non est dumtaxat impossibilitas moralis , aut physica ; sed omnium maxima , scilicet metaphysica . Ratio est pervia . Impossibilitas hinc significata , est illa , quam importat simultas duplicitis contradictorii : at impossibilitas , quam importat hæc simultas , non est purè moralis , neque physica , sed metaphysica . Probatur . Hæc impossibilitas nihil aliud est , quam reciproca oppositio duorum contradictoriorum ; at oppositio hæc est metaphysica , ut potè , quam nullæ vires , sive creatæ , sive increatæ superare valent ; ergo . Ob eamdem rationem non est impossibilitas metaphysica purè conditionata subjectivè , aut terminativè ; sed absolute cùm subjectivè , cùm terminativè : quoniam semper , & in omni casu possibili existit in rebus independenter ab omni suppositione contingente aliqua absoluta repugnantia simultatis gemini contradictorii ; ergo hæc repugnantia est subjectivè , ac terminativè absoluta ; ergo impossibilitas significata hinc est subjectivè , & terminativè absoluta .

2. Probatur antecedens . Semper , ac in omni casu possibili independenter à quacumque suppositione contingente existit in rebus aliquod contradictorium ( admittamus objectivam contradictionem explicationis gratiâ . ) Sed quodvis contradictorium est per se independenter ab alio absoluta repugnantia simultatis sui ipsius cum suo contradictorio , eo quod per se præcise sit oppositum metaphysicè illi : ergo semper , ac independenter ab omni contingente suppositione existit in rebus aliqua absoluta repugnantia simultatis gemini contradictorii : hæc repugnantia est impossibilitas , quam significat hoc principium ; ergo impossibilitas , quam significat , semper , & in omni casu existit , necnon pro omni casu reddit impossibilem præfatem simultatem ; ergo est subjectivè , ac terminativè absoluta .

3. Dices primo . Petrus v. g. tantummodo repugnat coexistētiæ cum sua carentia ex hypothesi , quod ea sit suum contradicto-

rium; at quodd ea sit suum contradictorium est quid extraneum ipsi Petro; nam est quid identificatum pro suo modulo cum sua carentia; ergo Petrus repugnat prædictæ coexistentiæ dependenter ab hypothesi extranea, & cum qua non est ipse connexus; siquidem, non est connexus cum sua carentia; ergo impossibilitas prædictæ coexistentiæ, quamquam sit subjectivè absoluta, eo quod existere semper debeat aliquod contradictorium, attamen est terminativè conditionata. Sed contrà: Quemadmodum ut contractum terminativè conditionatum discernas à terminativè absoluto, non attendis an quomodolibet apponatur nec ne aliqua conditio; sed ultrius expendis, an contractus ipse suapte naturâ inferat eam conditionem, quam si inferat, pronuncias contractum esse absolutum, ut volo emere istud, si datur causa prima, quæ conditio habetur pro non adjecta; conditionatum verò si non inferat; ut volo te Uxorem, si dives sis: ita ad distinguendum connexionem, oppositionemque terminativè conditionatas à terminativè absolutis, inspicere oportet, inferat necnè fundamentum eam conditionem: si eam infert; Oppositiō, connexione est terminativè absoluta (alioquin nullam ostendes connexionem, aut terminativè absolutam oppositionem;) si eam non infert, est terminativè conditionata.

4. Unde sic argumentor. Omne, quod repugnat alii ex quādam quidem suppositione, verūm quam ex suis intrinsecis infert, repugnat, & opponitur illi alii repugnantia terminativè absoluta. At Petrus (idem dico de quovis alio contradictorio) ita repugnat suæ carentiæ ex suppositione, quod hæc sit suum contradictorium, ut ex suis intrinsecis inferat hanc suppositionem. Probatur, & explicatur. Trifariam intelligi potest, Petrum inferre ex suis intrinsecis hanc suppositionem. Primb ratione identitatis cum ea. Secundò ratione connexionis inferentis eam absolutè & simpliciter exerceri in rebus. Tertiò ratione connexionis inferentis, suam carentiam esse suam carentiam, seu contradictorium suum. Primum, & secundum est aperta Chymæra; solum tertium est, quod dicimus, & sic probamus. Si Petrus ex solis intrinsecis suis non inferret, suam carentiam esse suum contradictorium, sequeretur, quod attentis solis suis intrinsecis, permetteret suam carentiam non esse suam carentiam: ergo attentis solis suis intrinsecis, permetteret confortium sui ipsius cum eo, quod est sua carentia: sed hoc sègrè admodum percipitur: quandoquidem sua carentia essentialiter est sua carentia. Dicendum ergo est: Petrum ex solis suis intrinsecis inferre suam caren-

## *Simul esse, & non esse.*

9

carentiam esse suam carentiam ; atqui per te hæc est conditio , dēpendenter à qua repugnat sua carentia : ergo huic repugnat repugnantiā terminativè absolutā . Neque hic apparet recursus ad eos terminos : *Carentia specificativè sumpta* : nam cùm carentia per suam qualemcumque essentiam sit carentia , palam fit , carentiam reduplicativè ut carentiam nil novum , aut speciale addere supra carentiam specificativè acceptam : quemadmodum homo reduplicativè ut rationalis nihil speciale addit supra hominem specificativè , & secundūm se consideratum , nisi forte configrias ad expressionem , actumque intellectus ad rem præsentem prorsus impertinentem : quidquid ergo affirmaveris , aut negaveris de carentiā specificativè sumpta , affirmandum , aut negandum est tibi , de eadem reduplicativè sumpta .

5. Dices secundò . Si prædictum principium significat , impossibilitatem subiectivè absolutam , idest nunc de præsenti existere , esset principium falsum . Probatur . Impossibilitas præfatae simultatis est simultas ipsa , & nihil aliud : nam sicut omne possibile est sua possilitas ; ita omne impossibile est sua impossibilitas ; ergo si principium significat de præsenti existere eam impossibilitatem , significat quoque de præsenti existere hanc simultatem , quapropter falsum esset . Dissimulato falso supposito , quasi cognoscibile foret ab intellectu objectum aliquod , quod subiectivè in se ipso sit *duplicis contradictorii simultas* , de quo suo loco . Respondeo : Duplex scerni solet impossibilitas ( similiter ac possilitas ) una formalis , atque immediata ; altera illativa , & mediata : illa identificatur suo modo cum re , quæ impossibilis est , hæc identificatur cum possibili , eo quod per se ab intrinseco est connexum cum impossibilitate illius impossibilis , de quo est sermo . Tunc sic : Impossibilitas formalis , & immediata simultatis-gemini contradictorii est quidem simultas ipsa ; ceterū non dicimus præsumptum principium significare hanc impossibilitatem absolutè , & simpliciter existere . Impossibilitas vero illativa hujus simultatis identificatur respectivè cum quovis contradictorio , & hanc impossibilitatem illativam significat hoc principium absolutè existere . Unde solūm concluditur , significari aliquod ex duobus contradictoriis absolutè existere . Quamobrem hoc principio significatur impossibilitas metaphysica subiectivè , ac terminativè absoluta , si sermo fuerit de impossibilitate illativa ; subiectivè autem conditionata , & terminativè absoluta ; si fuerit sermo de impossibilitate formalis .

6. Se-

6. Secundum notandum est : Identitatem expressam voce illa *idem* esse adæquatam , puramque puritate excludente omnem distinctionem actualem sive sit ea , quam prædicativam vocant , sive sit formalis ex natura rei ; puritate item excludente distinctionem virtualem, acceptam pro capacitate suscipiendi duo contraditoria. Similiter in eo principio; *quodlibet est* , *vel non est* : tò *quodlibet* significare debet unum , & idem subjectum identitate memorata secum ipso . Probo primam partem . Quamquam detur aliqua identitas hominem inter , ac materiam primam , nihilominus non repugnat , hominem esse discursivum , & simul materiam non esse discursivam : sed hujus legitima ratio est , quia identitas hæc est tantum inadæquata ; ergo identitas inadæquata præcisè non significatur per hoc principium ; desideratur ergo ad impossibilitatem simultatis horum prædicatorum , *esse* , *non esse* identitas adæquata inter subjecta . Probo secundam partem , videlicet hanc identitatem omnino puram esse oportere , ut prædictum principium omnino firmum , atque per se evidens sit .

7. Probabile est existentiam actualem , atque possibilitem formalem , & immediatam creaturarum identificari mutuo , seu potius non distinguui entitativè ; sic enim opinantur non pauci RR. Et tamen quia juxta eosdem distinguuntur realiter prædicativè , propterea non est evidens ex terminis nequire suscipere simul hæc prædicta *esse* , *non esse* ; quoniam probabiliter ajunt : possibilitem *esse* *necessariam* , & existentiam absolutam *non esse necessariam* , (quod licet nos dicamus etiam ; at in sensu longè diverso ab his authoribus , ut exposuemus disp. de Possibili ; ) ergo ut evidens sit apud omnes , repugnare simultatem in essendo , & non essendo aliquid ; opus est , quod extrema , de quibus fuerit sermo , ita identificantur , ut non admittant distinctionem actualem , qualis censetur distinctione prædicativa : similiter opus est , quod non suscipiant distinctionem illam actualem , quæ *formalis* , *ex natura rei* appellari solet ; nam licet animal , & rationale mutuo identificantur adæquate , quia tamè probabile est , suscipere distinctionem *ex natura rei* , idcirco probabile etiam est esse , & non esse respectivè rationem assimilandi hominem equo citra omnem impossibilitatem .

8. Universalis igitur evidentia memorati principii , necessariò poscit identitatem adæquatam , & puram sine mixtione distinctionis ullius actualis , & ex natura rei ; nec non carentiam distinctionis virtualis . Sic quamquam Paternitas , & essentia divina sint prorsus

## *Simul esse, & non esse.*      II

sus idem identitate adæquata , & pura , puritate excludente omnem actualem , & formalem distinctionem ; attamen quia valde probabile est , distingui virtualiter mutuò , ideo de illis respectivè verificatur , *esse* , & *non esse* commune *Filio* absque ulla impossibilitate ; ergo ad consistentiam , & universalitatem hujus principii desideratur identitas pura absque mixtura distinctionis virtualis ; imò , & absque distinctione rationis , si hæc accipiatur pro capacitate admittendi duo contradictionia sine contradictione , in quo sensu non raro accipitur in Concilio Florentino , & S.Thom. de quo postea . Jam ratio pro his omnibus est . Non est impossibilis simultas horum prædicatorum : *esse* , *non esse* quando cadunt supra subjecta realiter simpliciter distincta : at quando cadunt supra subjecta indistincta entitativè , verùm prædicativè distincta , aut supra subjecta indistincta sanè entitativè , & prædicativè , sed distincta formaliter *ex natura rei* ; aut supra subjecta indistincta , tūm entitativè , tūm prædicativè , tūm *ex natura rei* formaliter , sed virtualiter distincta , perindè se habent in ordine ad vitandam contradictionem , ac si caderent supra subjecta simpliciter distincta ; eo quod omnes hæc distinctionum species tanti valeant , in ordine ad hoc munus , quanti valet distinctio simpliciter realis ; ergo si aliqua *ex memoratis* intercedat distinctio , non est impossibile , *idem esse* , & *non esse* : ergo ut sit firma , & universalis regula hujus principii *impossibile est &c.* necessariò intelligenda est identitas adæquata , & adeò pura ut nulli ex attractis distinctionibus admisceatur .

9. Quartum notandum est : evidentia hujus principii , quandoque petit ultra identitatem expositam , identitatem etiam rationis , quandoque non . Vel enim prædicata importata per tò *esse non esse* sunt realia , independentiaque omnino ab actibus nostri intellectus , vel non ? si primum ; non requiritur identitas formalis , carenti ave distinctionis rationis merè logica , aut metaphysica ad impossibilitatem simultatis eorum *esse* , & *non esse* : sic quamquam essentia divina , & omnipotentia non identificantur per rationem in sensu Logico , aut metaphysico , si tamen sunt idem citra quamlibet ex distinctionibus , quarum nuper meminimus , prorsus est impossibile essentiam communicari Personis Divinis , & Omnipotentiam non communicari : videlicet quia *communicari* , & *non communicari* sunt prædicata existentia à parte rei minimè oriunda ex operationibus nostri intellectus . Quo discursu refellitur quorundam cogitatio ajetium , beneficio solius distinctionis rationis logicæ , aut metaphysicæ (non prout coincidentis cum distinctione virtuali ) vitari contradictionem

nem in eis prædicatis. *Essentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur.* Si secundum; Ad impossibilitatem essendi, & simul non essendi indisponsabiliter exigitur identitas rationis, & quidem mutua. Sic tametsi inter Hominem, & Animal detur identitas adæquata absque omni mixtura distinctionis formalis, & virtualis; at verò quia distinguuntur non mutuò per rationem, aperitur locus, ut animal sit genus, & homo non sit genus, nimirum quia distinguuntur non mutuò per rationem, & hoc, quod est: *esse genus, aut non esse genus* alludit ad quamdam operationem intellectus, quæ nuncupatur *secunda intentio*.

10. Quintum notandum est. Hęc prædicata *esse*, & *non esse* cedere debent non tantum supra idem subjectum, verùm etiam supra eamdem prorsus reduplicationem. Quamvis enim subjectum sit idem modis annotatis, est tamen probabile, posse illud secundum unum conceptum, formalitatem, partem &c. esse, & simul non esse secundum alium conceptum, partem, formalitatemve: sic dici solet, universale secundum unam sui partem, scilicet secundum multiplicatatem naturæ esse à parte rei, & secundum alteram, (Unitatem scilicet) non esse à parte rei: Item physicam prædeterminationem secundum unum conceptum constituere actum primum proximum; & eamdem secundum alium conceptum non constitutre illum: Consensum, prout conditionatum, seu in statu conditio- nato esse determinativum scientiæ mediae, & eundem in statu ab soluto non esse determinativum illius. Has locutiones non omnino probamus, quia vel sunt impropriæ, & equivocationibusque obnoxiae, vel omnino falsæ. Authoritas tamen Magistrorum sic loquen- tium urget ad affigendum huic principio has limitationes, ut suam retineat amplissimam, & universalem evidentiam.

11. Sextum notandum est. Simultas expressa per eam parti- culam *simul* debet esse adæquata, & impar est pure inadæquata. Etenim non repugnat idem esse, & simul non esse in eodem punc- to temporis, si sit in uno loco, & non sit in alio: neque esse, & sim- mul non esse in eodem loco, si sit in uno tempore, & non sit in alio: neque esse, & simul non esse in eodem tempore, & loco, si sit in uno subje- cto, & non sit in alio. Quamobrem simultas, de cuius impos- sibilitate hic sermo est, complecti debet, tum idem indivisible tem- pus, tum eundem locum, tum idem subjectum, aut formam, pro- ut fuerit res, de qua est sermo. Septimum notandum est. Illa ver- ba, *esse, non esse, non significant absolute esse, & non esse objectiva.*

Cum

## *Simul esse, & non esse.* 13

Cum enim multi haud improbabiliter negent, *non esse*, aut *carentias*, aut *negationes objectivas*; si hoc principium illas supponat, vel innuat, supponit falsum apud hos DD. quapropter ab *evidentia universalis* decidet. Ut igitur eam conservet, habeat, opus est, aut sensum reflexum, scilicet *Impossibilis est simultanea Veritas duarum propositionum contradictiarum*, aut sensum conditionatum, nempe *si dentur esse, & non esse objectiva, impossibile est idem habere simul utrumque*: aut sensum ita absolutum, ut *præscindat ab eo*, quod dentur *negationes objectivæ*.

12. Octavum notandum est: quando hoc principium ad casus singulares contrahitur, ut summum robur servet, necesse est non applicari subjecto falsæ suppositionis; quod si secus fiat, tam longè abest propositio à terminis evidentiæ ut potius falsitatis convincatur, nempe quia ad constituendum cujusque propositionis veritatem, pensanda est non sola affirmatio, aut negatio explicita, verum etiam tacita suppositio. Ob hanc causam falsæ sunt hæ propositiones: *impossibile est hoc album* (signando objectum nigrum) *simul esse, & non esse*. *Impossibile est*, quod incognoscibile currat. & *simul non currat*. *Impossibile est*, quod universale à parte rei sit album. *Impossibile est identitatem veram*. & nullo excogitabili modo chymæricam inter hominem, & lapidem existere, & *simul non existere*; & alias id generis propositiones, quæ tacite supponunt falsum, & quibus abuti solent aliqui Tyrionibus illudendi causâ. Subjectum ergo, cui hoc principium applicatur à falsa suppositione distare debet. Idem judicium ferendum est de illo quoquæ principio: *Quodlibet est, vel non est*. Si enim applicetur subjecto falsæ suppositionis, non evadet propositio evidens, sed potius falsa. Sic apud negantes *carentias objectivas*, & chymæras, entiaquæ rationis objectiva, falsæ sunt hæ propositiones. *Carentia Petri existit, vel non existit*. *Identitas hominis cum equo est, vel non est cognoscibilis*. Quemadmodum omnes repellunt ut fallaces has; *Objectum incognoscibile omnino existit, vel non existit*. *Identitas realis, & nullo excogitabili modo chymærica hominis cum equo existit, vel non existit*. Supponunt falsum hæ omes enunciationes. Quocircà ut predicta principia retineant suam universalem evidentiam, opus est, quod sensum reddant conditio natum v. g. *Si dantur carentia ex parte rerum, carentia Petri existit, vel non existit, & similiter de cæteris*.

13. Ultimum, quod notandum venit, est. Ambo hæc principia ostendunt impossibilitatem in eo, quod duo contradictoria absoluta

soluta existant, aut deficiant simul in eodem puncto temporis, tam in eodem, quam in diverso signo naturæ: signa quippe rerum scholasticè loquendo non sunt bursæ, aut cubilia, intra quæ lateant res, sed res ipsæ: ergo dicere, duo contradictoria posse existere in eodem instanti, modò sint in signis diversis, est dicere duo contradictoria posse existere in eodem instanti, modò sint mutuò diversa; at qui necesse est, illa esse mutuò diversa, quod nemo scholasticorum negasse videtur: ergo tandem, tandem est dicere, duo contradictoria posse in yicem coexistere, siquidem diversitas illa signorum nihil addit supra naturam ipsam contradictiorum, quæ ut potè opposita necessariò existunt in diversis signis. Unde minus bene usi fuisse, scholasticis terminis videntur RR. oppositum docentes.

14. Cæterùm ex ambobus his principiis perperam infertur, impossibile esse, quod duo contradictoria conditionata simul deficiant in eodem tempore, aut quod duo contradictoria absoluta simul deficiant in eodem signo naturæ. Ratio primi est: tūm quia sicut nondantur ex parte rerum objecta formaliter in se ipsis disiunctiva; ita nec objecta formaliter in se ipsis conditionata: tūm quia juxta veterem philosophiam negantem omnem veram, atque objectivam distinctionem inter possibilitatem, ac existentiam, neque datur modò de præsenti quidpiam, quod subjectivè in se ipso sit, *Fore ut si Petrus existat non includat duo contradictoria* (quia tale id esset possibilitas ipsa formalis, & immediata, quæ modò non existit loquendo de Petro purè possibili) neque datur de præsenti quidpiam, quod subjectivè in se ipso sit: *Inclusurum esse Petrum duo contradictoria si existat*; quia hoc esset impossibilitas Petri, quæ profectò non detur in rebus; ergò duo contradictoria conditionata possunt simul deficeri à rebus, si sermo sit de conditionatis objectivis, hoc est de objectis, quæ in se sint conditionata, sicut hæc charta in se est alba. Vera quidem est propositio possibilitatem enuncians; at cùm non affirmet quidquam de præsenti existere (alioquin non esset purè, ac præcisè conditionalis, & præterea ut falsa rejiceretur) indè est, quod ad sui veritatem non poscit quidquam in rebus existere, tamquam suum verificativum objectum formale, ac immediatum, quemadmodum, ut in hoc loco sit vera hæc propositio *Rex vivit Madridi*, non desideratur, quod in hoc loco detur ultra ipsam suum verificativum objectivum, & immediatum; nempe quia ipsa tale non enunciat; quamobrem licet ex duabus propositionibus contradictoriis conditionalibus una debeat esse vera, & altera falsa (quod necessa-

## *Simul esse, & non esse.* I 5

necessarium esse fatemur) at verò necesse non est, quod absolute existat in rebus; illius verificativum objectivum formale, & immediatum; sed de hoc alibi.

15. Ratio secundi est. Duo contradictoria absoluta bisariam possunt dici deficere simul in eodem signo naturæ. Primo in *sensu positivo*, quatenus amborum simultaneus defectus sit causa, vel prærequisitum ad aliud, & hoc est impossibile; nam omnis vera causa, omneque verum prærequisitum potest aliquando existere in rebus: ergo quod numquam potest sic existere, neque est causa vera, neque verum prærequisitum: at simultaneus defectus duplicitis contradictorii absoluti numquam potest existere in rebus, quoniam impossibilis est: ergo is defectus simultaneus nequit esse vera causa, aut verum prærequisitum; ergo duo contradictoria nequeunt simul deficere in eodem signo naturæ in sensu positivo. Secundo in *sensu pure negativo*, quatenus ex duobus contradictoriis neutrum sit causa, aut prærequisitum ad aliud tertium; & hoc evenire potest: siquidem neque equus, neque ejus carentia sunt causa, vel prærequisitum ad lucem; item neque forma, neque formæ privatio sunt causa, vel prærequisitum ad formam ipsam. Inde constat fallaciter argui, dati privationem formæ pro priori ad formam, hoc est in signo causæ producentis formam, eo quod pro illo priori non detur forma.

16. Dices. Ideo repugnat, quod neque existat forma, neque hujus privatio in eodem instanti temporis, quia quodlibet est, vel non est in tempore: & quia impossibile est, eamdem omnino rem simul esse, & non esse in tempore: sed etiam quodlibet est, vel non est in signo naturæ, & est impossibile eamdem omnino rem simul esse, & non esse in eodem signo naturæ; ergo si repugnat, quod neque forma, neque hujus privatio existant in eodem tempore, etiam repugnat, quod neque forma, neque hujus privatio existant in eodem signo naturæ. Distinguo majorem. Idèò præcisè; nego: idèò, & quia non esse formam in tempore est formalissimè dari in eo tempore carentiam formæ, ut communè dicitur; concedo. Ceterum non dari formam in signo naturæ, non est formaliter dari suam carentiam in eo signo. Quod mera terminorum explicatione constat. Non dari formam in eo signo, est non esse ulla tenus causam alicujus tertii: dati suam carentiam in eo signo, est suam carentiam esse aliquatenus causam illius tertii; at ex eo, quod forma non sit causa, pessimè argumentatur suam carentiam esse causam; alias ex eo quod lapis non sit causa solis, liceret inferre, carentiam lapidis esse solis causam; quod est terminorum abusus; ergo &c.

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

*Quæstiuncula circa hoc principium.*

17.

*Aristot. 4.**metab. cap.**3. text. 8.**Antonius**Andreas 4**metaphys.**s. quæst.**S. Thom.**in 4. me-**tafb sec 6.**P. Suarez**tabp. disp.**3. scđ. 3.**num. 6.**P. Föfeca**autem**propositio**est**judicium,**& judicium**attinet ad secundam**operationem intellectus;**ergo hæc**propositio**non est**primum prin-**cipium**relatè ad primam**operationem intellectus.**Quo satisfit ar-**gumento impugnanti**primum**hujus principii,**et quod intel-**lectus priùs**cognoscat**terminos simplices,**quam compositos,**idest priùs**apprehendat,**quam judicet.**Est verum,**sed non venit ad**rem;**& hinc patet**secunda pars:**nam cum hæc**propositio ad secun-**dam spectet**operationem intellectus,**consequens est,**ut si primum**principium sit,**hunc**primum exerceat**in ordine ad secundam**operationem intellectus.**18.**Probo**tertiam**partem,**scilicet**hoc principium non esse**omnium primum**in genere ostensivo.**Nulla demonstratio**à priori,**à posteriori,**vel à comitante**resolvitur,**précisè ut talis,**in hoc prin-**cipium;**at omnis demon-**stratio ostensiva**est à priori,**vel à poste-**riori,**vel à comitante;**ergo nulla demon-**stratio ostensiva**précisè ut**talis,**resolvitur in hoc**principium:**ergo hoc non est**primum in**genere demonstrationis**ostensivæ.**Probo**majorem.**Non demon-**stratio à pri:ori.**Quoniam hæc**resolvitur,**aut in primam**passionem**entis,**ex qua cetera**demonstrantur,**ut docet**Philosophus,**aut in**definitionem**eiusdem**entis,**per quam**omnes illius**proprietas**ostenduntur,**ipsa autem**definitio non**demonstratur,**sed imme-**diate*

Ogabis 1. An illud sit primum omnium, eorumdemque ultimum resolutivum? Affirmat Philosophus. Negat Antonius Andreas cum aliis, quos suppresso nomine refutat P. Fonseca. Placet distinctio S. Thomæ, & distinctio eximii Docto-

metaphys. Præfata propositio est primum principium non relatè ad pri-

metaphys. mam operationem intellectus, sed relatè ad secundam: rursus est

in 4. me- ostensivæ, sed in genere demonstrationis per deductionem ad impos-

tabp. sec 6. sibile. Probo primam partem. Quod non attinet ad primam opera-

tionem intellectus, nequit esse primum principium relatè ad illam:

tabp. disp. sed hæc propositio non attinet ad primam operationem intellectus;

3. scđ. 3. prima namque operatio intellectus est simplex appræhensio; hæc

operationem intellectus; ergo hæc propositio non est primum prin-

cipium relatè ad primam operationem intellectus. Quo satisfit ar-

gumento impugnanti primum hujus principii, et quod intel-

lectus priùs cognoscat terminos simplices, quam compositos, idest priùs

apprehendat, quam judicet. Est verum, sed non venit ad

rem; & hinc patet secunda pars: nam cum hæc propositio ad secun-

dam spectet operationem intellectus, consequens est, ut si primum

principium sit, hunc primum exerceat in ordine ad secundam

operationem intellectus.

18. Probo tertiam partem, scilicet hoc principium non esse omnium primum in genere ostensivo. Nulla demonstratio à priori, à posteriori, vel à comitante resolvitur, précisè ut talis, in hoc principium; at omnis demonstratio ostensiva est à priori, vel à posteriori, vel à comitante; ergo nulla demonstratio ostensiva précisè ut talis, resolvitur in hoc principium: ergo hoc non est primum in genere demonstrationis ostensivæ. Probo majorem. Non demonstratio à pri:ori. Quoniam hæc resolvitur, aut in primam passionem entis, ex qua cetera demonstrantur, ut docet Philosophus, aut in definitionem ejusdem entis, per quam omnes illius proprietates ostenduntur, ipsa autem definitio non demonstratur, sed immediate

diatè cognoscitur in subjecto, hoc est per se nota est, ut ibidem dicitur: sed tam definitio, quām prima passio entis p̄ſcindunt formaliter ab impossibilitate simultatis, *eſſe*, & *non eſſe*, tametsi ex eis legitimè deducatur hēc impossibilitas; ergo demonstratio à priori resolvitur in principium formaliter p̄ſcindens ab hoc nostro; ergo non in hoc nostrum. Neque dicas repugnatiā predictæ simultatis esse primam passionem entis. Est sanè passio illius, sed non prima, nam prius est ratione nostra, ens esse intrinsecè constitutum, & in se unum, atque indivisum, quām repugnans suo contradictorio.

19. Non *demonstratio à posteriori*; nam hēc fundatur in summa, intimaque connexione, qua effectus infert suam causam, quæ connexio, vel est definitio ipsa effectus, vel una ex passionibus eam definitionem indispensabiliter consequentibus; ergo etiam id generis demonstratio resolvitur in definitionem, vel primam passionem entis; ergo p̄ſcindit formaliter ab hoc nostro principio. Non de-  
mūn *demonstratio à comitante*: hēc quippè identitur connexioni reciprocæ unius entis cum alio citra omnem prioritatem naturæ, si fortè hoc possibile est; sed hēc connexio est etiam definitio ambo-  
rum, vel passio necessariò consequens hanc definitionem; quando-  
quidem omnis intima connexio identificatur cum suo proportiona-  
to fundamento: ergo etiam hēc demonstrationis species resolvitur tandem in definitionem entis; ergo hoc nostrum principium non  
est primum in genere demonstrationis ostensivæ. Adverto tamen  
cum P. Izquierdo. Hoc principium, licet non sit omnium primum, *P. Izq.*  
& universalissimum in genere ostensivo, esse unum è primis in hoc *Phar disp*  
genere. Prima namque, & notissima proprietas, aut definitio con-  
tradictiorum formaliter ut talium, est reciproca oppositio quoad  
simultaneam existentiam: sed hoc principium explanat eam oppo-  
sitionem; ergo explanat definitionem, vel saltem primam propri-  
tatem contradictiorum, ut talium: ergo est primum principium  
in genere ostensivo, non quidem absolute, & respectu quarumcum-  
que formalitatum entis, sed respectivè ad contradictoria.

20. Probo denique esse primum principium in genere demon-  
strationis per deductionem ad impossibile. Totum hujus demonstra-  
tionis robur consistit in eo, quod ex proterva respondentis affir-  
matione, aut negatione eliciat arguens aliquod impossibile; atqui  
tota impossibilitas cujuscumque impossibilis tandem reducitur ad  
simultaneam existentiam, vel absolutam, vel conditionatam horum  
terminorum, *eſſe non eſſe*; idest ad simultatem duplicitis contradi-  
ctorii:

ctorii: ergo totum robur hujus demonstrationis resolvitur in impossibilitatem praedictarum simultatis; ergo haec impossibilitas est primum & ultimum principium demonstrationis per deductionem ad impossibile. Ob hanc rationem potest vocari absolute hoc principium, primum ceterorum omnium, & omnium universalissimum, ut advertit idem Eximus Doctor, quem sequitur quoque P. Leonardus

*Tom. I. Penafiel: Nam si respondens contumax fuerit in affirmatione praedicti repugnantis subiecto, vel in negatione praedicti necessarij ei convenientis, ultimum, quod scholastico ut tali praecise restat medium, est recursus ad hoc principium, ostendendo scilicet sequi ex illius sententia complexionem gemini contradictorii, seu rem esse, & simul non esse. Ceterum quamquam hoc principium sit primum, & universale in hoc demonstrationis genere, non est unicum, & per se solum sufficiens; ad hanc enim demonstrationem desiderantur duo: primum, quod impossibile deductum ex sententia contraria sit impossibile re ipsa: secundum, quod legitimè deducatur: illud fundatur sanè in hoc principio; ast hoc secundum, bonitas nimironum illationis, non fundatur in eo; sed in connexione antecedentis cum consequenti.*

### §. II.

*21. O*bjicies primò. Nullum principium, quod fundatur in alio priore, est primum principium; tale est hoc: tūm quia est negativum; omnis autem negatio fundatur in priore aliqua affirmatione: tūm quia ideo à priori res nequit simul esse, & non esse, quia omnis res necessarij est una determinata: ergo rem non posse simul esse, & non esse resolvitur in hoc principium, *omne ens est unum*; ergo non est primum omnium principiorum. Tūm quia omnis propositio modalis est posterior absoluta de *inesse*: sed nostrum principium est propositio quædam modalis; ergo posterior, quam alia. Tūm quia hoc principium constat multis terminis neque per se notis, ut sunt *simul idem*, qui utpotè relativi, sunt posteriores absolutis. Tūm demum quia germana ratio à priori, propter quam impossibile est, rem simul esse, & non esse, est, quia *quodlibet est, vel non est*; ergo hoc, non verò illud est primum, & maximum omnium principiorum. Argumentum cum suis probationibus probat, quod concedimus, non quod negamus. Etenim aliud est, præsumptum principium fundari in alio priore relatè ad demonstrationem

## *Simul esse, & non esse.*

19

nem offensivam ; aliud vero , fundari in alio priore relata ad demonstrationem per deductionem ad impossibile . Fatalem peritum , & hoc evincunt haec rationes contrariae : diffinitemur secundum , eo quod tota energia demonstrationis per deductionem ad impossibile fonderetur in deductione alicujus impossibilis , & tota impossibilitas cuiuscumque impossibilis unicè consistat in simultate essendi , & non essendi : hoc autem minimè refellitur per argumenta contraria . Haec in communione dixerim aliqua dissimilans , quæ singillatim persequitur Eximius Doctor istis argumentationibus satisfaciens .

22. Objicies secundò . Nulla propositio , quæ explicationibus eget , atque rationibus suasivis , est primum omnium principiorum ; hoc namque adeo perspicuum esse debet , ut ex sola apprehensione terminorum cuivis intellectui innotescat ; at nostra propositio eget explicationibus , quas supra tradidimus ; alias superflue erunt , necnon rationibus suasivis , quas affatim congerit Philosophus ; ergo . 4 Metaph.  
cap. 4.

Confirmatur primò . Nulla propositio , quæ à viris doctis negatur , vel saltem in dubium vocatur , digna est nomine primi principii omnium evidentissimi ; sed nostra hęc propositio olim fuit negata à Democrito , Anaxagora , & Heraclito citatis ab Aristotele , & novissime in dubium vocatur à Renato Cartesio citato à P. Ardekin ; ergo non est digna nomine principii omnium evidentissimi . Confirmatur secundò . Primum principium in quacumque scientia est illud , vi cuius definitio affirmatur de definito : vel prima passio de Tratt. de  
Idea scien-  
tifica cap. 7.

essentia ; ergo non est hoc : *Impossibile est , rem simul esse , & non esse .* Probatur antecedens . Juxta Philosophum , *Firmissimum omnium principium est illud , in quo fieri nequit , ut quis fallatur ;* at principium , in quo fieri nequit , ut quis fallatur , est illud , in quo affirmatur definitio de definito , aut prima passio de essentia , proindeque debet esse hoc : *Omne ens debet esse unum :* ergo . Et hinc confirmatur tertio . In nostro principio falli potest intellectus : ergo non est omnium firmissimum . Probatur antecedens . Hoc principium , ut approbetur , indignum est inductione ex his , quas sensibus percipiuntur juxta regulam universalem , quam omnibus principiis imponit P. Fonseca : at sensus falli , & fallere solent ; ergo hoc principium indiget medio fallace : ergo in hoc principio falli potest intellectus . 4 Metaph.  
cap. 3.

23. Respondeo ad objectionem . Aliud est enim propositionem per se , ac ex suis terminis intrinsecis egere explicationibus , suscipiibusve : aliud autem per accidens , ac ex terminis extrinsecis . Si

B 2

con.

continget primum; non esset summum omnium principiorum ob rationem argumenti; ast non contingit, quoniam per se neque indiget nostris explicationibus, nec rationibus suasivis, quas congerit Aristoteles, cum per se, & ex suis terminis intrinsecis sit notum: solum ergo per accidens, atque ob tricas, tergiversationesque dialecticorum exhibuitus explicaciones, produxitque Philosophus rationes. Verum hoc non impugnat hujus principii primatum: ipse namque Aristoteles acerrimus hujus primatus assertor immediatè post illius traditionem subjungit: *Sintque ad logicas difficultates adjecta, quæcumque alia à nobis adjungi possunt: hoc est, ut commentatur ibi P. Fonseca, subintelligantur ob dialecticorum tricas illi termini, de quibus 1. Elench. cap. 4. & tamèn concludit Philosophus: Hoc autem est omnium principiorum firmissimum.* Primam confirmationem tetigit Philosophus, sed respondet: *Neque enim neceſſe est, ut quæ quis dicit, ea & sentiat.* Quocirca distinguo maiorem: quæ à viris doctis negatur ore dumtaxat; nego maiorem: quæ negatur etiam intellectualiter; concedo: & inversim concessa, negataque minore, nego consequentiam.

24. Ad secundam confirmationem respondeo, illam ostendere, nostrum principium non esse omnium primum in genere demonstrationis offensivæ; secus in genere demonstrationis per deductionem ad impossibile. Constat utrumque ex supradictis. Ad tertiam nego antecedens, ad hujus probationem dico, hoc principium sicut, & reliqua, eget non quo ad primum sui esse, primumve sui affensem, sed quo ad habitum, intensionemque inductione eorum, quæ sensibus percipiuntur, ut loco ibidem citato exponit ipse P. Fonseca. Neque ex eo quod ad maiorem sui radicationem egat ministerio sensuum, colligas illud sumptum quo ad habitum, seu intensionem posse fallere, quoniam dumtaxat sequitur, illud posse oblivione deri, & posse non semper actu insidere immobiliter menti.

25. Obiecties 3. Non magis est notum per se: *Impossibile esse, rem simul esse, & non esse, quæ impossibile esse, rem neque esse, neque non esse;* ergo non est, cur illud, secus hoc sit primum principium; ergo utrumque, vel neutrum est primum principium. Confirmatur. Primum omnium principiorum est hoc: *Quodlibet est, vel non est:* hoc enim est legitima ratio à priori impossibilitatis essendi, & simul non essendi: ergo. Ad objectionem concedo totum. Addo istud principium à te objectum coincidere cum nostro, ut bene notat P. Izquier. quippe rem esse, est formaliter deficere suum non esse: item

4 Metaph.  
cap. 3 text.  
8.

item rem non esse est formaliter desicere suum esse , ergo si est impossibile , rem esse , & simul non esse , est quoque impossibile , rem ne-  
 quà esse , nequè non esse . Confirmatio nil premeret Javellum pu-  
 tantem principium de *necessitate* coincidere cum nostro de *impossibili*, sed  
 quia jure confutatur à P.Suarez ; ideo respondeo cum hoc negando  
 antecedens , & adjunctam probationem ; nam evidentior est impossibilis-  
 itas simultatis gemini contradictorii , quàm necessitas disjuncti-  
 va de eo , quòd alterum eorum exerceatur in rebus ; ergo hæc ne-  
 cessitas non est ratio à priori illius impossibilitatis . Probo antece-  
 dens . Impossibilitas dictæ simultatis stat in oppositione contradicto-  
 riorum , necessitas verò disjunctiva in immediatione hujus opposi-  
 tionis ; sed evidentior est oppositio contradictoriorum , quàm ejus-  
 dem immediatio : siquidem illa est genus respectu contradictorio-  
 rum , & respectu pure oppositorum ; immediatio autem est differen-  
 tia , & cæteris paribus universaliora sunt magis nota : ergo .

26. Rogabis secundò . An prædictum principium demonstrabile sit ? corripit severè Philosophus quosdam illius demonstratio-  
 nem affectantes , & concludit posse dumtaxat demonstrari ad homi-  
 nem ; quæ demonstratio impropria est . Igitur respondeo negativè :  
 omnis namque demonstratio indispensabiliter poscit medium assump-  
 ptum esse clarius conclusione : ergo si nihil est clarius prædicto prin-  
 cipio , nullum medium assumi potest ad illud demonstrandum ; at  
 nihil est , ut videtur certum : ergo . Rogabis tertiod . Quibus rationi-  
 bus ostendendum sit hoc principium casu quo à pervicace aliquo ne-  
 getur ? septem agglomeraat rationes Philosophus contrà Heraclitum  
 loco super citato , ibi addisci possunt . Quæres 4. An hoc prin-  
 cipium prout jacet , ac sine ullo additamento sit universaliter verum ?  
 negat P.Izquierdo in Pharo . Certum est 1. illud prout jacet esse ve-  
 rum in sensu absoluto ; cùm enim contradictoriorum oppositio sit  
 metaphysica , per nullam potentiam fieri potest , quod absolute lo-  
 quendo res simul sit , & non sit . Certum est 2. illud quoque in sensu  
 conditionato esse verum prout jacet , si conditio sit una è possilibus ;  
 quoniā sub nulla hypothesi possibili conjungi valent duo contra-  
 dictoria ; ergo impossibile est , rem simul esse , & non esse adhuc con-  
 ditionatè sub conditione possibili .

27. Restat ergo difficultas de conditione chymærica , & fictitia , ad  
 quam confugit P.Izquierdo , ut veritatem universalem dicti principii  
 mitiget . Dico ergo . Data hypothesi impossibili , ut impossibili ; quin ex  
 pacto , arguentiumque conventione impossibilitas expungatur , ita res

*Pharm.*  
*disput.19.*  
*quel.5.*  
*Javell.*  
*4.metaph.*  
*quaest.9.*  
*P.Suarez*  
*1.metaph.*  
*disp.3.lett.*  
*3.num.5.*

*Phar. di-*  
*sp.9.q.5*  
*num.87.*

existeret, ac simul non existeret, ut hoc tunc etiam esset impossibile; quoniam positio rei impossibilis, ut impossibilis ita infert duo contradictoria, ut ea simul excludat; & ita assert coexistentiam eorumdem, ut simul importet hujus coexistentiae impossibilitatem; nam ex impossibili non minus prodeunt contradictoria reflexa, quam directa. Cujus ratio est: existere Petrum est formaliter deficere suam carentiam; item existere suam carentiam, est formaliter deficere ipsum Petrum: ergo existere Petrum, & suam carentiam, est re ipsa deficere Petrum, & suam carentiam: ergo hypothesis, qua intulerit coexistentiam gemini contradictorii, & quæc immediatè infert talis coexistentiae defectum: ergo hæc propositione si simul existerent duo contradictoria, simul existerent duo contradictoria quam absque omni dubio verissimam appellat dictus Author & quæ est falsa, ac vera; nam si existerent simul duo contradictoria & que non existerent, ac existerent: ergo tam verum est dicere: si existerent simul duo contradictoria, non existerent simul; quam est verum dicere; si existerent simul, existerent simul. Neque urget, hanc propositionem videri identicam, quia etiam hæc universale à parte rei est absolute universale à parte rei videtur identica, sicut alias multæ hujus farinæ v. g. *omnis homo est omnis homo* &c. & tamen falsitatis convincitur ob falsam suppositionem una, ob alios titulos altera. Quamobrem si existerent duo contradictoria, ita esset necessariò, quod existerent, ut simul per locum intrinsecum esset impossibile, quod simul existerent; ergo non solùm absolute, non solùm conditionatè sub hypothesi possibili, verùm etiam sub hypothesi impossibili repugnat rem simul esse, & non esse. Neque additamentum, quod ibidem exponit P. Izquierdo num. 88. difficultatem lenit; videlicet principium sic efferendum esse, *impossibile est idem simul esse, & non esse simpliciter*. Nam pone aliquem assumere casum de eo quod duo contradictoria simul existant *simpliciter*, & simul non existant *simpliciter*: profectò in eo casu etiam viget tuum argumentum, siquidem etiam videtur verissima, atque identica hæc propositione: si duo contradictoria simul existerent *simpli-*  
*citer*, simul existerent *simpliciter*: ergo ad nostram solutionem deveniendum est.



## CAPUT TERTIUM.

An, & qua ratione sint vera illa principia. *Quæ sunt eadem uni tertio. Quæ repugnant uni tertio &c.*

28.  Ensent PP. Ariaga, & Pennafiel (aliis licet reclamantibus) per hæc principia explicanda esse illa altera: *Dicit de omni, dici de nullo: cumque duo hæc fulcrum sint syllogisticas structuræ, ad dialecticam attinet utraque principia expendere.* Igitur prædictæ propositiones depromptæ sunt ex Aristotele ajente: *si alicuius alterum idem, & alterum (supple) est idem: nam si non sunt ambo eidem, eadem, manifestum, quoniam nec sibi invicem.* Hinc occasionem sumpsit Gullielmus Episcopus Pictaviensis, ut inter essentiam Divinam, & divinas relationes distinctionem realem comminisceretur, & hinc quoque multarum Seminarium discordiarum inter Orthodoxos Theologos est constructum.

29. Primam sententiam protulit S. Magister Thomas docens hæc principia vera esse, si extrema sint idem re, & ratione cum illo tertio; secundus si quamquam sint idem re, different tamen ratione: quod auctoritate firmat Philosophi. At durus invehitur Aureolus in hanc expositionem; quoniam idem juxta S. Magistrum potentia Dei, hujusque operatio sunt idem secundum rem, quia sunt idem cum essentia; at qui non sunt idem cum essentia ratione nostra, sed potius ratione nostra differunt ab essentia, & quidem cum fundamento in re (quo exclusa manet solutio Ferrariensis) quandoquidem in rebus ipsis habemus fundamentum, ut potentiam, & operationem concipiamus, ut diversas ab essentia, alioquin nulla distinguenterunt per rationem cum fundamento in re: ergo stat benè duo identificari inter se, ex eo quod identificantur cum aliquo tertio. Secundū, quia, ut benè animadvertisit P. Valentia, quemadmodum distinctio rationis ab illo tertio non obstat identitati reali cum illo, ita obstat nequit identitati reali extremorum inter se; solum ergo præstabit extrema distingui mutuo per rationem. Confirmatur. Juxta ipsum S. Magistrum: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem realiter inter se, secundum id, secundum quod idem sunt; at qui secundum rem, licet non secundum rationem idem sunt cum illo tertio: ergo secundum rem, licet non secundum rationem idem sunt.

**P. Montoya disp<sup>e</sup> 15. de Tri-** sunt inter se. Quod si propterea censueris cum P. Montoya, maximam  
**nit. scđ. 3. num. 11.** S. Magistri præcipue inniti relativæ oppositioni pertinenti ad ori-  
 ginem, sicut hinc, recursum ad distinctionem rationis non esse fir-  
 num, & universalem; sed dici oportere, tunc solū identificati  
 inter se illa, quæ identificantur cum uno tertio, quando illis absit  
 relativa oppositio. Sic autem recrudescit difficultas. Dicet namque  
 arguens semper, ac necessariò abesse hanc relativam oppositionem  
 extremis illis, quæ identificantur cum eodem medio, quia juxta  
 hoc principium eo ipso, quod cum illo identificantur, debent  
 identificari inter se; ergo chymera est, quod patientur oppositionem  
 relativam.

30. Crediderim S. Magistrum loqui non de distinctione ratio-  
 nis, nunc vulgari, consistente in eo, quod res appareat nobis ut di-  
 versa, vel diversis conceptibus formalibus per nos explicetur, ut  
 mox dicam; sed de distinctione rationis theologicè sumpta, con-  
 sistenteque in vera capacitatem objectiva suscipiendi sine contradic-  
 tione prædicata alias contradictoria. Apprehendimus quoque ut di-  
 versa illa, quibus competunt id generis contradictoria. Sensus ergo  
 est. Quæ identificantur cum Uno tertio, tunc necessariò identifi-  
 cantur inter se, quando identitas cum illo tertio adeo pura fuerit,  
 ut procul absit omnis capacitas suscipiendi duo contradictoria;  
 quod si capacitas illa, seu distinctio rationis in sensu theologico ad-  
 fuerit, non eo ipso, quod duo identificantur cum illo tertio, identi-  
 fificantur inter se: quoniam eo ipso, quod capacitas ea adsit, potest  
 aliquid verificari de illo tertio, quod verè negetur de extremo A.  
 v.g. ergo potest verificari de illo tertio identificari cum B. quin hoc  
 verificetur de extremo A. Hac doctrina solvitur redargutio Aureo-  
 li; nam divinæ relationes ita identificantur cum essentia, ut distin-  
 guantur ab illa per rationem in sensu theologico: Potentia verò, &  
 operatio divina, ita juxta S. Thomam identificantur cum essentia,  
 ut non distinguantur ab illa per rationem theologicè; quia nullibi  
 docemur essentiam divinam, & divinam potentiam habere capaci-  
 tam ad suscipienda contradictoria prædicata; ergo ex identitate  
 relationum cum essentia, perperam colligitur identitas earum-  
 dem inter se; ex identitate autem potentiarum, & operationis divinæ  
 cum essentia benè colligit S. Magister reciprocam ipsarum identi-  
 tatem. Solvitur similiter argumentum P. Valentia, & subiuncta  
 confirmatio. De distinctione rationis in hac acceptione differemus  
 infra.

31. Secunda sententia est subtilis Doctoris ajentis ; Quæcumque aliqua identitate sunt eadem alicui , illa tali identitate sunt inter se eadem . Ardua expositio, quoniam adjungo hanc minorem ; sed Pateritas , & Filiatio tali identitate sunt eadem cum essentia , ut simpliciter , ac sine ulla restrictione sint veræ hæc propositiones : *Pater est Deus* : *Filius est Deus* ; ergo tali identitate identificantur inter se , ut simpliciter quoque , ac sine restrictione ulla sit verum dicere : *Pater est Filius* : quod fidei dissonat . Sin autem responderes , Patrem , & Filium esse idem in essentia , nam hac identitate identificantur cum essentia . Contra . Non solum est verum Patrem , & Filium identificari cum essentia in essentia ; sed etiam est verum dicere absque additamento ullo , Patrem esse Deum , & Filium esse Deum : ergo si extrema identificantur mutuò identitate illa , qua identificantur cum tertio , non tantum erit verum dicere Patrem , & Filium esse idem in essentia ; sed etiam Patrem esse Filium absolutè , atque sine additamento ullo . Contra 2. Si hoc principium tantum docet illa , quæ identificantur cum aliquo tertio , eadem identitate identificari inter se , quatenus sunt idem in illo tertio , sequetur , quod principium tantum doceat illa , quæ identificantur cum aliquo tertio , identificari in illo tertio ; quæ propositio utpotè identica indigna videtur dignitate principii scholastici .

32. Tertia sententia accipit hoc principium , si procedat de extre-  
mis absolutis identificatis cum eodem tertio , sive finito , sive infini-  
to ; secùs si complectatur etiam extrema relativa : ita P. Montoya  
multa producens PP. testimonia , cui concinuit Torres . Verum dicit ;  
sed explicatio hæc displicet , quia petit principium ; nisi enim expli-  
cet naturam , & conditionem identitatis cum illo tertio , dicet Ad-  
versarius : impossibile esse , quod extrema identificata cum eodem  
tertio sint relativa , seu talia ut unum verè , ac realiter producat al-  
terum ; nam cum præfatum principium dicat extrema identificata  
cum eodem medio , identificari inter se , consequenter dicit illa ne-  
qui re oppositionem habere relativam : Negabit igitur suppositum  
distinctionis . Explicatur . Extrema quilibet opponi relativè , est  
formalissimè apud penetrantem terminos extrema illa distingui rea-  
liter ; ergo dicere extrema identificata cum eodem medio non iden-  
tificari inter se , si sint relativè opposita , esset dicere , non identificari  
inter se , si inter se distincta fuerint . Quarta sententia fatetur hoc  
principium , modò extrema , quæcumque illa fuerint , identificantur  
adquæ uni tertio , hoc est uni singulari omnino incommunica-  
bili ;

Scotus in 1  
dis. 2. q. 4.  
ad 1. prim-  
cipale .

P. Mon-  
toya ubi  
supra scil.

3:

Molina 1.

p. q. 28 art

3. disp. 2.

P. Beca-

nus cap. 1.

summæ q.

1. n. 5.

P. Prepo-

situs lib. 1.

q. 2 art. 3.

P. Beebar.

disp. 33. de

Trinit. c. 3

P. Pena

scil. tom. 1

d. 17. q. 4

**P. Vasq.** bili ; secùs si tertium illud fuerit communicabile . Ita PP. Molina ,  
1. p. disp. 123. Becano, Præpositus, Bechen, Penafiel, in eandemque vergere videtur  
P. Vasquez .

**33.** Sed displicet quoque ob nuperam rationem . Etenim . juxta  
hos AA. extrema , quæ identificantur cum uno tertio , tunc solùm  
identificantur inter se , quando tertium illud non est communicabile  
extremis realiter distinctis : ergo dicere extrema identificata cum  
uno tertio identificari inter se , quando identitas est adæquata , seù  
quando non est communicabile tertium , esset dicere extrema iden-  
tificata cum uno tertio identificari inter se , quando inter se non  
**D. Valen-** fuerint distincta realiter , quod minus serio diceretur . Eadem sen-  
tia disp. 2. tentia concordat P. Doctor Valentia docens , præfatum principium  
g. 2. p. 4. esse verum , quando tertium illud fuerit solùm vnum in re ; non  
tamen quando fuerit in re unum , & simul plura . Sed ob eamdem  
rationem displicet ; namque tertium illud esse in re unum , & simul  
plura , consistit in eo , quod cùm re ipsa sit indivisible , ac simplex ,  
identificetur cum extremis realiter distinctis : ergo dicere extrema  
identificata cum tertio , identificari inter se , quando tertium non fue-  
rit in re unum , & simul plura , esset dicere extrema identificata  
cum uno tertio identificari inter se , quando illud tertium non iden-  
tificetur cum extremis distinctis , seù quando extrema illa identifi-  
cata cum tertio non fuerint distincta ; quæ propositio inutilis est  
promovendo scientias .

**S. Bonav.** 34. Quinta docet , extrema identificata cum uno tertio identifi-  
in 1. disp. 33. cari inter se , secundùm id , secundùm quod idem sunt : ita S. Bonaventura , S. Thom. ubi suprà , & Cajetanus , quos sequitur P. Marti-  
art. 1. q. 3. Cajetan. non . Quamobrem ex eo , quod Pater , & Filius identificantur cum  
2. p. q. 28. eadem essentia divina , solùm conficitur ( ajunt hi AA. ) Patrem , &  
art. 3. P. Marti. Filium esse unum Deum , unam potentiam , unam rem &c. Verum  
non. disp. 25. de Tri- non . est hoc , sed nisi amplius explicetur , perseverat adhuc difficultas ;  
nit. seq. 7. nam juxta hanc expositionem dicere , extrema identificata cum uno  
num. 73. tertio , identificari inter se , præcisè esset dicere , extrema identificata  
cum uno tertio , esse illud tertium : quæ cùm sit propositio identica  
non meretur nomen principii scholastici : nam percontor , eo ipso ,  
quod Pater , & Filius sint unus Deus , una potentia , una res &c. se-  
quitur nec ne Patrem esse Filium ? Si affirmes ; affirmabis contra my-  
sterium . Si neges ; en difficultatem , quam excitat hoc principium :  
qui fieri potest , ut Pater , & Filius sint unica , simplex , atque indi-  
vidua essentia , & tamèn Pater non sit Filius ? ergo post datam ex-  
pli-  
ca-

plicationem istam, integra perseverat dubitandi ratio. Sexta sententia admittit hoc principium, si procedat de identitate cum tertio finito, & limitato; negat tamen illud, si procedat de identitate cum tertio infinito, & illimitato; quoniam hoc ob perfectionis plenitudinem conjungit amicabiliter cum simplicitatem, tunc distinctionem illam, quam importat secunditas. Sic PP. illi, quorum catalogum, texit P. Montoya, quos sequitur P. Vasquez, & P. Zurriga. Septima sententia annuit principio huic, modo identitas extremonum cum medio sit absque mixtura distinctionis virtualis; renuit verò, si adsit hæc distinctio: ita PP. Carleton, Izquierdo, Arriaga, & alii.

P. Mont.  
ubi suprad.  
scil. 2. n. 7.  
P. Vasq.  
1. p. disput.  
122.

P. Zur.  
riga q. 20.  
dis. 3. dub.

11.  
P. Carle.  
ton. tom. 1.  
disput. 57.  
scil. 9.

P. Arria.  
ga disp. 43  
de Trinit.  
scil. 3.

P. Izq. in

Pbar. disp

13. qu. 7.

35. Dices: impugnationem, cui hactenus institimus, fallacem esse: fieri namque potest, quod A. & B. sint formaliter idem, & tamen quod explicare rem per A. sit frivola petitio principii, secus explicate illam per B. sic quamquam homo sit formaliter Animal rationale, definire Hominem per hominem est quid futile, non autem definire hominem per animal rationale: similiter, probare, Petrum esse hominem ex eo, quod sit homo est nugari; probare verò ex eo, quod sit animal rationale, est philosophari; ergo stat bene, quod tertium identitatis esse incommunicabile v. g. (idem de cæteris sententiis) sit re ipsa, quod non identificetur cum extremis distinctis; & tamen quod dicere, *extrema identificata cum tertio identificari inter se*, quando tertium non est communicabile, non sit dicere, *extrema identificata cum tertio identificari inter se*, quando *extrema non fuerint distincta*. Et ratio est, quia licet objecta sint formaliter idem, expressionum tamen diversitas, sufficit ad evitandum petitionem principii, redditionemque ejusdem per idem. Respondeo. Expressionum diversitas quandoque est proficia scholasticæ rei, quandoque inutilis omnino; si in expressione A. est eadem difficultas, quæ in expressione B. tam inepta est una, quam altera explicando, vel suadendo rem: sic qui terminorum conscius negaverit physicam prædeterminationem, eadem facilitate negabit qualitatem metaphysicè connexam cum consensu libero, & simpliciter inevitabilem à libertate creata: nempe quia eamdem apprehendit difficultatem in his terminis, quam in illis. Sin verò expressio A. mitiget difficultatem, quæ appareat per expressionem B. tunc licet objectum unius sit formaliter objectum alterius, rectè ac scholasticè explicatur unum per aliud. Quod plerumque contingit in definito, & definitione formalibus. Ad rem præsentem. Eadem difficultas, quam agnoscit intellectus in-

co,

eo, quod extrema identificata cum uno medio distinguantur inter se, agnoscitur quoque in eo, quod medium illud sit communicabile extremis realiter distinctis; quoniam dicere hoc, est dicere tale medium identificari cum extremis distinctis, subindeque est dicere, extrema distincta realiter identificari cum eodem medio; ergo hoc expressionum diversitas difficultatem non levigat; ergo merito reiciimus istam expressionum diversitatem.

### §. I I.

36. **U**T commodiis amplectar postea sententiam S. Magistri Thomæ. Dico 1. si præfata principia intelligantur prout *Exim Do.* jacent in sensu universalis, omnem prorsus responde limitationem, *flor. lib. 4.* falsa sunt: ita Doctor Eximus, quem sequuntur P. Vasquez, *Zude Trinit.* niga, & alii. Constat ex mysterio Trinitatis. Neque id dedecori *cap. 3. n. 7.* vertendum est Philosopho; ille namque solius luminis naturalis *P. Vasq.* dictamina audivit; nos autem etiam supernaturalis: & indecorum *P. Zuniga* non est, quod hoc loquente, illud obmutescat. Legatur S. An*ubi nuper.* selmus. Dico 2. si istud principium intelligatur de identitate forma*Anselm.* li, seu rationis tantum, sive in sensu logico, sive metaphysico etiam *lib. de In-*  
*carn. cap. 6.* est falsum. Constatib<sup>e</sup> ex dicendis disp. 1. Logicæ majoris, ubi argumentis P. Izquierdo obviam ibimus. Dico 3. si intelligatur de identitate inadæquata extremorum cum tertio omnino singulare, est quoque falsum. Quoniam materia, & forma Petri identificatur inadæquatè cum illo, (eo quod sint constitutiva essentialia illius) & tamen neque adæquatè, neque inadæquatè identificantur inter se, cùm neutra constituatur per alteram, vel per constitutivum, ullum alterius. Dico 4. Si intelligatur de identitate reali adæquata extremorum cum tertio, ita tamen ut identitas illa distinctioni virtuali, aut formalis ex natura rei (à cuius possibilitate nunc abstraho) admisceatur; etiam est falsum. Probatur. Totum fundamentum hujus principii consistit in eo, quod cùm identitas realis priscis nota Philosophis esset reciproca convenientia omnium summa, quidquid verè convenisset uni ex identificatis, debebat convenire alteri in eodem sensu, acceptioneque terminorum; quapropter si rei B. conveniebat identificari cum C. hoc etiam convenire debebat rei A. identificare cum B. & viceversa. Item si B. distinguebatur realiter à C., etiam debebat distinguiri A. identificata cum B: ergo eo ipso, quod non conveniat uni ex iden-

identificatis quidquid convenit alteri , corruit fundamentum hujus principii , ipsumque proinde est falsum ; at eo ipso , quod identitas extre morum cum medio non sit pura , sed admixta alterutri ex distinctionibus , non quidquid convenit uni ex identificatis , convenit alteri , ut per se constat ; ergo eo ipso , quod identitas extre morum cum medio alterutri ex eis distinctionibus admisceatur , corruit fundamentum hujus principii ; ergo si hoc intelligatur de identitate sic mixta , non est principium scholasticum , sed propositio quadam falsa .

37. Objicies . Ex Doctore eximio num. 2. loci citati . Principium hoc , si ex Creaturis sumendum est , concludit etiam illa , quæ sunt idem realiter cum uno tertio , & solum distinguuntur formaliter esse idem realiter inter se , & ad summum formaliter distingui inter se . Quod ut melius percipiatur , sumamus hoc principium , non ut pure affirmativum , sed hoc modo ; *Quæ ita sunt eadem unius tertio , ut ab eo realiter non distinguantur , ita etiam sunt inter se idem , ut inter se realiter non distinguantur :* quod inductione constabit in omnibus Creaturis ; ergo distinctio supra data , seu explicatio hujus principii non habet fundamentum in actione naturali , nec in Creaturis ; ergo nec convenienter declarat dictum principium , quatenus ratione naturali notum . Unum fateor , alterum diffiteor : fateor auperam explicationem à nobis datam fundamentum non habere in creatis , aut ratione naturali : quoniam omnis identitas realis adæquata creata , est pura sine distinctionis virtualis , aut formalis mixtura ; at cùm præter Creaturas sit Deus in rebus , & præter rationem naturalem instruamur ratione supernaturali , fieri potest , ut in Creaturis , rationeque naturali prædictarum fundamentum distinctionum non detegamus , detegamus autem illud in Deo , & ratione supernaturali . Consulta sola ratione naturali , præfatum principium est universaliter verum , quia ratio sola naturalis non aperit nobis mixturam identitatis realis , alterutriusque ex his distinctionibus ; consulta vero ratione etiam supernaturali , invenimus fundamentum ad apponenendum prædicto principio prædictam exceptionem . Diffiteor insuper , quod in creatis contingat identificari realiter , ac simul distingui formaliter ex natura rei , aut virtualiter strictè , quia in creatis nego ambas distinctiones .

38. Dico 5. Præfatum principium est firmum , & proorsus universale , si extrema identificantur cum medio singulari identitate pura à distinctione rationis in sensu theologico . Explicatur . Juxta Disp.

**Disp. 1. Logica Majoris.** Trifariam potest considerari distinctio rationis. 1. *Logice*: & consistit in eo, quod res appareant ut diverse, vel non appareant ut identificatae, ( Logici quippe dicuntur agere de rebus , non prout sunt in se ipsis , sed prout nobis apparent. ) 2. *Metaphysicē* : & consistit in eo , quod ex duobus neutrum definiatur per alterum : Metaphysicorum quippe est rerum quidditates , atque definitiones perscrutari . 3. *Theologicē* : & consistit in eo, quod cum res aliquae sint omnino unum, & idem, neque ulla tenus distinguantur actu ex parte rerum , perinde tanien se habeant , ac si distinguerentur in ordine ad suscipienda duo praedicta alioqui contradictoria . Hanc voco *distinctionem rationis* , quoniam licet extrema , inter quae datur à parte rei , atque independenter omnino ab intellectu , capacitate fungantur , ut suscipiant illa contradictoria , quae suscepientur ; attamen illa capacitas non est à parte rei distinctio , sed realis identitas , aequivalens distinctioni quoad hoc munus ( sicut Prorex non est à parte rei actu Rex , sed Persona à parte rei aequivalens Regi quoad multa . ) Solùm igitur est distinctio ratione nostra , quatenus apprehendimus , ut distincta , seu per species distinctorum , extrema illa sic capacia . Voco illam præterea *Theologicam* , quia illa utuntur multi Theologi , sicut apud Concilium Florentinum , & B. Thomam ad explicandas difficultates Mysteriorum Fidei . Hujus distinctionis rationis neque vestigium invenimus apud vetustos Philosophos ; verum præter illos audivimus alios Magistros , qui distinctionem hanc nos docuerunt ; olim una tantum identitatis species noscabantur , videlicet omnimoda , & totalis convenientia in omnibus , & per omnia ; ast ubi primùm Spiritus Sanctus docuit homines Trinitatis Mysterium per illam formam , qua iussi sumus baptizare , ac baptizari *in nomine Patris , & Filiī , & Spiritus Sancti* , aliam identitatis speciem penitus latenter pandidit hominibus ; eam nimis , quæ misicitur capacitatib[us] suscipiendi duo praedicta , alias contradictionia intrinsecè . Cum igitur veritates metaphysicas , universalesque oporteat metiri , non regulâ sola , quam subministrat lumen naturale , sed illâ etiam , quam fides divina præbet ( quæ proficit non minùs idonea est docendo , quam ratio naturalis )

ideo principia hæc intelligere debemus non tantum  
juxta sensum naturæ rationalis ; sed etiam  
supernaturalis.

\* \*

CA-

## CAPUT QUARTUM.

*Resolutio quæstionis cum suis illationibus.*

39.  IS positis, conclusio est. Distinctio rationis purè logica, aut metaphysica impares sunt evitando mutuam extremonum identitatem, si hæc realiter adæquatè identificantur cum eodem medio simplici, atque indivisibili: at verò distinctio rationis theologica extremonum ab illo medio sufficiens est impediendo eorumdem inter se identitatem. Quamobrem ut subsistat, identificari inter se illa, quæ identificantur cum eodem medio, opus est, quod non distinguantur ab illo per rationem theologicè; & eo ipso, quod ab illo sic non distinguantur, semper, ac in omni materia continget identificari realiter inter se ea, quæ realiter identificantur cum eodem medio. Probo primam partem. Nihil impotens tribuere capacitatem objectivam realem, & veram extremitatibus, ac medio, ut à parte rei suscipiant duo prædicata contradictoria, potest evitare, quod identificantur inter se illa, quæ identificantur cum eodem medio; at omnis distinctio rationis purè logica, aut purè metaphysica est sic impotens; ergo nulla distinctio rationis purè logica, aut purè metaphysica potest evitare &c. ergo credibile est, S. Magistrum Thomam non locutum fuisse de his duabus distinctionibus rationis.

40. Minor videtur certa. Distinctio namque rationis purè logica stat in eo, quod res apparent nobis, ut diversæ nunc positivè, nunc negativè: metaphysica item in eo, quod neutram definiamus per alteram: at utrumque est impropositoatum ad inducendum in conceptus ipsos objectivos veram, & realem capacitatem suscipiendo à parte rei duo prædicata contradictoria intrinseca: (num, imperfetus noster modus cognoscendi transfunditur ad objecta ipsa, prout à parte rei; vel eorumdem invertit naturas; vel illa sunt in se ipsis, prout à nobis cognoscuntur?) Ergo omnis distinctio rationis purè logica, vel purè metaphysica impotens est tribuere objectum. Etis capacitatem, ut verè, ac à parte rei suscipiant duo contradictoria intrinseca. Pudet his immorari, nam solum potest oppositum amplecti, qui terminorum significationes immutet. Probo majorem primi syllogismi. Ut extrema identificata cum eodem medio singulatim, non identificantur inter se, indispensabiliter requiritur capacitas suscipien-

scipiendi duo contradictoria (absoluta, vel conditionata juxta disp. i: Logicæ majoris) intrinseca vera, & realia; ergo nihil impotens tribuere hanc capacitem, potest per se præcise evitare reciprocam identitatem illorum, quæ identificantur cum eodem medio. Probo antecedens. *Identificari* cum extremo C. & non identificari cum C. sunt duo prædicata contradictoria (non dico duas propositiones contradictorias:) atqui si A. & C. identificantur cum B. & non inter se, de B. verificatur *identificari* cum C: omnis quippe identitas realis est reciproca, & de A. verificatur *non identificari* cum C. ut supponimus; ergo si A. & C. identificantur cum B. & non inter se, necesse est, quod de A. & B. verificantur duo prædicata, alias contradictoria intrinseca; ergo indispensabiliter requiritur capacitas objectiva realis, & vera suscipienda hæc prædicata. Multi multa latibula excogitarunt, declinandi ergo ictum hujus argumenti; sed dispicata Logica ostendimus illa non subsistere.

41. Probo secundam partem conclusionis. Omne, quod in medium illud singulare, atque extremitates invexerit objectivam, capacitem suscipiendo duo prædicata, alias contradictoria intrinseca, sufficit impediendo reciprocam extremorum identitatem: at distinctio rationis theologica invehit prædictam capacitem, nam in ea capacitate re ipsa consistit, fundamentaliter utique, non autem formaliter, quia distinctio rationis stat formaliter in solis nostris imperfectis cognitionibus: ergo distinctio hæc sufficit impediendo reciprocam extremorum identitatem; ergo credibile est S. Thomam, de hac locutum fuisse. Probo majorem. Eo ipso, quod medium, atque extremitates prædicta capacitate fungantur, datur locus, ut medium identificetur cum B. & cum hoc non identificetur A. realiter identificatum cum eo medio: item ut hoc identificetur cum A. quin extremum B. identificatum cum medio identificetur cum ipso A. ergo omne, quod prædictam capacitem invexerit, sufficit impediendo reciprocam extremorum identitatem. Et ratio est, quam supra exhibui. Ultimum resolutivum istius principii: *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* consistit in eo, quod si duo identificantur inter se, quidquid verè, & à parte rei convenerit uni, debet convenire alteri; proindeque si medio convenit identificari realiter cum B. extremo A. identificato cum medio debet convenire quoque identificari à parte rei cum B. & viceversa: ergo eo ipso, quod non conveniat extremo A. quidquid verè, & à parte rei convenit medio, contingere potest, quod medium realiter identificetur cum B. & extremum

mum A. non identificetur cum B: at eo ipso, quod medium, & extreum A. capacitate fungantur prædicta, non quidquid convenit medio, debet eo ipso convenire extremo A. ut patet; ergo eo ipso, quod hæc capacitas adsit, potest evitari reciproca amborum extreborum identitas: ergo omne, quod invexerit hanc capacitem &c.

42. Hinc aperte colligitur tertia pars: nimirum, oportere, quod non detur prædicta distinctio rationis theologica, ut subsistat, identificari inter se illa extrema, quæ identificantur cum eodem medio. Probo ultimam partem, scilicet semper, ac ubique identificari inter se illa extrema, quæ identificantur cum eodem medio sine distinctione rationis theologica. Quoties duo identificantur mutuò, & carent capacitate suscipiendi duo prædicata, alias contradictoria, quidquid verè, & à parte rei convenierit uni, debet convenire alteri (si enim illud, quod convenit uni à parte rei, non conveniret alteri à parte rei, jam verificantur de illis duo prædicata contradictoria, qualia furent, esse illud unum, & non esse illud unum: ) at quoties duo identificantur mutuò, & carent distinctione rationis theologicâ, ita identificantur, ut careant capacitate suscipiendi duo prædicata alias contradictoria; siquidem in hac capacitate consistit illa distinctio juxta sensum nuper expositum; ergo quoties duo identificantur ita, ut careant prædicta distinctione rationis, quidquid verè, & à parte rei convenierit uni, etiam debet convenire alteri; at si extrema identificantur cum medio, & non inter se, aliquid verè, & à parte rei conveniret medio, quod non conveniret extremitate: quandoquidem medio conveniret identificari absolutè, ac sine restrictione cum extremo B. quod sane non conveniret extremo A. & rursus medio conveniret identificari cum extremo A. quod sane non conveniret extremo B: ergo si ambo extrema ita identificantur cum medio, ut non distinguantur ab eo per rationem in sensu theologico chymæra est, quod non identificantur inter se absolutè, ac similipleriter.

43. Hinc i. ut præsumptum principium nomine hoc dignum sit, reddere debet hunc sensum: Quæ sunt eadem uni tertio identitate pura, seu rei identitate capacitem admittendi duo prædicata, alias contradictoria, seu identitate reali, & rationis in sensu theologico, sunt eadem inter se: sicut apud omnes debet habere hunc sensum; quæ sunt eadem uni tertio identitate non formalis sola, sed reali; item reali adequata, non inadæquata sola, quali materia, & forma identificantur

tur cum individuo composto substantiali. Pariter socium sic expoeni debet. Quæ repugnant uni tertio, eo quod alterum distinguatur realiter ab eo tertio, alterum vero identificetur cum illo identitate pura, hoc est identitate reali, & rationis in sensu theologico, repugnant inter se. Hinc 2. Utrumque principium urget adhuc in divinis: nam licet relationes identificantur realiter cum essentia, secundus inter se, hoc provenit ex eo, quod identitas relationum cum essentia non sit pura; sed admixta distinctioni rationis in sensu theologico (quam temperaturam priscos latenter Philosophos ratio theologica nobis revelavit) quod autem extrema identificata cum uno tertio, non identificantur inter se, quando adest ea distinctione rationis, non contradicit praedicto principio. Ex eodem fonte dimanat, quod essentia, & Paternitas repugnantes eidem tertio filiationis, non repugnant inter se; Identitas quippe essentiae cum Paternitate admixta est distinctioni rationis theologicæ. Hinc 3. solvit nodus, quo P. Bechen num. 10. ubi supra adstringere conatur P. Arriaga: videlicet hic etiam committi circulum vitiosum, petique principium; non enim dicimus ideo relationes identificatas cum essentia non identificari inter se, quia essentia identificatur cum ipsis realiter distinctis (ut ipsis his, vel illis terminis dicunt) sed quia identitas relationum cum essentia non est pura, cum admisceatur distinctioni rationis theologicæ, seu capacitatib[us] de eo, quod non omne, quod à parte rei convenit essentiae, conveniat relationibus. Porro hanc capacitatem penitus ignotam independenter à principiis fidei, probamus à posteriori per susceptionem ipsam praedicatorum alias sibi contradictientium; à priori autem per naturam ipsam relationum, & essentiae, quæ natura (ut docemur à Spiritu Sancto) stat in eo, quod relations realiter simpliciter identificantur cum essentia, hac tamen capax sit habendi aliquid à parte rei, quod non habeant relations, ut constat ex Symbolo Athanasii.

44. Hinc 4. Si perconteris, an absolutè, & universaliter loquendo sit verum, identificari inter se, quæ identificantur cum tertio omnino singulari? Respondeo negativè; licet enim autoritas, atque ratio naturalis respondeant affirmativè, habemus nos

*2. Petri cap. 1. firmorem propheticam sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi 1. Joannis cap. 5. lucernæ lucenti in coligino loco.* Porro firmior sermo est, quem protulit Theologus ille; & hi tres unum sunt, quo docemur aliqua esse realiter distincta, quamquam identificantur cum uno tertio.

*Si rursus perconteris: an determinatè in Divinis vigeat præsumptum prin-*

principium? Respondeo vigere cum limitatione, quam supra dedi. Si demum inquiras rationem, ob quam sine limitatione illa non subsistat in Divinis? Respondeo immediata ratio est, quia Divinis Relationes identificantur cum una essentia, & tamen distinguuntur ad invicem; hujus ratio à priori est eorumdem natura, ut jam dixi, & quidditas: motivum autem credendi, atque dicendi, hanc esse ipsarum naturam, & quidditatem, est sola divina authoritas id certificans. & in quam, tamquam in ultimum resolutivum, totum hoc reducitur negotium. Sic roganti: cur homo discurrat? Apposite respondemus, quia est rationalis: querenti ulterius, cur sit rationalis? Respondemus, quia hæc est ipsius natura: insistenti adhuc importunè, cur hæc sit hominis natura, vel unde nobis constet, hanc esse suam naturam; recurrimus ad experientiam, vel Inquisitoris stoliditati condolemus.

45. Hinc 5. Syllogistica vis enervatur, & non enervatur in Divinis; sed aliter, & aliter. Etenim vel sermo est de arte syllogistica complectente omnia possibilia nullo dempto; vel de arte syllogistica restricta, & complectente illas dumtaxat veritates, quas ratione naturali assequimur, quam solam artem novit, ac docuit Philosophus. Si primum (quod sane dici debet, cùm ars syllogistica, ut talis sit universalis, idoneaque argumentando de quovis possibili, qualis est Deus cum suis relationibus) subsistit in Divinis illa ars. Probatur. Si subsistit in Divinis hujus artis universalissimum fundamentum, ea quoque subsistit in Divinis; at subsistit in divinis fundamentum hujus artis universalissimæ. Probatur. Fundamentum est identitas pura extreborum cum medio sine distinctione rationis illorum à medio: quoniam si hoc modo non intelligatur, non erit fundamentum firmum, & universale complectens omnia possibilia; siquidem non amplectetur Trinitatem, quæ sane unum est è possibilibus; at etiam in Divinis subsistit hæc identitas pura, cùm veracitas, & sapientia v. g. ita identificantur essentiæ Divinæ, ut ab ea non distinguantur per rationem theologicè, sed ad summum logicè, aut metaphysicè; & potentia, divinaque operatio ita identificantur juxta S. Magistrum cum Deo, ut ab eo non distinguantur per rationem theologicè; ergo adhuc in Divinis subsistit fundamentum artis universalissimæ syllogizzandi. Subsistit insuper in Divinis relationibus; quoniam hic syllogismus est germanus. Deus est Filius, Paternitas est re, & ratione theologica Deus; ergo Paternitas est Filius. Item hic. Pater generat; Essentia re, & ratione theologica est C 2 Pater,

*Pater, ergo essentia generat. Amborum autem consequentia sunt falsa ( licet consequentiae sint legitimæ ) quia amborum minores sunt falsæ.*

46. Si secundum ; deficit in Divinis ista ars syllogistica mutila , & inadæquata . Quoniam fundamentum illius est identitas extre- morum oriunda ex mera , & præcisa identitate eorumdem cum medio ( hanc namque solam speciem identitatis realis noveramus , & novimus in creatis ) at in Divinis collabitur fundamentum hoc , cum docti simus dari in Divinis identitatem realem extremonum cum medio , sine reciproca ipsorum identitate ; ergo si sermo sit de arte syllogistica , mutila , & inadæquata , illa deficit in divinis . Quocirca licet hic syllogismus sit rectus ratione materiæ . *Hic homo est filius Regis ; Petrus est hic homo ; ergo Petrus est filius Regis ;* eo quod in creatis omnis identitas sit pura , hoc est , non admisceatur distinctioni virtuali , aut formali dictis , hic tamen spurius est : *Hic Deus est filius ; Pater est hic Deus ; ergo Pater est Filius ;* quoniam identitas Patris cum Deo non est talis , ut ableget capacitatem suscipiendi duo prædicata alias contradictoria : hac autem capacitate data , datur locus , ut Deus sit filius , & Pater non sit filius . Quam obrem absolutè loquendo , reor artem syllogisticam subsistere in Divinis ; nam hæc debet esse universalis , aptaque ratiocinando de quocumque possibili ; ergo inniti debet principio similiter universalis ; ergo inniti debet huic : *Quæ re , & ratione theologica sunt idem unius tertio , sunt idem inter se :* sed hoc subsistit in divinis ; ergo principium , cui inniti debet ars syllogistica subsistit in Divinis ; ergo , & ars ipsa . Profectò lumen fidei non tantum instruxit nos veritatibus supernaturalibus ; sed etiam indirectè veritatibus naturalibus , quæ vetustos præterierunt Philosophos .

i. Prior. 47. Hinc 6. Illa alia principia , quæ Philosophus reliquit nobis : cap. i. *De omni , de nullo triplicem sensum reddere possunt ; in duobus prioribus sunt firma , inconcussa , & universalia , in tertio autem non sunt universalia , sed in solis rebus creatis vigent . Quidquid verè enunciatur de omni identificato realiter cum A. , verè quoque enunciatur de B. si hoc identificetur realiter cum A. item quidquid verè enunciatur de omni identificato re , & ratione cum A. verè quoque enunciatur de B. si hoc re , & ratione identificetur cum A. ast non quidquid verè enunciatur de omni identificato re , & ratione cum A. verè eo ipso enunciatur de B. identificato tantum realiter non verè per rationem cum A. Et similiter philosophandum est de illa prin.*

## Resolutio quæstionis.

37

principio negativo, *De nullo*. Ob hanc rationem legitimi sunt hi duo syllogismi: *Omne, quod realiter est essentia Divina, identificatur cum filio; sed Paternitas est realiter essentia divina; ergo Paternitas est Filius*: Verum falsa est major. *Omne, quod re, & ratione theologica est essentia, communicatur Filio; sed omnipotentia re, & ratione theologica est essentia; ergo omnipotentia communicatur Filio*. Sed ob eamdem est illegitimus hic: *Omne, quod re, & ratione est essentia communicatur Filio; sed Paternitas re ipsa est essentia: ergo Paternitas communicatur Filio*. In creatis autem, cùm omnis identitas realis sit pura absque capacitate fuscipendi duo prædicata alias contradictoria, opus non est hac distinctione, identitatis tantum realis, & identitatis realis simul, & rationis; proindeque in creatis absolute, ac universaliter vigent præfata principia innuentia identitatem solam realem. Alias difficultates, quæ nasci possunt ex appellatione signorum distribuentium supra terminum singularem, discutiam, dum agam de universalitate in actuali prædicatione.

## CAPUT QUINTUM.

*An, & qua ratione omnis identitas, atque distinctione sit mutua?*

48.  Ecesserit esse, quod si unum identificetur cum alio, hoc aliud vicissim identificetur cum uno illo; vocatur à P. Izquierdo Axioma apud omnes notissimum: similiter de distinctione: hocque intelligendum est de distinctione rationis in sensu logico, ac distinctione realibus, quam de formalibus. *P. Izq. in bar. disp. 13. q. 3. n. 24.*

Nostra conclusio sit. Si hæc axiomata procedant de identitate, atque distinctione realibus vera sunt: Item si de inadæquatis: Item si de formalib. ex natura rei, & de virtuali, seu per rationem in sensu theologico. Sin verò intelligantur de identitate, vel distinctione rationis in sensu logico, vel metaphysico, falsa sunt. Probo primam partem. Quidquid fuerit unicum, vel primarium fundamentum conversionum dialecticarum est firmum, atque universale: at identitatem, & distinctionem reales esse mutuas, est unicum, vel saltem primarium fundamentum earum conversionum: ergo illas esse mutuas, est quid firmum, atque universale; ergo si præfata axiomata procedant de his identitate, ac distinctione, firma sunt, & universalia. Major videtur certa. Nam

G 3

quid.

quidquid fuerit fundamentum consequentiae semper, & ubilibet concludentis legitimè, debet esse firmum, ac universale: aliqui consequentia illa semper erit legitima, ut ponimus, & aliquando erit irrita, nimirum quando fundamentum, cui insistit collapsum fuerit: sed conversio dialectica est quedam species consequentiae semper, ac ubilibet concludentis; definitus enim, unius ad aliud per extremonrum transportationem consequentia necessaria, quare conversio non est consequentia materialis, sed ex vi formæ sua concludens: ergo quidquid fuerit fundamentum hujus conversionis, debet esse firmum, ac universale. Probo primam minorem. Totum fundamentum rectitudinis hujus consequentiae, v.g. *omnis homo est animal*; ergo *aliquid animal est homo*: est reciproca identitas (vel realis præcisè, vel realis simul, & rationis) hominis cum aliquo animali; eo namque ipso, quod stare posset identitas hominis cum animali absque identitate hujus cum illo, perperam argueretur, animal aliquid esse hominem, ex eo, quod homo identificaretur cum animali. Similiter in negativis. Totum fundamentum rectitudinis hujus conversionis: *Nullum Animal est lapis*, ergo *nullus lapis est animal*: est reciproca distinctio animalis, & lapidis: si enim fieri posset, quod animal non esset lapis, seu distingueretur à lapide, quin lapis distingueretur ab animali, ex eo, quod animal non esset lapis sive distingueretur à lapide, sinistram colligeretur, lapidem distingui ab animali: ergo fundamentum harum conversionum est reciproca identitas, vel distinctio realis inter subjectum atque prædicatum.

49. Sed dices. Aut hoc est falsum, aut conversio non concludit ubilibet. Probatur. Inter divinas Personas, atque essentiam, mutua datur identitas realis, & tamen haec duas sunt malæ consequentiae: *Nulla Persona divina est communicabilis*: ergo nihil communicabile est Persona divina. Item: *Aliquod communicabile est Persona divina*: ergo aliqua Persona divina est communicabilis: Sunt inquam malæ consequentiae, quia antecedens est utrobius verum, & consequens est utrobius falsum: ergo vel identitas reciproca non est fundamentum sufficiens ad conversionem, vel rectitudo consequentiae, quam importat conversio, non subsistit ubique. Respondeo, ut respondi in Dialectica, ambas istas consequentias esse malas, non quod argumentatio ex conversione desumpta alicubi nutet, cum efficax sit ubique; sed quia istic Regula convertendi violatur. *Quod sic probo*. Primaria conversionum regula est, quod sic

fit subjectum convertentis illud idem, quod fuerit prædicatum conversæ; atqui hoc non observatur in istis conversionibus: ergo. Probatur. Prædicatum hujus propositionis: *Nulla Persona divina est communicabilis*, non est quævis communicabilitas ( si enim de Personis divinis negaretur identitas cum communicabilitate essentiæ, falsa evaderet propositio; illæ namque re ipsa identifyantur cum essentia, proiadeque cum communicabilitate essentiæ) quamobrem prædicatum dictæ Propositionis est dumtaxat *communicabilitas ipsarum Personarum*: Rursus subjectum hujus convertentis *nihil communicabile est Persona divina*, est non tantum communicabilitas Personarum, verum etiam communicabilitas essentiæ: siquidem essentia est aliquid communicabile; atqui communicabilitas Personarum non est communicabilitas essentiæ, cùm illa sit impossibilis, hæc autem necessaria: ergo prædicatum conversæ non est subjectum convertentis. Quid ergo mirum, quod consequentia sit nulla, si conversio sit nulla?

50. Similiter subjectum istius conversæ, *aliquid communicabile est Persona divina*, est communicabilitas essentiæ: prædicatum vero istius, quæ dicitur convertens, *aliqua Persona divina est communicabilis*, est communicabilitas Personarum; sed hæc communicabilitas non est illa: ergo subjectum conversæ non est prædicatum convertentis: ergo hic violatur alia conversionum regula. Porro fundamentum hujus doctrinæ est distinctio illa rationis theologica, seu objectiva, & realis capacitas suscipiendi duo prædicata alias contradictoria, quæ habent essentia, & Personæ divinæ: hac data capacitate aliquid potest à parte rei convenire essentiæ, quod à parte rei Personalitatibus repugnet: ergo hac data capacitate potest fieri, ut essentia necessariò communicetur, Personalitas vero non, nisi chymericè: ergo hac data capacitate fieri potest, ut communicatio seu communicabilitas essentiæ sit necessaria, & communicatio, communicabilitasque Personarum sit chymérica: ergo hac data capacitate communicabilitas essentiæ est quid distinctum à communicabilitate Personarum: ergo demum, hac data capacitate violentur in his conversionibus regulæ conversionum. Recognosce quæ dicimus Disp. 1. logicæ circa distinctionem realem in tertio.

51. Duo hic sciscitaberis. Primum est, quonam modo convertendæ sint memoratae propositiones? Respondeo, cùm in hoc arca. no Trinitatis negotio talis detur specialitas, qualem nusquam alibi deprehendimus, extra regulas communes erumpere cogimur. Igitur

hæc sunt ex propositionibus, quæ priùs exponendaæ, quām conver-  
tendæ sunt. Hæc propositio: *Nulla Persona divina est communicabiliæ*, reddit hunc sensum: *Nulla Persona divina identificatur cum communicatione Personæ ipsius divinæ*. Quamobrem sic convertitur: *Nihil identificatum cum communicatione Personæ divinæ est Persona divina*. Neque dicas hanc convertentem supponere falsum; quia non supponit quicquam absolute identificatum cum illa communica-  
tione: tum quia præponitur negatio toti propositioni, & con-  
sequenter quidquid post se invenit, destruit: tum quia solidum  
enunciatur: nil quod identificatur cum præfata communicatione  
(præscindendo à possibilitate, atque impossibilitate hujus) esse Per-  
sonam divinam. Illa autem propositio: *aliquid communicabile est Persona divina*, sic exponitur: *aliquid, quod communicatur communica-  
tione essentiæ est Persona divina*; & sic convertitur: *aliqua Persona divina est aliquid, quod communicatur communica-  
tione essentiæ*: *Quod verum est, cùm Persona sit essentia, quæ profecto com-  
municatur communicatione essentiæ, non autem aliis rei dispa-  
ratae*. Abstraho à difficultate, quam ingerere possunt signa quan-  
titativa in hac materia, quia Disp. 2. Dialecticæ illam explicabo.  
Secundum, quod rogabis est: an identitas purè realis, & non ra-  
tionalis, sed potius admixta distinctioni rationis in sensu theologico  
sufficiens sit ad conversionis rectitudinem? Respondeo esse suffi-  
cientem, modò Regulae convertendi obseruentur exactè, termini-  
orumque fuco non decipiaris. Ratio est, quia ista etiam identitas  
est mutua, & in materia hactenus discussa vidisti identitatem  
purè realem non officere conversionibus. Specialis sanè est difficul-  
tas, si distinctio rationis dicta subrepatur, verùm semper legitimus con-  
vertendi modus.

52. Dices 2. quemadmodum theologica distinctio rationis est in  
causa, ut, licet Paternitas identificetur cum essentia, non identificetur  
cum Paternitate illud, quod realiter est essentia ipsa (nimirum Filia-  
tio;) cur similiter nequit esse in causa, ut licet Paternitas identificetur  
cum essentia, hæc tamen non identificetur cum Paternitate? Paterni-  
tas est essentia, & tamen id, quod est essentia, nimirum Filia-  
tio, non est Paternitas: ergo licet Paternitas sit essentia, attamen essentia ipsa  
non necessariò est Paternitas ex hoc capite reciproca identitatis. Re-  
spondeo, vaustum esse discriminem; tametsi præfata distinctio rationis;  
quam vulgo dicimus distinctionem virtualem, sit possibilis inter es-  
sentiam, & aliquid, quod est essentia; at impossibilis est inter essen-  
tiæ,

tiam, & ipsam effentiam. Unde sic: reciprocatio identitatis solum datur necessariò inter Paternitatem, & id, cum quo identificatur Paternitas; sed hoc necessariò identificatur cum essentia, secus cum aliquo, quod est essentia, nempe cum Filiatione: ergo reciprocatio identitatis solum datur necessariò inter Paternitatem, atque essentiam; non vero inter Paternitatem, & omne, quod est essentia, nimirum quia illa non identificatur cum omni eo, quod est essentia divina. Et ratio cardinalis est. Distinctio rationis inter Paternitatem, atque essentiam dumtaxat præstat effectum, quem docemur à Fide, non autem illum, quem Fides ipsa negat; atqui non dari reciprocam identitatem inter Paternitatem, & aliquod, quod est divina essentia, docemur à Fide: non dari autem inter Paternitatem, & essentiam ipsam, negatur per Fidem: ergo quamquam ex vi illius distinctionis non identificetur reciprocè cum Paternitate aliquod, quod est essentia divina, illa non obstante distinctione, identificatur reciprocè cum paternitate divina ipsa essentia.

53. Probo secundam partem, videlicet identitatem, ac distinctiōnem esse mutuas, quando sermo est de identitate, ac distinctione inadæquatis. A. identificari inadæquate cum B. stat in eo, quodd vel constituat ipsam rem B. (ob hanc causam forma dicitur identificari inadæquate cum composito, nimirum quia forma constituit compositum) vel constituatur per rem B. (sic compositum dicitur identificatum inadæquate cum forma, quia per hanc intrinsecè constituitur) vel constituatur per aliquod, quod sit pars intrinseca rei B. (sic casu, quo eidem materiæ unirentur forma ligni, & forma ignis, compositum illud lignum identificaretur inadæquate cum composito altero ignis, quoniam ambo constituerentur intrinsecè per eamdem numero materiam,) & similiter B. identificari inadæquate cum A. Sed est prius necessarium, quod si A. constituat B. res B. constituatur per A. item quod si A. constituitur per B. res B. constitutat A. item quod si constituitur per aliquod, quod sit pars intrinseca rei B. res B. constituta quoque per aliquod, quod sit pars intrinseca rei A. ut terminos penetranti patebit: ergo est prorsus necessarium, quodd si A. identificatur inadæquate cum B. res B. identificetur inadæquate cum A. Pariter de distinctione inadæquata. Nam A. distingui inadæquate à B. solummodo fundari potest in uno ex tribus his capitibus: vel quia constituit simul cum alio rem B. vel quia constituitur per B. & simul per aliud; vel quia constituitur per aliquam partem intrinsecam rei B. sed est necessarium, quodd si A. simul cum alio constituit

stituit rem *B*. hæc constituant per *A*. & aliud : item quod si *A*. constituatur per *B*. & simul per aliud, res *B*. simul cum alio constituant rem *A*: item quod si *A*. constituant per aliquam partem intrinsecam rei *B*. hæc constituant per aliquam partem intrinsecam rei *A*: ergo est necessarium, quod si *A*. distinguitur inadæquatè à *B*; hæc distinguatur inadæquatè ab *A*.

54. Duo hic notanda sunt. Primum. Licet identitas, & distinctio realis adæquatæ ejusdem ab eodem sint termini invicem repugnantes; identitas tamen atque distinctio realis inadæquata ejusdem ab eodem sunt termini convertibles. Quoniam necesse est *A*. distinguiri realiter inadæquatè à *B*. si realiter inadæquatè tantum identificatur cum illo: & rursus realiter inadæquatè identificari cum illo, si realiter inadæquatè distinguitur ab illo. Probatur à definitionibus. Quoties *A*. simul cum alio constituit rem *B*; aut constituitur per *B*, & simul per aliud; aut constituitur per aliquam partem rei *B*. & etiam per aliud, *A*. distinguitur inadæquatè à *B*: in aliquo enim ex his tribus solis fundari oportet distinctionem inadæquatam unius ab alio: at quoties *A*. identificatur pure inadæquatè cum *B*. contingit quod *A*. simul cum alio constituat *B*. aut quod constituantur per *B*. & etiam per aliud, aut quod constituantur per aliquam partem constitutivam rei *B*. quia non est assignabile aliud caput identitatis inadæquatae distinctum ab his tribus; ergo quoties *A*. identificatur pure inadæquatè cum *B*. necesse est, quod ab illo distinguatur realiter inadæquatè, & vice versa: sunt ergo termini convertibles identitas atque distinctio reales pure inadæquatae. Neque obstat i. paritas identitatis, atque distinctionis adæquatae: quoniam duo identificari adæquatè consistit in eo, quod re ipsa non sint duo, nisi quoad rudem nostrum modum intelligendi, atque loquendi: rursus duo distinguiri invicem realiter adæquatè consistit in eo, quod re ipsa sint duo: sed ex terminis ipsis repugnare videtur, quod duo sint re ipsa unum; ergo repugnat, quod duo identificantur adæquatè, & simul distinguantur adæquatè.

55. Ceterum *A*. v.g. identificari inadæquatè cum *B*. consistit, ut modò dixi, in eo, quod vel *A*. constituant rem *B*. vel constituantur per *B*, vel per aliquid, quod sit pars intrinseca rei *B*. Rursus distinguiri realiter inadæquatè à *B*. consistit in eo, quod vel simul cum alio constituant *B*. vel constituantur per *B*. & simul per aliud, vel constituantur per aliquam partem intrinsecam rei *B*. & etiam per aliud: sed ex terminis ipsis videtur necessarium, quod contingat aliquod ex his tribus, si contingit

## *Identitas, ac distinctio mutua.* 43

gerit aliquid ex illis tribus: ergo est necessarium, quod A. distinguitur realiter inadæquatè à B. si cum illo identificatur realiter inadæquatè. Sola & mera terminorum explicatio sufficit ad hęc mitiganda. Neque obstat 2. rectitudo conversionum dialecticarum; cùm enim identitas, atque distinctio inadæquata sint termini convertibiles; benè stat A. identificari inadæquatè cum B. ex eo, quod B. identificetur inadæquatè cum A., tametsi A. simul distinguatur inadæquatè à B., & è converso.

56. Secundum notandum est. Quamquam omnis identitas, atque distinctio inadæquata sint reciprocæ, ex diverso tamen capite proveniunt, seu nequeunt esse reciprocæ, nisi in diverso sensu. (Excipe quando A. & B. identificantur, & simul distinguuntur inadæquatè, eo quod per tertium utriusque commune constituantur, ut constituerentur lignum, & ignis, quando ambæ formæ unirentur eidem numero materiæ; tunc enim si lignum esset inadæquate ignis, propterea quod intrinsecè constitueretur per quamdam partem essentialē ignis; etiam ignis esset inadæquate lignum, propterea quod constitueretur per quamdam partem essentialē ligni: utrumque enim compositum constitueretur per eamdem omnino materiam.) Ratio est. Quoties A. identificatur inadæquatè cum B., id unicè provenire potest (præter casum modò exceptum) vel ex eo, quod intrinsecè constituatur per rem B: vel ex eo, quod constituat rem B. At si provenit ex eo, quod intrinsecè constituat rem B., est impossibile, quod hęc res B. constituat intrinsecè rem A: item si provenit ex eo, quod intrinsecè constituatur per rem B., est impossibile quod hęc res B. intrinsecè constituatur per rem A: siquidem repugnat idem esse simul constitutum, & constitutivum respectu ejusdem: ergo tametsi omnis identitas, atque distinctio inadæquata sit reciproca; debet nihilominus esse in sensu diverso, seu ex diverso capite derivari debet, A. identificari inadæquatè cum B., ac B. identificari inadæquatè cum A.

57. Probo tertiam partem, nempe identitatem quoque, ac distinctionem virtualem, formalem ex natura rei atque rationis insensu theologicō esse etiam mutuas. Probatus facile. A. identificari his modis cum B. consistit in eo, quod omne, nullo dempto, à parte rei conveniens rei B. in eodem sensu conveniat rei A. Si enim aliquid ex parte rerum conveniat uni, & non alteri, hęc duo non identificarentur modis enumeratis, sed potius mutuò distinguerentur, aut virtualiter, aut formaliter, aut realiter, aut per rationem.

in

in sensu theologico. Præterea *B.* identificari modis dictis *cum A.* consistit in eo, quod omne à parte rei conveniens rei *A.* in eodem sensu conveniat rei *B.*: atquæ est prorsus necessarium, quod omne re ipsa conveniens rei *A.*, in eadem sensu conveniat rei *B.*, si omne re ipsa conveniens rei *B.* in eodem sensu convenit rei *A.*: ergo præfatæ identitatis necessariæ sunt reciprocæ. Probo minorem. Si aliquid re ipsa conveniens rei *A.* non convenit rei *B.*, huic sanè conveniret hoc, quod est, non habere tale aliquid. Vel ergo hoc idem conveniret rei *A.*, vel non conveniret? Si primum; ergo rei *A.* conveniret habere tale aliquid (ut supponitur) & simul conveniret non habere tale aliquid: ergo de eadem re verificantur duo contradictoria. Si secundum; ergo non omne, quod convenit rei *B.*, convenit rei *A.*, siquidem rei *B.* convenit hoc, quod est non habere tale aliquid, & hoc non convenit rei *A.*: ergo dicendum, quod si omne à parte rei conveniens rei *A.* convenit rei *B.* omne quoque conveniens rei *B.* debet convenire rei *A.*, vel rei *A.* convenire duo contradictionia. Similiter de distinctionibus. *A.* distingui aliquo ex dictis modis à *B.* consistit in eo, quod aliquid verè conveniat ex parte rerum uni, quod ex parte rerum non conveniat alteri (si enim secus accideret non distinguerentur, sed potius modis dictis identificantur.) Item *B.* distingui aliquo ex eis modis ab *A.* consistit in eo, quod ex parte rerum aliquid conveniat rei *B.*, quod non conveniat rei *A.* vel si illud aliquid non significat idem quando affirmatur de uno, & negatur de altero, diversitas hæc fundetur in distinctione virtuali utriusque juxta id, quod dicimus Disp. I. Logicæ occasione distinctionis realis in tertio; sed est prorsus necessarium, quod aliquid ex parte rerum conveniat rei *B.*, quod non convenit rei *A.*, si aliquid ex parte rerum conveniat rei *A.*, quod non conveniat rei *B.*, ut terminos expediti patebit: ergo est prorsus necessarium, quod *B.* aliquo ex dictis modis distinguitur ab *A.*, si *A.* aliquo ex dictis modis distinguitur à *B.*. Dicebam sèpe *ex parte rerum*, quoniam fieri potest, ut mentaliter, ratione nostra, seu logicè, ac secundùm intentionaliter conveniat aliquid uni, & non alteri ex duobus dicto modo identificatis: quod solum arguit expressionum, seu cognitionum diversitatem realem, ut suo loco dicemus.

58. Probo ultimam partem conclusionis: scilicet, neque omnem identitatem, neque omnem distinctionem rationis in sensu logico, aut metaphysico esse mutuam, cuius oppositum censet evidens P. Izquierdo, ut etiam tradam, & notabo Disp. I. Logicæ. Homo  
Izquierdo sup.

## *Identitas, & distinctio mutua.*: 45

identificatur formaliter tum logicè , tum metaphysicè cum animali ; & tamen animal neutro modo identificatur cum homine . Rursus animal distinguitur formaliter per rationem , & logicè , & metaphysicè ab homine ; & tamen homo neutro modo distinguitur ab animali : ergo neque omnis identitas , neque omnis distinctio formalis , sive logicè , sive metaphysicè est mutua . Probo antecedens . Hominem identificari formaliter logicè , seu ex propriis terminis cum animali consistit in eo , quod ex vi hujus solius expressionis *Homo* possit intellectus terminorum conscientia proferre hoc judicium *Homo est animal* . Identificari autem formaliter metaphysicè cum animali stat in eo , quod definitur per hunc terminum *Animal* , ut explabimus quando de his agemus : at quamquam ex vi illius expressionis *Homo* possit intellectus terminorum gnarus proferre hoc judicium , *Homo est Animal* ; ex vi nihilominus expressionis hujus *Animal* proferre nequit hoc judicium , *Animal est homo* : & quamquam homo definitur per hunc terminum *Animal* , nihilominus *Animal* non definitur per hunc terminum *Homo* : ergo quamquam homo identificatur formaliter cum animali tum logicè , tum metaphysicè : animal verò neutro modo identificatur formaliter cum homine . Eadem proportione philosophandum est de distinctione . *Animal* distingui formaliter logicè ab homine consistit in eo , quod ex vi hujus solius expressionis *Animal* nequeat intellectus devenire in hoc judicium *Animal est homo* . Rursus distingui formaliter metaphysicè ab eodem consistit in eo , quod animal non definitur per hominem tamquam per suum genus , aut differentiam : sed quamvis ex vi hujus solius expressionis *Animal* dicere nequeamus , *Animal est Homo* , ex vi tamen hujus expressionis *Homo* , dicere possumus *Homo est Animal* : & quamvis animal non definitur per hominem , homo tamen definitur per animal ; ergo quamvis animal distinguatur formaliter logicè , aut metaphysicè ab homine ; homo tamen neutro modo distinguitur ab animali ; ergo identitas atque distinctio id generis non sunt mutua .

59. Objicies cum memorato Authore . Non tantum posse converti propositiones enunciantes identitatem , atque distinctionem realem ; verum etiam illas , quæ identitatem , vel distinctionem formalem enunciant : ergo non tantum debet esse firmum , & universale fundamentum illarum conversionum , verum etiam debet esse firmum atque universale fundamentum harum : sed fundamentum illarum est reciprocatio identitatis , vel distinctionis realis , & fundamen-

P. Izquier  
ubisup.

damentum istarum est simius reciprocatio identitatis , vel distinctio-  
nis formalis : ergo non tantum identitas atque distinctio realis de-  
bent esse reciproca ; sed etiam identitas atque distinctio formalis .  
Confirmatur . Hęc conversio est bona : *Omnis homo est formaliter animal* : ergo aliquod animal est formaliter homo : ergo quia identitas formalis est reciproca inter animal , & hominem . Probatur anteceden-  
dens . Si hęc conversio non esset bona , maximè esset , quia cū  
antecedens sit verum , consequens est falsum ; sed consequens non  
est falsum : ergo . Probatur . Si consequens esset falsum , suum con-  
tradictorium nimirum nullum animal est formaliter homo , esset verum ;  
sed non est verum : ergo . Probatur : si esset verum , sequeretur  
nullum hominem esse formaliter hominem : efformaretur quippe  
hic syllogismus in cälarent . Nullum animal est formaliter homo ;  
sed omnis homo est formaliter animal : ergo nullus homo est formaliter homo ; sed hoc consequens est falsum : ergo falsa est aliqua ex præ-  
missis : sed non minor ; ergo major . Poscebat hęc objectio quid-  
ditatem , & principia distinctionis , atque identitatis formalis evol-  
vere : quia tamen de his postea fusę ; modò breviter dico . Tota  
identitas atque distinctio formalis unicè consistit re ipsa immediate  
in solis cognitionibus nunc claris , nunc obscuris : quamobrem  
propositiones enunciantes identitatem , vel distinctionem rationis ,  
tametsi directe videantur , sunt re ipsa reflexe habentes pro objecto  
alias cognitiones . Hinc exponenda sunt priusquam convertantur .  
v. g. hęc propositio : *Omnis homo est formaliter animal* , reddit hunc  
sensum : hęc cognitio *Homo sufficiens est ut vi præcisè ipsius judi-  
cemus de quovis homine esse animal* . Et sic convertitur . *Aliquid sufficiens , ut ex vi præcisè ipsius judicemus de quovis homine esse ani-  
mal , est hęc cognitio homo* .

60. Similiter convertuntur propositiones enunciantes distin-  
ctionem rationis : v. g. hęc propositio : *Nullam rationale est formaliter animal* , reddit hunc sensum : *Nulla cognitio sic tendens , rationale , sufficiens est , ut ex vi ipsius præcisè affirmemus , rationale esse animal* : & sic convertitur : *nullum sufficiens , ut ex vi præcisè ipsius dicamus , rationale esse animal , est cognitio sic tendens , rationale* . En subsistunt conversiones propositionum enunciantium modò identitatem , modò distinctionem formalem , quin sit mutua identitas , aut di-  
stinctio formalis inter subjectum , & prædicatum ; modò tamen  
sit mutua identitas , vel distinctio realis inter cognitiones , & suffi-  
cientiam , vel insufficientiam ad proferendas certas quasdam affirma-  
tiones .

tiones. Hinc neganda est secunda pars minoris subsumptæ in objec-  
tione. Ad confirmationem respondeo, illum syllogismum, qui vi-  
detur in cœlarent, esse illegitimum, & pluribus terminis quam par  
est, constantem. Major reddit hunc sensum. Nulla cognitio hujus  
tendentia Animal sufficit per se præcisè ad pronunciandam hanc sen-  
tentiam, *Animal est homo*: ergo subjectum est cognitio sic tendens  
*Animal*; & prædicatum est *sufficientia* ad hoc judicium *animal est*  
*bomo*. Jam minor reddit hunc sensum: omnis cognitio sic tendens  
*Homo* est per se sufficiens ad proferendum hoc judicium *Homo est*  
*animal*: ergo jam habemus quatuor terminos distinctos, medium-  
que mutatum. Rursus consequens sic exponitur: nulla cognitio  
sic tendens *Homo* habet sufficientem claritatem ad hoc judicium.  
*Homo est homo*; ergo subjectum est cognitio sic tendens *Homo*: præ-  
dicatura autem claritas sufficiens ad hoc judicium *Homo est homo*,  
quaæ quidem claritas non est prædicatum majoris propositionis: ha-  
bet ergo quinque terminos syllogismus ille, qui videbatur in cœla-  
rent. Profectò innumeræ gignuntur equivocationes, quando soli  
verborum tinnitui attendimus, & eos non introspicimus juxta le-  
gitimam eorumdem definitionem, conceptumque quidditativum-  
carum rerum, de quibus est sermo.

## CAPUT SEXTUM.

*An, & qua ratione Conclusio sequatur partem debiliorem?*

61.



Ater Maurus explanans cap. 4. lib. 8. Topicorum fundat hoc Axioma in doctrina, quam ibi tradidit Philosophus, cuius haec sunt verba: *Sed si hoc (nempe consequens) quidem videatur, illud autem (videlicet antecedens) neutra parte: aut si hoc quidem videatur, illud autem non videatur, similiter quidem utrumque erit, & non. Si autem magis alterum, sequetur quod est magis.* Verum P. Albertinus fusè disputans hoc principium quoad difficultates tum philosophicas, tum theologicas colligit illud ex 1. Priorum cap. 8. 9. & 10. Igitur prædictum Axioma ex Aristotele quomodolibet erutum constanter tuentur PP. Suarez, Granado, Arriaga, Hurtado, Oviedo, Laurentius, Penafiel, & alii. Pater vero Doctor Molina subtler distinguit inter effectum ab utraque pendentem præmissa (ut est certitudo, evidenterque) atque effectum non pendentem ex utra- que

P. Albertinus tom. 1.

princip. 3.

philosoph.

P. Suarez disp. 6. de

Fidei El. 4

num. 6.

P. Grana do 1. part.

tract. 1. de-

spars. 5.

**P. Arria.** que præmissa, ut est supernaturalitas: concedit adagium quoad  
ga 1.p. di- primum, & negat quoad secundum: quoniam docet, conclusio-  
spur. 1. n. nem deducetam ex una præmissa supernaturali, & altera naturaliter  
71.  
**P. Hurtia.** nota, esse supernaturalem: quem Antesignanum non pauci ex no-  
do disp. 11. stris, extraneisque, quos refert P. Ripalda mox citandus, sequun-  
Log. n. 46. tur. P. Valsquez ait: eatenus hoc adagium esse verum, quatenus  
C 47.  
**P. Oviedo** conclusio prout colligitur per syllogismum, cuius una præmissa  
cōtror. 10. est de fide, & altera naturalis non creditur fide infusa prout creditur  
Log. punc. præmissarum altera, quod conclusioni convenit cum præmissa  
3. num. 3. naturali.  
**P. Laure-**

tius tom. 1. 62. Pater Tamnerus (quem validè oppugnat Arriaga, & dexterè  
erac. 7. nu. protegit Oviedo) conclusionem, cuius objectum formale est utra-  
15. que præmissa, discernit à conclusione, cuius una præmissa sola est  
**P. Penaf.** objectum formale; altera vero dumtaxat est applicatio: admittit  
traç. 1. de Deo disp. 3 adagium, quando conclusio utriusque inititur præmissæ tamquam  
num 16. objecto formalis, & respuit illud, quando alteri soli præmissarum in-  
**P. Molin.** sistit tamquam objecto formalis, propterea quod præmissa altera  
1. p. q. 1. ar. solummodo sit applicatio alterius præmissæ: qua ratione propositio  
2. disp. 1. S. Ex his pa Ecclesia non est objectum formale actus Fidei d. v. n. x, sed mera-  
tet. applicatio hujus objecti formalis. Hinc infert conclusionem proce-  
**P. Vasp.** dentem ex duabus præmissis unâ de fide, & alterâ naturaliter, seu  
p. q. 1. ar. 5 moraliter tantum certâ, certiorum esse hac: ergo non sequitur par-  
9. secunda sententia. tem debiliorem. Alter distinguunt P. Ripalda inter perfectiones, quæ  
**P. Tam.** sumuntur ex objecto, & quæ sumuntur ex principio efficiente.  
p. disp. 1. q. Fatetur conclusionem sequi partem debiliorem quoad illas perse-  
3. dub. 2. n. ctiones; dissitetur tamen sequi quoad has: quoniam potest, in-  
6. Arri. sup. quit, conclusio habere principium efficiens perfectius, quam præ-  
Ovid. sup. missa debilis, & consequenter potest majorem ab illo haurire cer-  
**P. Ripal.** titudinem.  
disp. 55. de

63. P. Joannes Præpositus aliam carpit viam: ait, conclusio-  
ente super- naturalis. nem sequi partem debiliorem, quia nequit certior esse debili ea-  
15. præmissa; potest autem certior esse conclusione alia deduceta ex illa  
**P. Joann.** præmissa debili, & altera etiam naturali: si enim conclusio A. col-  
Præpos. 1. p. g. 1. ar. 5 ligeretur ex una præmissa naturali, & altera supernaturali, infir-  
dub. unico mior esset conclusione B. ex duabus præmissis naturalibus illata.  
§ 3. P. Alderete distinguunt inter hoc, quod est sequi partem debiliorem  
**P. Alder.** quoad falsitatem; & sequi partem debiliorem, quoad naturalitatem.  
1. p. disp. 10. scilicet. Negat primum; concedit, probatque secundum contra Patrem Ar-  
n. 6. riaga. Alii concedunt præsumtum Axioma non quatennis conclusio  
equa.

## Conclusio sequitur debiliorem. 49

æqualis esse debeat præmissæ imperfæctæ, sed quatenus perfectionem præmissæ robustioris assequi nequeat. Sic P.Gillius, P.Fasolus. Alji demum distinguunt inter conclusionem prout est in syllogismo se. cundum ea, quæ habet ex vi formæ, atque conclusionem secundum se inspectam: concedunt Proloquium de conclusione in prima acceptione, & negat illud in secunda P.Rhodes.

P. Gillius  
lib. i. tract.  
6. cap. 3.

P. Fasol.  
i.p. art. 5.

P. Rhodes  
Cur. Phbil.  
num. 14.  
lib. i. dis/p.

64. Noto 1. non est in præsentiarum sermo de conclusione falsaci, quæ apparterent dumtaxat sequitur ex præmissis, sed de illa, quæ re ipsa sequitur: nam cum fallax conclusio non inferatur re ipsa ex præmissis; neque partem debilem, neque robustam sequitur. Præterea neque est sermo de conclusione activè sumpta, nimirum pro actione productiva qualitatis illius intentionalis, quæ formaliter exprimit objectum, quod dicitur conclusionis; sed de conclusione sumpta passivè pro ipsa videlicet specie expressa, sive qualitate intentionalis representante objectum. Illa namque actio, ut distincta ab hac specie (si forte distinguitur, à quo modò præcindimus) non est imago formalis, aut intentionalis representatio objecti quicquam affirmans, aut negans. Igitur conclusio in hac acceptione duobus capi potest modis: primò pro nota illationis, seu pro illo ergo enunciatore, consequens deduci ex antecedente, seu quod idem est, antecedens connexum esse cum consequente: secundò pro consequente ipso intentionali. Ambobus modis sumpta conclusio potest esse vera, vel falsa; fieri namque potest, quod consequens re ipsa ex antecedenti inferatur, & tunc nota illationis hoc enuncians erit vera: fieri item potest, quod non inferatur; & tunc illationis nota erit falsa. Rursus conclusio largè sumpta, sive vera, sive falsa fuerit, potest esse in duplice differentia, quoniam alia reflectit supra præmissas, alia caset hac reflexione. Præterea conclusio vera esse potest, vel purè vera citra connexionem cum suo objecto, capaxque proinde falsitatis; vel vera, & simul certa seu infallibilis, idest intimè connexa cum sua veritate. Insuper conclusio certa potest esse aut obscura, aut evidens. Evidens potest esse talis, vel per se præcisè independenter à præmissis, vel unicè propter has individuas præmissas. Demum adagium hoc intelligi potest de conclusione in sensu reali absoluto, atque directo, quatenus conclusio verè, ac realiter, omnibusque pensatis tam debilis sit, quam alterutra ex præmissis: vel in sensu formali, & quasi reflexo, quatenus quidquid sit de firmitate, qua alias conclusio fungatur, attamen ut deductio ex hac præmissa debili, & hoc uno capite inspecto, debilis est,

D.

65. No:

65. Noto 2. Unaquaque ex memoratis conclusionibus multifariam dici potest sequi partem debiliorem. 1. Quoad falsitatem, eo quod conclusio sit falsa, si una ex præmissis fuerit falsa. 2. Quoad carentiam certitudinis, quatenus conclusio nequeat esse certa, si altera præmissa certa non fuerit. 3. Quoad carentiam evidentiæ, quatenus conclusio non possit esse evidens, si altera præmissa inevitabiliter fuerit. 4. Quoad contingentiam veritatis ex eo, quod ex præmissa contingenter vera inferre nequeamus conclusionem necessariò veram. 5. Quoad probabilitatem, propterea quod ex præmissa improbabili elicere non possimus conclusionem probabilem. 6. Quoad perfectiones resultantes in actibus intellectus ex suis objectis, quatenus conclusio haurire non valeat ab objecto suo perfectionem, qua careat alterutra præmissa. 7. Quoad supernaturalitatem, quatenus conclusio sit naturalis eo ipso, quod præmissarum altera naturalis fuerit. 8. Quoad perfectiones ex principio subjectivo immediatè influente in conclusionem oriundas, quatenus in hanc influere non valeat principium entitatè nobilis, quam principium influens in alterutram præmissarum. 9. Quoad quantitatem, vel qualitatem, quatenus conclusio esse nequeat universalis, si una ex præmissis particularis, aut singularis sit: vel esse nequeat affirmativa, si præmissa fuerit negativa. Demum quoad hypothesim, aut modalitatem, quatenus conclusio non possit esse absoluta de Inesse, quando una præmissa hypothetica est, vel modalis. Unusquisque ex his modis sequendi partem debiliorem potest esse positivus constans in eo, quod conclusio eumdem habeat debilitatis gradum, quem habuerit præmissa: vel negativus fundatus in eo, quod conclusio non sit firmior, quam præmissa illa.

66. Noto 3. Pars debilior vocari potest. 1. Præmissa falsa respectu veræ. 2. Præmissa non certa subjectivè respectu subjectivè certæ. 3. Improbabilis respectu probabilis. 4. Inevidens respectu evidentiæ. 5. Naturalis respectu supernaturalis. 6. Contingens respectu necessariæ. 7. Minus perfecta sive ex objecto, sive ex principio effectivo respectu perfectionis ex utrolibet capite. 8. Singularis aut particularis respectu universalis. 9. Negativa respectu affirmatiæ: vel hypothetica respectu absolutæ: vel modalis respectu illius, quæ dicitur de Inesse.



## CAPUT SEPTIMUM.

### *Resolvitur Difficultas.*

67.



N tanta opinandi varietate sola explicatio P. Molina, adjuncta distinctione P. Rhodes mihi probatur. <sup>P. Molina sup.</sup> Igitur vel sermo est de conclusione in sensu reali, <sup>P. Rhodes sup.</sup> absoluto, directo, ac secundum se sumpta: vel de ipsa reduplicative, ut nascente ex his determinatè premissis ab omni alio prescindendo? Si primum; falsum est conclusionem semper, & ubivis sequi partem debiliorem quoad veritatem, probabilitatem, certitudinem, evidentiam, atque necessitatem; secus quoad supernaturalitatem, perfectiones desumptas ex objecto, principiove physicè influente, quantitatem, qualitatem, aut modalitatem. Probo primam partem conclusionis tripartitæ. Eo ipso, quod conclusio possit esse absolute, & simpliciter vera, probabilis, certa, evidens, necessaria, supernaturalis, universalis, affirmativa, absoluta, perfectaque aut ex objecto, aut ex principio, tametsi præmissarum altera sit falsa, incerta, improbabilis, inevidens, contingens, naturalis, singularis, aut particularis, negativa, hypothetica, modalis, aut carens perfectione speciali tum ex objecto oriunda, tum ex principio; eo ipso falsum est conclusionem semper, & ubivis sequi in sensu reali, absoluto, atque directo partem debiliorem ulla ex sequelis attractis; sed hec omnia & singula evenire possunt: ergo

68. Probatur, & brevitatis gratia presuppono me nunc loqui de conclusione in sensu reali absoluto, directo, & prout est in sensu omnibus pensatis. In primis illam posse esse evidentem, quamquam una præmissa non sit evidens, docuisse videtur Philosophus, quando scripsit: si vero ex utrisque que videantur, aliquid ostendatur, non autem simpliciter videantur, nihil probabit, quod ostenditur magis <sup>Aristot. 8.</sup> altero videri. Consulatur P. Maurus in eum locum. Similiter docuisse videtur conclusionem quandoque esse necessariam, etiamsi præmissa sit contingens subjectivè. Quandoquidem igitur (scribit Philosophus) conclusio ex necessitate sit, nihil probabit, mediam non necessarium esse propter quod monstratum est. Est enim necessarium, & non ex necessariis syllogizatum esse, quemadmodum & verum non ex veris. Argumento insuper à ratione. Non solum una præmissa hujus syllogismi,

*Omnis equus est animal rationale; omnis homo est equus: ergo omnis homo est animal rationale; sed ambæ præmissæ sunt falsæ, improbabiles, inevidentes, & non certæ subjectivæ, & tamen conclusio legitimè illata, absolutè & simpliciter, atque in se ipsa est vera, probabilis, certa, & evidens ut constat: ergo fieri potest, conclusiōem legitimè illatam ex præmissis esse absolutè & simpliciter, atque in se ipsa omnibus pensatis veram, certam, probabilem, necnon evidenter, etiamsi præmissæ, vel præmissa sit falsa, incerta, inevidens, atque improbabilis.*

69. Præterea potest conclusio esse necessaria, atque universalis, quamquam præmissa una sit contingens atque singularis. Suadetur hoc syllogismo contra P. Rhodes. *Si existit Petrus; existit omnis perfectio divina simpliciter simplex ab intrinseco necessaria; sed existit Petrus: ergo omnis perfectio divina simpliciter simplex ab intrinseco necessaria existit.* En minorem singularem, ac contingenter veram: en conclusionem universalem atque necessariò veram: ergo conclusio legitimè deducta ex præmissis, quarum una est singularis atque contingens, potest esse universalis atque necessaria. Et ratio est. Tamen si nihil subjectivæ necessarium possit connecti metaphysicè cum aliquo subjectivæ contingente ( alioquin posset deficere à rebus, si quidem contingens illud, quo cum intimè connectitur, potest à rebus deficere ) at vero contingens subjectivæ connecti potest essentia-liter cum termino subjectivæ necessario, quomodo connectuntur omnes, & singulæ existentiæ creatæ cum Deo: item singulare potest connecti cum veritate universali: sic individuum decretum justificandi omnes omnino homines, est connexum ob suam intimam efficiaciam cum hac veritate; *Omnis homo est justus: ergo veritas contingens, & singularis potest inferre conclusionem absolutè necessariam, atque universalem.*

70. Item conclusio potest esse affirmativa atque absoluta de Inesse, etiamsi altera præmissa sit negativa, vel hypothetica, vel modalis, ut facilè constat in syllogismis modò conditionalibus, modò disjunctivis. Potest insuper conclusio aliquas haurire perfectiones, vel ex principio physicè influente ( ut benè advertit Ripalda ) vel ex objecto, quas una præmissarum ex neutro fonte hauriat: quoniam aliqua perfectio derivatur in cognitionem ex objecto, in quod tendit, ex modo, quo in objectum tendit, atque ex principio, à quo physicè procedit, ut dicemus infra; atqui fieri potest, ut conclusio tendat in objectum enuntiativè perfectius, quam est objectum alterius præ-

## Conclusio sequitur debiliorem. 53

præmissæ ( non quidem quando syllogismus identitate , aut distinctione cum aliquo medio fulcitur ; sed quando innititur connexioni , oppositionivè metaphysicæ antecedentis objectivi cum objectiva consequente ) & fieri quoque potest , ut conclusio tendat modo perfectiore , una autem præmissa modo imperfectiore : eo quod præmissa illa sit inevidens ; conclusio verò absolute , & simpliciter sit evidens , ut paulò ante dicebamus , constatque in hoc syllogismo . Quidquid Magister docet , est ; sed Magister docet quodlibet esse , vel non esse : ergo quodlibet est , vel non est : ubi conclusio absolute , & simpliciter est evidens , una autem præmissa obscura , & purè probabilis . Rursus fieri potest , ut principium physicè influens in conclusionem sit entitativè nobilior principio physicè influente in aliam præmissam , eo quod conclusio sit entitativè supernaturalis , poscatque subinde principium supernaturale , præmissarum verò altera sit entitativè naturalis , ut mox dicam : ergo possibile est , conclusionem vel ex principio , vel ex objecto ( quod abs jure negat P. Ripalda ) vel ex modo tendendi in objectum aliquam haurire perfectiōnem , cuius expers sit præmissarum altera .

71. Demum contingere potest quod conclusio sit supernaturalis , quamquam una præmissa sit naturalis , ut sentiunt PP. Molina , Tamnerus , Ripalda , & alii . Tum quia licet nihil entitativè naturale possit per se præcisè connecti physicè , aut metaphysicè cum termino ullo creato entitativè supernaturali ( alioquin hic debitus foret naturæ , & consequenter non esset supernaturalis ) attamen duo fieri possunt : unum est , quod complexum ex naturali , & supernaturali intimè connectatur cum termino entitativè supernaturali : ut connectitur cum visione beatifica complexum ex intellectu , & lumine gloriæ : ergo complexum ex gemina præmissa una supernaturali , & altera naturali connecti potest cum veritate supernaturali proindeque ipsam inferre . Secundum est , quod terminus supernaturalis præsupponere potest aliquid naturale : sic unio hypostatica intimè connectitur cum humanitate naturali , cuius est unio : sic etiam educit , atque unio gratiæ habitualis , quæ ambae sunt entitativè supernaturales , essentialiter connectuntur cum hac anima in qua est gratia ; ergo nihil prohibet conclusionem supernaturalem præsupponere aliquam præmissam naturalem . Tùm ob rationes illas , quas dicitur urget P. Ripalda contra P. Granado , quibus brevitatis gratia parco . Quod si quæsieris , an ejusmodi conclusio supernaturalis sit de fide necessariò ? Respondeo negativè 1. quia , licet omnis

actus fidei divinæ sit supernaturalis, non tamen omnis actus supernaturalis est fidei, ut constat ex visione beatifica, & licet fides haberi possit per discursum v. g. *Deus impotens falli*, & fallere dixit hoc; ergo est hoc: ubi objectum formale proximum adæquatum est complexum ex Authoritate, ac revelatione divina: & consequenter conclusio illa, ut talis est actus fidei: verum tamen possunt esse multæ alia conclusiones, cuius objectum formale proximum adæquatum sit res alia supernaturalis distincta ab illo complexo.

2. Quia necesse non est, conclusionem illam produci ab habitu fidei, sed sufficit auxilium extrinsecum: habitus namque infusus fidei tantum datur ad actus communes omnibus fidelibus; atqui præfata conclusio non est communis omnibus fidelibus: ergo necesse non est, dari habitum infusum fidei ad illam habendam.

3. Quia licet produceretur ab habitu fidei, illa non esset de fide, cum non habeat pro objecto formali divinam revelationem, sed connexionem antecedentis cum consequente, quæ connexio potest esse distincta à complexo dicto.

72. Objicit duo P. Alderete. Primum est: conclusio nequit esse certior, quam præmissa: at certior esset, si ipsa foret supernaturalis, præmissa autem naturalis: ergo. Secundum est, fore, ut ex præmissa supernaturali, & alia purè probabili sequeretur conclusio supernaturalis: quod absurdum videtur. Ad primum respondeo cum Cardinali de Lugo infra adducendo: conclusionem per se pendenter ab his determinatè præmissis nequire certiorem esse alterutra; secus conclusionem per accidens derivatam ex his præmissis, de qua modò loquor: & constat in hoc syllogismo. *Omnis Pontifex legitimè electus est legitimum caput visibile Ecclesie; sed CLEMENS XI. est Pontifex legitimè electus: ergo est caput visibile Ecclesie;* cuius conclusio cum sit absolute, & simpliciter de fide, certior est absolute, & simpliciter quam minor, nempè quia non dependet essentialiter ab his præmissis determinatè. Respondeo præterea negando minorem; nam cum certitudo subjectiva actus sit in connexione metaphysica ejusdem cum suo objecto: & cum inter connexiones metaphysicas nequeat una esse major intensivè quam altera, ut statuimus Disputatione de Rerum connexione cap. 2. locus non datur, ut unus actus sit subjectivè certior altero, quidquid sit de excessu in certitudine indubitabilitatis. Ad 2. Respondeo similiter, conclusionem unicè dependentem ex præmissa probabili nequire esse supernaturalem; posse vero esse supernaturalem,

## Conclusio sequitur debiliorem. 55

Iem, si per se independens fuerit ab ea præmissa.

73. Objicies 2. Argumenta illa fortia, quibus P. Arriaga, Oviedo, Pennabel, & alii probant absolutè; ac sine limitatione hoc axioma. Verum omnia illa, ut ea exponenti constabit, dumtaxat probant conclusionem unicè, ac per se procedentem ab his præmissis, & reduplicativè, ut oriundam ab eis solis, sequi partem debiliorem; nequaquam autem ostendunt hoc de conclusione specificativè, ac secundùm se sumpta, necnon in sensu reali absolutè, & directo. Objicies 3. omnis conclusio debet per suam essentiam procedere ab eis præmissis, à quibus procedit: licet enim verbaliter proferri possit alia similis; ea tamen conclusio mentalis, quo hic, & nunc procedit, essentiā suā procedit ab his præmissis. Confirmatur. Doctrina hucusque prolata saltem locum non habet in conclusione reflectente supra præmissas; hæc enim erit absolute, & simpliciter falsa, incerta, inevidens, improbabilis, si præmissarum altera aliquam ex his proprietatibus habuerit. Ad objectionem respondeo juxta id, quod initio notavi, eam propositionem esse veram, si sermo sit de conclusione activè sumpta, neupne de actione productiva qualitatis expressè formaliter representantis consequens objectivum: Omnis quippe actio per suam essentiam oritur à causis illis, sive physicas, sive moralibus positivis, à quibus semel oritur. Secus dicendum de conclusione sumpta passivè, nimirum pro qualitate ipsa, quo dicitur species expressa, ut distincta à sua productione (in quo sensu me locuturum præmonui) hæc namque qualitas est absoluta, & capax nascendi ab his, vel illis præmissis, ut alibi tradid contra PP. Lugo, & Izquierdo. Ad confirmationem concedo illam; quoniam cùm conclusio reflectens supra præmissas sit propositio copulativa enuncians veritatem majoris, atque minoris, perspicuum est, ipsam futuram esse falsam, incertam, inevidentem, improbabilem, contingentem, si alterutra ex præmissis aliquam ex his nullitatibus habuerit. Hucusque dicta circa conclusionem non modò intelligenda sunt de conclusione sumpta pro ipso consequente formalí, verum etiam de conclusione strictè accepta, pro nota videlicet illationis s quia eadem militant rationes.

74. Probo 2. partem conclusionis, videlicet quod si sermo sit de conclusione reduplicativè, ut nascente ex his determinatè præmissis, ab omni alio præscindendo, illa sequeretur partem debiliorem quoad veritatem, probabilitatem, certitudinem, atque evidenter.

Conclusionem his modis sequi partem debiliorem, stat in eo; quod conclusio sit falsa, si una præmissa falsa fuerit; sit impossibilis, si una præmissa fuerit impossibilis; sit incerta, si una præmissa fuerit incerta; sit inevidens, si una præmissa fuerit inevidens: & demum sit contingenter vera; si una præmissa fuerit contingens: sed loquendo de conclusione reduplicative, ut nascente ex his determinatè præmissis, atque ab omni alio preſcindendo, hæc ita contingunt. Probatur. Quoties deficit unicū caput, unde nobis constat veritas, probabilitas, certitudo, evidētia, necessitasve conclusionis, ut oriundæ à præmissis, illa ut sic oriunda non est vera, non est probabilis, non est certa, non est evidens, & tandem non est necessariò vera: at quoties una præmissa est falsa, improbabiliſ incerta, inevidens, aut non necessaria, deficit unicū caput, unde nobis constat veritas, probabilitas, certitudo, evidētia, necessitasve conclusionis reduplicative, ut oriundæ à præmissis: ergo quoties una præmissa est falsa, impossibilis, incerta, inevidens, aut non necessaria, conclusio, ut oriunda ex illis dumtaxat præmissis, ab omni que alio preſcindens, neque est vera, neque probabiliſ, neque certa, neque evidens, neq; necessaria: ergo si sermo fuerit de conclusione reduplicative, ut nascente ex his præmissis, ab omni que alio preſcindente, illa sequitur partem debiliorem sequelis memoratis.

75. Probo minorem. Quoties simultas veritatis præmissarum est falsa, improbabiliſ, aut incerta, aut inevidens, aut non necessaria, deficit unicū caput, ex quo nobis constat veritas, probabilitas, certitudo, evidētia, necessitasque conclusionis, reduplicative, ut oriunda ab eis dumtaxat præmissis: quoniam hæc simultas est unicū caput, unde hæc omnia, & singula constare nobis possunt de conclusione, reduplicative, ut nascente ex his solis præmissis (quamquam enim id generis proprietates deprehendere possimus: absolutè, simpliciter, independenter ab illis præmissis determinatis: attamen sumentes conclusionem reduplicative, ut deductam ab his dumtaxat præmissis, ab omni que alio abstrahentes, non aliunde agnoscimus conclusionis veritatem, probabilitatem, certitudinem, evidētiam, necessitatemve, quam ex simultate veritatis, certitudinis &c. præmissarū:) at quoties una ex præmissis fuerit falsa, improbabiliſ, aut incerta, aut inevidens, aut non necessaria, simultas veritatis præmissarum est falsa, improbabiliſ, aut incerta, aut non necessaria: nam cum hæc simultas sit terminus complexus indispensabiliter, requirit utriusque partis veritatem, certitudinem, probabilitatem, eviden-

## *Conclusio sequitur debiliorem.* 57

evidentiā , necessitatem ve ad hoc ut ipsa quatenus talis sit vera ; certa , &c. & constat à posteriori ex eo , quod posito , unam tantum præmissam esse falsam , incertam &c. nequimus verè dicere , ambas esse simul veras , certas &c. ergo .

76. Et hoc tantum probant argumenta eorum A. A. qui supra dicebant absolutē , & sine restrictione , conclusionem sequi partem debiliorem . Porro argumentum contrarium , quo utitur P. Alderete tantum probat de conclusione specificativè sumpta : licet enim conclusio istius syllogismi : *Omnis lapis est animal rationale ; omnis homo est lapis ; ergo omnis homo est animal rationale , specificativè , atque absolutè sumpta sit evidens , ut procedens tamen ab his præmissis , hoc est ut agnita unicè propter has præmissas est falsa , atque improbabilis : nempe quia conclusio , solummodò ut illata ex præmissis , non aliundè oboritur lux , quam à præmissis ipsis : ergo si hæc carent luce , ægrè offundent illam in conclusionem .*

77. Obiicies ; Possibile est , unam solam præmissam sufficere inferendo conclusionem , ut contingit in hoc syllogismo : *Si existit unio metaphysicè connexa cum extremis , existunt extrema ; sed existit unio bæc : ergo existunt extrema : cujus sola minor pars est inferendo consequens ; sed eo ipso conclusio , etiam ut deducta ex præmissis , erit vera , certa , probabilis , evidens , aut necessaria , si hec præmissa his proprietatibus fungatur , tametsi altera careat eisdem : ergo fieri potest , ut conclusio , etiam quatenus deducta ex his solis præmissis vera sit , aut probabilis , aut certa , aut necessaria , aut evidens , quamvis præmissarum altera orba sit his proprietatibus . Confirmatur ex doctrina P. Tamneri. Quoties objectum formale conclusionis , ut deductę ex his solis præmissis , habuerit aliquam de proprietatibus , quarum sepè meminimus , conclusio ut sic deducta habet eamdem : objectum quippe formale est mensura legitima veritatis , certitudinis , evidentięe cuiuslibet actus ; at fieri potest , ut una præmissa careat memoratis proprietatibus , & tamen quod objectum formale conclusionis , ut deductę ex his solis præmissis habeat aliquam proprietatem ex illis . Probatur : eo ipso , quod altera præmissa habeat proprietatem eam , objectum formale conclusionis , ut deductę ex his solis præmissis , potest habere eamdem proprietatem : quoniam fieri potest , ut una sola præmissa sit objectum formale conclusionis , ut deductę , coquod altera præmissa sit mera applicatio : quemadmodum licet assensus fidei propositione Ecclesię sit indiguus juxta illud . Quomodo credent ei , quem non audierunt ; attamen objectum forma .*

formale illius assensus est sola authoritas, atque revelatio divina; propositio vero Ecclesie est solummodo applicatio hujus objecti formalis, & quidem externa, sicut plantatio, & rigatio: solus enim Deus est, qui intrinsecus incrementum dat; atqui licet hec una premissa careat memoratis proprietatibus; fieri potest, ut altera habeat aliquam ex illis: ergo.

78. Confirmatur secundò. Si Doctrina immediatè producta vera esset, sequeretur, propositionem alioquin evidentem fore falsam reduplicative, ut deductam legitimè ex quibusdam premissis; v.g. hec propositio, *omnis homo est animal rationale*, est evidens; & hec eadem ut illata ex premissis, *omne animal est animal rationale*; *omnis homo est animal*: esset falsa; siquidem una ex his premissis falsa est: Imò propositio de fide esset pure probabilis, quoniam hec propositio: *Clemens XI. est verus Pontifex* censemur de fide, ut illata autem ex his premissis: *Omnis legitimè electus, est verus Pontifex*; *Clemens XI. est legitimè electus*: esset probabilis dumtaxat, siquidem minor tantum probabiliter est nobis nota; sed hec non sunt dicenda: ergo. Confirmatur tertio. Licet nuper dicta vera fuerint de conclusione sumpta pro consequente ipso formaliter, hec reut nihilominus, si sermo sit de conclusione strictè accepta, nimirum pro illatione, sive illationis nota; nam licet ambè premissæ sint falsæ, incertæ, inevidentes, improbabiles, atque non necessariae, fieri tamen potest, ut ipsorum connexio cum consequente sit evidens, atque necessaria; sic falsum, atque improbabile est hoc par premissarum. *Omnis lapis est animal*; *omnis homo est lapis*: at earumdem quatenus talium connexio cum hoc consequente, *omnis homo est animal*, est evidens, & necessaria, utpote evidenti insistens artificio: ergo restringenda est ea doctrina ad conclusionem sumptam pro solo consequente formaliter. Confirmatur quartò. Fundamentum, cui innixi fuimus, est, veritatem, & probabilitatem, &c. conclusionis, ut deductæ ex premissis, derivari ex simultate veritatis, probabilitatis, &c. premissarum; sed hoc fundamentum est debile. Probatur. Fieri potest ut detur simultas probabilitatis premissarum. & tamen quodd conclusio legitimè illata ex illis non sit probabilis: sic datur simultas probabilitatis harum duarum propositionum. Si existit physica prædeterminatio, non existit libertas in hominibus: existit physica prædeterminatio: quamquam enim catholicorum nemo putat illas esse simul veras; omnes tamen putant esse simul probabiles, idest rationum, atque authoritatis pondere ambas esse suffultas,

& te-

## *Conclusio sequitur debiliorem.* 59

& tamen conclusio legitimè illata ex illis nempè hæc. *Non datur libertas in hominibus*, non est probabilis: ergo simultas probabilitatis præmissarum non est unicum caput, unde sufficienter constet probabilitas conclusionis.

79. Respondeo: objectio, & prima confirmatio non me oppugnat: nam locutus sum de conclusione, ut deducta ex his solis præmissis, non ex una tantum: proindeque locutus sum de conclusione, cuius ut talis objectum formale sit indispensabiliter præmissarum simultas: in objectione autem, & prima confirmatione ponitur conclusio, cuius objectum formale potest esse una sola præmissa: ergo quamquam hoc esset verum, nobis non officeret: unde nego minorem objectionis, necnon probationem, cuius probatio supponit falsum, quoniam in ista hypothesi illa altera præmissa non erit præmissa respectu illius conclusionis; sed conditio requisita ex parte illius præmissæ, quæ sola per se specificat conclusionem: sicut applicatio ignis non est causa strictè loquendo; sed conditio necessaria ex parte causæ. Ad secundam confirmationem concedo sequelam, & nego eam esse absurdam. Nam dicere, illas conclusiones reduplicative, ut illatas ex eis solis præmissis esse falsas, aut purè probabiles, est dicere, illas conclusiones futuras esse falsas, aut purè probabiles, si non haberent aliud objectum formale, cui insisterent præter eas præmissas: atqui hoc est verum, necnon compatibile cum eo, quod illæ conclusiones absolute, & simpliciter, omnibusque pensatis sint, vel certæ, vel evidentes; ergo. Ad tertiam. Respondeo, notam illationis, quando præmissæ sunt omnino falsæ, sed legitimè inferunt conclusionem, posse esse evidenter, atque necessariam, non quidem absolute ( quoniam non datur absolute connexionio, quando non datur, vel ulterius est impossibile fundatum talis connexionis ) sed solum conditionate: quod non nego. Ad quartam. Respondeo aliud est, quod simul sint probabiles præmissæ, & aliud quod sit probabile, illas esse veras simul. Caput unicum, atque sufficiens ad probabilitatem conclusionis non est simultas probabilitatis, ut cumque præmissarum, sed probabilitas simultatis veritatis earumdem præmissarum: id est quod sit probabile, illas esse simul veras; unde non est simultas subjectiva sed objectiva: nam ex objectiva simultate veritatis præmissarum colligitur veritas conclusionis: ergo ut sit probabile, hanc esse veram, opus est, quod sit probabile, præmissas esse simul veras; atqui quamquam istæ præmissæ sint simul probabiles, atamen non est probabile, eas esse simul veras: siquidem catholi-

tholicus nullus putat eas esse simul veras: quid ergo mirum, quod conclusionis veritas non sit probabilis, cum veritas haec pendeat ex veritate simultanea praemissarum.

80. Probo tandem ultimam partem; scilicet conclusionem etiam reduplicative ut oriundam ex his determinate praemissis, non sequi partem debiliorem quoad supernaturalitatem, perfectiones desumptas ex objecto, principiove physice influente, quantitatem, qualitatem, aut modalitatem. Eo ipso, quod nulla ex his affectionibus, ut talibus dependeat à simili affectione simultatis praemissarum fieri potest ut conclusio habeat aliquam ex illis, etiamsi praemissa altera talem affectionem non habeat; sed contingit primum: ergo contingere potest secundum. Probo minorem. Etiam si praemissa illa debilis influeret in conclusionem; ast non influit illa sola; sed ulterius comprincipia alia: ergo fieri potest, ut conclusio quatenus talis prærequisitat principium aliquod entitativer nobilior, quam principium exactum à praemissa illa debili: sic quamquam Visio beatifica presupponat lumen gloriae, hoc non impedit, illam prærequirere quoque principium aliud entitativer nobilior lumine gloriae, nimirum animam, divinamque omnipotentiam: ergo fieri potest, conclusionem, ut talem haurire à suo principio perfectiore perfectionem aliquam, qua praemissa debilis caret. Rursus possibile est, conclusionem ut talem esse cognitionem evidenter rei supernaturalis, si videlicet evidenter inferatur ex dupli praemissa evidente, una supernaturali, & altera naturali; sed hoc ipso ea conclusio, ut talis erit supernaturalis, ut modò suppono cum communiori Theologia, haurietque ab objecto perfectionem, quæ in praemissa debili desideratur: ergo fieri potest conclusionem, ut talem esse supernaturalem, tametsi praemissarum una sit naturalis, & consequenter fieri potest ut conclusio, quatenus talis hauriat ex objecto suo perfectionem aliquam in praemissa debili desiderata; similiter contingit quandoque unam praemissam esse omnino singularem, & tamen conclusionem ut illatam ex ipsa esse universalem: quoniam nihil impedit quominus unum conneatur intimè cum pluribus, ostenditurque in hoc syllogismo. Si existit decretum efficax individuum, atque singulare justificandi omnes homines; omnes homines sunt justi; sed existit tale decretum: ergo omnes homines sunt justi. Ecce conclusionem quantitatis universalis, cum altera praemissa sit singularis, nam subjectum illius minoris est individuum decretum absolutum justificandi omnes homines: ergo con-

## Bonum ex integra causa. 61

conclusio, etiam reduplicativè, ut illata ex præmissis, non sequitur quoad quantitatem partem debiliorem. Idem ob eamdem rationem dico de qualitate, & modalitate: ut quisque facilè deprehendet ex hoc eodem exemplo.

## CAPUT OCTAVUM.

An, & quo jure Bonum ex integra causa, & Malum ex quocumque defectu.

81.  Onsonat hoc Proloquium nuper tradito: traditur. *S. Dyonisi*, que abs dubio à S. Dyonisio sic ajente (juxta ver. 4. *de Divi-  
sionem*, qua utor, Marsilii Ficini) Cæterū, *ut nis nomi-  
nibus. Q. summatim dicam, bonum ex una, totaque causa profi-  
ciscitur; malum autem ex multis particularibus dese-  
tibus accidit. Neque parum favet Aristoteles semel, & iterum in-  
quiens: *Perfectum est, cuius nihil est extra*, Patribus Molina, Orte-  
ga, Penafiel, Hurtado, & aliis probatur hoc Axioma absolutè; aliis *P. Molin.*  
verò cum distinctione: Distinguit subtiliter Pater Izquierdo, quem *I. p. q. 5.*  
imitatur M. Godoy inter integrum causam *in ratione boni*, & inte-  
gram causam *in ratione mali*: Concedit bonum esse ex integra causa *in ratione boni*; negat verò, illud esse ex integra causa *in ratione mali*. Aliò tetendit ingenium Patris Junii: dividit bonum in co-  
pulativum atque disjunctivum, qua formaliter, qua æquivalenter;  
& subjungit bonum copulativum esse ex integra causa, & opposi-  
tum malum ex quocumque defectu; inficiatur tamen, bonum di-  
sjunctivum esse ex integra causa: quod venusto propositionis co-  
pulativa, ac disjunctiva aperit exemplo: quarum illa, ad sui veri-  
tatem poscit omnia membra, quæ affirmat, & uno solo absente,  
falsitatis convincetur; hæc autem uno solo extremo contenta est, *provid. c.*  
atque, ut falsa sit, requiritur, omnia extrema desicere.*

82. Sit nostra conclusio. Aut sermo est de bonitate purè phy-  
sica, & transcendentali, consistente in integritate prædicatorum,  
complexioneque partium uniuscujusque possibilis distributione ac-  
commoda: aut de bonitate pura, absoluta, omnisque expertise im-  
perfectionis: aut de bonitate morali? Si primum; dico, bonum  
plerùmque, sed non semper, esse ex integra causa, & malum ex  
quocumque defectu. Probatur. Bonum in hac acceptione esse ex  
integra causa, & malum ex quocumque defectu, consistit in eo,  
quod

quodd esse, *integritasque physica rerum* indispensabiliter postulet omnia omnino sua constitutiva, omnesque causas essentialiter prærequisitas, ita ut uno constitutivo, uno prædicato, una causa ex illis deficiente inferatur per necessariam consequentiam rei defectus ( qui sanè dici potest malus, eo quodd contradictorie opponatur bonitati transcendentali, & purè physica rei illius ) sed hoc ita evenit plerumque: quandoquidem est notissima chymæra, plerasque ex rebus existente absolute, & simpliciter, deficiente aliquo earumdem constitutivo, aliquâve causa essentialiter prærequisitâ: ergo in hac acceptio-ne Bonum plerumque est ex integra causa, & malum ex quocumque defectu.

83. Probo exceptionem. Bonitas transcendentalis eorum conceptuum objectivorum, qui vulgo dicuntur, *Tota successiva*, ut prioritas diei hodierni respectu crastini, pura possibilis, mutatio entis naturalis &c. non est ex integra causa, seu non poscit, existere simul constitutiva omnia eorum conceptuum: ergo etiamsi loquamur de bonitate purè physica, & transcendentali, non semper Bonum ex integra causa. Probatur antecedens. Nihil possibile poscit existere ullam chymæram: at bonitas transcendentalis eorum conceptuum est possibilis, quippe quæ identificatur cum conceptibus ipsis: simultas verò constitutivorum est chymæra; quoniam illa sunt essentialiter successiva, nequeuntiaque simul existere: ergo bonitas transcendentalis eorum conceptuum non poscit, existere, simul absolute, & simpliciter constitutiva illorum. Idem continget disunctionibus objectivis, si forte darentur, quia ipsarum bonitas transcendentalis non peteret integratatem, aut similitatem extremonum disunctionis, siquidem uno solo contenta esset. Quo circa hoc proloquium intelligendum est de bono permanente, non de successivo: vel si de hoc quoque intelligatur, debet esse consonè naturæ hujus bonitatis: v. g. bonitas transcendentalis prioritatis memorata est ex integra causa, non simul, sed seorsim existente. Hinc transcendentalis bonitas justificationis ut talis, puræ possibilitatis, temporis, futuritionis, præteritionis, distantiarum, & multarum aliarum id generis rerum, non est, pressè loquendo, ex integra causa: quinimmo si integra adesset causa, seu constitutiva omnia earum rerum, exularet earumdem transcendentalis bonitas, quippe essent impossibles. Similiter complexa illa, quæ intrinsecè claudunt aliquid negativum ( v. g. libertas indifferentia, quæ constitui-  
tur per carentiam omnis antecedentis necessitatis, ac impossibilitatis )

tis non sunt bona transcendentaliter *ex integra causa absolutè*, & *simpliciter existente*, quia negationes non sunt capaces hujusmodi existentiae.

84. Si secundum, hoc est, si de bonitate pura absoluta, omnisque experte imperfectionis sermocinemur; censeo tale bonum debere esse *ex integra causa absolutè*, & absque limitatione; malum verò relativè oppositum huic bono, tale esse ex quocumque defectu. Probo primam partem. Omne, quod habuerit cuncta constitutiva bonitatis cùm positiva, tum negativa, nullo dempto, est bonum *ex integra causa*: quoniam Dyonisiana hæc phrasis nil aliud significat, quām integratatem, sive præsentiam omnium omnino constitutivorum bonitatis: at bonum absolutum, purum, expersque omnis imperfectionis, necessariò atque indispensabiliter debet habere omnia omnino constitutiva bonitatis cùm positiva, tūm negativa: eo quod si vel unum tantùm deficiat, tale bonum particeps esset alicuius imperfectionis aut positivæ, aut negativæ: ergo si sermo fuerit de bono ejusmodi, oportet, illud esse *ex integra causa sine limitatione* ulla. In hoc sensu solus Deus est bonus; in eo enim solo deprehendimus cuncta constitutiva bonitatis nullo dempto: bonitas autem creaturarum imperfectionibus redundat. Et hinc constat secunda pars: nam eo ipso, quod deficiat aliquod bonitatis constitutivum, res non est bona bonitate pura, & absoluta: ergo datur malum relativè oppositum illi bono.

85. Denique si tertium, hoc est, si sermo sit de bonitate morali; non semper subsistit, quod bonum sit *ex integra causa bona*: neque quod malum sit *ex quovis defectu boni*. Probatur. Conversio ab statu peccati ad statum gratiæ constituitur per aliquid malum, videlicet per peccatum ipsum, quoniam omnis conversio, atque mutatio constituitur per terminum à quo: atqui justificatio est, juxta Concilium Tridentinum, conversio ab statu peccati in statum gratiæ: ergo justificatio ut talis *intrinsicè* constituitur per aliquid malum, tamquam per terminum à quo: sicut ens naturale in fieri constituitur per privationem formæ de novo advenientis: idem dico de oppositione legis prædicamentaliter sumpta: hæc namque consistit formaliter, & immediatè in lege, & transgressione ipsa: juxta Disp. 4. Logica cap. de Relatione, quæ quidem transgressio est mala moraliter. Similiter resistantia generosa adversus gravissimam tentationem est moraliter bona: & tamen constituitur (non dico actum resistantem, sed resistantiam ipsam) per temptationem, quæ est moraliter mala.

mala : hæc namque resistentia consistit formaliter in eo , quod tentatio impellat in furtum , & tu manus cohibeas à furto ; ergo fieri potest , ut aliquid moraliter bonum intrinsecè constituatur per aliquid moraliter malum : quemadmodum fieri etiam potest , ut aliquid moraliter malum constituatur per aliud moraliter bonum ; sic malitia formalis peccati , utpotè passim libera , intrinsecè constituitur per libertatem activam , cuius aliquod constitutivum est auxilium supernaturale , divinaque omnipotentia infinitè bona , & sancta ; ergo . Et ratio est . Tùm quia necesse non est , convenire constituto omnia , & singula prædicata , etiam imperfecta , quæ convenientiunt alicui constitutivo , ut exemplis cuique perviis constat ; ergo necesse non est , constitutum esse moraliter malum , tametsi aliquod constitutivum moraliter bonum sit . Tùm quia constituto dicenti unam partem in recto , & alterum in obliquo , illud dumtaxat prædicatum necessariò convenit , quod recto convenerit : sic album potest esse homo ; nam licet hoc prædicatum repugnet albedini , quæ importatur in obliquo , convenire potest subjecto , quod significatur in recto per illud concretum ; atqui fieri potest , ut rectum alicujus denominationis sit moraliter bonum , etiam si obliquum sit moraliter malum : & vicissim , quod rectum sit moraliter malum , etiam si obliquum sit moraliter bonum ; ergo fieri potest , ut denominatio sit moraliter bona , tametsi unum ejusdem constitutivum sit moraliter malum ; & quod sit moraliter mala , tametsi unum ejusdem constitutivum sit moraliter bonum ; ergo loquendo de bono , & malo in genere moris , non est universaliter verum : *Bonum esse ex integra causa bona , & malum ex quocumque defectu . Non nego propter hoc requiri ad bonitatem etiam moralem integratatem , seu concursum omnium suorum constitutivarum , sicut ad integratatem cujusvis aliis rei ; & ad malitiam purè contradictoriè oppositam huic bonitati sufficere defectum cujuslibet constitutivi .*



## C A P U T N O N U M .

*An, & qua ratione propter quod unumquodque tale,  
illud magis?*

86.  Radidit aperte hoc Axioma Philosophus inquiens: 1. *Pof.c.2.*  
*Necesse est, non solum præcognoscere prima, aut 13.* *P. Tur-*  
*omnia, aut quedam; sed magis. Semper enim pro- rias disp.*  
*ppter quod est unumquodque, illud magis est: ut 6. de Fide*  
*propter quod amamus, illud amicum magis. Ast di- dub 1.*

visi sunt Authores. Alii aut supponunt, aut aperte innuunt hoc *P. Carle-*  
*adagium: ita PP. Turrianus, Carleton, Ripalda, & aliquando 12. de Fide*  
*P. Suarez. Alii accipiunt Proloquium de sola causa finali, eo quod 9.*  
*voluntas appetens medium propter finem, ardentiū optet hunc, 13.* *P. Ripal-*  
*quam illud: ita PP. Hurtado, Oviedo, & Maurus: sed advertit da disp. 11*  
*P. Suarez, id intelligendum esse de fine ultimo, non verò de fine 3. n. 35*  
*non ultimo; quoniam cùm res perfectior possit ordinari ad minus 13.* *G. disp.*  
*perfectam, non sistendo in hac: inde est, quod non semper diligi- 4. n. 34*  
*tur plus finis, quam media, cùm in prædicto casu plus diligatur 6. de*  
*res ea perfectior, quæ vicem medii agit. Alii distinguentes inter Fide jett.*  
*conclusionem per se pendentem à præmissis determinatis, & con- 4. n. 6.*  
*clusionem vel per se notam, vel aliunde scibilem; concedunt in- 11.* *P. Hurtad-*  
*tellectum magis assentiri præmissis, quam illi conclusioni; non do disp. 11*  
*tamen assentiri semper magis præmissis, quam secundæ huic con- Log. n. 46.*  
*clusioni: ita Eminentissimus De Lugo, cui tacite subscribit quoque 10.* *P. Oviedo*  
*P. Ripalda.* *Logica p.*  
*3. n. 15.*

87. Alii planè inficiantur hoc Axioma, quando sermo institui- *P. Mau-*  
*tur de conclusione, quæ sit actus Fidei: ita P. Arriaga inquiens, rus in 1.*  
*quod si sermocinemur de certitudine intrinseca, æqualiter illa repe. Part. cap.*  
*ritur in conclusione, atque præmissis, siquidem tam hæc, quam illæ 2. n. 13.* *P. Suarez*  
*conceduntur intimè cum suis objectis; sin verò de certitudine adhæ- 26mc-*  
*nionis, etiam est utrobius æqualis: quoniam ejusmodi certitudo tapb. sett.*  
*non nascitur ex modo tendendi actus Fidei utpote obscuro; sed ex 1. n. 12.*  
*imperio prudente, atque efficaci voluntatis: atqui imperium æquè 13.* *P. Lugo*  
*imperat conclusionem, atque præmissas, ait ille: ergo. Alii ajunt disp. 7 de*  
*Proloquium esse verum universaliter, extendendumque ad causas 2. n. 12.* *P. Ripal-*  
*efficientem, formalem intrinsecam, & extrinsecam, materialem, fi- da disp. 13*  
*nalem, atque exemplarem, non modò quia causa perfectius parti- de Fide n.*

*P. Ariag.* ceps sit perfectionis illius, quām communicat effectui, ut vult Pa-  
*disp. 15. de* ter Suarez citatus à P. Rhodes; verū etiam quia causa ipsa majo-  
*Fide sibi.* rem, atque intensiorem habet perfectionem: ita PP. Albertinus,  
*s. n. 32.* Rhodes, & Penāfiel. Sed tres apponit Rhodes conditiones. Prima.  
*P. Albert.* Modò perfectio, in qua comparantur causa, & effectus, capax sit  
*tinus in 6.* intensionis, & extensiouis. Secunda. Modò perfectio illa conveniat  
*Pirncip.* cause, & effectui. Tertia. Modò perfectio illa conveniat causę per  
*P. Rhodes* se primò, effectui autem non aliunde conveniat, quām per talem  
*lib. 1 Pbi-* causam. Alii præmissa distinctione inter causam efficientem, & fi-  
*los. disp. 5.* nalem, inquiunt, axioma esse verum primò, si procedat de causa  
*sibi 6.* efficiente, atque de excessu in genere physico: secundò, si proce-  
*tom. 1. di-* procedat de causa finali, & excessu in genere moris; falsum autem  
*spus. 8q. 5.* esse, si procedat de causa efficiente, & excessu in genere moris.

88. Conveniunt Doctores, terminos illos propter quod signifi-  
 care influxum causæ; cùmque causa sit multiplex, ut omnes no-  
 runt, multos sensus habere potest hoc Proloquium. Censeo illud,  
 si universaliter sumatur, esse falsum tam in causa efficiente physica,  
 quām efficiente morali, formalis intrinseca, formalis extrinseca, ma-  
 teriali, & formalis: esse autem verum quibusdam adhibitis limita-  
 tionibus. Probo deficere illud in causa efficiente physica. Eo ipso,  
 quod aliquid, propter quod in genere causæ efficientis physice, aliud  
 est tale, non sit magis tale, falsum est hoc proloquium universalē  
 in causa efficiente physica: sed aliquid, propter quod in genere ef-  
 ficiente aliud est tale, non est magis tale. Probatur: eo ipso, quod  
 illud aliquid sit per se ab intrinseco incapax suscipiendi magis, &  
 minus, illud aliquid non est magis tale: nam quod non fuerit tale,  
 nequit esse magis tale: item si ea talitas, consistat in indivisibili,  
 similiter nequit esse magis: at fieri potest, ut aliquid, propter quod  
 in genere efficiente, aliud est tale, sit per se ab intrinseco incapax  
 illius talitatis: item ut ea talitas sit incapax suscipiendi magis, &  
 minus. Probatur. Deus est id, propter quod in genere efficiente  
 physico Petrus est homo; quoniam est causa efficientis physica hujus  
 humanitatis: & tamen Deus per se ab intrinseco est incapax, ut per  
 realem identitatem cum natura sit homo: item Pater Petri est id,  
 propter quod in genere efficiente physico Petrus est homo: & ta-  
 men humanitas, utpote substantia est incapax suscipiendi magis, &  
 minus: ergo fieri potest, ut id, propter quod in genere efficiente  
 physico aliquid est tale, non sit magis tale.

89. Fatiscit quoque Axioma hoc in causa efficiente morali: Sic  
 Magi.

## *Propter quod unumquodque tale.* 67

Magister, qui est causa efficiens litteraturæ discipuli, & propter quem discipulus scit, non est necessariò, & semper magis sapiens, quam discipulus, ut experientia aliquando constat, quin hoc contradicat Evangelio, ut etiam constat. Sic Superior, qui negligentiā suā est causa moralis sceleris, quod turpissimè patravit subditus, non est necessariò major peccator quam subditus: quandoquidem hic potest crimen suo virtutem theologicam violare, proindeque esse major peccator actualis, quam Superior: Et ratio est. Eo ipso, quod talitas non conveniat effectui unicè propter illam causam moralē, necesse non est eam talitatem magis convenire causam moralē, quam effectui: sed fieri potest, quod talitas non conveniat effectui unicè propter illam causam moralē, ut constat utroque exemplo productō: ergo necesse non est talitatem magis convenire causam moralē, quam effectui. Deficit insuper Axioma in causa remota, & quasi indirecta. Quoniam fieri potest, ut illi neque conveniat, neque convenire possit ea talitas: quoniam obrem licet effectus sit talis propter ipsam, ipsa non est magis talis: sic homo est ebrius propter viuum iu eo genere causæ: vinum namque vapores, & halitus vibrans in cerebrum, inducit temulentiam, quasi remotè, & indirecte: & tamen vinum non est magis ebrium formaliter in se ipso; cum incapax sit, ut inebretur: ergo.

go. Deficit præterea in causa formalis intrinseca, & extrinseca; nempe quia fieri potest, ut ambabus desit talitas illa: ergo licet effectus sit talis propter illas in genere causæ formalis; illæ nihilominus non sunt magis tales: sic homo est justus, amicus Dei, dignus gloriæ propter gratiam in genere causæ formalis intrinsecæ, & tamen gratia sanctificans, utpote rationis impos, capax non est subeundi has denominationes. Similiter objectum est signatè, objectivèque visum materialiter propter visionem materialem in genere causæ formalis extrinsecæ, & signatè, objectivèque odio habitum propter odium in genere causæ formalis extrinsecæ: & tamen neque visio ipsa materialis est magis materialiter visa, neque odium ipsum est magis odio habitum: ergo. Deficit quoque Proloquium hoc universale in cause materiali; nam etiam fieri potest, ut huic deficiat talitas illa, quæ propter ipsam convenit effectui, proindeque ipsa non erit magis talis: sic formaeducta de potentia materiæ denominatur corruptibilis propter materiam in genere causæ materialis; quia ideo in hoc genere causæ forma equina v. g. est corruptibilis, quia in esse, & conservari dependet à materia, & nihilominus ma-

teria non est magis corruptibilis, cùm potius sit absolutè & simpliciter incorruptibilis: ergo. Deficit quoque in causa finali, cuius singillatim meminisse videtur Philosophus: nam media sunt voluntate signatae, & expressè propter finem, & non tantum incomplexè amata; & eamen licet aliquando voluntas magis amet incomplexè finem, quām media, non semper vult magis finem quām media; quia contingere potest ut finis sit antecedenter necessarius quoad existentiam; rei autem simpliciter antecedenter necessariae nequimus prudenter habere volitionem: desiderium namque, volitio, p. q. 20. 4r. consultatio, & alia id generis sunt circa contingentia, ut constat ex 1. corp. 1. 2. q. 25. Divo Thoma, efficaciterque convincit Pater Montoya, & Pater Ju- ar. 2. corp. nius. Sic universa propter seme*tipsum operatus est Dominus* in genere C. Q. 26. causæ finalis; ipse namque est ultimus finis rerum omnium, & ta- P. Montoya. men, quamquam se ipsum infinitè diligat, non tamen vult se ipsum, ya disp. 51. esset enim aperta stultitia ejusmodi volitio. Quin neque amore sim- de voluntati. plici, & incomplexo magis intenso fertur semper voluntas in finem, num 6. quām in media: nam quæ ostenditur contradic̄tio in eo, quod uno, P. Junius. scilicet 7. de eodemque impetu, ac fervore complectatur finem, atque media? Prov. c. 8. Deficit demum in causa motiva intellectualiter: quia ut constat ex Pro. 11. supra dictis, fieri potest, ut intellectus magis assentiatur conclusio- ni, quām præmissis, eo quod conclusio absolutè & simpliciter sit magis certa, aut necessaria, aut evidens, quām aliqua ex præmissis.

P. Suarez 91. Hinc obviam itur doctrinæ supra attackæ Patris Suarez, scilicet subsistere semper esse magis tale illud, propter quod unum- quaque est tale, quia causa perfectiori modo, & à se participas illam perfectionem, quam communicat effectui: Respondetur in- quam. Tùm quia fieri potest, ut causa non habeat in se formaliter illam perfectionem, proindeque non sit magis talis, sed sit aliud longe diversum continens eminenter illud tale, ut continet Deus ignem, ac reliquias causas secundas, & contingit causis æquivocis. Tùm quia fieri potest, ut talis causa non sit capax suscipiendi magis, & minus ergo etiam si causa sit talis, non erit magis talis. Tùm quia fieri potest, ut effectus gaudeat ea talitate non unicè, & primariò propter eam causam. Tùm quia, loquendo de plerisque causis ejusdem speciei, per accidens se habet quod ignis A. v. g. perfectionem impertiatur hic & nunc igni B., & non è converso, oppositum namque evenire potuit: sicut etiam, quod esset filius Joannis ille idem, qui modò est pater illius. Potiori jure refutatur eisdem ratio- nibus doctrina Patrum Albertini, atque Penafiel, <sup>Albert.</sup> <sub>sapra.</sub>

92. Ig-

## *Propter quod unumquodque tale.* 69

92. Igitur ut præsumptum Axioma firmum sit, atque universale; opus est illi adjungere eas conditiones, quas supra tetigimus cum Cardinali de Lugo, & P. Rhodes. Prima est; modò illud, propter *quod unumquodque tale*, capax sit illius talitatis. 2. Modò ea talitas *De Lugo* capax sit augmenti, atque decrementi. 3. Modò illa conveniat per *P. Rhodes* se primò causæ. 4. Modò unicè conveniat effectui propter illam *supra*. causam. 5. Modò non consistat formaliter, & immediate in exercitio immediate libero; quoniam si in hoc consistat, potest voluntas amare, vel odiisse magis aut minus unum, quam aliud, prout maluerit, quoniam non solum fruatur libertate ad hos affectus quoad substantiam; verum etiam quoad modum majoris, aut minoris intentionis, durationis &c. His appositis limitationibus firmum est dictum Principium; quia omnes rationes, quibus illud carpimus, fundantur in defectu alicujus ex his conditionibus.

## C A P U T DECIMUM.

*An, & qua ratione ab actu ad potentiam valeat  
benè consequentia?*

93.  Rincipium in omni schola satis notum: & merito quidem, nam quod nullà verâ potentia existere potest, non existit; alias existeret chymæra, tametsi nullà potentia existere possit; ergo omne, quod existit, aliquâ potentia existere potest, & similiter de ceteris actibus comparatis cum potentiis ceteris; ergo ab actu ad potentiam benè valeat consequentia. Explicatione nihilominus opus erit, ne aliqui abutantur hoc principio. Actus potest esse logicus, vel physicus; logicus est, qui non distinguitur realiter, sed ratione dumtaxat à potentia; physicus, qui realiter distinguitur. Præterea actus physicus potest esse positivus, ut legere, loqui &c. vel negativus, ut deficere à rebus. Potentia potest esse logica, vel physica: Physica potest esse essentialis, vel accidentalis subjecto. Utraque vel proxima, vel remota. Utraque vel determinata, vel vaga. Utraque denum vel actu existens, vel quidditativer solum conveniens subjecto.

94. Dico igitur: hoc principium est verum. 1. Si significet actu logicum, & potentiam logicam. Nam quoties uniuscū identificatur realiter, & formaliter cum alio, ex illo uno benè arguitur

guitur ad hoc aliud ; at actus logicus realiter , & formaliter identificatur cum potentia logica , v. g. hoc quod est duo actu identificari , cum hoc quod est , illa duo posse identificari ; ergo ab actu logico benè arguitur ad potentiam logicam . Probo minorem . Unum identificari realiter , & formaliter ratione nostra cum alio . stat in eo , quod ex propriis terminis , propriaque expressione ostendat intellectui , rationis compoti identitatem sui cum illo alio ; at hoc , quod est duo invicem identificari ex propriis terminis , propriaque expressione ostendit intellectui rationis compoti , identitatem sui cum hoc , quod est illa duo posse identificari ; ergo . Major constabit ex dicendis suo loco , & tu minorem non negabis . Porro cùm identitas per rationem non sit reciproca , ut statuimus cap. 5. , stat benè , actum logicum identificari formaliter per rationem cum potentia logica , & tamen hanc distingui ab illo per rationem : quo manet locus ut sit potentia logica . Est item verum 2. si significet actum physicum , & aliquam potentiam physicam in subiecto exigente talem actum . Probatur . Quoties subiectum nullam prouersus habuerit potentiam , ejus actus exercendi , eum non exercet ; ergo quoties eum exercerit , aliquam habet potentiam physicam ejus exercendi .

P. Izq. 95. Ceterum est falsum : primò , si significet , potentiam proxima <sup>disput. 7. mām.</sup> contra P. Izquierdo . Eo namque ipso , quod subiectum <sup>Pbar. q. 9.</sup> exercere possit actum , quin sit proximè potens illum exercere , non arguitur metaphysicè ab actu ad potentiam proximam ; sed potest . Probatur . Potentia proxima constituitur per omnes conditiones prærequisitas ad operandum ; ergo eo ipso , quod subiectum possit actu operari , deficiente una ex eis conditionibus , potest actum exercere , quin sit proximè potens illum exercere ; at potest actu operari deficiente una conditione naturaliter prærequisita : Tùm quis cognitio est naturaliter prærequisita ad amorem , & tamen Doctores haud quaquam spernendi , censem , posse fieri de potentia absoluta , ut voluntas feratur in incognitum . Tùm quia , ut verius reor , approximatio agentis , & passi , est conditio prærequisita , ut agens operetur in passo ; & tamen potest facere Deus , ut agens operetur in passo valde distante . Tùm quia cùm Deus possit connexiones purè naturales infringere , non est , cur nequeat facere , ut agens actu operetur deficiente aliquo prærequisito purè naturaliter exacto ad operandum ; sed deficiente prærequisito eo , deficit potentia proxima naturalis ; quandoquidem hæc potentia , ut distincta à remota claudit intrinsecè omnia naturaliter prærequisita ad operandum :

dum : ergo . Est itidem falsum , si significet potentiam determinatam , ut benè advertit idem Author ; quoniam actualitas actus sçpè non poscit hanc determinatam potentiam , à qua egreditur , sed contenta est aliqua , hac , vel illa . Ob hanc rationem mala est hæc consequentia . *Existit ignis B.* , ergo existit potentia ignis A. productiva illius ; nimisùm , quia ignis B. dumtaxat prærequisit aliquam potentiam sui productivam , non verò hanc determinatam . Imò etiam si actus proponatur in concreto , ut derivatus ab hoc subjecto , & non præcisè in abstracto . Nam supposita distinctione potentie intellective ab anima , non est cur anima Petri potius connectatur metaphysicè cum hac individua potentia intellectiva , quam cum illa : ergo ex eo , quod anima hæc intelligat , non infertur metaphysicè , hanc animam fungi potius hac , quam illa potentia intellectivâ .

96. Falsum est 3. Si significet actualē existentiam potentie . Alioquin hæc esset bona consequētia . *Hoc objectum actū cognoscitur; ergo absolutè ac simpliciter existit in eo potentia , ut cognoscatur :* quæ sād mala est , quippe hæc potentia , sēd capacitas passiva , ut cognoscatur , nō aliud est , quam objectum ipsum ; ergo si ex eo , quod actū cognoscatur legitimè arguitur , existere absolutè illam potentiam ; argueretur quoque existere absolutè tale objectum ; quod falsum est ; quandoquidē intellectus , saltem divinitus agnoscere potest res non existentes absolutè , & simpliciter . Ne tamen confundas hic duas consequentias ; una est , quam modò exhibui , quam malam censeo ; altera hæc . *Hoc objectum cognoscitur ; ergo potest cognosci ; quæ bona est .* Discriben autem stat in eo , quod consequens illius primæ absolutam existentiam enunciāt potentia in objecto , ut cognoscatur ; cūmque objectum per solam suam essentiam capax sit , ut cognoscatur , idcirco præfatum consequens enunciāt absolutam existentiam essentia illius objecti ; at fieri potest , ut talis essentia non existat ; ergo fieri potest , ut tali consequens falsum sit : at verò consequens secundæ consequentiae præscindit ab actuāl existentia potentie in objecto , ut cognoscatur ; ergo potest esse verum . Jam ratio à priori est . Quoties actus non connectatur metaphysicè cum potentia , male arguitur ab actu ad existentiam potentie ; sed aliquando actus non connectatur metaphysicè cum potentia ; argo aliquanda arguitur male ab actu ad existentiam potentie . Probo minorem . Rem actū agnoscī , est aliquis actus ; rem insuper posse per se ab intrinseco cognosci est aliqua potentia ; sed rem actū cognoscī non connectitur metaphysicè cum existentia hujus , quod est posse per se ab intrinseco cognosci ; cūm rēs

non existentes cognoscantur actū à Deo aliqua specie cognitionis , quin existat absolute , ac simpliciter hoc , quod est , posse res illas per se ab intrinseco cognosci ; ergo aliquando actus non connectitur metaphysicè cum potentia .

97. 4. Si præsumptum Principium significet potentiam in subjecto distincto ab eo , quod exerceatur per actum , interdum est verum , interdum est falsum . Quoniam vel potentia subjecti se exercentis per actum est intimè connexa cum illa alia potentia illius aliis subjecti , sicut potentia operativa , qua fructus creatura , est connexa cum potentia Divina , ) vel non ? Si primum ; ex actu non tantum arguitur potentia in subjecto se exerceente per illum ; verum etiam potentia in illo alio subjecto : quia omne metaphysicè connexum cum fundamento metaphysicè connexo cum termino est metaphysicè connexum (sive mediatae , sive immediate , nam ad rem præsentem parum refert utro modo sit connexio ) cum eo termino , prout suo loco ostendemus : ergo si actus est metaphysicè connexus cum potentia in subjecto se exerceente per eum , & hæc potentia est metaphysicè connexa cum potentia in alio distincto subjecto , necesse est , actum esse quoque metaphysicè connexum cum potentia in hoc alio subjecto : ergo ex actu non modò arguitur potentia in subjecto se exerceente ; verum etiam in alio subjecto . Si secundum ; male arguitur ex actu ad potentiam in illo alio subjecto ; nam actus per se immediate dumtaxat connectitur cum potentia illa , cuius est exercitium ; mediata autem cum illis , quibuscum hæc potentia metaphysicè connectitur : ergo si actus neque sit exercitium potentia aliis subjecti ; neque potentia , cuius est exercitium , sit connexa cum hac potentia aliis subjecti , non est cur connexus sit cum hac potentia : ergo ex illo per personam arguetur ad hanc .

98. 5. Prædictum Principium est falsum , si significet , ab actu ad potentiam benè argui negative . Nam quamquam bona sit hæc consequentia : Rides : ergo potest ridere ; hæc est mala : Non ridet : ergo non potest ridere : solum igitur ab actu ad potentiam benè arguitur positivè , sed affirmativè . Est præterea falsum , si significet ab actu ita argui ad potentiam , ut à negatione hujus arguantur etiam semper negatio illius . Etenim quando actus fuerit , actus negativus deficiendi , potentiaque essentialis subjecto , ut est essentialis omnis subjecto contingentia potentia deficiendi , tunc licet ex eo , quod subjectum illud deficiat , benè inferatur , posse deficere ; attamen ex eo , quod sit antecedenter impotens deficere , non arguitur illud non deficere .

ficere in actu secundo; sed potius, illud in actu secundo deficere. Quo circa loquendo de subjecto contingente, hæc est mala consequentia: *Subjectum hoc non potest antecedenter deficere: ergo non deficit:* ex eo enim antecedente infertur potius, subjectum illud deficere. Ratio est, ex eo quod subjecto deficiat aliquod prædicatum illi essentiale, infertur tale subjectum non existere in rebus: quoniam impossibile est, rem existere absque sua essentia: sed potentia antecedens deficiendi est essentialis cuilibet subjecto contingenti: ergo ex eo, quod tali subjecto deficiat ejusmodi potentia, infertur, tale subjectum non existere: ergo loquendo de subjecto contingente bona est hæc consequentia: *Subjectum hoc non potest deficere: ergo actu deficit,* & hæc mala: *non potest deficere;* ergo non deficit. Quod si de subjecto necessariò antecedenter quoad existentiam sermo sit, oppositum dico; si de subjecto, præscindendo à contingentia, & necessitate, distinguere oportet, concedendumque de subjecto contingente, & negandum de necessario: cujus disparitas constat satis: quoniam subjecto necessario non est essentialis, sed repugnans potentia deficiendi: ergo ex eo, quod illi desit hæc potentia, non est cur arguatur illud deficere: ceterum subjecto contingenti sumimè intima, atque essentialis est potentia deficiendi; ergo ex eo, quod illi desit, legitimè convincitur subiectum illud deficere.

99. Solvitur hac doctrina importunum quoddam sophisma, quod ingeniosi RR. commenti fuerunt, probaturi Petrum non esse per suam essentiam defectibilem, seu non connecti cum possibilitate, suæ carentiæ. Instructur sic. Si Petrus connecteretur essentialiter cum possibilitate suæ carentiæ deficeret ille eo ipso, quod sua carentia esset impossibilis: ergo esset bona hæc consequentia. *Carentia Petri est impossibilis antecedenter: ergo Petrus deficit;* sed carentiam Petri esse antecedenter impossibilem, est Petrum nullam habere potentiam, ut deficiat: ergo etiam esset bona hæc consequentia: *Petrus non potest deficere: ergo deficit;* sed hæc est mala consequentia; si quidem à negatione potentiarum argui nequit ad actum: nam cum ab actu arguatur ad potentiam, necesse est, quod à defectu potentiarum arguatur ad defectum actus juxta principium dialecticum, *Ab opposito consequitur ad oppositum antecedenter: ergo.* Distinguo hoc ultimum. Arguitur ad defectum actus positivi concedo: actus negativi deficiendi sub distinguo à defectu potentiarum non essentialis subjecto; concedo: à defectu potentiarum subjecto essentialis; nego. Nam cum potentia est subjecto essentialis ex defectu hujus non arguitur defectus,

etius, sè carentia actus qualiscunque deficiendi; sed potius actus ipse deficiendi; cumque potentia deficiendi sit Petro essentialis, propterea ex defectu illius potentia arguitur ipse qualiscunque actus deficiendi.

## C A P U T X I.

*Tria alia Axiomata Dialecticorum expedientur.*

4 de Part. 100.  
animal. c.  
2.



Rimum est. *Natura abhorret superfluum: cui con-*  
*tinunt. Non sunt multiplicanda entitates, aut*  
*perfectiones sine necessitate: item; Frustra fiunt per*  
*plura, quæ posunt fieri per pauciora: quibus om-*  
*nibus fundamentum præbuit Philosophus, dum*

revocans in memoriam lectoris principia philosophica, dixit. *Illorum*  
*autem unum est, Naturam nihil frustra facere. Natura trifariam accipi*  
*poteat. 1. Pro solo Deo, qui ab Augustino vocatur Natura creatrix:*  
*non enim est in rebus Natura aliqua Platonica universalis, à qua res*  
*naturales dimanent, quia à solo Deo tandem, tandem procreantur.*  
*2. Pro complexo resultante ex omnibus entibus naturalibus prout*  
*condistinetis ab ente supernaturali; ubi comprehendimus non modò*  
*compositum ex materia, & forma substantialibus; verùm etiam*  
*cæterarum turbam entitatum, sive substantiales illæ fuerint, sive*  
*accidentales, sive completæ, sive incompletæ. 3. Pro genio, con-*  
*ditione, proprietatibusque uniuscujusque rei naturalis præscindendo*  
*ab aliis. Præterea illa vox abhorret intelligi potest, tum positivè pro*  
*ingenita inclinatione in carentiam rei superfluæ, tum negativè, seu*  
*merè præcisivè pro carentia appetitus innati circa rem superfluam.*  
*Demum superfluitas est in duplice differentia; una quippe est abso-*  
*luta, & quasi universalis, illa nimicum res, quæ neque ex vi ullius*  
*determinationis naturalis, neque ex determinatione ulla ullius agen-*  
*tis liberi necessaria est: altera est respectiva, & particularis, videli-*  
*cet res illa, quæ uno, vel unis tantum capitibus inspecta ad nil est*  
*necessaria. Hæc insuper respectiva superfluitas potest esse duplex,*  
*una consistens in eo, quod res, de qua fuerit sermo, non terminet*  
*exigentiam aliquam rei naturalis (v.g. te per integrum quadrantem*  
*sic dicere Petrus, Petrus, Petrus: hoc sane nulla causa naturalis*  
*exigit, at potest esse necessarium ex suppositione, quod hoc stulto*  
*modo exercere velis tuam libertatem, vel ex suppositione regularum*  
*musica-*

musicarum, vel quod aliis tibi hoc præcipiat) altera consistens in eo quod nullius agentis liberi sit determinatio mediata, aut immediata: cum enim vox hæc, *superfluum*, *frustra*, connotet carentiam necessitatis, seu requisitionis, tot modis potest dici res superflua, seu frustra, quot modi fuerint requisitionis.

101. Jam conclusio nostra sit. Hoc Proloquium, *Natura abhorret superfluum*; Verum est loquendo de creatrice Natura, quæ est Deus, & de superfluo absolute. Probatur. Naturam creatricem abhorre superfluum absolute, consistit in eo, quod Deus, aut habeat puram omissionem efficacis volitionis rei undeque superflua, aut habeat positivam nolitionem efficacem illius; sed hoc ita contingit. Probatur. Nihil existit in rebus, quod undeque sit superfluum: ergo vel habet Deus nolitionem efficacem illius, vel saltem puram omissionem efficacis Volitionis ad illud terminatæ. Consequentia est legitima; si enim Deus neque haberet nolitionem, neque omissionem præfatas, haberet volitionem efficacem illius rei, subindeque res illa existeret: ergo si non existit, concluditur, Deum neutrum ex illis duobus habere exercitiis. Probo antecedens. Nihil existens, vel ex vi alicujus agentis naturalis, vel ex determinatione alicujus agentis liberi, est undeque superfluum, juxta explicationem nuper datam hujus absolutæ, & universalis superfluitatis; sed omne existens in rebus existit, vel ex vi alicujus agentis naturalis, vel ex determinatione alicujus agentis liberi: nam si est opus naturale, existit ex vi alicujus agentis naturalis; sin autem liberum, determinatur, vel ab arbitrio divino, vel à creato: ergo nihil existens in rebus est undeque superfluum. Dices: ergo si idem effectus produceretur gemina actione totali, & adæquata, altera ex illis non esset absolute, & undeque superflua, quandoquidem ab arbitrio divino determinaretur. Concedo consequentiam: esset nihilominus altera ex illis actionibus miraculosa, non quoad substantiam, sed quoad modum, quatenus sola natura inspecta ad nihil desideraretur talis actio: & superfluitas inferens rem aliquam esse naturaliter impossibilem, est illa, quo consistit in eo, quod talis res neque titulo appetitus naturalis, neque titulo libertatis creatæ sit necessaria ad aliquid.

102. Est item verum, loquendo de unaquaque natura creata, & de aversione pure negativa circa rem superfluam tam absolute, quam respectivè, tam superfluam sibi, quam superfluam aliis. Probatur. Nulla natura creata habet ingenitam exigentiam circa rem eis modis

dis superfluam : alioquin res illa esset superflua , ut ponimus , & simul non esset superflua , sed necessaria ad explendum illam exigentiam : ergo loquendo de omni natura creata , & de aversione purè negativa circa rem eis modis superfluam , verum est , naturam abhorrere superfluum . Ceterum falsum esse putamus proloquium hoc . 1. Si procedat de natura creata elicite appetitiva , de aversioneque negativa à termino prædictis modis superfluo . Probatur . Eo ipso , quod homo v. g. multoties appetat elicite rem , quæ ab eo appetitu præscindendo , est superflua tam absolutè , quam respectivè , tam appetenti , quam aliis , falsum est proloquium dictum , si significet naturam quamlibet elicite appetitivam aversam esse negativè à termino prædictis modis superfluo : at constat experientia , hominem multoties appetere elicite rem , quæ ab eo appetitu præscindendo , est superflua , tam absolutè , quam respectivè , tam appetenti , quam aliis : ergo falsum est hoc proloquulum si significet , &c. Dices : appetitum eum fore stultum . Fateor : at sine miraculo existit in rebus , illoque posito , verificatur naturam elicite appetitivam strictè , ac rigorosè non abhorrere superfluum . Dices iterum : eum hominem judicaturum fore talem rem alias superflam esse hic , & nunc aliquatenus necessariam ; tametsi enim stultè appetat , est nihilominus rationalis , & propter aliquem finem saltem apparentem operari debet . Sit ita ; at semper subsistit , rem illam esse alias supervacaneam , & naturam appetitivam non abhorrere ab illa ; quod ad præsens assumptum sufficit . Præter quam quod generalis rationalitatis conceptus non reddit hominem immunem ab stoliditate : ergo quamquam rationalis , habere potest appetitum prorsus stultum .

103. Est falsum secundo ; si significet naturam sumptam pro qualibet entitate naturali , vel pro complexo ex omnibus causis naturalibus , abhorrere positivè superfluum , quatenus habeat appetitum ingenitum contra rem absolutè , ac undequaque superfluam inspectis omnibus causis creatis . Tum quia nulla efficax ratio suadet ejusmodi appetitus existentiam . Tum quia supervacaneum est materia primæ habere duplē formam , & corpori esse in duplo loco : & tamen neque materia prima habet positivam resistentiam simultati duplicitis formæ , neque idem corpus simultati duplicitis præsentiarum . Tum quia res rationales tantum abhorrent positivè ab illo , quod ipsas , vel ipsarum perfectiones , proprietatesque innatas destruere conatur (etenim appetitus , exigentia , aversioque translative

tivè prædicantur de rebus non cognoscitivis; re autem ipsa nihil aliud sunt, quām connexio physica, & naturalis cum aliquo termino: cūmque connexio id generis præcise sit cum termino, vel terminis necessariis directè, aut indirectè ad propriam conservationem, indè sit, quod res naturales solummodò appetant ea, quæ sic necessaria sunt, & solummodò abhorrent ab illis, quæ directè, aut indirectè evertere ipsam moliantur, vel ipsarum proprietates) ergo res naturales non abhorrent positivè ab illo, quod neque ipsas, neque ipsis ingenitas perfectiones destruere conatur: at fieri potest, ut res ablutè, & simpliciter superflua, v. g. secunda actio totalis productiva ignis B. neque directè, neque indirectè conetur destruere, aut complexum ex omnibus causis naturalibus, aut ullam aliam naturalem, aut alterutrius perfectionem ingenitam: quid enim hujus chartæ interest, quod ignis B. producatur, vel non producatur gemina actio? quid item complexo ex cunctis causis naturalibus refert, quod Deus faciat miraculum supra, non contra exigentiam rerum naturalium? Ergo falsum est, naturam, sive sumatur pro unaquaque re naturali, sive pro complexo ex omnibus abhorrende positivè illud, quod est superfluum attentis omnibus creatis causis.

104. Est falsum tertius, si significet naturam abhorrende adhuc negativè illud, quod respectivè tantum est superfluum. Probatur: Eo ipso, quod agens aliquod naturale innatè exigat id, quod respectivè tantum est superfluum, falso dicetur, naturam abhorrende negativè rem superfluam; sed hoc ita evenit. Probatur: ignis ad motus huic passo, innatè exigit producere in eo aliquem ignem; sed hic est superfluuus respectivè ad infinita alia agentia naturalia, quorum nihil refert absolutè, aut conditionatè, quod producatur, vel non producatur ignis in hoc passo, aut quod ignis admoti exigentia violetur: ergo. Est falsum quartus, si significet, naturam sumptam pro dicto complexo, abhorrente id, quod respectu omnium agentium purè naturalium, est superfluum. Probatur. Multæ concipiuntur pauci determinationes immediatè liberæ ab hominibus non cordatis absque ulla inclinatione prævia, sive voluntatis, sive intellectus (quia non raro volunt, præcise, quia volunt, quin ullam habeant cognitionem attrahentem, vel retrahentem, sed meas representationes objecti, quod volunt) atqui hujusmodi determinationes sunt superflue respectu omnium agentium purè naturalium, quandoquidem illis non egent ad suam conservationem, aut perfectionem: & deinde natura non abhorret illas, aversione, quæ

quæ sit in causa , ut illæ sint supernaturales , sed aversione quadam valde generali , qua omnis stultitia generaliter repellitur : ergo non semper abhorret natura aversione philosophica id , quod respectu omnium agentium purè naturalium est superfluum . Dixi purè naturalium . Fatuæ namque determinationes illæ liberæ , nequeunt absolute , & simpliciter dici superfluæ respectu illius libertatis , à qua determinantur immediate .

105. Atque hinc constat , quo sensu sit verum , & quo sensu sit falsum alterum axioma . *Frustra fiunt per plura , quæ possunt fieri per pauciora .* Est verum si omnibus , quæ pensari debent , pensatis , res *Phyf. ter.* illa possit fieri per pauciora : quod significanter advertit Philosophus cùm scripsit . *Ubicumque fieri potest , unum , quamplura esse poscit .* Atque ideo , licet ad videndum sufficiat unus oculus , & una auris ad audiendum ; attamen , neque alter oculus , neque auris , altera superfluunt , quoniam hominis decus majorque utilitas utrumque reposcit : & quamquam unus , vel alter Magister sufficeret ad discipulos docendos , multiplicantur tamen illi in universitatibus multis de causis .

106. Secundum est . *Frustra datur potentia , quæ non reducitur ad actum .* Insistit doctrinæ Philosophi sic ajentis . *Tamquam hoc sit frustra , quod natum est alterius gratiæ , cùm non perficiat illad , cujus gratiæ erat , natumque erat : & apponit exemplum . Quoniam si aliquis se lotum dicat frustra , quia non defecit sol , ridiculus utique erit .*

*Non enim erat hoc illius gratia . Sed clarius , famosam hanc tradidit De Calbo* maximam , ubi duos motus inter se conferens , inquit . Si autem text. 32. alter motus dominaretur , alter utique non esset . Quare si ambo essent frustra ; utique alterum esset corpus , non motum suo motu . *Frustra enim calceamentum hoc dicimus , cujus non est calceatio .* Deus autem , & natura nihil frustra faciunt . Jam potentia esse valet proxima , vel remota : item proxima potest esse libera , vel necessaria : rursus actus potest esse talis , ut ratione ipsius solius , tamquam finis existat potentia ; vel talis , ut non ratione ipsius solius existat potentia . Præterea sermo institui potest de actu eo quoad speciem , vel quoad individuum . Tandem quod potentia non educatur ad actum potest provenire , vel unicè ab extrinseco aliquo principio impediente tam actum ; vel etiam ab intrinseco ; & sic duobus modis , vel ab intrinseco ratione oppositionis cum actu illo , vel ab intrinseco ratione libertatis nolentis reduci unquam ad eum actum .

107. Dico igitur ea maxima est vera . Primo . In sensu , quo traditur à Philo-

Philosopho: nimirum, quando potentia erat *unicè* propter actum illum, ad quem non reducitur. Probatur. Quoties deficit unicus finis, cuius gratiā natum erat aliquid, superfluum est tale aliquid. Si quidem jam nihilo deservit; at quoties potentia non reducitur ad actum illum, cuius solius gratiā erat, deficit unicus finis, cuius gratiā data erat potentia: licet namque actus ille possit aliundē existere; attamen non existet tunc *ex vi*, & *influxu illius* potentiae, & actum sic existere est potentiae illius finis, v. g. Ignis applicatus stuprè non exigit hanc utcumque comburi; sed ab ipso, & per ipsum comburi, esset namque miraculum quod ipse ignis illam non combureret, sed Deus solus; quo circa ignis absque reflexione utique supra se, exigit determinatam illam actionem combustivam, qua physicè egreditur ab igne ipso: unde nos sumus, qui reflectimus supra ignem, rem explicaturi, non verò ipse ignis, supra se; ergo quoties potentia non reducitur ad actum illum, cuius solius gratiā erat, superflua est ea potentia. Secundò. Quamquam non sit nata potentia ratione illius actus solius, si verò numquam reducitur ad eum; vera est superior maxima in sensu *formali*, & *præcisivo*. Nam veram esse in hoc sensu, consistit in eo, quod illo solo attento actu, frustra detur potentia, quidquid sit de aliis inspectionibus; at si potentia numquam reducitur ad actum illum, verum est, quod *respetu illius*, & *in ordine ad illum*, frustra datur potentia, quidquid sit de aliis inspectionibus; ergo quamquam potentia nata non sit ratio ne illius actus solius, vera est illa maxima in sensu *formali*, & *præcisivo*.

108. Ceterum in sensu reali, & absoluto, est falsa. 1. Si sermo sit de potentia, quæ non erat ratione illius tantummodo actus, ad quem non reducitur. Probatur. Quoties potentia utilis esse valet ad aliquid, non datur frustra: at si non fuerit unicè propter actum illum, ad quem non reducitur, potest esse utilis ad aliquid (quia cùm alia multa sint in rerum natura præter actum eum, nulla ostenditur contradicatio in eo, quod potentia sit hīc, & nunc inutilis ad illum actum, & simul utilis ad alia multa: sic potentia discursiva non datur frustra in homine numquam syllogizante, nempe quia licet numquam exerceatur syllogismis, cùm non existat unicè propter hos, utilis perseverat ad alia) ergo si potentia non fuerit unicè propter actum illum, ad quem non reducitur, potest non esse frustra. Et confirmatur exemplo ipso, quod producit Philosophus. Est falsa. 2. Si sermo sit de actu quo ad individuum. Nam licet potentia

tentia locutiva Petri numquam reducatur ad actum individuum alloquendi Joannem, non datur frustra, quia exercetur per actus aliarum locutionum: & alias omnis potentia daretur frustra, quoniam nulla est potentia, quae aliquando exerceatur per omnes, & singulos actus suos.

109. Est falsa 3. Si sermo sit de potentia remota, & radicali; aut de illa, quae solidam ab extrinseco, vel ab intrinseco, sed ratione sua libertatis, impeditur, ne prodeat in actum. Quippe in homine ceco à nativitate potentia radicalis videndi numquam reducitur ad actum, ob extrinsecum impedimentum; & in capto prorsus mente remota potentia ratiocinandi numquam reducitur ad actum ob simile impedimentum; & in voluntate contumace potentia se convertendi numquam reduceretur ad actum, & quidem ab intrinseco ratione libertatis, quia omne voluntarium est à principio intrinseco: & nihilominus nulla ex his potentiis daretur frustra, eo frustaneitatis genere, quod reddit potentiam naturaliter impossibilem, cum potius necesse sit homines illos fungi illis potentiis, utpote propriis naturæ humanæ, cujus illi homines participes sunt: ergo. Est falsa 4. Si sermo sit de potentia obedientiali: sic quamquam materia prima nunquam duplice forma, aut duplice praesentia fungatur, non habet frustra potentiam obedientialem ad id: sic etiam quamquam homo numquam eliceret actum supernaturalem, & numquam reciperet supernaturale donum, non frustra, sed necessariò gaudet potentia obedientiali, tum activa, tum passiva rerum supernaturalium. Est falsa 5. Si sermo sit de potentia proxima libera: sic homo proxime liber ad odium, atque amorem Dei, tametsi numquam sceleratum conciperet odium, non haberet frustra potentiam prosequendi odio Divinam Majestatem.

110. Est falsa 6. De potentia, per se ab intrinseco repugnante actu, ut aliqui RR. philosophantur. Quia omnis repugnatio, vel est metaphysica, vel physica, vel moralis; ergo dum dicitis, hoc axioma intelligendum esse de potentia per se ab intrinseco repugnante actu; vel loquimini de repugnancia metaphysica, vel de physica, vel de morali? Si primum; ea potentia est chymærica: nam ita est potentia ad actum, ut simul sit antecedens impotentia etiam divinitus invincibilis, siquidem nec divinitus potest coexistere illi actu; ergo Axioma tantum erit verum de potentia chymærica. Si secundum, aut tertium; falsum est Axioma: quoniam juxta sententiam dicentium, animam rationalem esse per se ab intrinseco

trinsecō capacem ut producatur per educationem, non habet frustā potentiam, ut sic educatur; & tamen hæc potentia numquam reducit ad actum, & quidem ob physicam, & naturalem repugnantiam (cui Deus indulget) animi rationalis cum eo actu suoeductio- nis; ergo falsum est Axioma, si intelligatur de potentia physice re- pugnante actu. Idem potiore titulo dicendum de potentia, quæ moraliter dumtaxat opponitur cum suo actu.

111. Falsa est 7. de potentia logica: quia hæc neque realiter, neque virtualiter, neque formaliter ex natura rei distinguitur à suo actu; ergo dari hanc potentiam, & non reduci ad suum actum, seu hunc non existere, est omnino repugnans; ergo dicere, *Frustra datur potentia, quæ non reducitur ad actum*, loquendo de potentia logica, est implicatio in terminis: quod si propterea censueris, id datār non accipi strictè, ac per statum, sed merè conditio- natè; implicat similiter propositio: quoniam redderet hunc sensum, *Frustra existēret potentia logica, quæ si existēret, non reduceretur ad actum*: Potentia autem logica id generis, non frustra, sed chymæ- ricè existeret. Falsa est tandem loquendo de potentia, quæ merè negativè sit talis, præcipue si illam reduci ad actum, sit actu coe- xistere; quia nulla creatura habet frusta potentiam deficiendi à rebus, seu non repugnantiam, ut destruatur: & tamen hæc potentia numquam reducitur ad actum deficiendi, per coexistentiam sibi ipsius cum illo qualicumque actu; siquidem impossibilis est talis coexistentia, eo quod potentia dicta nil aliud sit, quam creatura ipsa, quæ profectò nequit coexistere suo defectui; ergo si potentiam reduci ad actum, importet coexistentiam potentie cum actu, falsum est, *frustra dari potentiam, quæ non reduceretur ad actum*.

112. Tertium adagium est: *Nemo dat quod non habet, quo abu- Monfort. pag. 176.*  
tebantur multi Episcopi Africani ad probandum, hereticos non posse sacramenta ministrare. Putabat Monfortius positionem hanc erutam fuisse ex Philosopho docente, idè cerebrum non esse prin-  
cipium sensationis, quia sensatione caret. Verum falli videtur Mon-  
fortius, quippe Aristotelis verba hæc sunt. *Nallam verd cum parti- Concil. Prim Car tagin. sub S. Cypri- bus, quæ vim obtinent sentiendi continuatatem babere (cerebrum) cum no-*  
*intuitu pateat, tum vel maximè inde constat, quod cùm tangitur, nullum efficit sensum, quemadmodum neque sanguis: ubi dumtaxat negat 2. et Part. cerebro continuatatem cum partibus sensitivis, non autem principium esse sensationis. Solidiora fundamenta detexit in Jure Cano- Animal. cap. 7.*  
nico profundissimus Theologus, P. Thomas Sancius, apud quem

*éuthoritates lege , si vacat . Hoc prologoio , cui alludit illud jam expositum : Propterquod unumquodque tale, illud magis sanciebatur juxta P. Doctorem Henricum antiqua juris dispositio ante Concilium Constantiense , statuens , ut suspensus maneret , qui ab Episcopo etiam oceulè excommunicato scienter initabatur : quasi Episcopus ( addit hic Doctor ) executionem licitam ordinis nos habens non*

*P. Sanc. posset eam præbere ordinatis à se . Ast P. Sancius distinguit inter causam principalem , atque instrumentalem : concessò ergo adagio de illa , negat de hac ; quoniam iniquus Sacerdos , Sacramentum conferens , largitur gratiam , qua caret , nempe quia est purum instrumentum . Largius discurrit P. Penafiel , siquidem concedit hoc Adsumendum universaliter , & singillatim de causa univoca , equivoca , & formaliter . Multifariam intelligi potest rem aliquam dare aliquid : potest namque esse causa principalis , instrumentalis , adæquata , inadæquata , materialis , formalis , univoca , equivoca , aut harum causalitas , sive actuale causandi exercitium . Rursus bifariam potest dicires habere aliquid . 1. Formaliter , quatenus sit ejusdem cum illo speciei . 2. Eminenter , quatenus cum possit illud aliquid causare , altioris est ordinis , ut substantia respectu lucis . Præterea tò formaliter dupliciter capi potest . 1. Quoad speciem , eo quod causa continet speciem , cuius unum dat individuum . 2. Quoad ipsum individuum , quatenus causa sit , vel habeat illud formaliter individuum , quod producit .*

*Monfort. ubi Jup. Medina. 12. q. 18. art. 3.* 113. Jam conclusio esto . Hoc proverbium est verum de causa adæquata , & principali , deque continentia disiunctivè formaliter , aut eminentiali : ita Monfortius , & apud ipsum Medina . Probatur . Omne , quod intra sphèram suæ activitatis , continet aliud , & est vel ejusdem , vel perfectioris speciei , continet illud aut formaliter , aut eminenter : sed omnis causa adæquata , & principalis alicujus effectus continet illum intra sphèram suæ activitatis , ut constat : deinde est vel ejusdem , vel perfectioris speciei ; ergo omnis causa adæquata , & principalis continet vel formaliter , vel eminenter illud , quod dat , seu effectum , quem producit . Probo minorem . Nihil entitativè imperfectius alio potest esse causa adæquata , & principalis illius , quod nullus , quem sciām , negat ; nam qui putant , accidens esse virtutem adæquate productivam substantiæ , ajunt , illud non esse causam principalem , sed merum instrumentum substantiæ : ergo omne , quod ejusmodi fuerit causa , nequit esse entitativè imperfectius illo ; ergo est ejusdem , vel majoris perfectionis . Dices . Fieri potest , ut

ut A. sit perfectione aequalis rei B., subindeque non sit imperfectior illa, quin sit ejusdem, aut perfectioris speciei. Sic multi opinantur, Equum, & Leonem esse perfectione pares; & tamen Equus neque est ejusdem speciei cum Leone, neque perfectioris; ergo ex eo, quod nil entitativè imperfectius alio possit esse causa adæquata illius, male colligitur, omnem causam id generis continere formaliter, aut eminenter effectum, quem dat. Respondeo. Nil specificè distinctum ab aliquo potest esse causa adæquata, & principalis illius, nisi forte perfectius fuerit illo, ut constat experientiâ, ex qua una conjicimus activitatem, secunditatemque causalium; ergo omne, quod fuerit causa principalis, & adæquata, cum esse nequeat imperfectius esse. Etu, debet esse ejusdem, vel altioris ordinis (quamvis neutrum ex his solis duobus sufficiat, siquidem, nec una anima rationalis potest producere aliam suam speciei, neque equum, qui minoris est perfectionis) ergo debet continere effectum, aut formaliter, aut eminenter: ergo prior nostra consecutio fuit bona.

114. Ceterum hoc idem proverbium est falsum. 1. Si procedat determinatè de praicontinentia formalis: siquidem Deus formam, ignis dat, quin ipsam habeat formaliter in se ipso. 2. Si de praicontinentia formalis, quoad individuum, quatenus causa debeat esse, aut habere in se ipsa, illud idem formaliter individuum, quod alii dat, quoniam satis perspicuum est, causam distingui saltem individualiter ab effectu illo, quem producit, ut enim doctè ponderat Magister B. Thomas. *Nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod est impossibile, quo circa proverbium est sic intelligendum. Nemo dat, quod non habet quoad speciem.* Nisi forte sermo sit de donatione transference, usum rei, dominium, aut aliud simile, quia tunc opus est habere rem illam quoad individuum, & non sufficit habere eam quoad speciem. 3. Si de praicontinentia determinatè eminentiali: sump̄ natque causa est ejusdem speciei cum effectu, alias exulent causæ univocæ: ergo non praicontinet illum eminenter, cum hoc sit proprium causæ altioris ordinis. 4. Si de causa partiali, & purè inadæquata, quippe res simul cum alia causa producere potest effectum longè perfectiorem se ipsa. Sic lumen gloriae producit inadæquatæ visionem beatificam, ipso lumine perfectiore. Sic voluntas nostra simul cum gratia Dei producit inadæquatæ actus supernaturales, cum ipsa neque formaliter, neque eminenter sit supernaturalis. Et ratio est, quam non semel exigimus. Perfectio effectus non est

taxanda per unam solam partem causæ, sed per totam, & integrum causam: quandoquidem effectus non accipit suam perfectionem ab una sola parte causæ, sed à totali hac: at fieri potest, quod tota, & integra causa contineat vel formaliter, vel eminenter effectum; tametsi neutrō modo contineat eum una sola pars causæ, cùm totum possit esse perfectius una sua parte: ergo ✓

115. 5. Si de causa materiali: quia hæc substantans, & recipiens formam dat huic in suo genere denominationem generatæ, sive educetæ de potentia materiæ; & tamen hæc non est educata de potentia aliis materiæ. 6. Si de causa formalis: quoniam Gratia sanctificans per sui unionem cum anima reddit hanc in genere causæ formalis amicam Dei, & dignam Gloriam, cùm Gratia ipsa incapax sit harum denominationum. Idem dicitur de causa formalis extrinseca: quandoquidem visio materialis terminata ad parietem, reddit eum in genere causæ formalis extrinsecæ, visum, quin visio ipsa sit in se ipsa visa, aut exercitè per se ipsam, aut signatè per visionem aliam. 7. Si de causalitatibus quarumcumque causarum. Nam ut eas meditanti constabit, plerumque non sunt formaliter aut eminenter id, cuius communicandi sunt actualia, formalia, immediataque exercitia.

8. Si de causa instrumentali, ut benè docuit P. Thomas Sancius.

P. Sanc. Porro illatio illa P. Henrici non subsistit eo quod jus illud antiquum sup.

P. Henric. correctum sit per Concilium Constantiense. Ex quibus omnibus palam sit, locutionem illam, *Nemo dat, quod non habet*, tantum-

jup. modò esse veram simpliciter de causa adequata, & principali, necnon de donatione physica transferente usum, dominium &c.

## C A P U T X I I .

### *Reliqua Dialecticorum Axiomata.*

1. *Phyf.* 116. 11x. 10.



Enultimum est. *Ex impossibili quodlibet, seu, date uno absurdo, cetera accidunt.* Eo utitur Philosopher Melisum quemdam refutans. Inepta autem, inquit, magis est ratio ipsius Melisi, nec dubitatem habent. Sed uno absurdo date, cetera accidunt.

Monfor. Apud Monfortium non aliam invenies. hujus asserti expositionem, nisi aberrantem semel à veritate, in novos passim incidere barbarismos, abyssus namque abyssum invocat. Cæterum cùm ex una quaque veritate multæ aliae veritates gignantur. (quandoquidem non

non minus fæcunda veritatum soleat esse veritas ; quam falsitas falsum ) nihil speciale circa absurdâ doceremur per hoc Princípium , si largius non haberet commentarium . Igitur distinguen- dum est inter impossibile , quod evidenter est tale , vel saltem , ut tale habetur ab arguente , & respondentे ; ut mendacium Dei , Homo irrationalis , atque ejusmodi alia ludibria rationis : & impossibile , quod apud respondentem tantum est impossibile , ut conjunctio gratiae cum peccato , v. g. Præterea impossibile assumi potest pro hypothesi , seu pro antecedenti , cum in sensu reali , objectivo , atque directo : cum in sensu purè formalī , præcisivo , ac reflexo , v. g. hæc proposi- tio : *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio , non distingueretur ab illo ; gemino sensu donari potest* (idem dico de quibusvis aliis , qua- rum hypothesis fuerit impossibilis .) Primus est : *Si re ipsa existere in rebus hoc , quod est , Spiritum Sanctum non procedere à Filio , re ipsa , Et verè non distingueretur ab illo .* Secundus est : *Si mentaliter præ- sciderimus à processione Spiritus Sancti , nullum aliud caput detegemus distinctionis à Filio .* Demum dupliciter intelligi potest ex impossibili sequi quodlibet . 1. Sequi quodlibet in materia quacumque dispa- rata , & non disparata . 2. In materia præcise transcendentaliter re- lata ad possibile oppositum illi impossibili . Juxta sententiam autem reciprocam connexionem inter omnia possibilia agnoscendam , nul- lum est disparatum respectu allus , ut patet , in ordine ad possibili- tem , ac essentiam .

117. Dico ergo 1. Ex impossibili in sensu purè formalī , præcisivo , & reflexo , non sequitur quodlibet contradictiorum pars : pro- pteteaque dicenti : *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio , distin- gueretur ab illo ; minus bene responderes inquiens : distingueretur , Et non distingueretur : Sensus namque illius propositionis potest esse hic : Etiam si præscindamus à processione , deprebendimus aliud caput sufficiens distinctionis , qui nihil impossibile olet .* Et hinc ratio con- surgit conclusionis . Ex nullo possibili sequitur quodlibet ; sed im- possibile sumptum in predicto sensu est re ipsa Possibile . Probatur . Mentalis præcisio à termino necessario est te ipsa possibilis intellectui humano ; sed impossibile in predicto sensu est mentalis præcisio à termino necessario : sic , non processio Spiritus Sancti à Filio nihil aliud est in ea propositione , quam mentalis præcisio à processione necessaria , ut nuper explicuimus ; ergo . Dico 2. Ex impossibili sumpto in sensu reali objectivo , atque directo , non sequitur quodli- bet , quando tale impossibile non est evidenter apud omnes imposs- bile ,

bile, sed probabiliter creditur esse possibile, ut conjunctio gratia cum peccato. Probatur. Si ex impossibili id generis sequeretur quodlibet, nullum restaret scholasticum argumentum, nullaque forma legitima ad probandum rem illam esse possibilem; immo neque ad probandum papyrum hanc esse possibilem; sed hoc non est dicendum, alioquin expungenda nobis forent questiones omnes, in quibus uni probabiliter censem rem esse possibilem, & alii probabiliter quoque docent, rem esse impossibilem: ergo. Probo maiorem. Definitio ipsa possibilium esset inepta ad assumptum illud: ergo nullum restaret scholasticum argumentum. Probo antecedens. Si ex impossibili hujusmodi sequeretur quodlibet, me conante probare possibilem esse metaphysicè conjunctionem gratia, & peccati, & assumente hanc propositionem. Si coniungerentur gratia, & peccatum non sequerentur duo contradictoria. Respondere debebas sic. Non sequerentur, & simul sequerentur, concedo: nam ex impossibili quodlibet: non sequerentur præcisè, nego. Et me sic premente distinctionem, non sequerentur præcisè; responderes iterum: non sequerentur præcisè, & simul sequerentur præcisè, concedo: quia ex impossibili quodlibet: non sequerentur præcisè præcisè, nego. Similiter stolidè affirmantem, impossibilem esse hanc papyrum, nulla scholastica forma resipiscere cogeremus. Criticum namque argumentum est, quod sumitur ex definitione ipsa possibilitatis: quod hebes esset, atque prorsus futile, si ex impossibili, quod tantum apud respondentem est impossibile, sequeretur quodlibet par contradictionum: responderet quippe Adversarius ex eo, quod hæc charta existat non sequentur duo contradictoria, & simul sequentur, concedet: non sequentur præcisè, negabit. Dicendum igitur est, non sequi quodlibet ex impossibili, quod probabiliter dumtaxat est impossibile.

118. Dico 3. ex impossibili, quod evidenter apud omnes, vel saltem apud arguentem, ac respondentem est tale, sequitur quodlibet in materia quidem metaphysicè opposita ei impossibili; secus in materia disparata. Probo primam partem. Ideo maximè ex ejusmodi impossibili non sequeretur quodlibet contradictionum, quia, ut modò philosophabamur nulla subsisteret arguendi forma, nullumque scholasticum argumentum ad probandum illud esse possibile; sed absurdum non est, nullum subsistere scholasticum argumentum ad probandum esse possibile illud, quod apud omnes, vel saltem apud ipsos concertantes est impossibile: ergo nihil obstat, quomius ex ejus.

## *Ex Impossibili quodlibet.* 87

ejusmodi impossibili sequatur quodlibet. Sic si exercendi causā id-  
genium probare velles, esse possibilem hominem identificatum cum  
bellua, uterisque hoc medio. Si existeret hic homo, non seque-  
rentur duo contradictoria; justè & rationabiliter responderent sic:  
non sequerentur, & simul sequerentur, concedo: quia ex impossi-  
bili, quod evidenter est tale, sequitur quodlibet: non sequerentur  
præcisè, nego; & sic frivola argumentatio collapsa rueret. Probo  
secundam partem. Esto possibilia non esse mutuò connexa quoad  
possibilitatis conceptum: cur ex eo, quodd Petrus redderetur impos-  
sibilis, sequitur, hunc calamum futurum esse, & simul non futurum  
esse Prætorem? cur Jovem stipatum & simul non stipatum incessu-  
rum satellitibus? Ratio est. Quia eo ipso, quodd materia non im-  
mutetur quoad essentialia, non sequitur in illa quodlibet contradic-  
torium: sed eo ipso, quodd materia sit prorsus disparata respectu  
illius impossibilis, quod ponitur pro antecedenti, & neque connexa,  
neque opposita illi, non immutatur quoad essentialia positione illius,  
alias non esset disparata, sed opposita cum illo: ergo, Quamobrem  
Axioma hoc regnat præcipue apud auctores connectentes invicem  
omnia possibilia.

119. Ultimum Principium solenne Dialecticis, ut firmas præ-  
scribant regulas ad firmas colligendum conclusiones, est. *Primum S. Th. 1. p.  
in unoquoque genere est causa cæterorum*, quo utitur Magister S. Tho. q. 2. ar. 3.  
mas quartam viam ingrediens probandi existentiam Dei, ubi sic.  
*Quod autem dicitur maximè tale in aliquo genere est causa omnium, quæ  
sunt illiusmet generis: sicut ignis, qui est maximè calidus, est causa  
omnium calidorum: ut in eodem 2. lib. metaphysicorum dicatur.* Negat Durand.  
absolutè Durandus hoc proloquium, quem sequitur Aureolus apud *in 2. diff. 15  
Capreolum*. Eximus Doctor advertit sapienter, id principium *q. 3.  
apud Philosophum non inveniri, sed hoc aliud. Id, quod in aliquo  
ordine est causa cæterorum, est maximum in eo ordine: quod simile vi-  
detur, sed absimile est. Neque ex eo infertur illud; nam cum uni-  
versalis affirmativa non convertatur simpliciter: ex eo quodd causa  
cæterorum in aliquo ordine, sit primum, & maximum in eo ordine;* *q. 1.  
P. Suarez  
diff. 29.  
Meib. scilicet.  
3. n. 21.*

de utraque concedit propositionem. 3. Distinguit inter esse causam cæterorum, secundum totum, quod dicunt; & esse causam secundum rationem formalem illius generis: concedit hoc, & negat illud.

*Godoy disp. 20. de pec-  
catis n. 60. Monfortius pag.  
419.* 120. Porro ex doctrina Magistri Godoy exceptio alia adjungi potest, scilicet primam causam in genere dicente perfectionem, esse perfectiorem ceteris; secus in genere dicente imperfectionem. Monfortius explicat hoc adagium, quatenus in omni genere causarum datur aliqua omnium prima, ad quam ceteræ, tamquam ad mensuram suam referantur, additque oportere, ut id, quod primum est in ali quo genere, primatum illum habeat secundum maximum gradum, quo haberi potest sive formaliter, sive eminenter secundum omnem modum prioritatis. Denique PP. Molina, & Vasquez cum demonstrationes alias existentias Dei proferant, illam praetexerunt, art. 3.

*P. Vasquez. 1. p.  
disp. 20. cap. 4. Godoy disp.  
3. de Deo à num. 116.* latè M. Godoy duas priores demonstrationes desumptas ex motu, & ex efficientia, quas Sanctus Magister Thomas tradidit, quartam gradibus entium innitentem, ubi hoc Axioma invenitur, tacitam prætermittit: quo haud obscurè innuunt authores hi se parùm fidei illi principio.

121. Priusquam autem illud enucleemus, Aristotelis verba ob oculos ponamus. Igitur distinctione præmissa scientiæ practice, atque speculativæ adjungit: *Nescimus autem verum absque causa: Unumquodque verò id ipsum maximè aliorum est, secundam quod aliis univocatio ineft: ut puta, ignis, calidissimum: Etenim ceteris hic est caliditatis causa. Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est. Propter quod principia semper existentiā neceſſe est verissima esse: nec enim aliquando vera, nec illis ut sint, aliquid aliud causa est, sed illa ceteris. Quæ verba non docent, primum in unoquoque genere esse causam cæterorum; sed è converſio, illud, quod cæterorum causa fuerit, esse primum, & maximè tale in eo genere.* Paulò infra addit: *Neceſſe est, quod prius est, causam esse eorum, quæ post illud sunt. Perperam similiiter inferes hinc Axioma illud: quoniam aliud est, Prius esse causam eorum, quæ sunt posteriora (& hoc est, quod Philosophus docet, jure quidem; nam prius natura, & causa sunt termini convertibiles; causa autem, & posterius natura, sunt termini correlativi:) aliud verò; Prius in quovis genere esse causam eorum omnium, quæ sunt in eo genere: & hoc Philosophus non expressit; meritò sanè, cùm fieri possit, ut reliqua*

*Ibid. cap. 2*

reliqua illius generis, non sint posteriora posterioritate naturæ, sed sola posterioritate perfectionis: sic quamquam omnes calores sint posteriores igne posterioritate perfectionis, et quod ignis, utpote substantia, perfectior sit entitativè omnibus & singulis caloribus accidentalibus; ast non omnes sunt posteriores posterioritate naturæ, siquidem multi producuntur in actu secundo ab aliis causis, v.g. sole, motu &c. Tandem scribit alibi: *Maximè autem mensuram esse cajusque generis primum, & maximè propriè quantitatis: binc etenim ad alia advenit.* Et explicare pergit cum mensuræ naturam, tum pulchram inductionem, qua ostendit in singulis generibus esse aliquod unum, certum, fixum, & determinatum, quod instar mensuræ nobis est ad taxandum, metiendumque cætera illius generis; quamquam hoc maximè propriè conveniat quantitati, & quantis. Ex quibus omnibus fit, Aristotelicum principium non esse hoc, *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum;* sed hoo: *Primum in unoquoque genere est mensura cæterorum,* quatenus illo veluti instrumento agnoscimus quantitatem perfectionis, aut imperfectionis cæterorum. Item hoc. *Quod fuerit causa cæterorum, est primum in eo genere.*

10. Me-  
tab. c. 2.

122. Plurifariam potest aliquid vocari primum. 1. Ratione temporis: sic antiquissimus Poetarum Homerus, dicitur primus Poeta, & antiquissimus Magistrorum dicitur primus Magister. 2. Ratione electionis, vel constitutionis: sic Primates, sive primi Episcoporum illi soli vocandi sunt juxta decretalem Aniceti: *Qui primas tenent civitates, quarum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum regulariter Patriarchas, & Primates esse constituerunt.* 3. Ratione dignitatis, supremæque jurisdictionis: sic Episcopus Romanus vocatur Primas à Nicolao I. egregio suæ dignitatis assertore adversus Græcorum elationem. *Ubi clementia vestra evidenter advertit, numquam elevare se quemquam posse contra illius privilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet devota.* Sic Romana Sedes Prima vocatur à Gelasio subreptitiam Petri cuiusdam Alexandrini absoluti nem sic rescidente. *Præcipue cum de secunda Sedis ageretur Antistite: nec ab inferiore qualibet, sed à Prima Sede jure possit absolviri.* Inferior quippe potiorem absolvire non potest. Sola ergo potior inferiorem convenienter absolvit. 4. Ratione causalitatis: sic Adam primus hominum appellatur, quia cæteri ab illo originem trahunt. 5. Ratione loci: sic primus accumbentium dicitur, qui in priori loco

Anicet. ad  
Epis. Gal-  
lia.

Nicolaus  
1. ad Mi-  
chaelm  
Imp.

Gelas. Tom  
de Ana-  
stematicis  
vinculo.

loco sedet . 6. Ratione strictioris , & majoris participationis ejus rationis , quam importat genus : sic Deus , Primus nuncupatur in genere bonitatis , quia nuspian alibi major , aut melius invenitur bonitas , quam in Deo ; & Lucifer dicitur peccatorum primus , quia omnium pessimus . 7. Et propriissimè aliquid dicitur primum in aliquo genere , si reliqua omnia participant ab ipso rationem illius generis , ipsum autem à nullo alio : sic Deus vocatur prima causa , seu Primus in genere causalitatis , quippe reliqua omnia accipiunt ab eo rationem , virtutemque causandi ; ipse autem à nemine accipit hanc virtutem . Plerosque ex his primatibus potest res habere , aut per se essentialiter , aut per accidentis , & contingenter .

123. Ad hæc distinguere oportet inter genera , quæ admittunt magis , & minus , ut genus color ; & quæ has inæqualitates respnuunt , qualia sunt omnia genera substantiarum . Præterea causa esse potest aut efficiens , aut materialis , aut formalis , aut finalis , aut exemplaris , quarum notionem suppono . Denique hoc , quod est esse causam cæterorum , bifariam potest intelligi . Primi , Cæterorum inadæquatè , ac præcisè secundum rationem formalem generis illius sumptorum . Secundi , Cæterorum adæquatè , secundum totum , quod illa cætera dicunt , ut benè dignovit Cajetanus . Dico igitur . Hæc propositio , *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum* , vera est

Cajetanus  
sup.

1. Si procedat de primatu , prioritate naturæ : Prioritas namque ista est prioritas causalitatis ; quia Natura , juxta suam definitionem , est *Principium & causa motus , & quietis &c.* ergo omne quod prius fuerit prioritate Naturæ est prius prioritate causalitatis , seu est causa ; ergo omne , quod est prius in aliquo genere dicta prioritate est causa , sive mediata , sive immediata cæterorum illius generis . Est vera 2. Si procedat de primatu strictissimè tali , cuius meminimus in septima acceptance , & de causa disjunctivè sumpta . Probatur . Omne , quod nil illius generis presupponit , presupponiturque ad omnia illius generis , est in aliquo sensu causa cæterorum illius generis , & consequenter est causa disjunctivè sumpta ; sed omne , quod strictissimè est primum in aliquo genere , nil illius generis presupponit ante se ( alioquin non esset primum , sed secundum , aut tertium illius generis ) & ipsum presupponitur ad omnia generis illius ; alias similiter non esset primum illius generis , quemadmodum calor non est primum in genere qualitatis , eo quod non presupponatur ad omnes qualitates : ergo , quod strictissimè est primum in aliquo genere , est

## Primum in unoquoque Genere. 91

est in aliquo sensu causa ceterorum. Et ratio est: quia omnis primitus est terminus respectivus (quandoquidem strictè loquendo *Unicus non est primus*) & insuper est terminus partim positivus, & partim negativus; significat enim hoc esse ante alia; ante ipsum autem nil esse in eo genere, in quo est primum: ergo omne, quod est primum strictè loquendo in aliquo genere &c. Instantiam quamdam Patris Suarez, quæ adversus hęc detorqueri potest, apud ipsum

*P. Suarez  
disput. 29.  
Metab.  
sect. 3. n. 24.*

124. Est vera 3. Si sermo sit de primatu consistente in eo, quod Primum illud participet omnium maximè rationem importatam per illud genus, & ratio illa sit capax suscipiendi magis, ac minus, illudque primum dicatur esse causa exemplaris. Sic quia bonitas suscipit magis & minus, Deusque bonorum omnium est Maximum; propria est mensura, causave exemplaris aliorum bonorum: nam quod res magis appropinquaverit voluntati divina, eo melior est hic, & nunc: & quod magis ab eadem voluntate deflexerit, eo pejor est, seu minus bona: ergo, ideo Deus est causa exemplaris reliquorum bonorum, quia est primus in eo genere, idque genus suscipit magis, & minus. Similiter philosophari possumus de pessimo Dæmoni: Quoniam malitia capax est augmenti, & decrementi, illeque Dæmon est modò peccatorum nequissimus, subindeque causa exemplaris omnium moraliter malorum: nam quod magis similis fuerit peccator spiritui illi nequam, eo pejor est. Neque propterea duo prima Principia rerum communiscimur, unum bonorum, alterum malorum effectivum: quia solus Deus est fons, & origo, ex qua descendunt omnes omnino virtutes effectrices quorumcumque effectuum sive boni, sive mali illi fuerint. Jam ratio conclusionis si se potest. Omne, ad cuius similitudinem taxamus intensionem illius rationis formalis, qua gaudent cetera aliquibus generis, est causa exemplaris eorumdem secundum illam rationem formalem; at omne maximè participans predictam rationem formalem, est id, ad cuius similitudinem taxamus intensionem ejus rationis formalis in ceteris illius generis, quando ea ratio formalis capax est augmenti, atque decrementi: quoniam aliud minus participans eam rationem formalem non est regula æquè nota, & universalis, ut metiamur intensionem illam: alioquin calido, ut quatuor possemus uti tamquam instrumento certo, & universaliter ad dignoscendum ceteras intensiones caloris, quod falsum est; nam licet illud aliquoties repetitum, ducere possit in cognitionem allus majoris intensionis; hoc tamen

tamen longè aberrat à proprietate causæ exemplaris.

125. Trifatiām enim potest cognosci quantitas perfectionis v.g. quam habet effectus per cognitionem aliud rei 1. per excessum, quatenus effectus excedat illud aliud, ita ut illo alio repetito assequamur tandem quantitatem perfectionis effectus: sic palmo quater reduplicato, longitudinem ulnae agnoscimus. 2. Per recessum, quatenus eò major sit illa quantitas, quod longius recesserit ab eo alio: sic eò major est malitia culpæ, quod magis elongatur à Divina Voluntate. 3. Per accessum, quatenus eò major sit predicta quantitas effectus, quod propiis accesserit ad illud aliud: hoc tertium est quod poscit causæ exemplaris ratio; illa duo extra hujus conceptum vagantur: quoniam exemplar est illud, quod imitatur effectus; hic autem neque imitatur illud, à quo recedit, neque illud, quod excedit: ergo dicendū, quod omne maximè participans rationem formalem alicujus generis est causa exemplaris ceterorum illius generis, modò ratio illa capax sit augmenti, & decrementi. Hinc 1. soluta manet argutia, quam efformare poteras probaturus, fore ut Deus esset causa exemplaris malitiae; siquidem ipso uti possumus ad taxandam gravitatem illius, cùm actus eò sit pejor, quod magis displaceat Deo: soluta inquam manet, quoniam hic modus taxandi non est per accessum, sed per recessum.

126. Hinc 2. Probatum manet esse quoque verum Principium illud Aristotelis proprium, modò adhuc conditiones nuper adjectæ: *Primum in uneqnoque genere est mensura ceterorum; mensura quippe coincidit h̄c cum causa exemplari.* Hinc 3. Apparet quoque ratio, qua sancitur principium alterum Philosophi, nempe *Quod est causa ceterorum est primum, & maximum illius generis.* Nam quoties A. sit tale, ut ab ipso accipient rationem alicujus generis cetera omnia, ipsum autem à nullo illius generis accipiat eam rationem formalem, A. est primum illius generis sive per se essentia-liter, sive accidentaliter, prout habuerit illa duo; h̄c namque est quidditas primatū: at quoties A. fuerit causa ceterorum omnium quoad rationem formalem alicujus generis, A. est tale, ut ab ipso accipient cetera rationem formalem illius generis, (nam hoc est esse causam illorum) ipsum autem à nullo illius generis accipit predictam rationem formalem, ne detur reciproca causalitas in eodem genere physico: ergo quoties A. fuerit causa &c.

127. Ceterū ambo illa Axiomata sunt falsa. 1. Si procedant de primatu temporis; nam Theologorum antiquissimus Hermes,

v. g. Trimegistus, non est causa efficiens, aut exemplaris reliquorum Theologorum. 2. Si de primatu electionis, aut constitutionis; quoniam non est idem constitutere aliquem superiorem aliorum, ac eum esse necessariō, necessitate inviolabili etiam divinitus, causam efficientem, vel exemplarem eorumdem. 3. Si de primatu dignitatis, vel jurisdictionis: Homo enim est primus in genere animalium primatu dignitatis; & tamen non est causa efficiens, vel exemplaris ceterorum animalium: insuper Regius Administer est primus inter ceteros ministros primatu jurisdictionis, quin semper sit causa efficiens, aut exemplaris illorum. 4. Si de primatu loci; cur namque convivarum primus in loco, debet esse exemplar ceterorum? 5. Sunt falsa ea Axiomata si enuncient, illud primum fore causam efficientem, aut exemplarem ceterorum in concreto sumptorum: quia ignis est primus in genere calidorum; & tamen non est causa efficiens omnis subjecti calidi, sed caloris dominat. 6. Si enuncient esse causam exemplarem ceterorum etiam sumptorum secundum puram, & meram rationem formalem, quando haec suscipere nequeat magis, & minus: ob hanc rationem tamen si Deus sit primus in genere entium, non est pressè loquendo causa exemplaris ceterorum quoad rationem formalem entis realis; quia haec consistit in indivisibili, nempe in carentia inclusionis duplicitis contradictionis, seu in capacitate existendi. 7. Si enuncient esse causam efficientem rationis formalis importatae per genus, subiectum illud, quod ideo vocatur primum, quoniam uberior participat rationem formalem illius generis: quippe demonum pessimus uberior participat malitiam gravem: & tamen non est causa efficiens omnis omnino malitiae moralis. 8. Si enuncient primum cuiusvis generis esse causam materialem, formalem, aut similem rei liquorum: siquidem ignis, qui est primus in genere calidorum, iuxta B. Thomam, & Aristotelem supra adductos, neque est causa materialis, neque formalis, neque finalis calidorum quoru[m]libet.

128. Ultimum Adagium. *Quod multum, seu nimis probat, nil probat.* Ut haec vox satis nota in Scholis sit vera, intelligendum est. Quod illud multum sit res aliqua absolute falsa, vel falso apud arguentem, vel sit aliiquid incredibile; si enim illud multum sit res vera, non sequitur argumentum nil probare ex eo, quod probet illud multum: v. g. dicas Deum esse in hoc loco per suam immensitatem; insurget alius inquiens: si Deus esset hic titulo immensitas, si quereretur quod simul esset ubique, quod est multum, & nimis:

mis: debes respondere esse multum, sed verum, & esse nimis verum; quod autem argumentum probet multum verum, non enervat, sed firmat argumentum.

129. 2. Hoc Axioma est in favorem non quidem arguentium, sed respondentium: hi non habent nisi unum ex duobus modis rescindendi absolutè discursum contrarium; nempe vel ostendere, esse falsam rationem, cui innititur ille, vel quod licet vera sit, non inferre tem, de qua tunc disputatur: quando ergo dicit argumentum tuum multum probare, dicit unum de duobus: nimurum vel rationem, sive medium terminum, quem assumis, non esse verum (siquidem ex vero non sequitur falsum, & consequenter si ex tua ratione sequitur multum, idest, res falsa, palam sit, rationem tuam non esse veram) vel quamvis sit verum, non inferri ex eo conclusio nem, quam intendis: v. g. intendit aliquis Augustissimum Sacramentum Eucharistie sanctificare aliquando per accidens peccatorum, eo quod ibi sit fons, & author ipse sanctitatis. Respondebit alter hoc nimis probare; quoniam licet verum sit ibi esse Authorem sanctitatis, non facit quidquid potest facere; alias etiam per Eucharistiam obtineretur remissio peccatorum quoad paenam purgatori, obtinerentur auxilia efficacia ad non peccandum. saltem in toto illo die, & alia multa, quæ Author & fons sanctitatis concedere poterat.

130. Hinc vox illa non significat determinatè argumentum, quod probat illud multum, esse falsum: nam cum ex falso possit sequi verum (v. g. Omne saxum est animal: ergo omne saxum est ens, ubi ex antecedente illo falso infallibiliter sequitur hoc consequens verum) ex eo quod argumentum illud sit falsum, non sequitur, quod nil probat: potest enim probare multa vera, tametsi ipsum sit falsum. Neque significat determinatè connexionem ipsius cum consequente, seu illationem hujus ex illo, esse nullam; quoniam fieri potest, quod haec sit valida, & tamen quod argumentum, idest, discursus non subsistat: nam cum is constet ex antecedente, & consequente, & hujus illatione ex illo, antequam perveniat ad hanc, potest respondere negando antecedens, eo quia ipsum comprehendat esse falsum.

131. 3. Quod multum probat, nil probat, in subjecta nimis materia; sed non absolutè in omni penitus materia: nam si exceptio illa probandi multum fundetur in eo, quod non connectatur cum re presenti, potest connecti cum aliis veritatibus, & con-

*Ab opposito conseq. Ex puris partic. Sc. 95*

consequenter esse idoneum ad probandum illas ; quia ut diximus ex falso potest sequi verum , & ex non connexo cum uno , vel unis , possunt sequi alia : ergo illud *nil probat non est intelligendum in sensu penitus universalis.*

Desiderabis huc solenne aliud dialecticum Axioma , scilicet : *ab opposito consequentiis ad oppositum Antecedentis* ; sed Disputatione 2. Dialecticæ expositum illud invenies . Item alia quatuor , scilicet :

*Ex vero semper verum ; ex falso aliquando verum , aliquando falsum . Item : ex puris particularibus nil sequitur.*

*Ex puris negativis nil sequitur . Ab indistributo ad distributum non valet consequentia .*

*Sed ibidem explicamus , & probamus illa .*

*Finis Disputationis Primæ.*



DIS-

6

## DISPUTATIO SECUNDA AXIOMATA CALCULATORIA.

Multa illa sunt, & passim obvia, & Scholasticis disputatio-  
P. Ortega  
disp. 3. de  
Incarnat.  
quaest. 2.  
num. 4.  
Cotrovo. 1.  
de Deo dif-  
put. 5. cer-  
tamine 3.  
nibus importuna satis: adeò ut Gravis Theologus P. Or-  
tega, has vetustas pertæsus locutiones, frequenter eas  
rejiciat: nec prorsus injustè, tot enim biatibus sca-  
tent, ut ægrè admodum subsistant. Antiquorum  
nihilominus Scholasticorum authoritas mere-  
tur, ut potius exponamus, quam rejicia-  
mus adagia illa: tredecim ergo ex  
frequentioribus exponemus  
hic, remissis quinque  
alijs ad Disp. IV.

- |             |   |
|-------------|---|
| Caput I.    | <i>Quò perfectius est objectum, eò perfectior est cognitio, possessioque ipsius.</i> Num. 1.  |
| Caput II.   | <i>Quò perfectior est potentia, eò perfectiores habet operationes.</i> Num. 14.   |
| Caput III.  | <i>Duc illationes cum objectionibus.</i> Num. 21.   |
| Caput IV.   | <i>Reliquæ objectiones.</i> Num. 31.  |
| Caput V.    | <i>Quò perfectior est Actus; eò perfectiorem exigit potentiam.</i> Num. 35.   |
| Caput VI.   | <i>An, &amp; qua ratione sit verum. Quò major est Persona offensa, eò major est offensa. Item. Honor est in honorante.</i> Num. 54. |
| Caput VII.  | <i>Duae paritates pro opinione contraria.</i> Num. 68.  |
| Caput VIII. | <i>Quatuor alia axiomata calculatoria.</i> Num. 82.   |
| Caput IX.   | <i>Cætera Proloquia calculatoria.</i> Num. 98.  |



CAPUT

# C A P U T PRIMUM.

*Quod perfectius est objectum, eo perfectior est cognitio,  
possessioque ipsius.*



1. Riginem traxisse videtur hoc Adagium ex Philoso- <sup>7. Metaph.</sup>  
pho apertè docente : substantiam esse priorem acci- <sup>cap. 1.</sup>  
dente, & ratione, & cognitione. Substantiam autem <sup>disput. 38.</sup>  
priorem esse accidente cognitione : stat in eo, quod <sup>metaph.</sup>  
nobilior sit cognitio substantiae, quam accidentis, ut <sup>scđ. 9. n. 6.</sup>  
expendit P. Suarez : unde fluxisse videtur eo perfectiores esse co- <sup>disp. 2. de</sup>  
gnitiones, quod perfectiora fuerint objecta. Sed divisi sunt Doctores, <sup>Deo q. 1.</sup>  
alii concedunt Adagium hoc, si procedat de proportione Geometri- <sup>scđ. 2.</sup>  
ca, & negant de Arithmetica : ita PP. Rhodes, Quiros, Martinon, <sup>P. Quiros</sup>  
Penafiel, & alii communiter. Alii admittunt hanc calculationem, <sup>tratđ. 3. de</sup>  
inter visionem adæquatam, seu comprehensionem, atque objectum; <sup>visione disp</sup>  
verùm negant illam inter objectum, & visionem inadæquatam dum- <sup>22 scđ. 1.</sup>  
taxat : ita P. Fassolus, & Illustrissimus Godoy. Alii fatentur quod <sup>Martinon</sup>  
perfectius fuerit objectum ; eo perfectiore fore ipsum visionem, <sup>disp. 8. de</sup>  
non quidem absolutè, sed respectivè ad alias visiones inferiorum. <sup>P. Penafiel</sup>  
rerum : ita P. Moncæus. Alii demum adstruunt sanè proportionem <sup>tratđ. 6.</sup>  
specialem inter cognitionem, atque objectum ; negant tamen illam. <sup>n. 12. P.</sup>  
esse exactam prorsus, atque æqualem : ita PP. Arriaga, & Oviedo <sup>Moncæus</sup>  
censentes visionem Dei esse quidem aliquatenus infinitam, eo quod <sup>5. n. 23. P.</sup>  
sit clara Dei infiniti expressio ; negant verò, illam esse infinitam per <sup>Fassolusq.</sup>  
essentialiam, seu absolutè, & simpliciter. <sup>12. de vis.</sup>  
<sup>art. 1. dub.</sup>  
<sup>7 n. 42. Go-</sup>

2. Respondeo : sive sermo sit de visione adæquata, sive inadæ- <sup>dey tom. 1.</sup>  
quata (hoc est de comprehensione, vel mera intuitione,) quod per- <sup>int. p. disp.</sup>  
fectius fuerit objectum eo perfectior est cognitio illius ; sed cum <sup>6. n. 24. P.</sup>  
quadruplici exceptione ; Prima est : modò cetera quæ attollunt, aut <sup>Moncæus</sup>  
deprimunt cognitionum perfectionem, paria sint : ita P. Oviedo lo. <sup>disp. 2. c. 4.</sup>  
quens de quovis actu in genere. Secunda : modò incrementum hoc <sup>P. Arria-</sup>  
perfectionis non sit exactè æquale objecto, sed unicè consistat in eo, <sup>ga tratđ. de</sup>  
quod nobilioris objecti cognitio nobilior sit in gradu, & mensura. <sup>vis. disp. 4.</sup>  
neutiquam assignabili per nos, quam similes cognitiones inferiorum <sup>P. Oviedo</sup>  
objectorum. Tertia : modò cognitio objecti perfectioris non cen- <sup>tratđ. 1. de</sup>  
seatur perfectior formaliter in genere repræsentativo, sed physice <sup>bras. Cont.</sup>  
dumtaxat entitativè in se ipsa, ac omnibus pensatis perfectior dicatur. <sup>S. p. 1. n. 10</sup>  
Quarta : modò cognitio objecti minus perfecti non sit actus <sup>Idem 11. att</sup>  
mal. Cont. <sup>de bon. G.</sup>

proprius mentis divinæ. Quocirca in forma distinguendum est hoc adagium , negandum in sensu universalī , concedendum in particuliari. Probo conclusionem : tum à posteriori ; quia abs dubio nobilis exercitum potentiarū intellectivarū apparet cognoscere abstractivē Deum, quām formicam abstractivē etiam; item perfectior est entitativē in se ipso actus ille , quo Angelus supremus comprehendit infinitum , quām ille , quo lapidem comprehendit : tum à priori ; triplex agnoscitur origo , unde in cognitionem derivatur perfectio : Prima est intensio , extensioque , quam in representando habuerit cognitionis ; claritas enim , vivacitas , atque universalitas cognitiones commendant . Secunda est potentia , à qua descendunt , subjectumque , quod illā vivit ; quoniam major perfectio est cognitionis , esse intentionalem vitam subjecti nobilioris , quām ignobilis , quemadmodum perfectior est entitativē , omnibusque pensatis , nutritio hominis , quām plantæ , quidquid sit de qualitate intensiva , seu sola ratione formaliter intensionis inspecta . Tertia est objectum expressum formaliter per cognitionem , & cujus illa est intentionalis imago ; Perfectio quippe haud sernenda est in cognitione hoc , quod est , esse imaginem , expressionem , ideamque sui objecti ; ergo si duæ cognitiones duobus primis capitibus æquales fuerint , una tamen sit vitalis expressio objecti nobilioris objecto alterius , illa nobilior quoque est hac altera ; ergo quod perfectius fuerit objectum &c. Neque dicas , id habere locum in solis cognitionibus intuitivis , comprehensivisque , ut potè immediatè exprimentibus suis objecta ; secus in abstractivis , ed quod hac non immediatè , sed mediatè precisè terminentur ad sua objecta ; neque inquam id dixeris ; nam licet cognitionis abstractiva non terminetur immediatè ad suum objectum immediatione subjectiva , propterea quod non nascatur immediatè ab illo , seu ab specie propria illius ; attamen terminatur immediatè ad illud immediatione objectiva , quatenus non terminatur precisè ad ullum phantasma , substitutumve objecti ; alioquin abstractiva cognitionis , neque mediatè , neque immediatè terminaretur ad suum objectum ; unde simpliciter non esset sui objecti cognitionis . Sed de hoc alibi .

3. Sed objicies cum P. Oviedo respuente doctrinam de proportione geometrica , & arithmeticā tractatu citato de Beatitudine num. 7. si quod perfectius est objectum , ed , cæteris paribus , est perfectior visio illius , aliquis gradus assignabilis foret mente saltem divina , quo supereret cognitionis objecti perfectioris cognitionem objecti imper-

imperfeccioris ; esto igitur objectum perfectum ut quatuor , & objectum perfectum ut duo ; esto insuper cognitionem prioris objecti uno gradu superare cognitionem posterioris : tunc sic ; ergo si objectum fuerit perfectum ut 8. cognitio illius duobus gradibus superabit cognitionem objecti perfecti , ut duo ; ergo si in objecto dentur infiniti Octonarii graduum perfectionis , in cognitione dabuntur infiniti Binarii graduum perfectionis ; sed in Deo dantur infiniti Octonarii graduum perfectionis , non quidem formaliter , sed eminenter ; ergo in visione intuitiva Dei dantur , vel formaliter , vel eminenter infiniti Binarii graduum perfectionis , subindeque visio intuitiva Dei est infinitè perfecta . Neque patet recursus ad indivisibilitatem perfectionis quidditativæ , quæ non fit per additionem gradus ad gradum . Nam licet hoc ita sit , extra dubium est , formam Leonis v. g. perfectiorem esse entitatè forma muris , & formam humanam ambabus esse perfectiorem : ut igitur hos excessus , & excessuum inæqualitates exprimamus , his terminis utimur : forma muris est perfecta ut duo : forma Leonis ut quatuor : forma humana ut sex ; sic ergo in presentiarum : Cognitio objecti nobilioris excedit cognitionem ignobilioris ; aliqua ergo determinata mensura est assignabilis , saltem per mentem Divinam , in qua excedat : banc mensuram vocat arguens excessum ut unum ; & hoc posito argumentatur modo dicto .

4. Aliis parcens solutionibus respondeo . Aliud est , visionem intuitivam Dei esse infinitam absolute , & simpliciter , seu in sensu negativo , quatenus non patiatur quidquam perfectius se ipsa (& hoc est falsum , neque argumento contrario suadetur ; illa namque calculatione arguentis admissa , adhuc subsistit , Deum esse perfectio-rem entitatè ipsa visione , immo & inter visiones Dei unas esse perfectiores aliis , quoniam sunt aliis vividiores : ) aliud longè diversum , visionem intuitivam Dei esse infinitam secundum quid , sive in sensu positivo , quatenus infinitè excedat visionem objecti perfecti , ut duo præcise ; itaut hæc , quamquam infinites multiplicetur aliarum , & aliarum visionum objecti perfecti ut duo agglomera- tione , nunquam attinget perfectionem visionis Dei ; & hoc est verum ; ceterum nullum continet absurdum ; quandoquidem supposita impossibilitate Creatura omnima minima in perfectione , homo & quævis alia species ex eis , quas novimus , habent infra se infinitas species imperfectiores , distatque proinde infinitè ab infinitis aliis speciebus ; unde dominaxat conficitur , hominem , visionem beatissi-

eam , & reliqua entia creata , esse infinita secundum quid , hoc est respectivè ad multas alias creaturas in singulari ; non autem absolute , & simpliciter , hoc est respectivè ad quodcumque aliud à sedis distinctum ; quæ infinitudinis species soli Deo competit .

5. Probo jam primam limitationem . Fieri potest , ut una cognitio , & repræsentet objectum nobilium objecto alterius , & tamen quodd ob alias disparitates hæc altera perfectior sit , quam illa : sic cognitio , qua rationalis animus cognoscit abstractivè Angelum supremum , perfectius exprimit objectum , quam cognitio , qua idem animus inuebitur Angelos infimos : & tamen hæc secunda cognitione majorem nanciscitur perfectionem entitativam , quam illa : ergo ut subsistat , eò perfectiore esse cognitionem , quod perfectius expresserit objectum , opus est , quodd cætera sint paria , vel saltem non adeò disparia sint , ut unum compenset alterum . Et ratio est . Ad justam duorum comparationem , uniusque prælationem non sufficit unius trutinatio attributi , sed omnia unius , & omnia alterius prædicata perpendenda sunt , atque conferenda : alias cum materia prima sit incorruptibilis , homo autem corruptioni obnoxius , possemus dicere , materiam primam pluris aestimandam esse , quam hominem : at fieri potest , quodd cognitio tendens in objectum ignobilium gaudeat aliis prædicatis , quibus equeat , imò & superet entitativam perfectionem cognitionis tendentis in objectum excellentius , eo quod illa vivacior sit , & multò clarior , suapteque naturā procedat à potentia nobiliore : ergo fieri potest , ut cognitio tendens in objectum ignobilium , sit entitativè perfectior cognitione objectum excellentius exprimente : ut ergo hæc dicatur perfectior illa , opus est , quod illa non habeat alia prædicata ordinis altioris , & consequenter opus est , quodd cætera sint utrobique paria . Advertendum tamen est , objectum cognitionis posse adeò excellens esse , ut sua excellentia obruat disparitates alias : sic quamquam detur disparitas inter cognitionem abstractivam Dei , & intuitivam albedinis , quia tamen Deus suā infinitā præminentiam proterit albedinem , ideo melius est entitativè omnibus pensatis cognitione adhuc abstractiva Dei , quam intuitiva albedinis : quod clarissima videtur in amore quanquam remisso Dei , comparato cum amore intenso creature .

6. Probo secundam . Si perfectio cognitionis plenè , exactèque assequeretur perfectionem objecti , etiam perfectio amoris plenè assequeretur perfectionem sui objecti , necnon obsequium plenè assequeretur celsitudinem personæ , cui exhibetur : nam quemadmodum melius

## *Quò perfectius est objectum.*

101

melius est, cæteris paribus, nosse objectum nobiliter, quām ignobiliter, ita melius est affectivè conjungi cum Deo, quām cum creatura, & obsequi Deo, quām homini; unde fiet actum charitatis, quo solum Deum diligimus, & obsequia, quæ Deo exhibemus, plenè, exactèque imitari divinam perfectionem, seu esse tam perfecta, quām Deum ipsum: quod impossibile est. Ratio est. Eo ipso, quodd neque cognitio, neque amor, neque obsequium identificantur cum suis objectis, neque sint in ordine, specieve equali cum illis, non assequuntur plenè, & perfectè eorundem perfectionem: at neque identificantur, neque sunt semper in eadem specie, aut in alia equali cum suis objectis; siquidem ad oppositum afferendum nullum adest urgens fundamentum; ergo licet quò perfectius fuerit objectum, ed perfectior sit cognitio illius, hæc tamen calculatio non est adeo exacta, rigidaque, ut cognitio plenè assequatur sui objecti perfectionem. Quanta igitur est? quam mensuram, quodnam punctum fixum habet perfectio cognitionis experimentis nobilius objectum? Respondeo. Expressio objecti perfectioris eatenus est perfectior, cæteris paribus, cognitione objecti imperfectioris, quatenus illa ex genere suo perfectione superat omnes similes cognitiones objectorum inferiorum: quisnam verò sit hic gradus, resolvere certò nequimus. Nam, ut bene advertit P. Ripalda, non habemus certa momenta, certasve mensuras, quibus metiamur, & taxemus per-  
P. Rip:  
disp. 21. de  
nat. n. 8.  
fectiones rerum, excessusque, quibus unæ vincunt alias, quocirca *est super-*  
ad prudens judicium res tandem devolvenda est. Cujus ratio philo- sophica est; non percipimus per sensus has qualitates intentionales; ergo non agnoscimus illas intuitivè, sed abstractivè dumtaxat, & confusè; ergo neque possumus certò resolvere quantitatem perfectionis, qua fruuntur; ergo neque excessum, quò unæ superant alias: solum ergo possumus in genere affirmare unas esse perfectiores aliis.

## §. I I .

7. **V**erum rogabis iterum. Num cognitio objecti perfectioris superet omnes cognitiones objectorum inferiorum sumptas distributivè tantum, ita ut illa sit perfectior unaquaque ex his seorsim, & solitariè accepta, an sumptas quoque collectivè, ita ut cognitio perfectior sit entitativè complexo ex omnibus omnino cognitionibus objectorum inferioris naturæ? Respondeo. Quando-

que superat illas ; etiam collectivè sumptas , quandoque distributivè solummodo , non autem collectivè . Probatur prima pars . Cognitio intuitiva Dei citra omne dubium videtur entitativè nobilior , atque estimabilior , non modò unàquaque seorsim intuitione formicæ , verùm etiam collectione ex omnibus intuitionibus etiam supernaturalibus ( quæ possibles sunt ) cunctarum formicarum : & intuitionis naturalis supremi Angelorum nobilior quoque apparet complexo ex omnibus intuitionibus naturalibus muscarum ; nempe quia hæc infinita multitudo parvi penditur collata cum illa una intuitione objecti adeo celsi ; injusta autem foret hæc postpositio , si intuitionis Angeli non esset entitativè perfectior colluvie ex omnibus muscarum intuitionibus : verisimilius ergo apparet , cognitionem objecti perfectioris quandoque vincere perfectione omnes similes cognitiones objecti inferioris collectivè acceptas ; quandoque vero non ita contingit : sic unicus aureus perfectior est omnibus argenteis distributivè sumptis , idest unoquoque argenteo solitariè sumpto ; non tamen est perfectior illis etiam collectivè acceptis ; nam argentei possunt multiplicari ita , ut equent , imò & longè superent perfectionem , estimabilitatemque aurei . Similiter potest contingere , quod cognitionis objecti perfectioris estimabilior sit , juxta prudens judicium , unaquaque cognitione objecti imperfectioris seorsim considerata , impar tamen sit perfectione , cumulo ex omnibus cognitionibus objecti inferioris . Regula fixa , & universalis tantummodo esse potest prudens judicium perpendens excessum inter unum , & aliud objectum .

8. Occasionem ex hac doctrina sumentes PP. Arriaga , & Oviedo supra citati ajunt : visionem beatificam esse infinitam , non quidem per essentiam , seu absolutè , & simpliciter , sed quodammodo , quia eminenter continet infinitas visiones infinitorum objectorum , eo quod pluris habeatur , quam omnes illæ . Egrè hoc fert P. Penafiel

*P. Penafiel. tract. 6 de vis. disp. s. 5. sect. 5. n. 28.* hoc discursu ductus . Omnis continentia unius in alio est , vel formalis , vel eminentialis effectiva , vel eminentialis formalis , aut quasi formalis : sed nullo ex his modis continet visio beatifica infinitas visiones infinitorum objectorum , ut latè ibidem ostendit ; ergo visio beatifica non continet infinitas visiones infinitorum objectorum , qua propter nulla fungitur infinitudine . Ceterum adversarii negabunt majorem , quoniam præter continentias ab hoc Authore reconsitas , ea admitti oportet , quæ consistit in eo , quod unum pluris estimetur , quam aliud . Censeo cum Arriaga litem esse de modo

modo loquendi, quidquid reclamet Penafiel num. 31. addo tamen  
hac infinitudine nō speciale consuli excellentia visionis beatificæ;  
nulla quippe est creatura, infra cujus speciem non sint possibles in-  
finitæ alia species imperfectiores; quemadmodum enim repugnat  
creatura individua, & singularis omnium maxima, ita repugnat  
omnium minima; ergo quævis creatura talis est, ut pluris estimari  
possit, quàm infinitæ alia: ergo quævis continet eminenter infinitas  
alias: ergo quævis gaudet hac impropria infinitate.

9. Sed objicies contra secundam limitationem positam in  
num. 16. Intelligens in actu est intellectum in actu, juxta Philoso- *Ariß. 3. de*  
*phum docentem, animam esse quodammodo omnia intelligibilia, anim. sext.*  
cujus hæc sunt verba. *Rursus dicamus animam ipsam ea universa 37.*  
quodammodo, quæ sunt; ergo dum anima cognoscit aliquid objectum  
sit tale objectum; ergo cognitio illius plenè, ac perfectè assequitur  
talis objecti perfectionem. Confirmatur 1. Cognitiones habent per-  
fectionem ab objectis; ergo tantum debet præcellere una cognitio  
alteri, quantum objectum illius objecto huius; ergo quod perfectius  
fuerit objectum, ed perfectior est cognitio incremento exactè propor-  
portionato ipsi objecto. Confirmatur 2. cognitio specificatur ab  
objecto; ergo quemadmodum unum objectum excedit alterum, ita  
cognitio unius cognitionem alterius; ergo vel tantum, vel minus:  
si tantum, dabitur proportio arithmeticæ: si minus, quisnam erit  
ille excessus? assignetur gradus, vel mensura, ultra quam crescere  
nequit cognitio. Confirmatur 3. virtus productiva ita square-  
debet terminum productum, ut habeat eandem, vel majorem perfe-  
ctionem, quàm terminus productus; ergo virtus cognoscitiva eam-  
dem proportionem habere debet. Probatur consequentia. Modus  
tendendi potentia cognoscitiva per cognitionem multò nobilior est  
modo tendendi per productionem; ergo si hic exigit potentiam pro-  
ductivam esse equalē termino, vel illo perfectiore, potiore jure  
requirit eandem proportionem potentia cognoscitiva; ergo quod per-  
fectius fuerit objectum, ed perfectior debet esse cognitio illius pro-  
portione plenè, & perfectè assequente objecti perfectionem, quod fiet,  
ut si objectum sit infinitè perfectum, cognitio quoque saltem intui-  
tiva illius erit infinitè perfecta.

10. Ad obiectionem respondeo. Si axioma istud, sententiaque  
Philosophi in toto rigore admitenda sunt, atque in sensu litterali,  
dum homo agnoscit Deum verè, propriè, ac citra omnem alienatio-  
nem fieret Deus; & jumentum, quando intelligit jumentum: quod

Gody i. p. frivulus est, & ridiculus terminorum abusus, & contra Arist. mendisput. 22. tem, qui eo syncathegoremate, quodammodo totum rigorem corrum-  
strac. 3. PP. Co. pit istius axiomatis *intelligens in actu est intellectum in actu*. Vide III.  
nimb. in 3. Godoy. Distinguo igitur primum consequens cum PP. Conimbric-  
de An. c. 8. censibus in commentario istius textus: dum anima cognoscit aliquod  
objecitum fit *realiter* tale objecitum, nego consequentiam: fit *notio-*  
*naliter* tale objecitum, idest habet imaginem, similitudinemve inten-  
tionalitatem illius, concedo consequentiam: cognitione namque est id ge-  
neris *imago*, atque similitudo objecti: & nego secundam consequen-  
tiam. Ad primam, & secundam confirmationem respondeo. Quem-  
admodum operationes, quæ sunt accidentales actiones, accipiunt  
non univocè, sed equivocè suam perfectionem à suis agentibus, ab  
hisque specificantur equivocè non verò univocè; nimirum quia non  
sunt ejusdem speciei cum suis agentibus, sed aliùs inferioris: ita co-  
gnitiones specificantur, non univocè, sed equivocè à suis objectis,  
ab hisque accipiunt equivocè, non univocè aliquam perfectionem,  
nempè quia non probatur, esse ejusdem speciei cum illis. Ad illud,  
quod secunda confirmatio addit de assignatione certi cùjusdam gra-  
dus, quo una cognitione alteram vincit, jam dixi, nos non habere  
momenta certa, certasve mensuras, taxaturi perfectiones earum re-  
rum, quas sensibus non percipimus.

P. Arriaga. 11. Ad tertiam confirmationem, tacitas præteriens solutiones,  
ga sup. 8. quas offerunt P. Arriaga, & Penafiel supra citati, dico argumentum  
P. Penafiel. esse fallax: etenim non solus modus tendendi per cognitionem in-  
tuitivam, verùm etiam per abstractivam, est entitatè perfectior  
ex genere suo, modo tendendi per meram physicam productionem,  
quandoquidem capacitas cognoscendi superat ex genere suo meram  
capacitatem operandi tantùm physicè; ergo si ad producendum  
physicè terminum infinitè perfectum, desideratur infinita perfectio  
in principio productivo, etiam ad cognoscendum eundem, licet  
purè abstractivè, desideratur infinita perfectio in intellectu cogno-  
scente; ergo vel humanus intellectus est infinitè perfectus, vel non  
agnoscit adhuc abstractivè terminum infinitè perfectum. Secundò:  
ut Pater Æternus producat Filium, & Spirator Spiritum Sanctum  
infinitam poscit perfectionem; ut autem Beati has productiones in-  
tueantur non egent infinita perfectione; ergo non est universaliter  
verum; cognitionem termini esse perfectiorem productione ejusdem.  
Dico igitur: cognitione, seu modus tendendi per cognitionem ali-  
quando est perfectior productione physica, seu modo tenendi per  
phy-

physicam productionem : ( sic perfectior est entitativè vitalis , & spiritualis cognitio combustionis , quām combustio ipsa ) aliquando est longè imperfectior ; sic cognitio tum abstractiva , tum intuitiva productionis , qua Filius producitur à Patre , & productionis , qua ab utroque procedit Spiritus Sanctus , est multò imperfectior ipsis productionibus . Quamobrem licet principium adæquatum termini infinitè perfecti debeat continere infinitam perfectionem ; secus principium cognoscitivum objecti infinitè perfecti . Ratio disparitatis est . Principium adæquatum physicè productivum communicat , & tribuit per se præcisè perfectionem termino producto ; ergo hanc perfectionem continere debet , vel formaliter , vel eminenter ; ergo si terminus perfectione simpliciter infinita fruitur , eadem frui debet principium adæquatum : ceterū principium cognoscitivum non tribuit esse , aut perfectionem objecto cognito ; ergo opus non est , quod in se contineat totam perfectionem illius , & patet in Angelo infimo , animaque rationali , intuentibus naturaliter Angelum supremum , quin hujus perfectionem possideant , aut formaliter , aut eminenter .

12. Probo jam tertiam limitationem Axiomati annexam supra num. 2. videlicet cognitionem objecti perfectioris non esse eo ipso perfectiorem formaliter in genere repræsentativo contra Patrem Fassolum , sed physicè , materialiter entitativè , ac omnibus pensatis . *P. Fasso.* Nil , quod , præcisè ut tale , est prorsus impertinens ad perfectionem *lus ubi sup* intensivam , & formalem cognitionis , auget præcisè ut tale , aut *n. 42.* formaliter , aut arguitivè perfectionem intensivam , & formalem cognitionis : sed tale est objectum . Probatur : omne , quod præcisè ut tale est impertinens , ad hoc ut cognitio habeat majorem , vel minorem vivacitatem in repræsentando , est impertinens præcisè ut tale ad perfectionem intensivam , & formalem cognitionis : in ea quippe vivacitate , & claritate consistit tota perfectio intensiva , & formalis cognitionum : at objectum est omnino impertinens ad hoc ut cognitio habeat majorem , vel minorem vivacitatem in repræsentando : quandoquidem objectum , quodcumque illud fuerit , est indifferens præcisè ut tale , ad hoc ut exprimatur , vel cognitione clara vel obscura , vel minus , aut magis clara , vel minus , aut magis obscura , vel etiam nulla cognitione creata , de qua sola est sermo ; ergo objectum , præcisè ut tale est omnino impertinens ad perfectionem intensivam , & formalem cognitionis creatæ ; ergo præcisè ut tale , nec illam auget , nec minuit ; ergo quando dicitur , cognitionem eò perse-

perfectiorem esse , quod nobilior expresserit objectum , non est intel- ligendum de incremento perfectionis intensivæ , atque formalis , sed de incremento perfectionis physicæ , entitativæ , ac materialis , quod magis commendat cognitionem esse suapte natura imaginem intentionalem objecti nobilioris , quam ignobilioris , non secus ac magis extollit cognitionem habere per suam essentiam nasci à potentia nobiliore , quam ignobiliore . Neque dicas ; aliqua esse obiecta , veritatesque magis abditas , ignotas , & obscuras ; unde obiecta refun- dere possunt claritatem , obscuritatemve in cognitiones . Neque in- quam id dixeris ; claritas enim , & obscuritas qualitates sunt solius cognitionis , & impropriæ , ac metaphoricè dumtaxat transferuntur ad obiecta : dicuntur vero unæ veritates objectivæ claræ , alio obscu- ræ , quatenus unarum cognitio est clara , & aliarum obscura , ipsæ autem objectivæ veritates quantumcumque obscuræ fingantur , sunt per se ab intrinseco capaces , ut per actus claros noscantur ; & quantumcumque claræ dicantur , sunt etiam per se ab intrinseco capaces , ut per actus obscuros attingantur .

13. Probo demum ultimam exceptionem , videlicet præsumptum Axioma calculatorium locum non habere inter cognitiones divi- nas , quarum una exprimat obiectum nobiliorum , & altera ignobiliorum . Divina cognitio hominem repræsentans non est entitativè , physicè à parte rei , ac omnibus pensatis , minus perfecta , quam divina co- gnitio repræsentans Angelum ; ergo quando sermo fuerit de divinis cognitionibus , non quod perfectius fuerit obiectum , sed perfectior est cognitio . Probo antecedens . Nil , quod formaliter , aut eminenter continet omnem perfectionem possibilem , est minus perfectum , quam cognitio repræsentans Angelum : quod enim sic se habuerit , gaudet ea quoque perfectione , quæ deprehenditur in cognitione divina Angeli , ex eo quod obiectum tam excelsum repræsentat ; sed omnis divina cognitio hominem exprimens , inspecta prout est in se ipsa entitativè à parte rei , seclusis omnibus præcisionibus nostris , continet , aut formaliter , aut eminenter omnem perfectionem pos- sibilem : nam ratione identitatis cum Deo ipso est tam perfecta , quam Deus , quin distinctio virtualis obstat ei summæ perfectioni ; ergo nulla cognitio divina exprimens hominem est physicè entitati- vè à parte rei minus perfecta , quam cognitio divina repræsentans Angelum . Ecce disparitatem inter cognitiones creatas ex una par- te , & divinas ex altera . Nulla cognitio creata ebit in se ipsa omnem perfectionem possibilem , quod circa datur locus ut majorem fusci-

fusciplat perfectionem physicam , & entitativam ex eo , quod sit vitalis imago , & repræsentatio nobilioris objecti : omnis verò Divina cognitio , inspecta pro ut est in se ipsa à parte rei , præscindendo à nostris mentalibus præcisionibus , absorbet omnem perfectionem possibilem titulo summæ identitatis cum Deo , quapropter nulla ipsi accrescit perfectio ex eo , quod feratur in hoc objectum potius , quām in illud , sic Deo ipsi nulla accrescit perfectio intrinseca ex ulla re à se ipso distincta . Non me præterit , graves DD. inæqualitatem agnoscere inter actus divinos : cæterū hæc inæqualitas non discerant eos , pro ut sunt à parte rei , & absolute inspectos , omnibusque pensatis ( hoc enim modo eadem perfectione funguntur , proindeque perfectione sunt pates ) sed solum ratione nostra , & attento præcisè hoc , vel illo genere , hoc vel illo ordine , hac vel illa ratione formalis : juxta hanc verò terminorum acceptationem non diffitear divinam cognitionem obiecti perfectioris , esse perfectiorem alia divina cognitione objecti imperfectioris ; quoniam his solis terminis attentis : *Cognitio exprimens Angelum . Cognitio exprimens muscam* , majorem in priore detegimus perfectionem , quām in posteriore : verūm hæc præcisiones magis decent logicum agentem de rebus prout subiacentibus secundæ intentioni , quām Philosophum , aut Theologum contemplantes obiectivas veritates prout sunt in se ipsis à parte rei . Demùm hactenùs dicta intelligenda sunt juxta sententiam ponenteñ actus divinos contingentes intrinsecos adæquate Deo : quod si recaris , illos inadæquate constitui per objecta , in quæ feruntur ; non renuam dicere , unos totaliter & adæquate acceptos , & non secundùm rectum solummodo , esse entitativè perfectiores aliis .

## CAPUT SECUNDUM.

### *Secundum Axioma calculatorium .*

14.  *Vd perfectior est potentia , ed perfectiores habet operationes : hujus Axiomatis semina deprehendisse* S.Thom.3.  
part.q.10.  
part.4. ad  
*sibi Cajetanus videtur apud S. Thomam docen-*  
*tem , quod licet mens Angelica perspicacior sit*  
*mente humana Christi Domini , Is nihilomi-*  
*nus clarius intuetur Deum , quia gradus in visione attenduntur magis*  
*secundum ordinem gratiae , in quo Christus est Excellentissimus , quām*  
*secun-*<sup>2.</sup>

secundum ordinem naturae , secundum quem natura Angelica praefertur  
*Cajet. bic. humanae*. Ubi memoratus Doctor commentatur : dicendo siquidem  
 quod magis attenduntur gradus visionis secundum ordinem gratia, quod secundum ordinem naturae, sufficienter explicavit, quod secundum utramque ordinem attenditur: Et hoc benè notabis, quia binc babes, quod pari existente lumine gloriae in homine, & Angelo, perfectius quidem videt Deum Angelus, quam homo; & meritis quia visus acutior melius videt, quam visus minus acutus ceteris paribus: Opportuna Glossa, si visio beatifica esset instar visionis corporeæ, quæ naturales vires non superat potentias visivæ, & substantias videntis: at cum S. Magister  
 1.p. q. 17. conceptis verbis ibidem doceat: Quod visio Divinae essentiae excedit  
 art. 4. P. naturalem potentiam cuiuslibet creaturae sicut in 1. p. dictum est; nescio  
*Rip. tom. I* quo jure tam constanter asseveret Cajetanus disparem potentias pari  
 de ent. su- lumine adjutas, disparem quoque producere visiones beatificas; cùm  
 pern. lib. 2. disp. 37. potentia naturalis impertinenter se habeat ad augmentum, atque  
 sect. 1. decrementum visionis supernaturalis totas vires naturales præter-  
 P. Oviedo volantis; pertinenter verò respectu visionis naturalis, ut potè adæ-  
 con. 4. de quatè contentæ intra vires potentias ipsius naturalis. Negant hoc  
 beat. p. 2. nu. 17. P. Axioma in sensu universalis quotquot censem, actus supernaturales  
 Penasiel nascentes ab inæqualibus potentiis naturalibus cum æquali tamen-  
 trax 6. de adjutorio supernaturali esse perfectione pares: eorum catalogum  
 vis. disp. 29. vide apud P. Ripalda, & adde PP. Oviedo, Arriaga, & Penasiel,  
 sect. 2. P. Arriaga necnon ipsum Ripalda, qui tametsi judicet, posse actus eos esse inæ-  
 disp. 7. de quales; negat tamen sect. 4. hoc necessarium esse. Addit P. Arriaga  
 vis. sect. 3. huc num. 26. non quod perfectior fuerit causa, perfectior est effectus;  
 num. 27. attamen quod perfectior est causa, perfectior est actio. Admittunt pre-  
 dictum Adagium prisci illi Theologi, qui censem cum æquali lumi-  
 ne gloriae produci visiones beatificas inæquales ob potentiarum inæ-  
 qualitatem. Vide illos apud eundem Ripalda loco cit.

15. Discretio opus est rei præsenti. Aut sermo est de operatione  
 absoluta (hoc est de effectu, ut distincto à sua actione productiva) capaceque procedendi tum à potentia perfectiore, tum ab imperfec-  
 tione: vel de operationibus quarum una ex se est alligata potentia perfectiori, altera potentia imperfectiori? Si primum; non quod perfectior fuerit potentia, eo perfectior est operatio. Si secundum; rogo iterum: vel ita contingit, quod operatio una suæ naturæ prære-  
 quirat potentiam nobiliorem, & altera contenta sit potentia ignobi-  
 liore, ut potentia hæc ignobilior connectatur intimè cum sua opera-  
 tione: vel ita ut minimè cum ea conectatur (parco aliis combinatio-  
 nibus,

nibus, ne offendam ad confusionem) si prium; non quò perfectior est potentia, ed perfectior est operatio: si secundum; quò perfectior sit potentia, ed perfectior evader operatio, sed cum limitationibus mox subnectendis. Quamobrem præsumptum Axioma in forma distinguendum est: quò perfectior fuerit potentia, ed semper est perfectior operatio, falsum: ed aliquando perfectior est operatio, verum. Ambo extrema distinctionis constabunt ex doctrina tradenda. Probo primam partem: tñm quia si falsa esset, sequeretur calorem procedentem à sole perfectiorem esse entitativè alio calore ejusdem mensuræ, atque intensionis, procedente ab igne, quandoquidem sol est causa multò perfectior igne: sed hoc est contra commune placitum philosophorum, & quidem non ob aliam causam, nisi quia ambo calores, quippe qui sunt qualitates, non modales, sed absolute, indifferentes sunt per se ab intrinseco, ut oriatur ab hac, vel ab illa causa; ergo quando operationes non sunt per se alligatae his potentiis, potius quam illis, sed ad quaslibet sunt indifferentes, non quò perfectior est potentia, ed perfectior est operatio. Neque retorques exemplum dicens Solem, quia longè perfectiorem igne, producere perfectiorem calorem, idest majorem, calore, quem producit ignis; quia non consero totum calorem, quem sol producit cum calore ignis, sed calorem productum à sole in mensura, intensione que prorsus æquali intensioni caloris producti ab igne; aioque, hi duo calores à potentiis disparibus proficiuntur; & tamen quia neuter habet ex natura sua potius ab uno principio, quam ab altero profici, idè sunt perfectione pares; ergo quando operationes sunt tales, ut neutra prærequirat potius potentiam entitativè perfectiorem, quam imperfectiorem, non quò perfectior est potentia ed &c. Ratio autem est. Nil omnino extrinsecum, ac per accidens operationi reddit ipsam, sive formaliter, sive argutivè, perfectiorem, entitativè, ac philosophicè: at quando operatio est suapte natura indifferens, ut nascatur à potentia perfectiore, aut imperfectiore, est illi prorsus extrinsecum, ac per accidens nasci hic, & nunc à potentia perfectiore; ergo quodd hic, & nunc nascatur ab ea potentia non reddit ipsam, sive formaliter, sive argutivè perfectiorem entitativè, ac philosophicè, quando ipsa habet indifferentiam dictam; ergo non quò perfectior fuerit potentia, ed perfectior evader operatio, si sermo fuerit de operatione indifferenti per se, ut oriatur ab hac, vel illa potentia. Dixi entitativè, & philosophicè: quoniam aliqua extrinsecas, & accessoria derivatur estimabilitas in operationem ex eo, quodd

quod nobiliorum habeat, licet per accidens originem: quemadmodum tametsi homines per accidens fruantur parentibus nobilitate inaequalibus, & per accidens quoque disperses sint aliis dotibus naturalibus, magis nihilominus habentur qui originem, & dotes naturales habent meliores: ceterum hæc major estimabilitas est politica, non philosophica, nam quoad perfectionem entitativam, intensivamque nobiles, & plebeii, docti, & rudes, pravi, & probi, sunt omnino aequales, alioquin, cum inter aliquos dentur tam vasta discrimina, uni homines specie physica secerterentur ab aliis.

16. Probo secundam partem: nimirum quod operatio matuta sua prærequirens potentiam nobiliorem, non est eo ipso perfectior operatione, quæ contenta est potentia minus perfecta, quando hæc potentia est intimè connexa cum sua operatione, secus illa cum sua. Habere perfectionem, quam non habet secunda hæc operatio, verum quæ compensatur per aliam perfectionem, quam habet secunda, non verò illa prima operatio, non est esse absolute, & simpliciter magis perfectum, quam secundam operationem: sic quanquam equus alias possideat perfectiones, quibus caret Leo, quia tamen etiam hic habet perfectiones nonnullas, quibus equus caret, idcirco equus absolute, & simpliciter loquendo non est entitativè perfectior Leone; sed una compensant alias: at quanquam operatio natura sua prærequirens perfectiorem potentiam, habeat hanc excellentiam, prærequiriendi nobiliorem potentiam, & non quiescendi in inferiore principio (quam perfectionem non habet illa altera operatio,) hæc nihilominus excellentia compensatur per aliam, quam habet hæc secunda operatio, & qua caret prima. Probatur: esse adeò necessarium ad consistentiam, & durationem sui principii, ut hoc defectum sit quamprimum deficiat illud, est absque dubio aliqua perfectio, & quidem non spernenda: sed, ut ponimus, hæc secunda operatio, quæ contenta est ignobiliorē potentia, est adeò necessaria ad durationem sui principii, ut hoc defectum sit, quamprimum deficiat hæc operatio, eo quod tale principium sit intimè connexum cum ea operatione, qua prærogativa non gaudet operatio prærequirens perfectiorem potentiam; ergo operatio prærequirens ignobiliorē potentiam gaudet perfectione, & prærogativa, qua caret operatio prærequirens nobiliorem potentiam; ergo una ex his prærogativis potest alteram compensare; ergo quando operationes ita prærequirunt per se ab intraseco potentias perfectione inæquales, ut potentia nobilior non connectatur essentialiter cum sua operatione, connectatur

## Quò perfectior est Potentia. III

tur verò potentia ignobilior, fieri potest, ut operationes absolutè, & simpliciter, sint perfectione aequales, tempè quia cetera non sunt paria; ergo non est necessarium, èd perfectiorem esse operationem, quò perfectiorem poposcerit potentiam, quando adest memorata disparitas.

17. Probo tertiam partem, scilicet: quò perfectior fuerit potentia, èd perfectiorem esse operationem, quando hæc essentialiter præsupponit talēm potentiam perfectiorem, & potentia perfectior intime connectitur cum ea operatione. Esse rem talis conditionis, & naturæ, ut non satietur quovis principio, sed determinatè præquirat principium entitativè nobilius, & ulterius determinatè requiri ad consistentiam, & durationem illius, ita ut se deficiente, statim deficiet illud principium nobilium; sunt magna perfectio, duoque tituli estimabilitatis: non enim reperies in quavis entitate connexionem cum perfectiore principio determinatè, & necessarium esse, ut nobilis potentia existat in rebus; ergo si duas operationes ita se habent mutuò, ut operatio A. determinatè poscat potentiam perfectiorem, hujusque terminet connexionem essentialem, operatio autem B. contenta sit potentia magis vulgari, & ad hujus potentia permanentiam, non sit necessaria, eo quod nullam ipsius terminet connexionem, vero similius est, operationem A. perfectiorem esse entitativè, ceteris paribus, operatione B. ergo quò perfectior fuerit potentia, èd perfectior est operatio, quando hæc reciprocam connexionem habet cum ea potentia. Propter hæc non satis percipio, qua veritate doceat P. Ripalda operationem potentia perfectioris posse, non tamen necessariò esse perfectiorem operationem potentia minus perfecta: Potentia namque perfectior non liberè, sed necessariò, perfectionem physicam, & entitativam (abstrahimus modò ab intentione, remissioneque actuvm voluntatis,) refundit in suam operationem; ergo refundit tantam, quantam potest, & cuius est capax operatio; ergo non ad hunc usque gradum, & non usque ad illum; ergo si cetera fuerint paria, semper, ac necessariò est perfectior phisicè, & entitativè operatio, per se proveniens à potentia perfectiore, & hujus connexionem terminans, quam operatio contenta principio minus perfecto, & hujus connexionem non terminans.

P. Ripalda loc. cit.



§. II.

## §. I I.

18. Ceterum eadem apponendae sunt limitationes huic doctrinæ, quas superiori axiomati adjecimus. Prima est; modò, cetera, quæ augendo, vel minuendo operationum perfectionem deserviunt, paria sint; si enim imparia fuerint, contingere potest, quod operatio per se egrediens ab imperfectiore potentia sit perfectior, tūm entitativè, tūm formaliter, seu in sua specie formalis, quām operatio per se presupponens nobiliorem potentiam: sic visio beatifica, qua fruuntur Christus, & Deipara est perfectior entitativè, ac in ratione visionis, quām visio illa, quæ per se nascitur à potentia Angelica entitativè perfectiore: nimicum quia cetera non sunt paria, cùm lumen gloriae, per cuius intensionem taxatur vivacitas visionis largius collatum sit Christo Domino, & Matri, quām Angelis. Jam exceptionis ratio est. Ad metiendum quantitatem perfectionis quarumcumque rerum, perpendenda sunt omnia attributa, inspiciendi omnes tituli, alioquin temerariam proferemus sententiam; ergo nihil refert, quod hæc operatio vincat illam uno titulo, si multis vincitur; ergo tametsi operatio mutuam habens connexionem cum potentia nobiliore, superet hoc titulo operationem prouidentem ex potentia ignobiliore, multis aliis potest ab hac superari: opus ergo est, quod cetera sint paria, ut subsistat, operationem potentiae nobilioris nobiliorem esse: nisi forte perfectio potentiae nobilioris sit adeò sublimis, ut alias obruat disparitates, ut supra dicebamus de cognitione.

19. Secunda limitatio est. Excessus perfectionis in actione per se producta ex potentia perfectiore, & quando cetera sunt paria, non est plenè, atque exactè & equalis excessui perfectionis, quo potentia ipsa gaudet; ita ut si potentia A. quatuor gradibus altior sit, quām potentia B., operatio reciprocam habens connexionem cum potentia A., quatuor quoque gradibus altior sit (etiam ceteris paribus) operatione mutuam etiam habente connexionem cum potentia B. plerumque enim contingit, quod potentia perseveret maled perfectior sua operatione; ergo operationis perfectio non semper crescit tantum, quantum perfectio potentiae; ergo non quod perfectior fuerit potentia, sed perfectior est operatio respectu ipsius potentiae, sed respectu aliarum similium actionum ex potentia inferiore prouidentium. Quod si perconteris, quantus sit excessus, quo illas super-

superat , jam respondi , eum esse proorsus inassimabilem nobis ; quemadmodum nequimus etiam certis terminis assignare excessum , quo anima Leonis antecellit animam formicæ ; sed tantum dicere valemus in genere , unam esse longe perfectiorem alterā . Ratio hujus impotentiarum est : nos non habere species proprias harum perfectionum , & multò minus graduum earundem . Tertia limitatio est . Operationem reciprocè connexam cum potentia perfectiore esse perfectiorem physicè , entitativè , ac materialiter ; non tamen formaliter , intensivè , ac in propria specie formalis : sic quamquam visio Dei elicit per Angelum cum lumine gloriae æquali ei , quod habet homo , sit entitativè , physicè , atque materialiter perfectiōr visione elicita per hominem , eo quod à celsiore potentia originem trahat , & in subjecto nobiliore suapte natura recipiatur ; nihilominus non est perfectiōr formaliter , intensivè , & in ratione visionis ; quia non representat Deum clarius , & vividius ; alias contra æquitatem , quam observat Deus ut justus Judex , duobus nempe Angelo A. & Homini A. qui essent merito pares , prēmium largiretur inæquale . Hac distinctione solvi potest nodus ille , quo adeò præmitur P. D. Molina . Porro in hac æqualitate intensiva visionum admixta inæqualitati entitativæ , & quasi purè materiali earundem , nullum latet absurdum , ut acutus observat P. Arriaga : sicut nullum est absurdum in eo , quod Angeli , & hominis merita sint æqualia in genere causæ meritoriarum , seu in eis omnibus , quæ meritum extollunt , vel depriment ; retinent verò physicam , & entitativam inæqualitatem fundandam in diversitate causæ activæ , & passivæ . Sed de hoc mox redibit sermo ex professo .

20. Hactenus discussimus præfatum Axioma dividentes operationum genera , restat potentias ipsas discernere . Dico 1. Hactenus dicta sunt vera loquendo de potentiis activis , & passivis adæquatæ , & inadæquatæ etiam , sed quæ per se ab intrinseco sint determinatae ad illas partes , quarum consortio fiunt adæquatæ . Dico 2. Si sermo fit de potentiis purè inadæquatæ , non quod perfectior fuerit potentia , eò perfectiōrem habet operationem : fieri namque potest , ut potentia A. & B. inadæquatæ sint perfectione inæquales , & tamen quod comprincipium superveniens potentia imperfectiori sit multò perfectius principio superveniente potentia perfectiori ; ergo fiet , quod operatio potentia imperfectioris perfectior sit , quam operatio perfectioris potentia . Ob hanc rationem visio Dei , qua gaudet Deipara , perfectior est visione Dei , qua

Doctor  
Molina in  
1. 1. q. 12.  
art. 5 disp.  
2. ad 4.  
P. Arriaga  
ga disp. 7.  
de vif. / B.  
3. n. 34.

gaudet Angelus ; nam licet potentia Deiparsæ , ut potè humana imperfectior sit, quam potentia Angelica ; nihilominus principium adjectum Deiparsæ , videlicet lumen gloriæ , uberior est lumine gloriæ collato potentia Angelicæ . Dico 3. Si sermo sit de potentia logica ( quæ profectò impropre dicitur potentia ; ) quod perfectior fuerit potentia , et perfectior est operatio , & quidem calculatione strictissima , atque arithmeticæ , sive cetera sint paria , sive imparia . Probatur : quoties unum realiter simpliciter identificatur cum altero eisdem exactissimè gradibus debet superare aliud tertium , quibus superat hoc alterum , sive cetera sint paria , sive non : quia duo realiter identificata in omnibus convenient , illis exceptis , in ordine ad quæ distinguuntur virtualiter , aut formaliter ; distinctio autem virtualis , aut formalis non datur in creatis in ordine saltem at hasce disparitates suscipiendas ; sed potentia logica , & sua qualiscumque operatio realiter simpliciter identificantur : siquidem in hoc consistit , quod sit potentia purè logica ; ergo eisdem exactissimè gradibus , quibus potentia logica vincat aliam , operatio illius debet vincere operationem hujus , sive cetera sint paria , sive non : disparitas namque in aliis titulis prestare poterit disparitatem inter potentias ; semet tamen dato , unam potentiam esse perfectiorem alteram , necesse est omne identificatum cum illa potentia , & logicè tantum distinctum ab illa , esse perfectius hac altera potentia , & quidem in eadem mensura , qua est perfectior illa prima potentia , sint , vel non sint cetera paria .

## C A P U T   T E R T I U M .

*Duae illationes cum objectionibus .*

21.



P. Ripal-  
da disp. 36  
de ente  
sup.

X hucusque dictis colligimus primò : concordiam duarum sententiarum , quarum una affirmat , & altera negat , actus supernaturales evadere specie diversos , si à potentiis naturalibus diversis specificè orientur . Lege , si vacat , Authorum catalogum apud P. Ripaldam : concordantur , inquam , independenter à distinctione , qua ibidem utitur ipse P. Ripalda sect. 3. Nam aliud est , actiones vitales supernaturales oriundas à potentiis naturalibus specificè distinctis distingui inter se in specie philosophica , ac quasi purè materiali , & hoc est verum , concluditurque argumentis Majoris , Palu-

Paludani, Ægidii, Patrumque Herice, atque Ripalda: aliud autem, eas actiones distingui specie *theologica*, seu *in ratione formalis* talium actionum supernaturalium; & hoc est falsum, refutaturque egregiè argumentis, quæ cōmunis sententia producit: v.g. *visio beatifica intensa* ut quatuor per Angelum producta distinguitur in specie *philosophica*, & materiali à *visione beatifica intensa* quoque ut quatuor producta per hominem, non autem in specie *theologica*, seu in ratione formalis *visionis*, ad modum, quo antiquum est logicis dicere, sua *predicabilia* distingui mutuò in specie *logica*, seu in eis, quibus *logici* attendunt, tametsi non distinguantur in specie *physica*.

22. Probo primam partem. Duo distingui specie *philosophica* consistit in eo, quod notabiliter differant in illis, quorum consideratio attinet ad *Philosophos*; seu in eo, quod differentia specifica infima, & consequenter definitio unius non possit verè affirmari in sensu reali de altero, ut dicimus disp. 3. *Logica cap. de specie*; ergo quæcumque sic notabiliter differant, distinguuntur in specie *philosophica*: at duæ memoratæ visiones ( consistentes non in termino *absoluto*, sed in actione productiva hujus termini ) notabiliter differunt inter se in his, quarum consideratio attinet ad *Philosophos*. Probatur: ad *Philosophos* attinet considerare principia *naturalia rerum*, & *respectum*, connexionemque cum his principiis ( quoniam licet *Philosophi*, præcisè ut tales, non assequantur notitiam rerum supernaturalium; illâ tamen aliunde habitâ, *Philosophi* est investigare principia *naturalia illarum rerum supernaturalium*, si forte sint aliqua ) ergo illa, quæ per suam habuerit essentiam respicere principia *naturalia* notabiliter diversa, cum eisque fuerint intimè connexa, notabiliter differunt quoad ea, quorum consideratio attinet ad *Philosophos*: at duæ memoratæ actiones per suam habent essentiam respicere principia notabiliter diversa, cum eisque sunt intimè connexæ; cum omnis vera actio habeat per suam essentiam oriri à principio, à quo oritur, & cuius est actio ( ut nunc suppono ) & una ex his actionibus est actio intellectus Angelici, alteraque intellectus humani, quæ sunt principia notabiliter inter se distincta; ergo. Ratio secundæ partis efformatur eodem modo. Duo distingui in specie *theologica* consistit in eo, quod notabiliter differant quo ad ea, quorum consideratio ad *Theologos* spectat; ergo quæ sic non differunt neque specie *theologica* differunt; sed sic se habent duæ dictæ actiones. Probatur: quæ *Theologi* perpendunt in *visione beatifica*, sunt *supernaturalitas*, divinitatisque expressio; ergo quæ non differunt notabi-

notabiliter quoad hæc , quinimò de utroque potest verè affirmari in sensu reali horum definitio, non differunt notabiliter quoad ea , quorum consideratio ad Theologos spectat ; sed dictæ actiones non differunt notabiliter quoad hæc , cùm ambæ sint æquæ supernaturales , necnon æquè exprimant divinitatem ; ergo. Quo circa de his duabus actionibus supernaturalibus , & de quibusvis aliis eodem modo se habentibus inter se philosophandum reor sicut de nutritione equi , & canis , quæ nutritiones in specie physica distinguuntur ; non verò in specie animastica : & sicut de homicidio executo per gladium , ac de executo per aconytum , quæ homicidia distinguuntur specie physica , secus morali .

23. Colligo secundò , concordiam quoque aliarum duarum sententiarum , quarum una docet , actus supernaturales prodeentes à potentiis naturalibus perfectione inæqualibus , verù cum æquali adjutorio supernaturali , esse perfectione pares : alia verò statuit , eos esse perfectione disparés ; unde multi graves DD. ajunt , intellectum Angelicum cum lumine gloriæ valido ut quatuor elicere visionem beatificam perfectiorem è , quam producit humanus intellectus cum lumine etiam ut quatuor ; quia visus anterior , ( dixit Cajetanus supra ) melius videt , quam visus mindus acutus , ceteris paribus :

*P. Ripalda*. Theologi tamen frequenter eunt in contrariam sententiam , & utroq. de ente su. disp. 37 que invenies apud P. Ripalda : conciliantur , inquam , ambo auth. ordines : aliud namque est , visionem beatificam oriundam ex intellectu Angelico esse perfectiorem physice , entitativè , ac quasi purè materialiter visione oriunda ex intellectu humano: & hoc est verum , probaturque validis Scoti , & aliorum veterum argumentis : aliud tamen est , primam visionem esse theologicè , formaliter , seu in ratione visionis perfectiorem , quam secundam ; & hoc est falsum , egregièque refutatur rationibus Eximii D. & P. Vazq. quos plerique ex nostratis sequuntur , multique extranei .

24. Probo primam partem . Duo esse inæqualiter perfecta physice , entitativèque , consistit in eo , quod sint inæqualiter perfecta in illis , quorum consideratio ad Philosophos spectat ; ergo quæ in his fuerint inæqualiter perfecta , erunt inæqualiter perfecta physice , atque entitativè ; at duæ prædictæ visiones beatificæ sunt inæqualiter perfectæ in illis , quorum consideratio ad Philosophos spectat . Probatur : Philosophi est principia entitativè naturalia perpendere ; ergo illa , quæ per suam habuerint essentiam , nasci à principiis naturalibus entitativè inæqualibus , sunt inæqualiter perfecta , ceteris paribus , in illis ,

illis, quorum consideratio ad Philosophum spectat, (titulus namque estimabilitatis, atque appretiationis est prærequirere principium entitativè nobiliorum, & quovis vulgari non esse contentum,) sed prædictæ visiones per suas habent essentias nasci à principiis entitativè naturalibus perfectione inæqualibus: quandoquidem una per suam habet essentiam nasci ab intellectu Angelico (suppono in presentiarum lumen gloriae non esse totam rationem agendi,) altera autem habet per suam essentiam oriri ab intellectu humano: qui quidem intellectus sunt perfectione inæquales; ergo prædictæ duas visiones sunt inæqualiter perfectæ in illis, quorum consideratio ad Philosophos spectat. Probo secundam partem. Duas prædictas visiones esse inæqualiter perfectas theologicè, seu in ratione formalis visionis beatificæ, considereret in eo, quod Angelica præcelleret humana quoad ea, quæ in visione beatifica expendit Theologus; sed hoc non contingit. Probatur: quæ in visione beatifica expendit Theologus sunt supernaturalitas, expressioque Divinitatis (omitto alias ad rem præsentem non pertinentias) sed quoad hæc attributa non præcellit visio Angelica visioni humanae: nam ambæ sunt æquæ supernaturales, ambæ æquè exprimunt divinitatem: tūm quia nulla urget ratio in oppositum: tūm quia, licet in visione influant intellectus, & lumen, cui simultaneo inservit P. D. Molina mox citandus; attamen vivacitas exprimendi Deum ita taxatur per quantitatem luminis, ut hanc non excedat; ergo si lumen est utrobique æquale, æqualis quoque erit utrobique vivacitas visionis: quemadmodum licet in visionem corpoream indivisibiliter influant potentia, & species impressa; claritas nihilominus visionis non semper assequitur entitativam perfectionem potentiarum visivarum, sed attemperatur speciei perspicuitati, & organorum dispositioni: ergo.

25. Et ratio est. Quoties concuerunt duæ causæ partiales ad eundem effectum, hujus perfectio non quidem physica, entitativa, & materialis; sed formalis, intensiva, propriaque suæ speciei, non est taxanda per causam universaliorum, atque indifferentem ad tam effectum tum quoad speciem, tum quoad exercitium; sed per causam determinatam ad eum effectum: sic quando Deus, & calor producunt calorem B., hujus intensiva perfectio, propriaque in specie caloris non taxatur per Dei perfectionem, sed caloris A., unde calor B. non evadit magis intensus, quam calor A: sic quando voluntas simul cum cognitione objectivæ amabilitatis prodit in amorem, intensio hujus, & ardor non sequitur entitativam perfectionem vo-

luntatis, sed intensionem, vehementiamque cogitationis allicantis: sic quando intellectus simul cum medio probabili producit conclusionem, hujus perspicuitas, & intensio non aptatur entitativa perfectioni intellectus, sed claritati medii probabilis, siquidem conclusio non aliunde nota, quam ex eo medio probabili nequit esse illa clarius: sic demum quando faber simul cum serra scindit lignum, scissura non proportionatur in ratione formalis fissuræ perfectionis entitativa fabri, sed impulsu, & serræ: tunc sic: atqui intellectus est causa visionis per se magis ampla, & indifferens, quandoquidem citra omnem violentiam potest habere clariorem, & remissiorem, & nullam omnino visionem beatificam: lumen verò est causa determinata ad visionem beatificam, qua absque miraculo carere nequit; ergo quando in visionem influunt simul, & indivisibiliter intellectus, ac lumen, ligè ad metiendum perfectionem physicam, atque entitativam visionis attendere oporteat perfectionis entitativa intellectus; ad metiendum autem perfectionem intensivam, formalem, propriamque visionis ut talis, soli lumini attendendum est; ergo si hoc utrobique fuerit aquale, utraque visio aqualis evadit, non quidem in perfectione physica, & in materiali; sed in formali, atque intensiva.

26. Confirmatur: visio producta à potentia naturali perfectiore non est perfectior in ratione formalis supernaturalitatis, seu non est magis supernaturalis, quam visio producta à potentia naturali ignorantior; cur igitur debet esse perfectior in ratione formalis visionis, seu major, & intensior visio? Ratio utriusque est. Quamquam visio beatifica titulo vitalitatis, & aliorum attributorum, quos urgeat communiter DD. exigat procedere à potentia vitali intellectiva; attenuamen titulo supernaturalitatis, & expressionis divinitatis, praescindendo à praedicato vitalitatis, non exigit procedere ad intellectu, sed dumtaxat poscit lumen gloriarum; ergo quamquam entitativa perfectio intellectus non sit impertinens in sensu reali, & quasi materiali ad perfectionem entitativam visionis, est tamen impertinens in sensu formalis solius supernaturalitatis, & solius representabilitatis Dei; ergo perfectio visionis in sensu formalis, seu in ratione intensionis exprimendi Deum non sequitur entitativam perfectionem intellectus, sed solius luminis. Quo circa sicut ex eo, quod visio presupponat largius lumen perperam arguitur, eam effo magis vitalem, magisque immanentem, eo quod ad vitalitatem, atque immanentiam præcisè ut tales, & in sensu pure formalis, lumen sit impertinens,

tinens, & tantummodo arguitur visionem fore magis claram; ita similiter terminis inversis, ex eo quod visio perfectiore exigit potentiam naturalem, concluditur sane, illam esse physicè, entitativa, & materialiter magis perfectam; minimè autem illam esse magis claram, magisve divinitatis expressivam.

## §. I I .

27. SED objicit primò P. Molina. Ad visionem concurreat non *P. Molina*  
*solum lumen, sed etiam intellectus; ergo quod major fuerit na l. p. q.*  
*intellectus, et major est visio. Probatur consequentia: quia quantitas actionis attenditur penes quantitatem totius causæ. Confirmatur primò: si cum medio demonstrativo concurrat medium probabile, producitur actus scientie et intensior, quod medium fuerit efficiacus; ergo incrementum cause partialis conducit ad intensionem actus, etiam quando effectus est altioris ordinis. Confirmatur secundò: concursus major, aut minor potentie naturalis conducit ad majorem intensionem actuvm supernaturalem, ut, quod major est concursus intellectus cum habitu fidei, et intensior eliciatur actus fidei, actusque est magis meritorius, si fiat ab existente in gratia; ergo similiter quod major fuerit concursus potentie intellectus humanae, et intensior visio producetur. Confirmatur tertio: dato quocunque intellectu, potest Deus creare aliud, et aliud in infinitum, cuius perspicacia sit infinite major, quam nostra; sed hic intellectus simul cum lumine majorem, & intensiorem visionem Dei produceret; alioquin tantus intellectus non magis conduceret ad claciorem visionem producendam, quam quisvis alias vulgaris; ergo. Jam hujus Doctoris ratio à priori est: intellectum non se habere mere passivè, & tanquam merum vehiculum visionis, sed eam verè agere; ergo major, & major influxus intellectus conducit ad majorem, & maiorem visionem. Ad objectionem concessio antecedenti distinguo consequens, et est major visio in perfectione physica, & entitativa; concedo consequentiam: in perfectione theologica, intensiva, atque formalis in ratione visionis, nego; quia ad hanc rationem promovendum nil, vel parum juvat perspicacia naturalis intellectus, & eisdem terminis concedo, negoque probationem adjunctam. Ad primam confirmationem nego antecedens: quemadmodum enim ad conspectum solis, & parvissimam candelæ non producitur lux intensior; quamvis ingens copia lucis diffusa per solem obruit lucem debilem.*

candelas; ita ad conspectum mediū evidētis, atque probabilit̄ nō producitur assensus intensior; nemp̄ quia demonstrationis fulgor meram probabilitatem obruit. H̄ac dixerim, si ambo h̄ec media seorsim accepta sint causa adēquata conclusionis: quod si ambo in unam causam adēquatam coaleant, eo quod una p̄missa v.g. sit evidens, & altera sit probabilis dumtaxat; tunc conclusio non est evidens, quia sequitur partem debiliorem, proindeque est merē probabilis in eo gradu, quem habuerit medium probabile, ex quo deducitor.

28. Ut secunda confirmatio dissolvatur rogandus est P. Molina an eis terminis, *Concursus major*, *Concursus minor* potentia naturalis, intelligat solas vires hujus potentiae, quæ vocari possunt concursus in actu primo: an ipsam actionem productivam actus supernaturalis, quæ actio est concursus in actu secundo: an ipsum actum supernaturale, an imperium voluntatis injungens intellectui actum fidei, v.g. Si primum; negandum est antecedens, nam de hoc est questio. Si secundum, aut tertium; concedendum est totum, quia reddit hunc sensum; quod major, & intensior fuerit actio, ed major, & intensior est actio; quæ propositio, ut potè nimis vera, nobis nō officit. Si tertium; fateor, ed intensiore fore actum fidei; quo intensius fuerit imperium voluntatis, ex quo procedit; ceterum cum imperium hoc, seu pius affectus sit quid supernaturale, non venit ad rem argumentum. Ad 3. nego minorem, & concedo subscriptam sequelam neutiquam absurdam. Quemadmodum enim licet peccata venialia infinites multiplicentur, nunquam attingent malitiam peccati mortalis: & licet infinites quoque multiplicentur visiones rerum materialium, nunquam assequentur perfectionem visionis beatificæ, nemp̄ quia crimina veniale, & mortale sunt in lineis incomensurabilibus, necnon visiones Dei, & creaturarum; ita quantumcumque extollatur in infinitum perspicacia intellectus naturalis nunquam poterit se solo assequi visionem beatificam, quoniam sunt in lineis incomensurabilibus.

29. Incrementum virtutis cognoscitivæ arguit sanè cognitionis incrementum, quando h̄ec cognitio connaturalis sit potentia: unde visus acutior melius videt, ceteris paribus, ut ajebat Cajetanus: ast visio, quando non est connaturalis, sed p̄ter naturalis, aut supernaturalis potentia cognoscitivæ, incrementum hujus purè materialiter, ac disparate se habet ad cognitionis incrementum: sic quamvis lyncea potentia visiva sit multo major, quam humana, utravis est equæ

equè improportionata ad videndum hic hominem deambulante per forum Matritense : at visio beatifica est supernaturalis respectu cuiuscumque potentia cognoscitivæ naturalis, ut communis fert sententia ; ergo tametsi infinitè augeatur , nihil conductit ad incrementum visionis bestæ ; unde soluta manet ratio Cajetani . Quod si ad peculiarem confugias opinionem P. Molina docentis , vim cognoscitivam adeo invalescere posse , ut solis suis viribus assequatur visionem beatam . Sciscitor . Ista vis cognoscitiva perseverat intra limites naturæ: an non ? Si primum ; adhuc manet improportionata ad visionem Dei quoad substantiam , quanto magis ad intensionem visionis ? Si secundum ; extra questionem presentem vagamur .

30. Simili forma solvenda sunt argumenta , quibus P. Ripalda <sup>P. Ripal-</sup>  
da disp. 37  
de ente  
sup. scil. 2.  
 suadet , actus supernaturales procedentes à potentiis naturalibus in qualibus , cum equali tamen auxilio supernaturali esse posse iniquales . Primum est : actus fidei elicitus ab Angelo est intra obscuritatem fidei clarior , quam humanus , multoties namque habetur per species proprias subjecti & predicati: est insuper independentis à phantasmatibus , immunisque compositionis , & divisionis , ut latè probat ; ergo est perfectior , quam humanus . Secundum est : actus charitatis productus ab Angelo effectus continet præstantiores , quam productus ab homine; quia ille determinat Angelum ad motum Cœlorum , debellationemque hostium Dei , ad quæ non determinat hominem actus charitatis : & ratio à priori est : actus supernaturalis potest haurire aliquas perfectiones à potentia naturali , ut perspicuitatem , independentiam à sensibus &c. ergo quod melior sit potentia naturalis , ed majores hauriet actus perfectiones : potentia enim naturalis Angelica potest influere aliquam ex eis perfectionibus , quibus superat humanam . Respondeo : hæc omnia probant excessum in perfectione physica , & entitativa ; non verò theologia , & formalis ; quoniam actus ille fidei conceptus ab homine , tametsi majorem habeat obscuritatem , compositionem , dependentiamque à sensibus ; nihilominus tam supernaturalis obsequiosusque est Deo , quam actus fidei conceptus per Angelum , modò hic non habeat majorem intensionem , energiam , durationem , aut alia ex his , quæ commendant obsequium intentionale . Item actus charitatis , quem producit homo , equalis est supernaturalitate , aliisque titulis extollentibus meritum , actui charitatis elicito per Angelum ; quamquam ob physicam impotentiam non determinet hominem ad effecta illa , ad quæ determinat actus Angelicus . Ad rationem à priori sicut poten-

potentiam naturalem posse communicare aliquas ex suis perfectioribus actui; verum cum ipsa potentia nullam habeat per identitatem perfectionem supernaturalem, neutquam potest augere perfectionem supernaturalem, & theologicam actus.

## CAPUT QUARTUM.

### *Reliquæ Objectiones.*

31.



Iximus cap. 2. Operationem potentiae perfectioris nonnumquam esse perfectiorem operatione potentiae imperfectioris. Contra hoc objici potest. Ut una potentia naturalis sit perfectior, quam alia, non requiritur omnes suos effectus perfectiores esse; potius cum eo excessu componitur, aliquos suos effectus esse æquales effectibus potentiae minus perfectæ, aliquos etiam inæquales: ergo non quid perfectior est potentia &c. Antecedens probatur. Ut una res præstantior sit aliâ, non desideratur, quod undeque omnibus proprietatibus, & effectibus præstantior sit, sed sufficit, quod, cum sit æqualis quoad cætera; uno, aut duobus superet, ut multis exemplis monstratur: ergo non requiritur, omnes suos effectus &c. sic ar-

*Ripalda* gumentantur P.P. Ripalda, Arriaga, & Oviedo. Confirmat 1. Ri-  
ubi nuper palda; solus respectus intrinsecus operationis ad causam perfectio-  
scit. 4.

*Arriaga* disp. 7. de ex tali respectu derivetur in operationem perfectio aliqua ab eo me-  
ritatione sc. ro respectu distincta: ergo non quid perfectior est potentia, sed neces-  
sarium perfectior evadit operatio, adhuc cæteris paribus. Probatur  
scit. 3.

*Oviedo* controv. 4. antecedens; si secus eveniret, calefactio producta à solo Deo esset enti-  
de Beati- tativè perfectior calefactione à Deo simul, & igne procedente (sicut  
studine pü- cognitione, & amor solii Deum respicientes vincunt perfectione similes  
go 2. num. cognitionem, & amorem creaturar) sed sequela est absurdum: ergo. Con-  
17. firmat 2. productio gratiæ procedens ex substantia aquæ in Baptis-  
mo non est perfectior productione ejusdem gratiæ procedente à  
vocabus Sacerdotis absolvantis in sacramento Pœnitentiar, tametsi  
substantia aquæ perfectior sit vocabus, sed hujus non est alia ratio,  
nisi quia productio gratiæ procedens ex substantia aquæ non ha-  
bet aliam perfectionem præter merum respectum ad causam perfe-  
tiorem: ergo. Jam ratio à priori, quam producit hic magister, & qua-  
utitur quoque P. Oviedo num. 21. est respectus: potest respicere  
agens

agens perfectius, quin contineat totam perfectionem agentis, ut patet: hinc perfectio effectus infert semper suæ causæ perfectionem: quia causa tribuit effectui perfectionem, quo circa eam præcontine-re debet formaliter, aut eminenter; effectus autem tantum modò accipit perfectionem à causa, & potest non accipere omnem; unde fieri potest, quod causa perfecta ut sex producat effectum perfectum ut duo, & alia causa perfecta dumtaxat ut quatuor producat circa- idem objectum effectum perfectum, ut tria: ergo non est necessariū, quod èd perfectior sit operatio, quod perfectior fuerit potentia.

32. Ad objectionem respondeo: non me opinaari, omnes omnino operationes potentiarum perfectioris esse absque ulla exceptione, & limitatione perfectiores omnibus, & singulis operationibus potentiæ ministræ perfectæ, sed quamlibet operationem potentiarum perfe- ctiōris collatam cum alia potentiarum imperfectioris, quæ alia in creaturis omnibus sit æqualis, esse physicè, atque entitativerum perfectiorem-hac. Quamobrem, aut concedendum est rotum, aut distinguendū antecedens, quod concedatur, si cætera sint imparia, & nege- tur, si paria fuerint. Ad primam confirmationem distinguo anteceden- dum, non constituit adhuc cæteris paribus operationem perfectio- rem physicè, & entitativerum, nego: perfectiorem intensivè, ac in sua ratione formali, concedo antecedens. Ambo constant ex supradi- citis. Ad probationem: nego sequelam, quippe Deus solus non est perfectior complexo ex Deo, & igne: ergo calefactio solum Deum respiciens non dicit respectum ad causam nobiliorem, quam cale- factio procedens à Deo, & igne. Hinc enervatur adjuncta paritas, nam solus Deus est entitativerum perfectior qualibet creatura sola, qua propter cognitio, & amor terminata ad solum Deum perfectiores sunt, cæteris paribus, quam cognitio, & amor ad solam creaturam terminata. Ad 2. confirmationem: dico, aut productiones istæ gratiæ presupponunt essentialiter, una aquam, altera verba, aut non? Si primum; productio gratiæ in Baptismo erit perfectior, non inten- sivè, non theologicè, non in ratione formali gratiæ, sed physicè tantum, entitativerum, atque materialiter productione gratiæ in Sacra- mento Pœnitentia. Si secundum; non venit ad rem argumen- tum, quia loquor de operationibus intrinsecè præsupponentibus disparis potentias. Ad rationem à priori, cæteris concessis, distin- guo consequens: fieri potest, quod causa perfecta ut sex producat effectum perfectum ut duo, & alia causa &c. quando cætera sunt disparia; concedo: quando sunt paria; nego. Non dubitamus quin poten-

124: *Disp. II. Cap. IV.*

potentia Angelica , v. g. perfectior entitativè quam humana , possit elicere visionem intensam ut duo , humana vero intensam ut quatuor , in quo casu potentia ignobilior meliorem elicit operationem circa idem objectum , nempe circa Deum , quam potentia nobilior ; at de hoc non est questione , sed solum de aequalitate , aut inaequalitate operationum , quando in ceteris omnibus sunt pares praeterquam in prærequisitione potentiarum inaequalium .

33. Insistit P. Oviedo . Stat bene potentiam A perfectiorem esse potentia B. , & tamen quod aliquis actus potentie A. non sit perfectior actu potentie B. circa idem objectum : ergo non quod &c. Antecedens probatur 1. Data identitate potentiarum cum anima , perfectior entitativè est potentia visiva humana , quam lyncea , & tamen visio humana objecti A. non est perfectior , sed potius imperfectior visione lyncea ejusdem objecti A : ergo . Quod si dixeris , in hoc casu cetera non esse paria , eo quod organa sensationibus externis subservientia , non sint aequalia . Contra est . Nam in his organizationibus recrudescit argumentum . Anima humana , & lyncea sunt perfectione entitativa inaequales , & tamen absque recursu ad aliam disparitatem producunt has organizationes perfectione disparem : ergo stat , potentiam A. esse perfectiorem potentia B. , & tamen quod operatio potentie A. non sit , adhuc ceteris paribus , perfectior operatione potentie B. Probatur 2. idem antecedens . Eo ipso , quod potentia A. procreare valeat alios plures effectus , & longè perfectiores , quam potentia B. est hac perfectior ; sed stat benè , procreare posse hos plures , & perfectiores effectus , & tamen quod respectu objecti A. eliciat actum vel imperfectiorem , vel saltem equarem , ceteris paribus , actui elicito per potentiam B. circa idem objectum : ergo . Ex quibus omnibus concludit num. 22. hoc Adagium : Quod perfectior est potentia , et perfectior est operatio , intelligendum non esse facta comparatione inter unumquemque actum potentiae perfectioris , & unumquemque imperfectioris circa idem objectum ; sed inter cumulum ex omnibus actibus unius , & cumulum ex omnibus actibus alterius . Distinguo antecedens instantie . Quando sermo est de actibus non prærequisentibus determinatè eas potentias disparem : concedo ; de prærequirentibus ; subdistinguo , si cetera sunt imparia : concedo ; si sunt paria ; nego .

34. Ad primam confirmationem respondeo . Aliud est visionem lynceam esse perfectiorem intensivè , & formaliter in meditatione visionis : & aliud , esse physicè , entitativèque perfectiorem

vifione humana . Primum est verum, sed nobis non officit: quoniam  
jam diximus in hoc axiome nos non recognoscere excessum for-  
malem , atque intensivum in actu potentiae nobilioris collato cum  
actu potentiae ignobilioris . Porro secundum est falsum : quia licet  
visio lyncea, attenta sola vivacitate, superare videatur humanam , at-  
tamen ab hac physicè , & entitativè superatur , ex eo quod humana  
visio est exercitium , per quod in actu secundo vivit nobilior sub-  
stantia , prærequiritque nobilius principium , & nobilius subjectum .  
Sic quamquam actus charitatis intensus ut quatuor , & productus  
ab homine sit intensivè , ac in ratione formalí charitatis perfectior  
actus charitatis intenso ut tria , elicitoque ab Angelo , attamen hic  
physicè , & entitativè perfectior est illo , quia talis natura est , ut  
contentus non sit principio , & subjecto mindis perfectis , sed deter-  
minatè poscat principium , & subjectum perfectiora . Neque reor  
satis firmam esse rationem , qua hic Auctor confutat solutionem de-  
promptam ex inéqualitate organorum ; organica enim corporis  
dispositio non producitur efficienter ab anima , cùm præsupponatur  
pro priori ad illam , tanquam una ex dispositionibus naturaliter de-  
bitis animabus : producitur ergo à forma feminis generantibus , vel à  
sanguine materno , vel ab utroque , vel ab aliis causis naturalibus ,  
ut evenit in viventibus , que ex putredine , non autem per gene-  
rationem producuntur , vel denique à forma corporeitatis . Ad 2.  
probationem distinguo minorem , si actus non præsupponat deter-  
minatè potentiam perfectiorem ; concedo : si præsupponat subdi-  
stinguo , quod eliciat actum imperfectiorem , vel aqualem in per-  
fectione physica , atque entitativa; nego : in perfectione formalí , &  
intensiva ; concedo . Ex quibus omnibus colligitur præfatum axio-  
ma intelligendum esse non tantum facta comparatione inter cu-  
mulum , & cumulum ; sed etiam inter unumquemque actum  
potentiae perfectioris , & unumquemque imper-  
fectioris , adhibitis vero limitati-  
bus , quas num. 18.  
dedimus .



CA-

## CAPUT QUINTUM.

*Quò perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam;*

35.  Oc axioma non leve habet fundamentum apud Philosophum multis probantem. Actum substantiâ, & perfectione priorem esse, quam potentiam. Sed hoc postea. Igitur potentia esse potest logica, vel physica: hæc vel passiva, vel activa, & ambæ, aut indifferentes ad suos actus, aut determinatæ ad illos. Infuper potentia activa esse potest, vel principalis, vel instrumentalis. Principalis autem vel naturalis, vel obedientialis: & deum naturalis vel adæquata, vel inadæquata. His positis negat absolute hoc axioma

P. Ripalda. P. Oviedo admittit illud, si procedat de potentia, seu causa, per se requisita ad operationem; secus de potentia non requisita per se. P. Petavius probat absolute illud, nec non P. Salas. Dico ergo 1. Quò perfectior fuerit actus, perfectiorem exigit potentiam

P. Ovie. logicam, non quidem proportione geometrica, sed exactissima, & 31. de intell. arithmeticæ, & hoc sive cætera sint paria, sive imparia. Ratio est 4. de beatitud. pun. 2. num. 23. facilis. Potentiam logicam, ut distinctam à physica, intelligo potentiam realiter, simpliciter identificatam cum suo actu, id est

P. Petavius. tom. 2. lib. 5. cap. 6. n. 8. quod est: sic à plerisque dicitur essentia esse potentia logica ad existendum; & mens divina esse potentia logica ad intellectuionem necessariam: ergo opus est inter hanc potentiam, & suum actum dari

P. Salas. 1. 2. tom. 1. q. 3. tra. 2. disput. 2. 20. & sibi. 21. equalitatem in perfectione strictissimam, & arithmeticam; repugnat enim, quod è duobus omnino realiter identificatis unum vel latum unguem excedat alterum perfectione, juxta generalem doctrinam de impossibilitate contradictionum in extremis creatis realiter identificatis datam disp. 1. Logicæ: ergo quò perfectior fuerit actus, eò cum proportione arithmeticæ perfectiorem exigit potentiam logicam, proportione inquam, tum respectu potentie ( quoniam tot, nec plures, nec pauciores habere debet gradus perfectionis, quot habuerit illa potentia ), tum etiam respectu aliorum quorumcumque; nam alias res debet excedere eisdem gradibus, nec pluribus, nec paucioribus, quibus potentia excederit illas. Neque hic valet, quod cætera paria sint, vel disparia. Etenim si paritas, imparitasve in aliis,

neque impedit actuam esse absolute perfectiorem, neque impedit realem

Metib. 9.  
q. terti. 13.

lem identitatem potentie cum actu; consecutarium est, ut non impedit potentiam esse absolute, & simpliciter perfectiorem: aded stricta sunt jura identitatis realis in creatis; & quamquam in quibusdam realitatibus divinis agnoscatur capacitas suscipiendi per contradicitorum, non tamen ut unum sit entitativè, ac omnibus potestis perfectius alio à parte rei. Omnia namque divina eadem perfectione simpliciter infinità Dei realiter à parte rei nobilitantur. Quamobrem hęc prima conclusio intelligi debet tam de actu, & potentia logica divinis, quam de creatis.

36. Dico 2. Non quod perfectior fuerit actus, eo perfectior est potentia passiva illius, nisi forte haec sit per se ab intrinseco determinata ad illum; & cetera sint paria. Probatur: forma Leonis est actus entitativè perfectior formæ canis; & tamen potentia physica passiva formæ Leonis non est entitativè perfectior potentia physica passiva formæ canis; nam haec potentia est materia prima, & ambæ materies primæ sunt ejusdem speciei, ejusdem perfectionis, vel imperfectiōnis entitativæ; ergo. Neque resert, organicas dispositiones inæquales esse: nam quanquam hoc ita sit, illę pro formali, ut potè accidentia, consistentes in membrorum hac, vel illa distantia, aut mole inter se distinguuntur realiter à materia prima, quæ sola ut distincta, licet non ut separata ab organizatione recipit formam. Probo exceptionem: subjectum esse per se ab intrinseco determinatum ad habendum actum perfectiorem, nec quolibet vulgari, & minus perfecto esse contentum; aliqua perfectio est, aliquisque titulus estimabilitatis illius subjecti; ergo si cetera fuerint paria, & una potentia physica passiva determinata sit ab intrinseco ad actum perfectum, ut quatuor v. g. & alia contenta sit actu perfecto ut duo, illa prima vincit aliqua perfectione hanc secundam: sic materia prima reduplicativè, ut ultimò disposita ad formam Leonis est perfectior alià materię primā, cum specificativè sumptā, cum ut ultimò disposita ad formam canis: non quia ambæ materies primæ sumptæ specificativè sint perfectione inæquales; sed quia dispositiones, ut potè exigentes formas inæqualiter perfectas, sunt quoque inæqualiter perfectæ. Ceterum excessus hic non est equalis perfectioni actus, quoniam materia ut ultimò præparata ad formam Leonis est determinata ad formam perfectiorem: & tamen, ut ultimò præparata, non æquat perfectionem illius formæ.

37. Dico 3. Non quod perfectior est actus, eo perfectior est potentia physica activa sumpta in actu primo remoto, nisi forte haec fuerit

fuerit per se ab intrinseco determinata ad eum ; eo quod sit determinata ad habendum ea comprincipia , conditionesque , quibus constituitur in actu primo proximo : & hoc sive sermo fuerit de potentia activa principalis , sive de instrumentalis ; item sive de naturali ; sive de obedientiali . Probatur : actus visionis beatificæ , quo donatur humanitas Christi Domini , perfectior est visione beatifica , qua gaudent reliquæ animæ ; & tamen potentia activa physica Christi Domini sumpta in actu primo remoto , idest intellectus , suæ humanitatis non est entitativè perfectior simili potentia reliquarum animarum : quandoquidem intellectus harum , & Christi Domini sunt æquales perfectione ; ergo non quod perfectior est actus ; ed semper est universaliter perfectior sua potentia activa inadæquata , seu sua potentia sumpta in actu primo remoto . Explicitur singillatum in speciebus potentiarum activarum memoratis . Perfectior est actus producendi formam ignis , quam actus producendi calorem , cum ille terminetur ad existentiam substantiæ , hic vero ad existentiam accidentis ; & tamen non semper est perfectior potentia sive principalis , sive instrumentalis productiva formæ ignis , quam similis potentia productiva caloris . Probatur : esto Petrus uti igne A. ad producendum alium ignem , esto insuper Joannes uti igne B. ad solum calorem producendum : in hoc casu potentiarum principales in actu primo remoto sunt Petrus , & Joannes : sicut enim artifex est causa principalis statuæ , nam pro suo libito , & juxta suam artem utitur instrumentis ad levigandum materiam , perficiendumque statuam : ita si Petrus , & Joannes pro suo libito utantur ignibus A. & B. ad certos quosdam fines , quos intendunt , abs dubio nuncupantur causæ principales illorum finium . Principales inquam non absolute , & simpliciter ; quoniam juxta hanc phrasim solus Deus est causa principalis rerum , sed intra sphæræ causæ creatæ . Rursus causæ instrumentales in actu primo remoto sunt ipsi ignes A. & B. aut si ravis , calores eisdem congeniti , nam per se ab intrinseco sunt capaces effendi id , quo alia causa superior utatur ad effectus determinatos producendos ; & tamen neque inter Petrum , & Joannem secundum se inspectos , neque inter ambos illos ignes , neque inter amborum proprios calores adest inæqualitas in perfectione physica , & entitativa ; ergo non quod perfectior est actus , ed semper , ac necessariò perfectior est potentia sive principalis , sive instrumentalis sumpta in actu primo remoto .

38. Similiter de potentiis naturali , & obedientiali . Cognitio  
albe-

albedinis A. intensa ut quatuor elicta à Petro est actus entitativè perfectior cognitione albedinis B. intensa ut duo elicta à Joanne. Rursus actus charitatis supernaturalis intensus ut quatuor productus à Petro perfectior est entitativè, ac in ratione formalí theologica actu ejusdem virtutis intensè ut duo producto à Joanne; & tamen neque potentia naturalis sumpta in actu primo remoto ad illam proximam cognitionem est perfectior potentia naturali similiter sumpta ad secundam cognitionem, quoniam hę potentię nihil aliud sunt, quam intellectus Petri, & Joannis, qui sicut intellectus sunt perfectione pares; neque potentia obedientialis ad primum actum charitatis sumpta in actu primo remoto est entitativè perfectior potentia obedientiali pariter sumpta ad secundum actum charitatis, nam hę potentię nil aliud sunt, quam voluntates horum hominum, que per se ab intrinseco sunt capaces, ut informentur habitu supernaturali charitatis, quo juventur ad eliciendum actum supernaturalem charitatis, tametsi talem habitum neque exigant, neque exigere possint; ergo non quò perfectior est actus, sed semper, ac necessariò perfectior est potentia sive naturalis, sive obedientialis sumpta in actu primo remoto.

39. Ratio à priori. Effectus non accipit suam existentiam, perfectionemve ab una sola parte causæ, sed à tota causa: non à sola causa, ut in actu primo remoto; sed à causa ut in actu primo proximo, completo, & per se sufficienti ad producendum ipsum effectum; ergo germana, & universalis regula, qua utendum est nobis ad taxandam effectus perfectionem, neque est una sola pars cause, hoc est causa inadæquata, neque causa ut in actu primo remoto, sed tota causa ut in actu primo proximo; ergo ex effectus perfectione debile sumitur argumentum ad cognoscendum perfectiōnem, aut solius causæ inadæquatas, aut solius causæ ut in actu primo remoto; ergo non quò perfectior est actus, operatio, seu effectus, sed semper, & necessariò perfectior est potentia activa sumpta in actu primo remoto, sive sermo fuerit de potentia principali, sive de instrumentalī, sive de naturali, sive de obedientiali: & hoc tametsi cetera sint paria, ut revera sunt quoad potentias in actu primo remoto in exemplis, quæ produxi; quod si cetera fuerint non paria, idest si actus potentia A. est perfectior actu potentia B., verum inter eas potentias dantur aliæ disparitates: in ista hypothesi aliquando continget potentiam A. perfectiore esse, quām potentiam B. aliquando imperfectiore, juxta conditionem disparitatum, quæ

ad trutinam prudentis judicij revocandæ sunt. Atque idcirco signatè dixi, non semper, & necessariè esse perfectiorem potentiam in actu primo remota, eo quod perfectior sit operatio: neque ex augmento perfectionis in actu argui ratione formæ augmentum perfectionis in potentia sumpta in actu remoto; ratione autem materiæ quandoque arguitur, quandoque non.

### §. I I.

40. **P**robo demum limitationem adjunctam, videlicet si potentia in actu primo remoto, tum principalis, tum instrumentalis, tum naturalis, tum obedientialis ponatur, aut fingatur per se ab intrinseco determinata ad actum perfectiorem (eo quod ex suis intrinsecis exigat illa comprincipia, & conditiones, quibus constituitur in actu primo proximo ad talem actum) est perfectior, quam potentia similiter determinata ad actum imperfectiorem, modò cætera fuerint paria; secus si imparia sint. Habere determinationem ad melius, neque vulgari quovis esse contentum in eis, quæ non dependent ab appetitu elicito, est perfectio, titulusque, ut pluris estimetur subiectum tam nobilis conditionis; ergo si due potentie actives in omnibus reliquis equalitatem habent, discrepant verò in eo, quod una sit determinata ad actu meliorem, eo quod determinata sit ad ea comprincipia, quibus constituitur in actu primo proximo ad melius operandum: altera autem determinata sit ad actu, & comprincipia inferioris conditionis, neceſſe videtur illam primam vincere perfectione hanc secundam. Secus dicendum si cætera sint imparia: quamquam enim hoc solo titulo inspecto illa prima potentia superior appareat hac secunda; potest tamen hæc secunda alia habere attributa, quibus supererit illam primam. Probatur: eo ipso quod hæc secunda potentia *B.* determinata sit ad alios actus operandi multè perfectiores eo actu perfecto, ad quem est determinata illa potentia *A.* potentia *B.* erit perfectior, quam potentia *A.* at in sensu composito hujus, quod est potentiam *B.* esse determinatam ad aliquem actu imperfectiorem illo, ad quem est determinata potentia *A.* potest contingere, quod sit determinata ad alios actus perfectiores; nam bene coherent, potentiam esse determinatam ad duos actus, quorum unus est imperfectior, & alter perfectior, ut evenit in vivente humano, quod est determinatum ad nutritionem, sensationem, atque intellectuē, qui sunt actus perfectione inæquales;

Ies; ergo fieri potest, quòd potentia determinata ad actum imperficiorem sit nobilior potentia determinata ad perfectiorem, eo quod cætera non sint paria. Opus ergo est paritate reliquorum.

41. Dico 4. Non quòd perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam activam adhuc in actu primo proximo, si sermo sit de potentia libera: ast si sermo fuerit de actu, & potentia necessariis, quòd perfectior sit actus, eò semper, ac necessariò perfectiorem poscit potentiam activam sumptam in actu primo proximo: perfectiorem inquam cum proportione ad excessum perfectionis, quo pollet actus: quām ob rem si is fuerit physicè materialiter, & entitativè dumtaxat perfectior actu aliis potentiae, potentia ut in actu primo proximo ad eum actum, debet esse physicè quoque, & entitativè perfectior, quām potentia proxima, & immediata ad hunc secundum actum, sin verò actus potentiae A. v. g. intensivè etiam, & in propria ratione formalí fuerit perfectior actu potentiae B. potentia A. in actu primo proximo debet esse intensivè, & in ea ratione formalí, vel alià eam eminenter præcontinente perfectior potentia proximâ B. quæ intelligenda sunt modò cætera sint paria. Probo primam partem: fieri potest quòd duo homines cum æqualibus auxiliis, æqualibusque cæteris principiis producant actu charitatis inæquales: Petrus v. g. charitatem intensam ut quatuor; Joannes autem intensam ut duo: Ægrè admodum assignabis contradictionem: at in hoc casu potentia Petri, ut in actu primo proximo ad charitatem, ut quatuor, neque physicè, ac materialiter; neque intensivè, ac formaliter in ratione elevata est perfectior potentia proximâ, immediata Joannis ad suam charitatem ut duo; ergo quando sermo sit de actu, & potentia liberis, non quòd perfectior fuerit actus, eò perfectior esse debet potentia adhuc proxima, & immediata.

42. Et ratio, quæ paritatem preuenit desumendam ex secunda parte conclusionis, est. Potentia proximè, & immediate libera non tantùm est libera ad substantiam actus; verùm etiam ad intensionem; videtur clarum: quia non tantùm habemus libertatem ad eliciendum, vel non eliciendum simpliciter actu charitatis; verùm etiam ad eliciendum intensum, aut remissum: alias intensio, ac remissio suorum actuum non verteretur homini laudi, aut vituperio: ergo quemadmodum potest omittere actu, ita potest intensionem minorem ipsi dare: ergo quamquām potentia A. & B. ut proximæ atque immediatæ, sint omnino æquales perfectione;

potest nihilominus una exerceri melius, quam altera. Hoc non accidit in potentiis necessariis, quae ut in actu proximo ad operandum non possunt non operari quantum possunt. Quod circa si potentia A., & B. necessariae sumptae in actu primo proximo in omnibus, & per omnia fuerint aequales, ambarum operationes erunt aequales: nullum quippe erit tunc limitativum perfectionis in operatione alterutrius potentiae: ergo si operationes inaequales perfectione evadunt; necessum est, eas duas potentias ut in actu primo proximo esse quoque perfectione inaequales.

43. Hinc probo secundam partem conclusionis; quoties duæ potentiae operantur tota perfectione, qua possunt, & una operatur magis perfectè, ea est magis potens, seu magis perfectè operativa, quam hæc secunda, subindeque, si cetera sint paria, perfectior est, quam hæc secunda: at potentia A. & B., ut in actu primo proximo ad operandum, operantur tota perfectione, qua possunt ( ponimus enim, ambas esse potentias necessarias: potentiae autem necessarie, quando sunt in actu primo proximo, operantur totum, quod possunt, & tantæ, quantæ possunt perfectione juxta dispositiones, quas habent) & ulterius potentia A. operatur magis perfectè, quam potentia B., nam etiam ponimus actum operandi potentiae A. perfectiorem esse, omnibus pensatis, quam actum operandi potentiae B. ergo potentia A., ut in actu primo proximo est magis potens, seu magis perfectè operativa, quam potentia B. ergo, ut in actu primo proximo est quoque magis perfecta, si cetera sint paria, idest complexum ex potentia A., & suis omnibus principiis perfectius est complexo potentiae B., & suorum principiorum: ergo quod actus fuerit perfectior; eò semper, ac necessario est perfectior potentia necessaria activa illius, sumpta in actu primo proximo, cum tamen cetera sint paria.

44. Neque dicas 1. Potentiam visivam lyncis, ut in actu primo proximo ad videndum perfectiorem gignere visionem, quam potentiam visivam humanam: & tamen illa adhuc in actu primo proximo non est perfectior hac. Etenim vel potentia visiva humanae identificatur cum animo rationali (ut vero similius reor) vel non? Si primum; cetera non erunt paria, quoniam potentia visiva humana multifariam in sensu reali superat perfectione lynceam: cumque nos prefatam calculationem protegamus sub conditione, quod in aliis attributis non detur disparitas, inde fit, tuum argumentum nobis non officere. Si secundum; nego tuam minorem; in ea quippe hypo.

hypothesi perfectior entitativè est potentia visiva lyncis , quām hominis : quodsi adhuc censneris , imperfectiorem esse, teneberis ad alias disparitates confugere ; quo fiet cætera non esse paria .

45. Neque dicas 2. solem , ut in actu primo proximo ad producendum calorem in hoc cubiculo , producere calorem minùs perfectum calore producto ab illa fornace A. & tamen ut in actu primo proximo adhunc minorem calorem esse longe perfectiorem ea fornace ; quoniam ut in actu primo proximo importat substantiam ipsam solis , quæ sine dubio perfectior est illo igne . Contra . Nam hoc ipso cætera non sunt paria , cùm vastum detur discrimen inter substantiam solis , & substantiam ignis complentis illam fornacem ; nos autem loquimur in suppositione , quodd̄ potentia A. & B. in cæteris omnibus æqualitatem retineant , & unicè discrepent in eo , quodd̄ una perfectiorem producat operationem . Neque dicas 3. animam , ut in actu proximo ad sensationem materialem perfectius operari , quām ipsam ut in actu primo proximo ad nutritionem ; perfectior enim vita est sensatio , quām mera nutritio , & tamen anima , ut in actu primo proximo ad sensationem non est entitativè perfectior se ipsa ut in actu primo proximo ad nutritionem . Hoc est falsum . Nam licet anima nequeat perfectior esse se ipsa , attamen complexum ex anima , & dispositionibus unis potest esse perfectius complexo ex anima , & dispositionibus alteris : at anima ut in actu primo proximo non est sola anima , sed complexum ex illa , & dispositionibus : ergo anima ut in uno actu primo proximo potest esse perfectior , quām anima ipsa ut in altero actu primo proximo , non quodd̄ anima intrinsecè mutetur , siquidem non sit comparatio inter animam , & animam ; sed quodd̄ unæ , & alteræ dispositions diversæ sint , & inter has sit comparatio .

### §. III.

46. **H**abemus jam non improbabiliter prædictum axioma , Quod perfectior est actus , et perfectior est potentia , esse verum loquendo de potentiis necessariis , ac ut in actu primo proximo ad operandum ; restat explicare particulas adhibitas . Et in primis si calculatio fiat inter potentiam & actum , non sufficit geometrica ; sed desideratur exactissima , & saltem arithmeticæ . Probatur . Actus sicut existentiam , ita totam suam perfectionem suscipit à potentia sui activa ut in actu primo proximo : ergo hæc sic sum-

pta debet continere illum formaliter, vel eminenter: ergo si illa fungatur quatuor gradibus v. g. perfectionis, opus est, quod potentia, ut in actu primo proximo ad eum, totidem habeat vel formaliter, vel eminenter gradus perfectionis. In hoc stat proportio exactissima, & saltem arithmeticā: ergo si calculatio fiat inter potentiam, & actum, non sufficit proportio geometricā; sed desideratur saltem arithmeticā. Dico saltem, nam fieri potest, ut potentia activa multò excellentior sit suo actū, ut experieniā constat. 2. Si proportio expendatur inter potentiam, & ea, quæ suus actus vincit perfectionē, etiam debet esse arithmeticā saltem: quoniam si suus actus altior est actu aliis potentiae quatuor gradibus, eisdem ad minimum altior esse debet potentia, ut in actu proximo, ob nuper dicta.

47. 3. Si pensetur proportio inter potentiam magis perfectam, & minus perfectam operantem; non est necessarium, quod sit arithmeticā; sed sufficit geometricā, id est non requiritur, quod si unus actus vincit alterum quatuor gradibus perfectionis, una quoque potentia vincat alteram aliis quatuor gradibus: etenim si potentia imperfectior eliciens actum ut duo nequiret ampliorem habere perfectionem, quam ut duo, conficeretur potentiam perfectiorem tot gradibus excedere imperfectiorem, quot actus perfectioris excedit actum imperfectioris; Potentia namque perfectior eisdem saltem habere debet gradus perfectionis, quos habuerit suus actus: ergo si suus actus vincit quatuor gradibus actum alterius potentiae; necesse est, potentiam quoque perfectiorem vincere quatuor gradibus actum alterius potentiae: ergo si hæc altera potentia activa non esset magis perfecta, quam suus actus, proculdubio vinceretur quatuor gradibus à potentia perfectiore: at verò cum possit contingere potentiam elicitivam actus imperfectioris ut in actu primo proximo ad eum elicendum, esse magis perfectam, omnibus pensatis, quam suum actum: inde fit, non esse necessarium, quod si unus actus superat alterum quatuor gradibus v. g. una potentia superet alteram aliis quatuor gradibus: ergo si calculatio fiat inter potentiam, & potentiam, non requiritur proportio arithmeticā cum calculatione inter actum, & actum.

48. 4. Excessus potentiae A. v. g. respectu potentiae B. debet esse consentaneus qualitati excessus unius actus respectu alterius, & non requiritur, quod sit in alio ordine. Explicatur: actus potentiae A. potest perfectior esse actu potentiae B. intensivè, ac in propria ratione

ne formalis , qualis est cognitio intensa ut quatuor respectu cognitionis intensae ut duo : & potest esse perfectior non intensivè , ac in propria ratione formalis ; sed physicè dumtaxat , materialiter , atque entitativè : sic visio beatifica intensa , ut quatuor producta ab Angelo perfectior est non intensivè , & in ratione formalis visionis beatificæ ; sed materialiter tantummodo , & entitativè , quamvis visio beatifica intensa ut quatuor etiam , & ab homine producta . Dico ergo , si actus potentiae A. purè physicè , & materialiter superat actum potentiae B. tantummodo requiritur , quod potentia A. ut in actu primo proximo ad suum actum physicè , & materialiter superet perfectionem potentiae B. & minimè desideratur , quod intensivè quoque , & in hac vel illa determinata ratione formalis superet perfectionem potentiae B: sic potentia Angelica ut in actu primo proximo ad visionem beatificam ut quatuor , est perfectior potentiae humana , ut in actu primo proximo ad visionem quoque ut quatuor purè physicè , atque entitativè non verò intensivè , ac in ratione formalis *Productivi visionis beatæ* : facta enim prædicta suppositione , tantam vim , & non minorem ad producendum visionem beatam habet potentia humana , quam Angelica , juxta superius scripta : si quidem tanto , & non minore fungitur lumine gloriae : ergo potentia humana non est imperfectior Angelicæ intensivè , ac in ratione formalis productivi beatæ visionis : si enim potentia Angelica in ea suppositione majore vi polleret , quam humana , intensiorem produceret visionem Dei : siquidem est potentia necessaria , & operatur quantum potest ; at non majorem producit visionem Dei , ut ponimus : ergo . Sin autem ille primus actus sit perfectior hoc secundo intensivè etiam , ac in propria ratione formalis ; desideratur , quod potentia A. intensivè etiam , ac in illa eadem ratione formalis sit perfectior , quam potentia B. : sic quia visio , qua fruitur Mater Dei perfectior est intensivè , & in ratione formalis visionis beatæ , quamvis visio , qua fruitur alia anima beata ; idcirco potentia Deiparæ , ut in actu primo proximo ad eam visionem , perfectior est intensivè , ac in ratione formalis , *Productivi beatæ visionis* , quamvis potentia aliis beati similiter constituta : hoc est complexum ex potentia , & lumine gloriae Deiparæ magis secundum , & activum est visionis beatificæ ut talis , quamvis complexum ex potentia , & lumine aliis beati .

49. Ratio est . Potentiam activam adæquatam , & completam ut in actu primo proximo habere tantam perfectionem , quantam

habet actus physicus à se physicè procreatus, est prorsus necessarium, alioquin potentia adæquata physica in statu illo, neque formaliter, neque eminenter contineret eum actum, unde nequiret se sola illum producere. Cæterum eam potentiam habere ampliorem perfectionem in eadem specie sui actus, vel in alia nobiliore liberum est; quoniam causa potest æqualis esse effectui, & etiam illo superior. Hinc sequuntur duo. Primum est, quod si potentia A. physicè dumtaxat, & materialiter fuerit perfectior, quam actus potentia B. sufficit potentiam A. superare potentiam B. physicè, & materialiter, neque requiritur superare eamdem intensivè, & in aliqua determinata ratione formali. Secundum est, quod si predictus actus intensivè quoque, & in propria ratione formali vincat actum potentia B. opus est potentiam A. intensivè, & in ea ratione formaliter vincere potentiam B. Quoniam si haec duæ potentias ut in actu primo proximo ad suos actus physicos essent perfectione intensiva pares, prorumperent in actus perfectione quoque intensiva pares; sunt quippe potentias necessariae, & operantur totum, quod possunt: ergo si prorumpunt in actus perfectione intensiva inæquales, signum est à posteriori, eas quoque potentias ut in actu proximo constitutas esse in ea perfectione intensiva impares. Demum, ut subsistat calculatio, quam præfert hoc axioma, adhuc post limitationes adhibitas, opus est, quod cætera sint paria; si enim potentia A. & B. aliunde disparitates habuerint, fieri poterit, quod potentia A. necessaria in actum perfectiorem prodicens tam longè absit, ut perfectior sit potentia B. ut potius imperfectior sit absolute, & simpliciter: sic posita identitate reali potentiarum cum anima, potentia visiva humana ut in actu primo proximo ad videndum est multò perfectior, quam potentia visiva lyncea etiam in actu primo proximo constituta; & tamen haec prorumpit in visionem magis vivacem, & intensam: sic etiam ignis vibrat hic calorem longè intensiorem calorem, quem hic quoque producit Sol; et tamen Sol ut in actu primo proximo ad hunc calorem tepidum producendum, longè superat perfectionem ignis, nempè quia in utroque casu cætera non sunt paria.

50. Et ratio est, quam suggerit Prudentia, quamque non semel obtulimus, videlicet ad justam, & prudentem duorum comparisonem non unum tantum, aut alterum attributum expendendum esse, sed omnia; alias dicemus formicam esse perfectiorem homine, inspectâ nimirum in hoc sola formalitate Corporis, & in illa

illa viventis sensibilis: ergo fieri potest, quod licet unum in hac, vel illa ratione vincat alterum; absolute tamen & simpliciter, atque omnibus pensatis excedatur ab illo: ergo fieri potest, quod potentia *A.* necessaria prodeat in actum perfectiorem, & potentia *B.* in actum imperfectum, & tamen quod aliis titulis, proprietatibus, effectibus, conditionibus, attributisque longè supererit potentia *B.* potentiam *A.* Ne ergo calculatio in sensu reali facta (quidquid sit de præcisionibus mentalibus) mendosa evadat, opus est, quod ambae potentiae in reliquis æqualitatem servent. Non diffitear posse contingere, quod cætera sint disparia, & tamen quod potentia ut in actu primo proximo determinata ad actum perfectiorem adhuc sit perfectior, quam potentia *B.* ut in actu primo proximo determinata ad imperfectiorem; tanta namque potest esse perfectio illius actus, ad quem est determinata potentia altera *A.* ut obruat alias disparitates, quibus potentia *B.* æquare poterat, vel etiam superare potentiam *A.* sic data identitate potentiarum cum substantia inter potentiam loco motivam Angelii, & potentiam Christi Domini ad perfectissimam illam visionem, qua donatus, cætera non sunt paria: quandoquidem potentia Angelica specificativè sumpta perfectior est, quam humana in suppositione dicta: ast quia perfectissima visio Dei, qua gaudet sanctissima humanitas multis Myriadibus graduum perfectionis vincit motum localem Angelorum, propterea enervat multas alias disparitates, quæ confortare possunt potentiam loco motivam Angelorum, estque in causa ut potentia cognoscitiva Christi Domini ut in actu primo proximo ad elicendum tantam, & talem visionem beatificam sit longè perfectior potentia loco motiva Angelii ut in actu primo proximo potenter elicere motum localem. Hoc non nego, sed tantum dico, quod, ut calculatio firma sit, atque universalis, indispensabiliter desideratur, quod cætera sint paria. Jam fructus ex hac procedens doctrina est, multa imbecilla argumenta per totam divagantia Philosophiam, atque Theologiam rescindere, seu ad veritatem revocare.

## §. IV.

51. **O**ccasione hujus axiomatis siscitabitur aliquis: an qualibet <sup>P. Arriagam</sup> creatura elevari possit ad quacumque aliam producen- <sup>ga disp. 12. phis. scđ.</sup> dam? Affirmat Eximus Doctor, negat P. Vasquez: legit tu, si 4<sup>o</sup> vacat, P. Arriagam. Sequor P. Vasquez, & hac ratione moveor, <sup>qua</sup>

*Aug 6. in  
Joan.*

qua etiam probatur Sacra menta non esse causam physicam gratiæ , v. g. aquam , & verba Baptismi dumtaxat esse causam moralem gratiæ , quatenus sunt moraliter actiones Christi Domini , juxta famosa illa verba Augustini sic de Christo Domino loquentis : *Petrus baptizet , bic est , qui baptizat : Judas baptizet , bic est , qui baptizat .* Igitur arguo sic : nihil carens virtute , etiam radicali , & remota ad producendum gratiam v. g. potest elevari ad ipsam producendam : hoc namque , quod est , *physicè producere aliquid , intrinsecè , & essentia- liter importat virtutem producendi in producente :* quod circa nec divinitus evenire potest , ut producat aliquid res illa , quæ nullam omnino habet virtutem ad tale aliquid producendum ; ast aqua v.g. caret virtute etiam remota producendi gratiam : quoniam virtus hæc remota , quæ obedientialis fuerit dici , est perfectio , & magna quidem ; eiusmodi autem perfectiones non sunt affigendæ rebus creatis de facto existentibus absque urgenti fundamento , quod in præsenti non datur : ergo aqua non potest elevari ad producendum gratiam : ergo non quælibet res elevari potest ad quamcumque aliam producendam . Dices primò ex hac elevatione non sequi duo contradictoria . Respondeo sequi hæc duo : aquam verè , & realiter producere gratiam , ut tu fateris , & aquam non producere verè , & realiter gratiam , siquidem omni omnino caret virtute ad producendum illam , eo quod nullum adsit fundamentum , ut concedamus aquæ hanc virtutem .

52. Dices secundò : Aquam non habere de facto hanc virtutem ; posse tamen illam habere : quia quemadmodum calor , qui est virtus productiva allus caloris recipi potest in aqua , & tunc aqua dicitur calefacere , habereque virtutem calefaciendi : ita potest Deus facere , ut virtus productiva gratiæ recipiatur in aqua ; & tunc dicetur , aquam producere gratiam . Contra 1. Virtus obedientialis , seu radicalis , & remota non est quid superveniens rebus ; sed prædicatum summè intimum , atque essentiale illi rei , quæ tam virtutem habuerit ; ergo nulla est solutio . Probatur antecedens : capacitas , atque incapacitas effendi , vel non effendi non est quid superveniens rebus ; sed prædicatum ipsis intrinsecum , atque essentiale : sic homo v. g. per solam suam essentiam est remotè incapax effendi equum , Deum &c. ( ne impertinenter intrudas communicationem idiomatum ) atqui virtus obedientialis , seu radicalis , & remota nihil aliud est , quam capacitas producendi , vel recipiendi aliquid : ergo virtus obedientialis est prædicatum intimum rebus eam

eam virtutem habentibus. Contra 2. ex isto eodem exemplo: quemadmodum quod verè, & propriè calefacit non est aqua, sed calor in ipsa receptus; & aqua tantum denominativè calefacit: ita casu, quo Deus uniret aquæ virtutem aliquam extraneam producendi gratiam, illa sola virtus esset, quæ verè, & propriè producet gratiam, aqua autem denominativè dumtaxat & instar vehiculī virtutis illius, ut constabit ex uberiori dicendis, quando exponeamus proloquium illud. *Actiones sunt suppositorum.*

53. Dices 3. Hæc virtus obedientialis est mera non repugnativa producendi quamcumque aliam rem: & sicut unaquæque res habet non repugnantiam recipiendi aliud; ita habet non repugnantiam producendi aliud. Fateor virtutem obedientialem passivam esse meram non repugnantiam; quoniam virtus passiva præcisè ut talis, nihil agit, nullum habet influxum à se physicè egredientem: at virrus obedientialis activa non est mera non repugnantia, sed positiva perfectio (sicut impenetrabilitas quantitatis, tametsi verbis negativis explicetur, non est quid negativum; sed vis positiva, positivaque resistentia coeundi in eodem loco cum alia quantitate:) atqui nullum detegimus fundamentum ad ponendum in rebus creatis de facto existentibus ejusmodi positivam perfectionem: ergo.

## C A P U T   S E X T U M .

*An, Et qua ratione sint vera bac Axiomata: quod major fuerit Persona offensa, et major est offensa. Item: honor est in honorante.*

54.  Rimi Axiomatis semina jecit Philosophus inquiens: *s. Ethic.*  
*si is, qui magistratum gerit, alium percutit, non est cap. 5.*  
*repercutiendus; at si quis Magistratum percussit, P. Arriaga*  
*non solum repercutiendus est; sed & suppicio afficien-*  
*dus.* Adi Patrem Arriaga subtiliter simul, ac doctè 4. in 3. diff  
commentantem post P. Suarez hæc verba. Hoc axiomate utitur 20 q. 1. ar.  
non semel M. S. Thomas scribens: *Quando enim major est, in quem* 2. in 2. diff.  
*peccatur, tanto est major culpa.* Et alibi: *quando est dignior, in quem* 42. qu. 1.  
*peccatur, tanto peccatum magis punitur.* Et rursus: *tanto enim offensa* 3. p. q. 1.  
*est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur.* Cæterum cùm art. 2. ad  
S. Magister non tantum metiat gravitatem offensæ; verùm etiam 2.  
gravi-

gravitatem punitionis (ut constat ex secundo textu.) gravitate personæ offendæ : profectò si ex gravitate simpliciter infinita Dei inferre licet gravitatem simpliciter infinitam offendæ in ratione offendæ : inferre quoque licebit gravitatem simpliciter infinitam punitionis in ratione punitionis : quod a sperum videtur. Insuper cum S. Theologus, tum hic, tum locis productis per NN. DD. infinitati peccati apponat limitationem aliquam, v. g. *Peccatum in Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinite divina Majestatis, planum videtur, eum non docere proportionem exactam, arithmeticam, & univocam inter offendam, & Deum: aliàs cum Deus non quamdam habeat infinitatem; sed absolutè, simpliciter, ac sine ultra limitatione infinitus sit, sequeretur offendam quoque non quamdam præcisè habere infinitatem, ut S. Doctor scripsit; sed absolutam, ac sine restrictione ulla, quod non scripsit.* Neque obstat, ut alibi similibus terminis agentem de relatione, seu infinitudine simpliciter tali, ut obiicit M. Godoy. Nam hoc solum probat, verba S. Thomæ posse intelligi tum de infinitate simpliciter tali, tum de infinitate secundum quid; determinatè autem accipienda esse de infinitate simpliciter tali, prout volunt PP. Dominicani, non probat. Minùs propriè loqueretur, qui diceret, Divinam perfectiōnem habere quamdam infinitatem, & sanè non ob aliam causam, nisi quia divina perfectio absolutè, & simpliciter sine ullis terminis coarctantibus, est infinita: minùs ergo propriè loqueretur S. Thomas, si censens, offendam contra Deum esse absolutè, & simpliciter infinitam, scriberet eam habere quamdam infinitatem.

*P. Suarez in 3. p. disput. 4. scđ. 7.* 55. Major igitur, & potior NN. pars sequitur Eximum Doctorem concedentem hoc axioma de calculatione, seu proportione geometrica, negantem de arithmeticā. P. Vasq. negat, offendam crescere univocè ad incrementum personæ offendæ. P. Lugo docet, offendam Dei infinitis gradibus vincere alias offendas: esse tamen finitam. Dico itaque: quod major fuerit dignitas, sive intrinseca, sive extrinseca personæ offendæ, et major est non univocè, sed

*P. Lugo disp. 5. de Incarnat. num. 32.* equivocè, non cum proportione exactissima, & arithmeticā, sed latxa, & geometricā, offenda formalis; modò cætera sint paria, & fiat cum advertentia. Id est: quoties crescit dignitas personæ offendæ, crescit gravitas offendæ; sed non tantum, quantum crescit dignitas. Aliter dicendum videtur de offenda ut purè materiali: sic quoties luna ascendit, mare quoque ascendit; sed non tantum, quantum ascendit luna: sic quoties crescit applicatio agentis cum passo; cre-

## *Quò major est Persona offensæ.* I 4 I

crescit, cæteris paribus, intensio effectus; sed non semper crescit hæc tantum, quantum illa: fieri enim potest, quod applicatio sit summa, eo quod nil omnino mediet inter agens, & passum, & tamen quod intensio effectus non sit omnium summa: quo circa stat bene, dignitatem crescere simpliciter infinitè, quin gravitas offensæ sit simpliciter infinita. Probo i. partem, tum ex communi mortalium apprehensione. Cæteris paribus major est in prudentium judicio offensa irrogata nobili viro, quam plebejo; & irrogata Proceri, quam nobili privato; & irrogata Regi, quam Proceri: ergo juxta prudentium judicium quoties personæ offensæ dignitas augetur; augetur quoque gravitas offensæ, si cetera sint paria. Tum à priori. Quoties titulus, motivumque ab offensa retrahens creverit; crescat offensæ, si committatur, & cetera sint paria; at quoties crescit intentionaliter dignitas personæ offensæ (id est quoties major esse agnoscitur) crescit titulus, motivumque ab offensa retrahens: ergo quoties crescit intentionaliter dignitas personæ offensæ, crescit offensæ, si committatur, & cetera sint paria. Consequentia est legitima; minor perspicua videtur; quia dignitas personæ per se formaliter, ac immediatè reddit personam dignam, quæ colatur (non enim loquimur de alia dignitatis specie) ergo per se formaliter reddit objectivè personam indignam, ut spernatur: ergo per se formaliter resistit objectivè contemptui, & offensæ illius: ergo per se formaliter retrahit objectivè ab offensa illius: ergo quoties crescit, crescit titulus, seu motivum ab offensa retrahens objectivè: ergo si crescat etiam advertentia hujus dignitatis, crescit illud, quod formaliter, & immediatè retrahit objectivè ab offensa.

56. Neque te moveat, aliquos tam pravæ indolis esse homines, ut personarum excellentiæ, atque dignitate non modò non cohibentur ab offensa; verum etiam incitentur: pluris namq. videntur sibi estimandi fore, si majorem conculcent dignitatem: loquimur namq. de motivo sufficienti retrahendo homines, non de sufficienti, aut insufficienti retrahendo belluas. Probo jam majorem. i. exemplis. Crescente resistentiæ, crescit victoriaræ decus; crescente difficultate, crescit obsequii estimabilitas; crescente remora, crescit fatigas actus, cur ergo crescente titulo ab offendendo personam retrahente, non crescat gravitas offensæ? Quemadmodum enim ad proterendum majorem hostium resistantiam, majori opus est vigore; ita ad enervandum majorem titulum retrahentem ab offensa, opus est, quod offensæ majores habeat vires, seu sit major: ergo quoties titulus

lus retrahens eo modo , quo retrahit , crescat ; necesse est , gravitatem offendere crescere , si committitur , aliunde non subrepatur disparitas : & ratio est . Quoties crescit forma constitutiva rei in effe- talis , crescit res in esse talis , juxta explicationem dandam postea : sic quia albedo est forma , quae immediatè per se ipsam constituit sub-jectum in esse albi , si albedo fuerit major , subjectum erit magis album , sive subjectum in se sit majus , sive minus ; & quia sanctitas est forma , quae immediatè constituit subjectum in esse Sancti , si sanctitas augeatur ( quidquid sit de augmento , vel decremente materiali subjecti , ) subjectum est magis sanctum . Etenim quod his vocibus intelligimus , subjectum est magis album , est magis san-ctum , est subjectum habere majorem alborem , majorem sanctita-tem : quod circa illud habere majorem sanctitatem est formaliter , esse magis sanctum , nisi velimus terminis abuti : sed advertentia digni-tatis personæ retrahens ab offensa est forma , quae immediatè per se ipsam constituit actum , qui aliundè sit plenus consensus in esse offendivi illius personæ .

57. Probatur . Offensa formalis ut talis , intrinsecè claudit præ-dictam advertentiam , tanquam constitutivum sui ipsius ; ergo tan-quam subjectum , vel tanquam unionem , vel tanquam formam : hæc namque tria sola constituunt intrinsecè quemvis effectum formalem ; capacitas enim subjecti denominationem subeuntis non distinguitur à subjecto denominato : at non claudit illum tanquam subjectum , quod denominatur ; nemo quippe dicet , adverte-entiam dignitatis personæ esse offendam hujus ; non tanquam unionem formæ , cùm enim non sit vera , & physica unio dignitatis objectivæ cum actu offensivo : tantummodo potest vocari unio intentionalis , quæ impropriissimè est unio , & in phrasí præcisè concionatoria : ergo includit illam tanquam formam . Probo majorem : offensa for-malis ut talis neque consistit in solo actu offensivo , neque in sola dignitate objectiva , neque in solo complexo utriusque : ergo ali-iquid aliud includit essentialiter ; sed non est aliud præter adverten-tiam dignitatis offendæ : ergo hanc advertentiam intrinsecè inclu-dit . Probatur major : offensa formalis , ut talis , non consistit in eo solo , quo existente in rebus , potest non existere in rebus offensa formalis , ut talis ; at fieri potest , quod existente solo actu offensivo , & sola hac dignitate , & solo complexo utriusque , non detur offensa formalis . Probatur : deficiente inculpabiliter advertentia personæ offendæ , deficit offensa formalis ; deficit namque rationalis titulus ,

ut

ut offensus queratur de offendente, cùm hic habeat legitimam, & irredargibilem excusationem; at fieri potest, quòd existente quolibet illorum, deficiat inculpabiliter advertentia personæ offensæ, ut patet; ergo. Hac forma arguendi, si eam bene introsperges, præclsum inveniens ostium effugio connotatorum; & quamvis dari possit peccatum absque advertentia debita ( quod semper intelligentias velim ) Dei, illud non esset theologicum, sed philosophicum, quod tamen non tolleret esse offensam Dei, de quibus alibi.

58. Probo jam oportere, quòd cetera sint paria, ne calculatio hæc sit vitiosa: si datur locus disparitatibus, fieri poterit, quòd dignitas Petri sit major dignitate Joannis; & tamen, quòd offensa hujus gravior sit, quām offensa illius: ergo ut subsistat offensam crescere, crescente dignitate spreta, requiritur, alias non adesse disparitates, & consequenter quòd cetera sint paria. Probatur antecedens. Violatio thori, seu vultus Joannis est gravior offensa, quām simpliciter non obbedire Petro; sed hujus non est alia ratio, nisi quia actus offensivi cætera non sunt pares, tametsi dignitas Petri major sit, quām dignitas Joannis: ergo stat bene, dignitatem esse majorem, offensam verò minorem, eo quòd cetera non sunt paria. Quòd si dignitas personæ offensæ adēd insurrexerit, ut quibusvis aliis disparitatibus os obturet; tunc offensa illius gravior erit, tametsi cetera non sunt paria. Ob hanc rationem omnis offensa quantumcumque gravis (attento præcisè hoc respectu) contra hominem, vel Angelum perpetrata, est multò minor unoquoque peccato licet veniali commissio contra Deum, nempe quia hujus maiestas usque adeo in valet, ut quaslibet alias disparitates obruat. Probo insuper gravitatem offensæ formalis non crescere univocè, seu arithmeticè cum gravitate, dignitateque personæ offensæ: si hoc ita contingeret offensa Dei haberet gravitatem simpliciter infinitam, cùm per illam maiestas infinita simpliciter spernatur: sed hoc est falsum.  
 1. Ob absurdia, quæ opposita sententia videtur habere secum: sequitur enim, actum charitatis, vel minimum, remissamque visionem beatificam esse simpliciter infinitè perfectam: si namque gravitas offensæ tantum crescit, quantum dignitas personæ contemptæ; cur similiter perfectio cognitionis intuitivæ, perfectioque amoris non crescat tantum, quantum crescit jucunditas, bonitasque objecti visi, & amati? At jucunditas, bonitasque objecti visionis intuitivæ, & actus charitatis theologicæ usque adeo crescit, ut sit simpliciter infinita; ergo etiam utriusque actus perfectio esset simpliciter infinita.

59. Sc.

59. Sequeretur 2. Peccatum veniale esse offensam simpliciter infinitam, quoniam etiam est offensa Majestatis simpliciter infinita; quod si negaveris sequelam, propterea quod peccatum leve, ut leve sit per se incapax hujus infinitatis; idem dicunt alii de crimen lethali, nempe illud esse quidem gravem offensam Dei; ast per se ab intrinseco esse incapax infinitatis pretensio. Quousque firmam, atque universalem tradas regulam ad agnoscendum gravitatem simpliciter infinitam offensio, eamque probes adesse peccato mortali, deesse tamen veniali, germanam disparitatem non assignabis; imo hoc ipso probabis istud axioma, Quod major &c. non esse accipiens prout jacet, atque in sensu litterali. Sequeretur 3. Peccata contra virtutes theologicas non esse majores offensas Dei, quam peccata contra virtutes morales; nam cum omnia peccata mortalia sint, juxta hos A.A., infinita simpliciter in ratione offensio, omnia illa sunt aequales offensio Dei, subindeque hic non magis offenditur per sacrilegium, quam per ebrietatem; neque Rex magis offendetur per crimen laesae majestatis primarium, quam per simplex furtum; neque honestus vir per contumeliam, quam per detractio- nem; aut rapinam, quam per occultum furtum. Quod difficile creditur.

60. Solennis est adversariis distinctio inter rationem malitiæ, & rationem offensio, qua posita, inquiunt, peccatum esse quidem finitum in ratione malitiæ; infinitum autem simpliciter in ratione offensio. Verum eadem absurdia emergunt; nam similiter poterat alius quispiam dicere, visionem beatificam esse quidem finitam in aliis omnibus, simpliciter vero infinitam in ratione delectabilis: unumquemque actum charitatis esse finitum in ratione honestatis morali, simpliciter autem infinitum in ratione obsequii: nam quemadmodum, quod major est dignitas personæ, eo major est offensio illius: ita quod pulchrius, & excellentius est objectum, eo estimabilius, atque delectabilius est intuitio ejusdem: item quod celsior est persona, eo maius est obsequium; unde pluris estimandum est obsequium exhibitum Regi, licet alieno; quam dignibili Pagano; ergo si gravitas offensio lethalis crescit infinitè in ratione offensio, quia Majestas Dei est infinita; similiter estimabilitas, atque delectabilitas visionis cuiusque beatæ erit simpliciter infinita in utraque ratione, quia objectum ipsius est simpliciter infinitè pulchrum, & excellens. Insuper obsequium quodlibet exhibitum Deo erit simpliciter infinitum in ratione obsequii; quandoquidem

dem persona , cui exhibetur , est simpliciter infinitè magna . Item dicet alius , peccatum veniale esse quidem finitum , & leve in ratione malitiæ moralis , simpliciterque infinitum in ratione *offensa* , unde repugnaret offensa levis Dei . Ad hæc incredibile proorsus apparet , Deum tam offendì per quodcumque peccatum mortale contractum ex ignorantia , aut imbecillitate , quām per hoc ex horrenda malitia contractum : *Volo rem sacram violare unicè , quia est offensa Dei . Molo explicitè , ac directè esse mancipium Dæmonis , quām filius Dei .* Neque patet recursus ad inaqualitatē infinitorum : quoniam licet ex duobus infinitis possit unum materialiter esse majus altero ; non tamen formaliter , & in ratione , in qua ambo sunt infinita ; at per te omnia peccata mortalia sunt infinita in ratione *offensa* : ergo in hac ratione nequilt unum esse majus alio : ergo non magis offendit Deus per nequissimos affectus modis productos , quām per ullum aliud peccatum mortale .

61. Neque leve offert fundamentum ad impugnandam sententiā contrariam distinctio ipsa , qua utitur . Peccatum est infinitum in ratione malitiæ moralis ; ergo etiam in ratione offensa . Probo consequentiam . Proorsus repugnat , quodd è ducbus , quæ realiter , & formaliter sunt unum , & idem , unum exurgat usque ad infinitum , & alterum permaneat finitum ; atqui ratio malitiæ moralis , & ratio offensæ sunt in peccato realiter , & formaliter idem : ergo repugnat , offensam esse simpliciter infinitam , & malitiam esse finitam , seu quod idem est , peccatum esse infinitum in ratione offensa , finitumque in ratione malitiæ moralis . Probo minorem : ratio offensæ stat formaliter , & immediate in eo , quod sit contemptus Dei ; sed in hoc eodem stat formaliter tota ratio malitiæ moralis ; nam eo præcisè , quodd actus sit offensa Dei , est malus moraliter , & eo præcisè , quod sit malus moraliter , est offensa Dei ; & in tantum est unum , in quantum alterum ; & in tantum est alterum , in quantum est unum , & si malus moraliter non esset , neque esset offensa Dei , & si non esset offensa Dei , neque esset malus moraliter , itaque malitia , & offensa sint termini convertibiles ; beneque valeat , *X* actus est moraliter malus ; ergo est offensa Dei : item , *Est offensa Dei ; ergo est moraliter malus* : ergo ratio malitiæ , & ratio offensæ solis vocibus distinguuntur , non re ipsa : ergo implicat , peccatum esse realiter infinitum in ratione offensa , & non realiter esse in ratione malitiæ ; quod perinde est , ac si diceres , *hoc ferrum est validum in ratione ensis ; non autem in ratione gladii* ; si gladius , & ensis sunt

realiter, & formaliter idem, qui fieri potest, ut detur valor in una ratione, & non in alia? Idem impræsentiatum. In peccato non est alia malitia theologica præter hoc, quod est esse offensam Dei, neque alia offensa Dei præter hoc, quod est esse theologicè malum; unde malitia hęc, & offensa Dei solis vocibus discrepant. Quia ergo fieri potest, quodd ratio offensę sit infinita, ratioque malitię finita à parte rei? Quid quid sit de logicis præcisionibus inutilibus profus ad indagandas veritates prout sunt à parte rei, & idoneis solummodo experiendo imperfectum, atque inadæquatum nostrum modum cognoscendi.

62. Quodd si ad nota sibi latibula distinctionis virtualis confugiat aliquis, extrahendus est: tum quia distinctione hęc repugnat in creatis, ut suo loco dicemus; tum quia, quamvis non repugnaret, non est passim ponenda, declinandi gratiā argumenta contraria: alias nullum omnino argumentum firmum depromere possemus ex rerum identitate cum aliquo tertio, & tertio quoque verbo hærerent scholasticæ disputationes, dum respondens, iustum argumenti vitaturus, distinctionem virtualem appellaret; quo fieret, ut arguens relictā materiā tunc discutienda, vel sisteret, vel ex professo impugnaret distinctionem virtualem. Tum quia ad fatendum, dari in Diuinis distinctionem virtualem, seū aliam quamcumque capacitatem ad suscipienda contradictoria inter extrema identificata, opus est toto adjutorio fidei, eo quodd ratio naturalis tantam rem non assequatur; ergo si sententia ista temperari nequit absque auxilio distinctionis virtualis, fides divina, & supernaturalis opus est nobis, ut isti sententiae assentiamur, & ratio purè naturalis illam non probat. Relinquo igitur sententiam, quæ cùm non sit revelata per Deum, tam ardua, & difficilis est, quām Mysterium Trinitatis, & ad cuius assensum necessarium est, intellectum captivate sine obsequio fidei. Tum præterea quia licet distinctione virtualis possit admitti inter creatæ realiter identificata; non tamen inter illa, quæ realiter, & formaliter sunt idem, quamobrem non admittitur inter hoc, quod est manum esse albam, & manum habere sibi anitam albedinem; atqui actum esse moraliter malum, & esse offensam Dei sunt realiter, & formaliter idem, terminique convertibiles: ergo hinc exulat distinctione virtualis.

63. Hinc præcavetur redargutio desumpta ex meritis Christi Domini, quæ cùm in ratione honestatis moralis finita sint, ad infinitatem exurgunt in ratione valoris meritorii. Sed est disparitas; nam

nam ratio honestatis moralis est distincta realiter, utpote realiter se parabilis à valore, & condignitate meriti: siquidem peccator operatur honestè moraliter; & tamen suum meritum non est condignum: honestas enim moralis dumtaxat constituitur per actum, qui bonus fuerit, & per libertatem activam includentem advertentiam de obligatione, vel honestate illius actus: condignitas autem his omnibus superaddit formam sanctificantem: ergo honestas moralis, & condignitas sunt denominations realiter distinctæ, saltem inadæquatè. Quid ergo mirum, quod una possit esse infinita, & altera perseveret finita? At in ratione offensæ, & malitia moralis, hoc non evenit: cum enim idem sit, actum esse moraliter malum, ac esse offensam Dei; & esse offensam Dei, ac esse moraliter malum, eadem prorsus constitutiva intrinseca, & essentialia habent à parte rei ambæ denominations: repugnat ergo quod una sit infinita, & altera finita.

64. Et ratio mihi præcipua est duplex. Una negativa, videlicet nullum efficax adduci fundamentum ad probandum, offensam habere gravitatem perfectissimè, exactissimèque æqualem excellentiæ personæ offensæ; ergo eadem licentia, qua unus id affirmet, potest alius negare. Altera positiva. Quoties forma, quæ per se formaliter, & immediate constituit rem in esse talis, non est simpliciter infinita; res ea non est simpliciter infinita in ea ratione. Repugnat equidem, subiectum esse simpliciter infinitè Sanctum, quin sanctitas infinita sit: ac subiectum esse infinitè album, quin albedo sit infinita, nimirum quia sanctitas, & albedo sunt forme, quæ immediatè per se ipsas constituant ambas eas denominations; at forma, quæ immediatè per se ipsam constituit actum in esse offensæ formalis Dei, est activa libertas constituta per consentiam debitam ab illo retrahentem (suppono plenitudinem consensus identificatam cum ipso consensu, sive actu offensivo Dei:) ergo quoties hæc libertas non fuerit simpliciter infinita, actus nequit esse infinitus in ratione offensæ. Probo minorem. Forma, quæ immediatè per se ipsam constituit rem in esse talis, est illa, qua sola intellecta in illa re modo suæ naturæ consono, intelligitur res in esse talis: sic quia sola gratia intellecta in anima, intelligitur, hanc esse sanctam; idcirco gratia est forma, quæ immediatè per se ipsam constituit animam iæ esse sanctæ: sic quia solo calore intellecto in subiecto apto, hoc intelligitur esse calidum, propterea calor est forma, quæ immediatè per se ipsam constituit subiectum in esse calidi: ergo forma, quæ imme-

immediatè per se ipsam constituit actum in esse offensæ formalis Dei , est illud , quo solo intellecto simul cum illo actu alias capace , hic est offensæ formalis Dei ; at sola libertate constitutâ per dictam conscientiam retrahentem intellectu simul cum actu , is intelligitur esse offensæ formalis Dei ; quoniam eo præcise , quod nobis dicatur , actum esse elicitem liberè contra conscientiam retrahentem , à qui buscumque aliis præscindendo , intelligimus eum actum esse offensam formalem Dei : ergo .

65. Explicatur : quemadmodum forma immediatè per se constituens subjectum in esse alibi est illud , quo solo deficiente , ceteris omnibus perseverantibus , subjectum non est album ; & quod existente in gradu remisso subjectum est remissè album ; & quod existente in gradu medio , subjectum est mediocriter album ; & quod existente in gradu summo , subjectum est summè album , ita ut denominatio crebat , vel minuatur , prout creverit , vel diminutum fuerit illud : similiter forma immediatè per se constituens actum in esse offensæ formalis Dei est id , quo solo deficiente , actus non est offensæ Dei , & quo adstante in gradu remisso simul cum actu , is denominatur offensæ remissa Dei , & quo adstante in gradu intenso , actus , si eliciatur , est intensa , seu magna offensæ Dei : & quo mutato secundū speciem , offensæ Dei mutatur secundū speciem ; at res , cui hęc omnia competunt , est sola libertas constituta per conscientiam retrahentem ; siquidem hac prorsus deficiente actus , aliqui pei simus , non est offensæ formalis Dei , & conscientiā leviter , seu remissè retrahente actus est remissa offensæ , & intensè retrahente est intensa offensæ , & retrahente in hac specie offensæ Dei , actus est offensæ in hac specie , & retrahente in alia specie , actus est offensæ in alia specie ; ita demum ut actus quoad esse , vel non esse offensam Dei , quoad esse levem , vel gravem , quoad esse hujus , vel illius speciei plenè sequatur conscientia retrahentis conditionem supposita consensūs quantitate : ergo hęc conscientia simul cum quantitate consensūs , seu potius activa libertas per hanc conscientiam constituta , est forma , quę immediatè per se ipsam constituit actum in esse offensæ Dei . Repugnat ergo , actum esse infinitum in ratione offensæ , quin præfata libertas & consensūs quantitas infinita sit ; at non est : ergo .

66. Sed dices num. 55. scripsimus , offensam crescere , quoties creverit dignitas personæ offensæ : vel ergo crescit tantum , quantum hęc dignitas , vel minus ? Si tantum ; en intentum contrario .

## *Quòd major est Persona offensa.* 149

Riorum . Si minus ; rogabis duo . Primum est : quisnam sit ille gradus , ad quem usque crescit offensa ; quantum est incrementum ; quod habet offensa , quando persona contempta habet dignitatem , ut octo ? quantum si habuerit infinitam dignitatem ? Secundum est : cur crescit offensa usque ad illum gradum , & non plus ? Nisi firma , & universalis tradatur regula , videbuntur hæc ad libitum dici . Urgetur ex doctrina P. Oviedo , quam cap. i. num. 3. tetigimus . Offensa personæ dignæ ut octo v. g. vincit , ceteris paribus , offendam personæ dignæ ut quatuor ; ergo aliquis gradus , aliquaque mensura est assignabilis , si non mente humana , Angelicâ saltem , aut divinâ , in qua mensura offensa prima supereret secundam . Ponamus uno gradu eam superare ; tunc sic . Si persona offensa habuerit octo gradus non formaliter , sed eminenter dignitatis ; offensa habet unum gravitatis : ergo si in persona offensa dentur infiniti octonarii graduum dignitatis , in offensa dabuntur infiniti simpliciter gradus gravitatis ; at in Deo dantur infiniti simpliciter octonarii , non sanè formaliter , sed eminenter graduum dignitatis : ergo in offensa contra Deum admittendi sunt infiniti gradus gravitatis : ergo offensa Dei est simpliciter infinitè gravis . Ad primum respondeo , crescere dignitate personæ , crescere gravitatem offensæ , ut probatum est à num. 55 . sed crescere minus , ut probavimus à num. 58 . Ad primum quæsumum sèpè respondi , materiam hanc esse prorsus inassignabilem à nobis pro hoc statu . Non agnoscimus intuitivè actus nostros internos ; ergo neque ipsorum gravitatem , aut levitatem : ergo multò minus momenta illa , seu gradus , quibus mutuò se excedunt : ergo hos gradus certis terminis assignare nequimus . Neque difficultas hæc est propria rei presentis ; sed communis ipsi cum ceteris omnibus , quæ non percipimus per sensus : sic novimus sanè aquam esse perfectiorem terræ ; sed quot gradibus , seu quanta perfectione illam supereret , ignoramus : novimus malitiam infidelitatis majorem esse malitiæ intemperantiæ ; sed quisnam sit ille gradus , quo hanc vincit , nescimus .

67. Ad secundum quæsumum respondeo , offendam non crescere plus , quia crescendi plus incapax est : quemadmodum forma Leonis est perfecta usque ad quatuor gradus : v. g. & non plus , quia incapax est majoris perfectionis ; & malitia injustitiae exurgit supra malitiam intemperantiæ duobus gradibus ; & non pluribus v. g. quia incapax est ab intrinseco majoris excessus ; & has quantitates perfectionis , atque imperfectionis rerum impotes sumus taxandi certis

terminis; et illæ suos limites habent Deo notos, ultra quos protendi nequeunt. Ad urgentiam dico, istam calculationem esse vitiosam, quia si ab ea standum esset nobis, actus charitatis theologicæ, visio Dei, & quodvis obsequium ei præbitum, haberent infinitos gradus perfectionis, seu essent simpliciter infinitè perfecta juxta phrasim contrariam: idem dico de veniali, & de lethali in ratione malitiæ: quoniam idem fieri potest argumentum. Tacita igitur præteriens principia contra compositionem continui, divisibilitatemque intensionis in gradus finitos, aut infinitos, respondeo: si octonarii graduum dignitatis agglomererentur in persona spreta, gradus quoque gravitatis agglomerantur in malitia, offensâque, verùm usque ad eam intensionem, cuius offensa, & malitia fuerint capaces, non ultra hanc intensionem, quia ulterioris intensionis sunt incapaces; at offensa Dei, sicut & moralis malitia, quæ de facto dantur, sunt incapaces ulterioris intensionis, aut in ratione offensæ, aut in ratione malitiæ, eo quod forma utriusque rationis constitutiva, sit libertas constituta per conscientiam tetrahentem, quæ libertas, & conscientia, necnon plenitudo consensus habent suos terminos, ultra quos nequeunt, saltem naturaliter, exurgere: ergo quamquam in Deo infiniti octonarii graduum dignitatis agglomerentur eminenter, perpetam infertur, offensam, aut malitiam moralem, continere infinitos gradus gravitatis. His non obstantibus fateor, unamquamque offensam lethalem habere gravitatem infinitam respectivè, quia gravitas hæc est major omnibus, & singulis aliis offensis, quæ committi possunt contra quamcumque creaturam, si offensa hujus est præscindibilis ab offensa Dei; cùmque hæc offensa possint esse infinitæ; inde est, quod gravitas offensæ Dei superat infinitas offensas, unde respectivè ad illas est infinita, sed non absolute, & simpliciter. Porro in qua vis specie creata idem reperies, suppositâ impossibilitate creature omnium maximæ, ac omnium minimæ; in hac enim suppositione species humana habet infra se infinitas alias species.



**CAPUT SEPTIMUM.***Duae paritates pro opinione contraria.*

68.



Uas paritates urget contra totam hanc doctrinam *Tom. i. in  
III. Episcopus Godoy*, & duo commoda ex oppo- *3. p. tract.*  
sita sibi comparat. Prima paritas est. Persona of- *1. disp. 1.  
fensa communicat offensæ lethali gravitatem or-  
num. 34.*  
dinis superioris, ut communiter fatetur nostra.

Schola: ergo etiam gravitatem simpliciter infinitam. Probat consequentiam. Ideo primum est verum, quia persona offensa est in se ipsa ordinis superioris; sed Deus non solum habet gravitatem ordinis superioris; verum etiam dignitatem simpliciter infinitam: ergo etiam communicat offensæ mortali gravitatem simpliciter infinitam. Item: Deus ex se non mindus est potens transfundere gravitatem infinitam simpliciter, quam ordinis superioris; ex alia parte nil datur ex parte offensæ, cur unum, & non aliud transfundat; ergo utrumque transfundit, vel neutrum. Si dicatur limitationem cognitionis, & libertatis, qua sit offensa, esse impedimentum infinitatis. Contra 1. etiam cognitio, est ordinis inferioris; & tamen non impedit, Deum communicare offensæ gravitatem ordinis superioris: ergo neque quodd sit finita impedit, Deum communicare infinitudinem simpliciter. Probatur consequentia. Ideo cognitio ordinis inferioris non impedit gravitatem ordinis superioris, quia tantum est conditio, non vero ratio formalis ex parte personæ transfudentis gravitatem: ergo similiter limitatio cognitionis, libertatis, aut conatus non impedit transfusionem gravitatis simpliciter infinitæ. Contra 2. Aliud est cognitionem esse finitam subjectivè, & objectivè; aliud autem finitam subjectivè, infinitam vero objectivè. Si cognitio utroque modo esset finita, id est non proponeret dignitatem Dei infinitam, impidiret utique infinitudinem in offensa, esset namque ignorantia Dei, & positâ Dei ignorantia non datur infinitudo in offensa. Sin vero sit infinita objectivè, id est infinitam Dei offensi pandat Majestatem, tamen in se ipsa finita sit, transfusionem infinitatis non impedit.

69. Quemadmodum si cognitio tum subjectivè, tum objectivè esset ordinis inferioris, impidiret superioritatem ordinis in peccato,

attamen si sit ordinis superioris objective, hoc est si exprimat superioritatem ordinis divini; quamquam in semetipsa sit ordinis inferioris, non obstat superioritati ordinis in peccato. Præterea, si recursus fiat ad limitationem conatus creature in peccato, ob quam limitationem peccatum evadit finitum; sicut ob similem limitationem actus charitatis est finitus, tametsi ad infinitam Dei bonitatem terminetur: præterquam quod eidem paritati subjacet hæc solutio. Contra 3. Limitatio conatus non impedit personam infinitam operantem tribuere operationi infinitam gravitatem; ergo neque limitatio similis in offensa impedit personam offensam tribuere peccato infinitam gravitatem. Contra 4. Limitatio operantis non impedit infinitudinem; ergo neque limitatio conatus. Consequentiam non egere probatione scribit, Probat antecedens. Si per impossibile essent duo Dii, & unus alium offenderet, gravitas ex persona offendente non esset maior, imò sordidus esset minor gravitate offensis provenientis à persona finita: sicut, cæteris paribus, minor est offensa irrogata Regi ab alio Rege, quam irrogata à plebejo; ergo quia finitudo personæ offendentis non impedit infinitudinem in offensa. Ecce primam paritatem optimè discussam per hunc Authorem.

70. Sed retorquetur facile totus hic discursus in suum perdonatum Authorem: v.g. Quia Deus est in ordine superiori, communica peccato gravitatem ordinis superioris; & quia habet infinitam Majestatem, communicat infinitam gravitatem in ratione offensæ; ergo quia habet infinitam bonitatem, communicat infinitam quoque gravitatem in ratione malitiæ. Quemadmodum enim ordo spretæ personæ conductit ad ordinem offensæ; unde superioritas ordinis personæ est in causa, ut offensa sit in ordine superiore: item quemadmodum dignitas offensi conductit ad gravitatem in ratione offensæ; unde infinita dignitas personæ offensæ, in causa est, ut gravitas sit infinita in ratione offensæ: ita bonitas, atque amabilitas objecti conductit ad malitiam actus illud spernentis; pejus namque est spernere affectivæ subjectum melius, quam subjectum bonum; ergo si objectum fuerit infinitè bonum, & infinitè amabile, actus illud spernens erit infinitè malus, sive infinitus in ratione malitiæ. Quod si aliquis recurrit ad diversitatem formarum, aut subjectorum, quæ aggravant malitiam, atque offensam, dixeritque subjectum, vel formam aggravantem malitiam esse finitam, secus subjectum, vel formam aggravantem offensam. Idem eadem licentia dicam ego in hac altera paritate; quo fieri, ut utriusque te-

neamur ad magis patentes campos egredi , producereque firmam , & constantem regulam horum augmentorum sive in ratione offensæ , sive in ratione malitiae , sive in ratione superioritatis ordinis . Sicut Magister hic paritatem ordinis superioris in nos contorquet , ita disparitatem rationum malitiae , & offensæ in ipsum retorquere possumus , cùm doceat offensam esse infinitam , malitiam verò finitam , & hæc disparitas tam difficilis sit , quām essentiam divinam communicari Filio , Paternitatem autem non communicari , cūmque aliunde non sit nobis per Spiritum Sanctum revelata , non est ut captivemus intellectum sine obsequio Fidei .

71. Igitur nego consequentiam primi enthemematis positi num.68. Ad probationem distinguo majorem : ideo præcisè ; nego majorem : ideo , & quia obsequia cuncta puræ creaturæ sunt , quasi non essent respectu Dei , & quasi purum nihil concedo majorem , & concessa minore , nego consequentiam . Peccatum mortale dicitur esse in ordine superiori ad obsequia puræ creaturæ , non præcisè quia Deus sit in ordine superiori , id intelligendo in sensu litterali , & materiali ; quodd enim aliquid prædicatum competit Deo , ineptum est antecedens per se præcisè ad inferendum , illud competere quoque offensæ Dei , ut per se patet . Quamobrem ratio , ob quam lethale est in ordine superiori ad cuncta obsequia puræ creaturæ est , quia illud , qua tale , est quid grave respectu Dei , *Audite Cœli , & auribus percipe terra .. Filios enutri vi &c. Obstupescite Cœli super hoc &c.* obsequia autem nostra quid levissimum , & tamquam gutta roris ante lscani , ut ait Scriptura , & rursus quasi pavus menstruata universæ iustitiae nostræ ; ergo quantumcumque ingeminentur obsequia , nequibunt gravitatem offensæ lethalis assequi . Porro peccatum mortale esse quid grave respectu Dei consistit formaliter in duobus pessimis attributis , quæ habet . Primum esse indebitum Deo infinitis titulis : Secundum patrati à persona vilissimæ fortis respectu Dei . Item cuncta obsequia possibilia creaturæ esse quid leve respectu Dei , fundatur in alijs duobus . Primum progredi à persona nullius momenti respectu Dei ; secundum esse Deo infinitis de causis debitum . Cùm sit igitur hæc superioritas ordinis , ut talis , consistat in eo , quodd peccatum sit quid grave , & obsequium quid leve , unumquodque autem ex his duobus consistat formaliter , ac immediatè in illo gemino attributo ; palam sit , præfatam superioritatem consistere formaliter , & immediatè partim in natura peccati mortalis , partim in natura obsequiorum . Ad modum , quo prioritas diei hodierni respectu cra-

*Isai 1.*  
*Ierem. 2.*  
*Sapien 11.*  
*Isai 64.*

stini

stini unicè consistit partim in die hodierno , & partim in crastino ; ergo prefata ordinis superioritas est constitutivè independens à Deo . Neque dicas , fore ut peccatum mortale non haberet superioritatem ordinis , si Deus talem superioritatem non haberet . Nam similiter extrema non essent units , si non existerent ; & tamen non ideo præcisè sunt unita , quia existunt . Igitur aliud est , quod requiriatur ; & aliud , quod sufficit ad superioritatem ordinis in peccato mortali . Deum esse in ordine superiori requiritur sanè ( atque id circa si hoc deficeret , peccatum non esset in ordine superiori ad obsequia puræ Creaturaræ . ) At non sufficit per se præcisè ; quoniam superioritas ordinis , quam agnoscimus in peccato mortali , non constitut formaliter in isto , sed in illis quatuor attributis nuper expositis .

72. Ad secundam nego suppositum majoris : tacitè quippe induit , Deum se solo transfundere posse gravitatem ordinis superioris in peccatum respectu obsequiorum puræ creaturaræ , cum tamen gravitas hæc sit indepedens constitutivè à Deo , & unicè constat formaliter , & immediatè partim in natura , & quidditate peccati , partim in quidditate etiam , & natura eorum obsequiorum , quæ per suam ipsorum essentiam habent esse quid leve respectu Dei , quemadmodum majoritas quantitatis palmatis ad semipalmarem , consistit physicè partim in una , partim in altera . Sed hoc pretermisso , nego minorem : quoniam superioritas ordinis est , ut dixi , conceptus copulativus consistens in natura offensæ , & natura obsequiorum , cumque ex parte offensæ nil detur resistens ! vel sui ipsius naturæ , vel naturæ obsequiorum ; inde fit , nil dari ex parte offensæ impediens gravitatem ordinis . At infinitas offensæ formalis Dei , ut formalis , consistit tum in eo , quod non sit possibilis alia major offensa ( si enim alia major est possibilis , ipsa non erit simpliciter infinita ratione offensæ ) tum in eo , quod conscientia infinitè retrahat à furto v. g. si enim non retrahit infinitè , furtum non erit offensa infinita Dei , sicut non erit offensa gravis , si non retrahit graviter , neque levis , si conscientia nec leviter retrahatà furtu : hæc enim conscientia in sensu dicto est forma , quæ per se immediatè vel auget , vel misuit offensam formalem Dei ut talem . ) At furtum per se resistit impossibilitati aliùs majoris offensæ Dei ; siquidem sacrilegium est major offensa Dei , & per se quoque est incapax , ut fiat contra conscientiam infinitè retrahentem ; ergo quamquam furtum per se non im-

impedit suam superioritatem ordinis, impedit tamen suam infinitudinem in ratione offendae formalis Dei. Neque dicas, conscientiam retrahere infinitè, quoniam proponit infinitam majestatem Dei offensi, vel quoniam proponit erroneè infinitam gravitatem in offenda committenda. Etenim sicut ad peccatum lethale contrahendum non sufficit quævis propositio malitiæ gravis, alioquin opus factum cum semiplena dumtaxat advertentiâ malitiæ gravis, esset peccatum mortale; sed requiritur plena advertentia malitiæ gravis, & in hac plenitudine subjectiva in representando, objectivaque in malitia consistit, quod conscientia graviter retrahat: Ita ut conscientia simpliciter infinita retraheret, non sufficeret, quod infinitam Dei majestatem, infinitamque offendæ gravitatem exprimat, sed requiritur insuper, quod claritate, vehementiâ, acrimoniâ, advertentiâ que simplices infinita id exprimeret; sed hoc non contingit: ergo.

73. Ad primam impugnationem, nego consequentiam, & antecedens probationis obsecra inculcata. Ad secundam bene sunt divisii termini, bene disposita membra dividentia, sed falsum est secundum. Adjunctam paritatem jam refelli. Peccatum esse in ordine superiori, unicè fiat in eo, quod ipsum sit quid grave, obsequia autem nostra quid leve respectu Dei. Sed his non obstat limitatio cognitionis, inferioritasque ordinis, quam habet; ergo cognitionem esse ordinis inferioris, non obstat superioritati ordinis in offendâ. Ceterum peccatum esse offendam infinitam dicit, quod non sit possibilis alia major, & quod ipsa fiat contra conscientiam simpliciter infinitè retrahentem; sed ambobus obstat finitudo cognitionis: ergo obstat infinitati in ratione offendæ, non secus ac obstat infinitati in ratione malitiæ. Ad tertiam nego consequentiam. Condignitas enim meriti consistit formaliter in sanctitate personæ operantis; at limitatio conatus in operibus theandricis non impedit sanctitatem simpliciter infinitam personæ operantis: quid ergo mirum, quod non impedit limitatio illius conatus infinitam condignitatem eorum operum. Ceterum gravitas offendæ consistit in dictamine conscientiæ, & conatu, seu quantitate consensus; cùmque limitatio conatus supponat dictamen hoc finitè retrahere, id circa suum ponit gravitatem offendæ esse finitam. Ad quartum nego antecedens, cum sua probatione. Ille autem alter Deus fingendus est operans contra conscientiam infinitè retrahentem, & cum infinito conatu, proindeque maior esset infinitè offendæ, quam ille committeret, offendæ.

*fensa perpetratà à vili homine. Similiter dico de Regibus ; quam-*  
*1. Reg. 16. quām in his possit esse disparitas , quoniam homines vident ea , que-*  
*parent , Dominus autem intuetur cor : homines attendunt externis ,*  
*Deus autem conscientia , qua unusquisque operatur .*

74. Secunda paritas est . Quod major est persona satisfaciens , et  
 major est satisfactio , licet non arithmeticè ; attamen tali propor-  
 tione , ut si persona satisfaciens sit simpliciter infinita , satisfactio ha-  
 beat valorem , atque dignitatem simpliciter infinitam , ut contingit  
 in Christo Domino : ergo similiter , quod major est persona offen-  
 sa &c. Probatur consequentia . Ideo primum est verum , quia per-  
 sona satisfaciens est subiectum morale satisfactionis ; sed etiam  
 persona offensa est subiectum morale offendit , ut latè ibidem pro-  
 bat : ergo . Nego primam consequentiam , & majorem probatio-  
 nis : tñm quia Axiom. Aristotelicum , honor est in honorante , isti  
 locutioni præbens fundamentum aliud tendit . Refutans enim Phi-  
 losophus opinionem dicentium felicitatem consistere in honore , ait :

*1. Ethic. Magis enim in his qui honorem exhibent , quām qui eo afficiuntur , consolit;*  
*cap. 5. Cujus rationis pondus est . Felicitas debet esse in felice , id est ab*  
*illo uno dependet ; atqui honor non est in illo , sed in eis , qui hono-*  
*rem exhibent ; hoc est , non tam dependet ab illo , quām à ceteris ,*  
*qui talēm honorem exhibent , eo quād sit reverentia , quæ ipi exhi-*  
*betur in testimonium suæ excellentiæ ; ergo felicitas non consistit*  
*in honore : sic defendunt hanc conclusionem hac eadem ratione PP.*

*In 1. Ethic disp. 3. q. 1 art. 2. Conimbricenses . Quapropter præpositio illa in non denotat recep-*  
*tionem physicam , aut moralem ; sed dependentiam , quæ significa-*  
*tio vulgaris est in scriptura : sic justorum animæ dicuntur in matre*  
*Dei esse , ergone manus Dei est subiectum physicum , vel morale*

*illarum animarum ? Rursus alibi millies , significat solam dependentiam ; hæc autem dependentia ab honorante non sufficit ad pro-*  
*bandum , tanti estimandum esse honorem , quanti estimatur hono-*  
*rans ipse ; prætereo explicationem aliam Monfortii . Tum ulterius ,*

*Monfor- tius pag. 320. quia , si honorans est subiectum morale honoris , etiam peccans est*  
*quandoque subiectum morale peccati . Audiatur S. Thomas . Sicut*

*2.2. q. 99. honor est in honorante : ita irreverentia est in eo , qui irreverenter se*  
*art. 1. ad habet , quamvis etiam nil noceat ei , cui irreverentiam exhibet : ergo*  
*3. juxta Divum Thomam , peccatum irreligiositatis , seu violationis*  
*rei sacræ ( de eo enim loquitur ibi ) est in homine , qui irreverenter se*  
*habet : sicut honor est in honorante : sed per te honor ita est in ho-*  
*norate , ut in subiecto morali ; ergo hoc peccatum etiam est in ho-*  
*mine ,*

mine, ut in subjecto morali: sed quia honorans est infinitæ dignitatis, nimirum Christus Dominus, honor evadit infinitè condignus: ergo quia homo est finitus, & limitatus, peccatum hoc erit finitum, & limitatum. Tum denique, quia istæ moralitates parùm firmæ sunt, equivocationibusque scatent.

75. Aut enim opinaris, honorem verè, ac propriè recipi in honorante, & injuriam verè, ac propriè in persona offensa; non secus ac calor recipitur in manu: aut non verè, & propriè; sed juxta virorum prudentium judicium: aut in ordine ad hoc, vel illud munus perinde se habere, ac si reciperetur: aut formas has concipi à nobis per speciem rei receptæ, modò in honorante, modò in persona offensa? Si primum: multum aberras à veritate: quis namque dicet, nostra peccata non minùs propriè recipi in Deo offenso, quàm calor in hac manu. Si secundum: tale judicium virorum prudentium erit falsum: nam si actiones illæ non recipiuntur verè, & propriè in eis subjectis, & viri cordati judicent recipi in illis, aperte falluntur; judicium autem falsum parùm promovere potest contrariam sententiam. Si tertium: hoc est, injuriam non recipi pressè, ac scholasticè loquendo, in persona offensa; in ordine tamen ad gravitatem suscipiendam perinde se habere, ac si in ea reciperetur. Contra est 1. Quia de hoc est quæstio, & probandum assumes. Disquisimus in præsenti, an offensa lethalis habeat re ipsa gravitatem infinitam: ut probes partem affirmativam, assumis hoc medium. Licet offensa hæc non recipiatur verè in Deo; attamen in ordine ad habendum gravitatem simplicitè infinitam perinde se habet, ac si reciperetur in Deo (hoc enim ponimus significare phrasim istam subjecti moralis) sed hoc est, de quo est quæstio, & quod tibi probandum est: ergo assumis probandum.

76. Contra 2. Tametsi forma verè, & propriè recipiatur in aliquo subjecto, non propterea habet totam quantitatatem perfectionis, aut imperfectionis, quam habet illud subjectum: alioquin intellectio verè recepta in anima tam perfecta esset, quàm anima; unde esset substantia, & vivens, & intellectiva, aut haberet alias prædicata quantia perfectionem horum: ergo ex eo, quodd offensa perinde se haberet, ac si reciperetur in Deo, non sequitur, tantam habituram gravitatem; quantam divina Majestas. Confirmatur. Esto albedinem ut duo receptam fuisse heri verè, & propriè in hac papyro: esto insuper hodie recipi in eadem albedinem ut quatuor. Hæc duæ albedines habent idem subjectum verè, & circa omnem metha-

metaphoram, atque improprietatem; & tamen non sunt *équales* in ratione formalis albedinis, ut patet: ergo stat bene, duas offensas recipi in subjecto eodem, & tamen esse inter se *inéquales*: ergo stat bene, duas offensas lethales perinde se habere, ac si reciperentur in eodem Deo, & tamen esse *inéquales* in ratione offensæ; sed hoc ipso altera earum non est simpliciter infinita in ratione offensæ: ergo. Si quartum; videtur quoque fundamentum imbecille. Nam Angelum concipi à nobis per speciem juvenis, impar est probando, Angelum esse à parte rei juvenem, aut habere sine improprietate proprietas juvenis: & Spiritum Sanctum concipi per species columbae, impar est quoque probando, Spiritum Sanctum esse columbam: ergo offensam concipi à nobis per speciem formæ receptæ in persona offensa, medium insufficiens est ad probandum, offensam habere proprietatem rei in persona offensa receptæ.

77. Quo circa verum est, ita crescere satisfactionis valorem ad incrementum sanctitatis personæ satisfacientis, ut sit infinitus simpliciter in ratione satisfactionis, si sanctitas fuerit simpliciter infinita: falsum item, gravitatem offensæ ita crescere ad incrementum Majestatis contemptæ, ut illa sit infinita simpliciter, si hæc fuerit simpliciter infinita. Disparitas est independens ab istis subjectationibus moralibus, & consistit in hoc. Prorsus necessarium est, quod crescente formâ, quæ per se immediatè constituit aliquem effectum formalem, crescat hic, sive forma sit intrinseca, sive extrinseca subjecto denominato juxta explicationem infra dandam num. 94. Sic omnino necessarium est, subjectum esse magis album, si habeat majorem albedinem; & esse magis amatum, si terminet majorem sui ipsius amorem, licet amor ita sit forma constitutiva hujus effectus formalis *Amatum*, ut extrinseca sit subjecto denominato: at vero non est necessarium, effectum formalem crescere quoties crevit illud, quod neque est forma per se immediatè constituens enī effectum, neque subjectum denominatum; at sanctitas personæ operantis est forma, quæ per se immediatè constituit condignitatem, seu valorem intrinsecum satisfactionis, seu hunc effectum formalem *satisfactione intrinsecè condigna* non secus ac amor constituit formaliter, & immediatè objectum *amatum*: Majestas autem personæ offensæ non est forma, quæ per se immediatè constituit offensam in esse talis, ut supra suasmus, neque est subjectum ipsum, idest offensæ talis personæ, ut patet: ergo licet necessarium sit, quod crescente sanctitate subjecti, crescat satisfactionis valor, seu condignitas, proindeque valor, & condignitas

gravitas infinitatem simpliciter talem inducant, quando sanctitas subiecti esset simpliciter infinita; at verò non est necessarium, quod crescente Majestate offensa, crescat eadem proportione gravitas offendit: quamobrem fieri poterit quod Majestas sit infinita simpliciter, secus offendit gravitas, sicut & malitia.

78. Sola prima pars minoris potest indigua esse probatione; verum hanc late producunt DD. ad tract. de merito, ubi fusè probant, condignitatem ut talem meritorum consistere formaliter, & immediatè in forma sanctificante. Cuique sunt obviæ illæ rationes: & una modò sufficit: scilicet oportere assignare aliquam formam immediatè per se constituentem illum effectum: & alia non est, nisi Sanctitas personæ operantis. Quod si dixeris, sanctitatem verbi aggravare satisfactionem medio aliquo finito, unione scilicet hypothatica, sicut Majestas Dei aggravat quantitatem offendit media sui cognitione. Gemina est disparitas. 1. Cognitio, qua Deus offensus cognoscitur, non est omnium maxima, cum ultra illam sit possibilis alia magis, & magis retrahens animum à perpetrando offendit; ceterum unio hypothatica est omnium communicationum maxima negativè: quoniam repugnat Deum communicari magis, quam per sui intimam unionem physicam; alia quippe major communicatio, quæ excogitari poterat, nempe identitas, est impossibilis: ergo cognitio retrahens ita est finita, ut permittat aliam magis retrahentem, & consequenter majorem offendit constituentem; unio verò hypothatica ita est finita, ut non patiatur aliam majorem communicationem Verbi Divini, & consequenter aliam satisfactionem magis valoratam, & condignam. 2. Unio non est ratio formalis gravificans; sed exercitium hujus rationis formalis: quemadmodum unio physica albedinis non est forma immediatè per se dealbans; sed exercitium hujus formæ: & actio non est causa efficientis immediatè per se producens effectum; sed causalitas sive exercitium causæ efficientis: cognitio tamen retrahens ab opere est forma, quæ immediatè per se constituit opus in esse offendit Dei: nam datis Deo, & opere, si conscientia non retrahat ab opere, hoc minimè est offendit Dei; si retrahant leviter præcisè, præcisè est offendit levius; si retrahat gravioriter, est offendit gravis; si retrahat in hac specie, & non illa, offendit est in hac specie, & non in illa, & similiter inversis terminis.

79. Obiicit rursus idem sapiens Magister. Majestas divina, prout in se ipsa est formaliter, dat gravitatem offendit: ergo si persona satisfaciens dat infinitum valorem satisfactioni, quia se ipsa est forma satista.

satisfactionem roborans, etiam divina Majestas tribuit offendit gravitatem infinitam, quia se ipsa est forma ipsam gravificans. Probatur antecedens: offensa est superioris ordinis ad omnem satisfactionem puræ creature; sed hoc ita non est, nisi Majestas divina esset forma se ipsa gravificans offendit. Probatur. Ut offensa sit ordinis superioris ad satisfactionem puræ creature, forma gravificans offendit, debet esse ordinis superioris ad formam valorantem satisfactionem puræ creature; sed non esset, nisi talis forma sit Majestas Divina: ergo. Ille fuisse probat minorem; sed ego nego majorem, quæ ad acceptancem ordinis superioris offendit. Offensam lethalem esse ordinis superioris respectu omnis satisfactionis creature, consistit formaliter, & immediate in his duobus, ut jam monui. Peccatum mortale esse quid grave respectu Dei. Omne obsequium nostrum esse quid leve respectu Dei: at quamquam hæc inæqualitas non detur inter advertentiam malitiæ gravificantem offendit, & gratiam habitualem valorantem satisfactionem, sed quod ambæ præcisè, ut tales sint levissimum quid grave respectu Dei, semper tamen subsistit peccatum mortale esse quid grave respectu Dei, obsequium autem quid leve. Probatur. Gravity peccati stat in eo, quod sit magnus contemptus Dei, infinitis titulis indebitus, & à vilissima persona oriundus. Præterea levitas obsequii stat in eo, quod infinitis aliis titulis debeat Deo & à persona nullius momenti respectu Dei proficiatur, &, si volueris, per sanctitatem creatam condignificetur: sed independenter ab æqualitate, inæqualitateque formarum gravificantis, & valorantis, subsistunt hæc duo: ergo independenter ab æqualitate, ac inæqualitate earum formarum subsistit, offendit mortalem esse quid grave respectu Dei, obsequia autem nostra quid levissimum, & quasi gutta roris ante lucani, & quasi pannus menstruata universæ justitiae nostræ.

80. Vel si malueris distinguo majorem. Ut offensa sit ordinis superioris, forma gravificans sumpta secundum rectum præcisè, debet esse ordinis superioris; concedo: sumpta secundum rectum, & obliquum; nego. Jam dixi, hanc formam esse complexum ipsum ex natura peccati, & natura obsequiorum (sicut prioritas diei hodiernæ respectu crastinæ, est re ipsa complexum ex die utrâque) hoc autem complexum sumptum secundum rectum est ordinis superioris, quoniam est peccatum ipsum. Sed dices. Cur ut offensa sit infinita, forma debet esse infinita; ut autem sit ordinis superioris, necessum non est, ipsam esse ordinis superioris secundum rectum, & obli-

obliquum. Respondeo. Conscientia eatenus præcisè constituit offendam, quatenus retrahit ab operando; ergo ut operatio sit offendam levam, necesse est, conscientiam retrahere leviter; ut sit offendam gravem, quod conscientia retrahat graviter non modò subjective, proponendo nimis malitiam gravem in objecto; sed etiam objective, habendo scilicet tot claritatis gradus, quot poposcerit plena advertentia: alias advertentia semiplena, aut tenuissima sufficeret ad peccatum mortale: ergo ut offenda sit infinita, opus est conscientiam retrahere infinitè tum objective, tum subjective; sed retrahere infinitè utroque modo est illam infinitam esse: ergo ut conscientia reddat offendam infinitam, opus est, ipsam infinitam esse. Attamen ut constituat offendam in ordine superiore non requiritur, illam esse in ordine superiore: quoniam offendam constituit in ordine ad hoc præcisè, quatenus graviter retrahit ab illa (nam hoc ipso offenda est mortalibus, proindeque est quid grave respectu Dei: cùmque ex alia parte omne obsequium puræ creaturæ sit quid levissimum respectu Dei, palam fit, offendam esse eo ipso in ordine superiore.) at potest conscientia retrahere graviter, quin ipsa sit in ordine superiore, hoc est, quin ipsa sit quid magnum, & grave respectu Dei & ergo potest constituere offendam in ordine superiore, quin ipsa sit in ordine superiore. Et hinc patet ratio, ob quam offenda est major, quod persona est major; sed non est infinita, licet persona infinita sit: nam quod persona est major, magis retrahit conscientiam (si enim magis non retraheret, offenda non esset major:) Cæterum quamquam persona sit infinita, conscientia non retrahit infinitè, tum subjective, tum objective.

81. Replicabis, totam hanc doctrinam ex conscientia retrahente depromptam unicè probare malitiam esse finitam. Ita sane. Ast cùm offenda formalis, atque theologica Dei plenè sequatur malitiam, eo quod tanta est offenda, quanta malitia; levis, si malitia moralis fuerit levis; gravis, si malitia moralis fuerit gravis; nulla, si malitia moralis fuerit nulla, infertur, quod argumentum probans malitiam esse finitam, probet quoque offendam esse finitam. 2. Quis non datur distinctio virtualis inter malitiam, & offendam, ut supra dictum est. 3. Quia rationes jam expensæ probant, conscientiam retrahentem non modò constituere actum in esse mali moraliter; verum etiam in esse offendam: ergo. Jam duo commoda, quæ ex sententia contraria sibi parare possunt hi AA. sunt. Primum assignare legitimam rationem impossibilitatis satisfactionis puræ creaturæ pro-

quovis peccato mortali : cum enim satisfactio sit finita ; offensa autem sit infinita , planum est , satisfactionem assequi non posse offendam . Secundum est , assignare legitimam quoque rationem , ob quam homo in eternum puniatur ob peccatum momentaneum , quia offensa infinita punitionem infinitam efflagitat . Verum , ex eisdem capitibus probare poterant , malitiam esse infinitam : quod si malitia moralis finita fuerit , ambae rationes subsidere videntur . Nos independenter à difficultatibus , quas importat prætensa infinitudo offensæ , assignavimus supra rationem firmam illius impossibilitatis satisfactionis ; & independenter ab eisdem damus rationem justæ punitionis in eternum : nempe justam esse punitionem , donec durat delictum : & illud eternum durare , nec teneri Deum dare auxilium ad pœnitentiam .

## CAPUT OCTAUM.

### *Quatuor alia axiomata calculatoria .*

82.



Rimum est . Sicut agens agendo reparatur ; ita passum patiendo reagit . Hoc axiome frequente satis in scholis stabilitur actio , & reactio in qualitatibus operativis , & invicem oppositis . Igitur quando mutuò applicantur duo agentia contraria equalium aut ferme equalium virium , calidum v.g. & frigidum : ita calidum producit aliquos gradus caloris in frigido , ut etiam frigidum producat aliquos gradus frigoris in calido : & hoc est , quod actio , & reactio vocatur . Constat id tum experientia ; siquidem experimur ex aqua frigida admixta calidæ resultare teporem ; ergo quia frigida operatur aliquos gradus frigoris in calida , & calida alios caloris in frigida . Tum etiam ratione ; tametsi calidum in primo instanti congressus producat aliquos gradus in frigido , subindeque hujus virtus coerceat , nihilominus in frigido remanet virtus ad producendum aliquod frigus in calido : ergo illud producit : ergo ita datur actio calidi , ut detur quoque reactio frigidi ; & ita datur passio frigidi , ut detur etiam repassio calidi .

83. Probo antecedens . Calidum producit duos gradus caloris v.g. in frigido , & dumtaxat expellit alios duos frigoris : ergo in primo instanti congressus remanent in frigido sex gradus frigiditatis v.g. ; atque sex gradus frigiditatis sunt virtus sufficiens ad producendum

dum in calido unum saltem gradum frigiditatis : ergo licet calidum in primo instanti congressū producat aliquos gradus caloris in frigido ; remanet nihilominus virtus in hoc ad producendum in calido aliquod frigus . Dices non remanere hanc virtutem : tum quia , si frigidum posset producere aliquem gradum frigoris in calido sibi contrario , longè melius posset producere eundem in se ipso , quod sibi proximius est , neque sibi adversatur ; sed non potest illum producere in se ipso ; alioquin is gradus impediet ingressum primi gradus caloris , & consequenter in primo instanti congressū darentur in frigido primi gradus caloris , & simul non darentur ; ergo . Tum quia minor virtus desideratur ad conservandum , quam ad primū producendum : ergo si frigidum habet virtutem ad producendum in calido aliquem gradum frigoris , potiore jure habebit virtutem ad conservandum proprios gradus frigoris : ergo illos conservat in primo instanti congressū : ergo illi , & conservantur , & expelluntur .

84. Docti quidam RR. ut nodum solvant hunc , ad graduum inaequalitatem confugiunt . Solutio est falsa , & inefficax . Falsa quidem ; nam ut alibi trado , gradus componentes intensiōnē sunt æquales , ac similes . Tum quia , si Deus non tantum penetraret ; verum etiam physicè uniret eidem parti subjecti multos gradus caloris ex eis , quos vocatis primos , & inter se æquales , daretur procul dubio augmentum caloris : ergo vel daretur tunc intensio , vel extensiō caloris ? Non extensiō ; quia haec efflagitat calorem esse in diversis partibus subjecti : ergo intensio : ergo haec componi potest ex gradibus æqualibus : ergo de facto componitur ; cum ratio non vigeat , ut perfectiones multiplicemus . Tum quia habitus mentiendi , qui est qualitas intensa facilitans ad mendacium , componitur ex mendacio A, B, C, seu ex qualitatibus relictis ex his mendaciis ; at tam mendacia , quam qualitates ex ipsis procreatae sunt ejusdem entitativæ perfectionis : ergo aliqua intensio componitur ex partibus æqualibus . Tum quia quodd calidum , ut quinque , producat in calido , ut quatuor , quintum gradum caloris , quem non producit aliud calidum ut quatuor , provenit ex eo , quodd in calido , ut quinque , sint plura agentia , quam in calido ut quatuor : multitudo autem Agentium juvat ad agendum : unde sicut ex eo , quodd complexum viginti hominum plura possit , quam complexum duorum , finistre argueremus , illud esse entitativè perfectius , quam hoc , (quidquid sit de majore perfectione extensiō) ita in præsenti . Præ-

terea , quod calidum A. ut quatuor applicatum calido B etiam ut quatuor , non producat quintum gradum caloris , provenit ex eo , quod ipsi deficiat conditio quædam naturaliter exacta ad operandum nempe superioritas qualitatis informantis agens , respectu informantis passum : simile namque nequit intendere activè sibi simile ; quoniam finis agentium naturalium est assimilare sibi passum , vel formaliter , vel dispositivè : ergo cessat hic finis , quando passum est jam simile agenti : ergo tunc nequit naturaliter operari agens . Tum demum ob alia , quæ suo loco fusiùs expenduntur .

85. Est præterea solutio illa *inefficax* : nam licet sex gradus frigoris distributivè , ac seorsim sumpti perfectione sint inæquales octavo ; complexum tamen ex illis omnibus par effet illum producendo . Sic passim experimur , aggregatum ex multis , quorum singula sunt imperfectioniora effectu , proindeque incapacia illum producendi , e quæ perfectionem ejusdem effectus , & consequenter illum producere : ergo quod gradus inferiores non attingant perfectionem superiорum , titulus insufficiens est , ut simul , & copulativè sumpti non conservent octavum gradum , presertim cum minor virtus sufficiat ad conservandum , quam ad primum producendum . Quo circa nego assumptum , majoremque primæ probationis . Velenim frigidum , de quo loqueris est substantia productiva frigiditatis , aqua v. g. vel solum subjectum informatum frigore extraneo ? Si hoc ; cum nulla qualitas se ipsam intendere valeat , ob rationem postea producendam , fieri potest , ut illud frigus operetur in subjecto extraneo , quamvis contrario , quin possit quicquam operari in proprio subjecto ; nam alias se ipsam intenderet .

86. Si illud primum ; adhuc subsistit , aquam posse producere aliquem gradum frigoris in subjecto calido sibi applicato , & non posse producere in se ipsa gradum octavum v. g. imò neque ipsum conservare . 1. Quoniam id docemur experientiâ ; constat enim quodvis agens necessarium operari quidquid potest , quando & habet virtutem , & omnia prærequisita : ergo quando non operatur , vel caret virtute , vel aliquo prærequisito ; sed quando calidum viribus æquale admovetur aquæ ; hæc neque producit in se octavum gradum frigoris , neque illum conservat , ut etiam constat experientiâ , quandoquidem in eo casu redditur tepida : ergo in eo casu vel non habet virtutem , vel non habet omnia prærequisita ad operandum , aut conservandum in se octavum gradum ; & tamen habet virtutem ad producendum in calido sibi admoto aliquem gradum .

## Sicut Agens agendo repatitur. 165

Hum frigoris , si quidem illum producit : ergo . 2. Et sit solutio directa . Major virtus desideratur in aqua ad hoc , ut in primo instanti congressū conservet in se ipsa octavum gradum frigoris , quām ad hoc , ut producat primum in calido : ergo stat habere virtutem ad hoc secundum , & non ad illud primum . Probo antecedens . Ut conservet in se octavum gradum , opus est , quodd infringat vires , & conatum septem graduum caloris ( hi namque omnes uno impetu conantur producere in aqua primum gradum caloris , & consequenter expellere octavum frigoris) ut autem in calido producat primum gradum frigoris , sat est vincere resistentiam formalem octavi gradū caloris per primum frigoris expulsi : sed major virtus requiritur ad infringendum impetum septem graduum caloris , quām ad vincendum resistentiam formalem unius tantum , ut patet : ergo . Unde soluta manet secunda probatio : etenim virtus minor requiritur ad conservandum , quām ad primū producendum , si certa sint paria ; in casu autem presenti paria non sunt , ut manet ostensum .

87. Huic axiomi limitatio gemina adhibenda est . Prima : Illud intelligi oportet , quando agens est passo contrarium ; quodd si contrarium non fuerit , actio dabitur absque reactione : sic lux ita operatur aliam lucem in aere , ut nil repatiatur ab hoc , nimisrum quia aer per se prēcisè non informatur qualitate luci contrariā ; imò quamquam agens , & passum qualitates habeant contrarias , si agens adeo fuerit robustum , ut uno impetu , & uno instanti congressū extinguat qualitatem passū ; etiam dabitur actio absque reactione , sic continget quando calidum ut octo applicetur frigido ut unum . Quia propter hoc , quod est non dari actionem sine reactione , nec passionem absque re-passione , intelligendum est , quando applicantur agentia , & contraria , & equalium , aut fermè equalium virium . Secunda . Numquam dari actionem , & reactionem inter calidum , & frigidum ut octo actualiter : cùm enim in primo congressu calidum pellat à frigido duos gradus ; necnon frigidum pellat à calido unum saltem ; inde est , quodd in primo congressu neutrum est ut octo ; dicuntur nihilominus ambo ut octo , quia talia fuerunt in instanti immediate antecedenti . Neque te remordeat , fore ut septem gradus caloris non applicentur duobus frigoris , si hi tam citè expellantur . Non enim requiritur physica applicatio inter destruentem , & destrūctum , ut experientia patet , & in Physica probatum manet .

88. Secundum axioma est . Qua proportione applicatum fuerit  
L 3 agens ,

P. Fonseca in S. q. 6 scđ. 5. *agens, ea operatur: seu agens naturale operatur uniformiter, difformiter,* Hoc axioma sine certo Authore adducitur à P. Fonseca. Illud constat experientia: Quoniam ignis v. g. citius, & fortius operatur in partibus passi proximioribus, quam in remotioribus: ergo operatur in aequaliter, seu difformiter. Verum in hac difformitate uniformitas elucet: siquidem urget, ac mitigat suas actiones juxta majorem, aut minorem propinquitatem cum partibus passi, ita ut si in prima parte illius producit octo gradus, & in secunda producat septem, in tertia producat sex. Et ratio est. Agentia naturalia creata habent vires limitatas: ergo indigent propinquitate cum passo ad operandum in eo (si enim hac non indigerent, ad quamvis distantiam, tametsi infinitam, operari possent, unde vires limitatas non haberent) ergo ipsorum vires propinquitate aciuntur, & distantia languescunt; ergo quod propinquiora fuerint, eo magis operabuntur; & quod distantiora, eo minus; sed primæ parti sphaeræ sunt propinquæ, & à secunda distant per unicum punctum indivisibile, ut ponimus cum Zenone: ergo ita operantur in prima parte, ut in secunda unum gradum indivisibilem omittant, ut in tertia duos, & sic in ceteris. Quid si rogaaveris: an agens operetur per partes aliquotas, an per proportionales passi? Negabo suppositum: ista quippe est phrasis Continui Aristotelici, à qua declinocum Zenone.

89. Hoc quoque axioma duas patitur exceptiones. Prima est: *Quando agens est validè activum, & validum, immediatèque admovetur primæ parti passi, non operatur uniformiter difformiter in primis saltem partibus passi; sed simpliciter, & absolutè uniformiter.* Et ratio est. Tametsi pars secunda distet ab agente per unum punctum indivisibile, & pars tertia per duo, & quarta per tria; nihilominus tanta esse potest activitas agentis, harumque partium dispositio, ut parvula hæc distantia nihilo aestimetur respectu activitatis agentis: tūm quia sicut immediata approximatio juvat ad agendum; ita vehementia agentis: ergo talis potest esse hæc vehementia, ut non retardetur per tantillam distantiam. Tūm quia plerūmque agens producit totum suum effectum in passo, cui non est immediatè localiter applicatum, modò hoc non exorbitet à sphera agentis: ergo quamquam agens non sit immediatè localiter applicatum secundæ parti passi, eo quid hæc unicum punctum indivisibile distet ab illo, potest totum suum effectum producere in hac: ergo in eo-casu agens non operabitur difformiter, sed purè uniformiter.

90. Se-

90. Secunda est ratione disparitatis: in dispositionibus modò positivis, modò negativis fieri potest, ut agens non operetur uniformiter difformiter, sed vel simpliciter uniformiter, vel simpliciter difformiter. Probatur. Esto primam partem passi, aut non habere tantam siccitatem, quantam habet secunda, aut informari uno gradu frigoris, quod secunda caret; in hoc casu haec duas partes dispares sunt in dispositionibus. Item ratione hujus disparitatis tantum operabitur agens in secunda, quantum in prima; major namque propinquitas primæ temperatur per resistantiam frigoris, quæ tantisper retardat actionem calidi: & rursus minor propinquitas secundæ partis compensatur per meliorem dispositionem, quam habet: cum ergo æquè conducat ad operandum dispositio passi, ac propinquitas cum agente, altera per alteram compensatur: ergo in praedicto casu tantum operatur agens in parte secunda, quantum in prima; ergo operatur simpliciter uniformiter.

91. Ex eodem capite disparitatis provenire potest, quod agens non operetur uniformiter difformiter, sed purè difformiter. Probatur: operari uniformiter consistit in eo, quod agens si in prima parte producit octo gradus, in secunda producat septem, in tertia sex itaque fieri potest, quod ordo hic deficiat. Probatur: Finge in secunda parte adesse contrarium, secus in prima; item in quarta, secus in tertia: in hoc casu minus caloris v. g. producitur in secunda, & quarta parte; quam alijs produceretur: quoniam præsentia contrarii actionem refrænat; alias producerentur in secunda parte septem gradus, & in quarta quinque: ergo in hoc casu non servatur is tenor. Contingeret igitur in hoc casu, quod agens in prima parte produceret octo gradus in secunda ob minorem propinquitatem, præsentiamque contrarii produceret quinque, in tertia ob defectum contrarii produceret sex, & non plures propter maiorem distantiam: ergo in hoc casu agens operaretur purè difformiter. Quamobrem ut hoc secundum axioma verum sit, oportet partes sphæræ cæteris omnibus æquales esse, dum taxatque discrepare invicem in propinquitate cum agente.

92. Ex hac doctrina inferatur, posse agens producere in passo distantiore, seu in parte distantiore ejusdem passi effectum, quem non producit in proximiore. Probatur. Quando à centro moveo rotam, majorem impulsum imprimò in peripheria, seu circulo exteriori, quam interiori (cum enim sint longè plures partes in peripheris, quam in circulo interiori, & singulæ habeant

impulsū, quō moventur, palam fit, plures gradus impulsū produci in peripheria, quām in circulo interiori ) & tamen proximior est mihi circulus interior, quām circumferentia, seu peripheria: ergo. Et ratio est, non minūs juvat ad agendum, & magis agendum dispositio, quām propinquitas passi: ergo si passum remotius fuerit multō melius dispositum, quām passum proximius, & absolute contineatur intra sp̄aram agentis, producet agens in illo effectum, quem non producit in hoc.

93. Sed rogabis. An agens possit producere effectum ullum in passo distante, quin simpliciter quicquam producat in passo intermedio? Respondeo cum distinctione: aut passum distans est adeo remotum, ut sit extra sph̄aram agentis; aut non. Si primum; perspicuum est, agens nequire effectum ullum in ipso producere? Si secundum; respondeo posse agens operari in distante, quin operetur ēn propinquō. Ratio est: eo ipso, quod passum distans sit intra sph̄aram, ad quam extenditur virtus agentis, sitque valde dispositum, passum autem propinquius minimē sit dispositum, potest agens operari in distante, quin effectum operetur ullum in propinquō; siquidem major propinquitas unius hebetatur per carentiam dispositionis, maiorque distantia alterius compensatur per meliorem dispositionem; at fieri potest, ut passum distans sit optimē dispositum ad recipiendum calorem v. g. vel ignem, secus passum proximius: ergo agens potest operari in distante, quin operetur quicquam in propinquō.

94. Dices cum DD. RR. Agens non potest operari in passo, cui neque mediātē, neque immediatē est applicatum; at si non producit aliquos gradus caloris in passo propinquō, quibus juvetur ad operandum in passo remotoiore, fit, ut neque mediātē, neque immediatē sit huic applicatum: ergo. Retorquetur in ipsos argumentum. Per vos aliquando contingit, agens, quod in primis partibus passi nequit producere quintum gradum caloris ob carentiam dispositionis, vel aliud impedimentum, illum producere in quinta parte passi; sed tunc licet adjuvetur per gradus productos in primis partibus ad producendum quartum gradum in quinta parte; nihilominus non juvatur per eosdem ad producendum quintum, ut tales; scilicet quia insuffit in graduum inaequalitatem, & gradus imperfectiores nequeunt juvare ad gradum perfectiorem producendum: ergo fieri potest, quod agens operatur in passo distante effectum aliquem, quin ullaenus juvetur ad illum

illum producendum per effectus productos in passo proximiore : Nunc rogo : Vel agens tunc casus est applicatum mediately , aut immediatè passo distantiori , vel neutrum ? Si primum ; ergo stat alterutra ex istis applicationibus absque isto adjutorio . Si secundum ; ergo operatur in passo , cui neque mediately , neque immediatè est applicatum .

95. Nego igitur minorem objectionis . Quippe agens esse mediately applicatum passo , consistit in eo , quod hoc , licet non sit illi contiguum , sit tamen intra sphēram , ad quam extenditur virtus illius ( non enim desideratur semper passum esse contiguum agenti , quandoquidem experimur agentia non raro operari ad aliquam , imò , & multam distantiam ) at quamvis agens nil operetur in medio , quo juvetur ad ulterius progrediendum ; nihilominus potest fieri , ut passum sit intra sphēram , ad quam extenditur virtus agentis : ergo licet nil producat in passo medio , potest esse applicatum passo mediately . Non diffiteor , agens vehementius operaturum in distante , si aliquem calorem producat in propinquuo , eoque juvetur ad ulterius operandum ; aio tamen hoc adjutorio opus non esse ad simpliciter operandum in distante .

96. Tertium axioma . Quod magis unita fuerit virtus , ed magis operatur , seu , Virtus unita fortior dispersa . Constat experientia . Nam cæteris paribus vehementius calefacit ferrum calidum , quam stupa , vel aqua : nempe quia ferrum ut potè densius habet partes magis unitas , subindeque gradus caloris per eas partes sparsi sunt mutuò magis uniti . Unde constat , agentis densitatem , licet non sit conditio ad operandum (ut minus bene ajunt RR. , quandoquidem aër calidus calefacit citra omnem densitatem ) juvare tamen ad operandum . Jam ratio hujus axiomatis potest esse duplex . Prima , nam quod partes agentis magis uniuntur , ed minus atteruntur per contraria circumstantia : ergo pollent majore vi ad operandum . Secunda : nam passum , quod vel ratione distantiae , vel ratione qualitatis contraria resisteret gradibus agentis seorsim operantibus , cædit eisdem simul , & uno quasi im petu ingruentibus .

97. Quod plures partes babuerit agens , ed plus operatur : seu , multitudo agentium juvat ad agendum . Est planum ; nam quod ignis habuerit plures partes ; ed citius , & magis calefacit . Cuius ratio est : totum est majus sua parte ; sed quodlibet agens seorsim est quasi virtus partialis ; complexum autem ex illis omnibus est virtus totalis : ergo complexum ex omnibus est major virtus , quam quodlibet agens

agens seorsim : ergo multitudo agentium &c. In cognoscitivis solet multitudo agentium tam longè abesse, ut juvet ad agendum, ut potius operationem impedit, vel retardet. Hoc provenit ex eo, quod affectus illorum diversi, aut etiam oppositi esse solent; cùmque facultates operatrices voluntatis nutum sequantur, id circò hęc non adunantur, & unus impedit, vel corruptit, quod alter efficiere conatur, unde nasci solet, quod nil fiat quando multi imperant; impræsentiarum autem loquimur de agentibus hujus diversitatis expertibus. Prætero cætera his affinia axiomata philosophica, quæ ex Aristotele, D. Thoma, cæterisque cum priscis, cum modernis deprompta alibi dedi.

## C A P U T N O N U M.

### Cætera Proloquia calculatoria.

Arist. I. de Gen.

cap. 3.

Et 3. Phys.  
sc. cap. 8.

Hurtado  
disp. I. de Gen.



Vintum est Generatio unius, est corruptio alterius: quod semel, & iterum traditur à Philosopho, docteque expenditur à D. Hurtado. Respondeo igitur, hoc axioma non significare identitatem inter unam, &

alteram, quia cùm corruptio sit purum nihil, in-  
disp. I. de Gen. talis identitatis: neque metaphysicam connexionem; nam potest Deus non corrumpere formam priorem, etiam generatā contraria: neque corrupti in subiecto unam formam semper, ac generatur alia, aut generari aliam semper, ac corruptitur una: quoniam non semper, ac in aëre generatur lux, definit in aëre alia forma; neque semper ac lux corruptitur generatur alia; tenebrae quippe non sunt forma positiva; sed mera lucis privatio. Significat ergo generationem unius formæ substantialis esse priorem corruptione alterius, non sanè præexistentis formæ substantialis ( si quidem non semper corruptitur hęc, v. g. anima rationalis) sed præexistentis compositi. Quia motus Deus exigentia formæ ignis de novo adventientis, omittit conservationem ligni præexistentis; non è converso, idest, non concurrit ad generationem formæ ignis ob defectum formæ ligni: quo circa potius dicitur, generatio unius est corruptio alterius, quam corruptio alterius est generatio unius. Hoc tamen non impedit, quod de potentia absoluta corruptio unius sit generatio alterius, si nimis destruens Deus formam ligni moveretur partialiter ex hac destructione ad producendum aliam formam substantialiem,

## Sicut simpliciter ad simpliciter . 171

tialem , ne materia privaretur omni forma ; inquit fieri potest , ut nullus prioritatis ordo detur inter generationem , & corruptionem , nempe si corruptatur una forma , & generetur alia , quin ex uno moveatur Deus ad aliud .

99. Sextum est . Sicut se habet simpliciter ad simpliciter ; ita se habet magis ad magis : cuius secunda semina sparsit Philosophus inquiens : quod si voluptas bonum , magis voluptas magis bonum . Et si injuriam facere malum , & magis injuriam facere , magis malum . Arri det multis hoc adagium , sed duabus saltim indiget exceptionibus . Prima est : modū illud magis sit possibile : quoniam si impossibile fuerit , non sicut se habet simpliciter ad simpliciter ; ita se habet magis ad magis . Ob hanc rationem sunt fallaces haec consequentiae . Qualitas radicatur in subjecto per unionem physicam cum illo : ergo magis radicatur per majorem unionem physicam . Item : fundamentum per connexionem metaphysicam est impotens existere absque termino : ergo per maiorem connexionem metaphysicam est magis impotens existere sine termino . Item : homo est rationalis per animam : ergo magis rationalis per majorem animam . Sunt inquam fallaces , quippe nec inter uniones physicas , nec inter connexiones metaphysicas , nec inter animas rationales ejusdem speciei sunt possibles unae maiores intensivè aliis . Jam ratio à priori est . Eo ipso , quod prædictum axioma supposuerit falsum , ipsum est falsum ; sed eo ipso , quod sit impossibile illud magis : supponit falsum qui dixerit , ita se habet magis ad magis : ergo . Hac ratione sophismata quedam sternuntur , quæ ex prava intelligentia hujus axiomatis procedunt .

100. Secunda est . Modū to magis non opponatur cum simpliciter , ut aliquando contingit : tunc enim non sicut se habet simpliciter ad simpliciter ; ita se habet magis ad magis . Sic homo est potens videre materialiter per lucem , & tamen non est magis potens videre per majorem lucem , nam tantum potest illa intendi , ut homo simpliciter non videat : sic voluntas constituitur libera per cognitionem allientem ; & tamen non semper est magis libera per cognitionem magis allientem ; siquidem haec magis allicet , si attingat gradus necessitatis moralis , aut physicæ , quin propterea sit voluntas in eo casu magis libera , cum potius sit minus libera : sic cibus conditus redditur per salem : & non magis conditus per incrementum salis , ut per se patet . Et ratio est , quia potestas videndi requirit quamdam mensuram lucis , & libertas quamdam temperaturam cognitionis allientis , & ciborum conditum determinatam .

2. Topico-  
rum cap. 4

Godoy di-  
sput. 3. de  
Deo n. 110

Arraga  
1. p. disp.  
1. scđ. 2.

tam salis mixturam : ergo his deficientibus , illa quoque deficient ; sed ubi advenerit incrementum , seu tò *magis* , deficit illa determinata mensura , quantitas , vel proportio : ergo tò *magis* adveniente deficit *simpliciter* : ergo non sicut se habet *simpliciter* ad *simpliciter* &c. Cujus uberior ratio est . Quoties unum *magis* subvertat fundamentum alterius *magis* , non sicut se habet *simpliciter* ad *simpliciter* ; ita se habet *magis* ad *magis* : quoniam in hoc casu unum *magis* opponitur cum altero *magis* ; cum tamen unum *simpliciter* non opponatur cum altero *simpliciter* ; at quoties unum *magis* opponitur cum *simpliciter* oppонitur cum fundamento alterius *magis* ; siquidem hoc *magis* presupponit suum *simpliciter* , sicut quodvis *comparativum* presupponit *positivum* : ergo quoties *magis* opponitur cum *simpliciter* ; non sicut se habet &c.

101. Præterea intelligendum est de *simpliciter* illo , per quod formaliter , & immediatè subiectum constituitur in esse talis , non de illo per quod illativè tantum . Sic quamquam subiectum constituitur extensum per quantitatem , non tamen *magis* extensum per maiorem quantitatem , quandoquidem posita rarefactione datur major extensio ; & tamen in lacte , cera , & similibus non datur major quantitas : nimirum quia subiectum non formaliter , & immediatè , sed determinativè dumtaxat constituitur extensum per quantitatem . Quo circa de causa formalí dumtaxat intelligendum est hoc proloquium : de causa autem efficiente , quando cætera omnia fuerint proportionatè paria , & causa illa sit ex eis , quæ operantur quantum possunt .

2. *Phyisco-*  
rum cap. 3.  
scnt. 30.

102. Septimum est . Sicut affirmatio est causa affirmationis ; ita negatio negationis . Imputatur , & meritò Aristoteli ajenti , eadem causa contrariorum est , quod enim præsens , causa hujus est , boc , & absens , facimus aliquando causam contrarii ; ut absentiam gubernatoris navis

Ribaden. disp. 3. de subversionis , cuius erat præsentia causa salutis . Subtiliter exenterat ad. huma- hoc adagium P. Ribadeneira , juxta quem hæc est interpretatio . nib. cap. 4.

Qando A. est causa rei B , defectus rei A. solet concipi à nobis instar cause defectus rei B. qua propter legitimæ sunt hæc dux consecutio- nes . Adebat causa actiù influens in effectum : ergo datur effectus . Item : non datur causa actiù influens in effectum ; ergo non datur effectus . Verum sedulò notanda sunt Philosophi verba . Hoc & absens , facimus aliquando causam contrarii . Aliquando , quia non semper : quando igitur id continget ? Quando effectus ab illa tantum causa producibilis est . Ausculta S. Magistrum Tom. Remoto priori removetur posterius , art. 2. qu. 15. art. 2. quod

*quod propriè ex eo tantùm sequitur : si autem aliquid ex pluribus sequi possit , non propter hoc posterius removetur , uno priorum remoto ; & venustum producit exemplum . Sicut si induratio possit fieri , & à calido , & à frigido (nam lateres indurantur ab igne ; & aqua congelata induratur ex frigore) non oportet , quod remoto calore removeatur induratio . Rursus nota illud facimus , quia cùm parentiæ , negationesque objectivæ , (si fortè dantur) sint purum nihil , subire nequeunt denominationem causæ in re , & quoad esse , sed tantùm quoad dici , & quoad modum nostrum concipiendi , unam quippe parentiam rudè concipimus per speciem rei causantis aliam , ex hac apprehensione descendit is similis loquendi modus . Quia sic nominamus aliquid ( inquit B. Thomas) sicut cognoscimus illud : & hoc sinistro loquendi modo paralogismi pullulant , quibus , & viri illaqueari solent circa rerum parentias , entiaque rationis .*

1. p. queſt.  
18. art. 2.  
corp.

103. Existimo Axioma hoc contrahendum non esse ad solas causas , & effectus ; sed liberiū excursorum . Duæ h̄c proponuntur affirmations , quarum una dicitur causa alterius , & duæ similiiter negationes . Utræque possunt esse objectivæ , vel formales ; præterea affirmationum objecta possunt esse aut mutuò connexa ( habeant , vel non habeant in vicem relationem causalitatis ) aut mutuò opposita ; aut connexa , vel opposita non mutuò ( quod in oppositione purè physica contingere posse infra dicemus ) aut omnino disparata , quatenus neque connexionem , neque oppositionem reciprocā , vel non reciprocā habeant . Dico ergo in omni , & solo casu , in quo objecta fuerint mutuò connexa connexione metaphysicā , determinatā , & absolutā , subsistit , quod sicut affirmatio est per se causa affirmationis , ita negatio est per se causa negationis ( addere per se : per accidens namque sit quod voles) : Probatur : quoties ex A. legitimè arguatur B , atque , ex defectu rei , A. legitimè quoque arguatur defectus B , subsistit , quod sicut affirmatio est causa affirmationis ; ita negatio negationis ( non enim loquimur de alio causalitatis genere : ) at quoties A. fit reciprocè connexum cum B. connexione metaphysicā , determinatā , & absolutā , ex A. legitimè arguitur B , quoniam fundamentum connexionis metaphysicæ impotens est orbari suo termino : & insuper ex defectu rei A. legitimè arguitur defectus rei B . siquidem deficiente termino prædictæ connexionis infallibiliter deficit fundamentum : & demum in nullo alio casu potest id evenire per se ; ergo in omni , & solo casu , in quo objecta fuerint &c.

104. Pro.

104. Probo ultimam partem minoris. Omnis alias casus vel est casus, in quo objecta illa reciprocè opponuntur? Et sic patet, quod ex unius existentia perperam arguitur existentia alterius. Vel in quo non habent connexionem mutuam? Et sic quamquam ex fundamenti existentia arguatur existentia termini: attamen ex fundamenti defectu, seu negatione non arguitur negatio termini; alioquin ex negatione creaturarum metaphysicè connexæ cum Deo argueretur defectus Dei. Vel in quo habent non mutuam oppositionem? (ut contingit in duabus quantitatibus, quæ licet physicè opponantur sui ipsarum penetrationi; hæc tamen non opponitur physicè illis, sed potius cum illis metaphysicè connectitur..) Et sic non arguitur universaliter existentia unius ex alterius existentia; neque defectus unius ex defectu alterius. Vel tandem est casus, in quo objecta sunt disparata, nullamque inter se habentia connexionem, aut oppositionem? Et sicut ex uno arguitur per se aliud, aut ex defectu unius defectus alterius? Constat igitur inductione legitima præsumptum axioma in omni, & solo casu, in quo objecta furent mutuò conhexa, esse verum.

105. Atque ex his pariter colligitur, quo sensu veritatem nanciscantur illa alia duo proloquia. *Remoto priori, removetur posterius;* nempe si non succedat aliud prius, à quo æquè possit dimanare illud posterius. Item: *contrariorum eadem est causa.* Vel enim sermo est de causa objectiva, & logica, quæ idcirco talis dicitur, quia alicui inferendo est idonea; vel de causa efficiente libera; vel de efficiente necessaria; vel de causa materiali; vel de formalis; vel de finali? Si primum; non est eadem univocè causa contrariorum: quia nil, nisi chymæra infert simul duo contraria metaphysicè; sed solum est eadem æquivocè, quatenus si A. infert rem B., defectus rei A. solet inferre defectum rei B. in sensu nuper exposito, & in hoc solo sensu fuit usus Philosophus supra hoc axiomate. Si de causa efficiente libera; eadem est semper eorum contrariorum causa: quia omnis libertas indifferentia respicit duo contrariæ, aut contradictione opposita, & omne exercitium liberum capax est ut ab illa eadem causa libera determinetur, à qua determinatur suum oppositum. Si de causa efficiente *necessaria*; necesse non est, quod eadem sit contrariorum causa, ut inductione constat. Si de causa materiali; necesse est, quod contrariorum eadem sit causa: quoniam formæ oppositæ dumtaxat reluctantur sibi invicem quoad simultaneam existentiam in eadem parte subjecti. In eadem inquam, sive ratione educationis,

ut

ut contingit formis materialibus: sive ratione solius unionis, ut contingit animæ rationali. Si de causa formalis; interdum est eadem contrariorum causa (sic calor per sui unionem cum subiecto aliquando indurat ipsum, ut constat in lateribus coctis; aliquando ipsum in molitiem deflectit, ut constat in cera:) interdum non est eadem: quandoquidem causa formalis hujus effectus *latus* non est causa formalis effectus contrarii. Denique si de causa finali; aliquando eadem est contrariorum causa, aliquando non: media namque utilia ad obtainendum finem, & quorum finis est causa, aliquando sunt inter se contraria; aliquando non: per vias enim oppositas itur etiam in idem centrum.

106. Octavum est. *Idem manens idem semper est natum facere* Quæst. sc. idem. Aliquod, licet meâ sententiâ, levissimum fundamentum habet apud S. Thomam sic ajentem. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut est in Angelis, ut dictum est, non potest amittere esse. Hoc proloquo suadere conantur multi Angelorum incorruptibilitatem. Sed P. Molina solidiores alias B. Thomæ rationes exponens, ab hac, & aliis jure abstinet. Quoniam plus difficultatis, inquit, in eis defendendis, quam utilitatis, & probabilitatis cerno. Eodem modo se gerunt PP. Valentia, & Vasquez, & meritò quidem, quia sat quaestionum directarum habemus, ne ad reflexas difficultates declinare cogamur. Multus est P. Arriaga in subvertendo hoc proverbio. P. Ortega distinguit inter agens liberum, atque necessarium: concepit adagium de hoc, negat autem de illo; cumque Deus sit agens liberum in conservatione Angelorum, argumentum huic axiomati innixum ad probandum illorum incorruptibilitatem palam hebetat. Subscribo huic Authori. Et dico. Si sermo instituatur de agente libero; falsum est hoc proloquium. Probatur: eo ipso, quod idem manens idem potestate gaudet proxima, & expedita, ut non faciat idem, falsum erit, quod semper est natum facere idem; sed eo ipso, quod agens sit liberum libertate indifferentia, licet sit idem, & maneat idem, potestate gaudet proximâ, & expeditâ, ut non faciat idem. Probatur: eo ipso, quod neque detur necessitas antecedens ut faciat idem, neque antecedens impossibilitas, ut non faciat idem gaudet potestate proximâ, & expeditâ, ut non faciat idem; vel saltem potestatem hanc adipisci valet; sed eo ipso, quod ita maneat idem, ut sit liberum libertate indifferentia, non datur necessitas antecedens, ut faciat idem; neque antecedens impossibilitas, ut non faciat idem: alias esset liberum, & simul non esset liberum; ergo.

Re-

ar. 5. corp.  
P. Molina  
na ibidem  
litt. D.

P. Valen-  
tia lib. 1:  
disp. 4. q. 1.  
punctio 4.  
ver. altera  
ratio.

P. Vas-  
quez bdc.

P. Arria-

ga disp. 2:

de Angelis

scil. 6.

P. Orteg.

controv. de

Angelis q.

3. cent. 5.

Respondebis. Fieri potest, ut agens prædicta potestate fungatur: d  
non faciendum idem, & tamen ut faciat idem, ut patet: ergo ex hoc  
capite imbecille sumitur argumentum. Distinguo hoc consequens,  
ad probandum *quod non faciat idem*; concedo consequentiam: ad  
probandum, *quod non semper est natum facere idem*; nego consequen-  
tiam: quoniam non semper est natum facere id, *quod libere omit-  
tere potest*.

107. Sin verò instituatur sermo de agente necessario; percon-  
tor. Aut permanet idem adæquatè, aut non? Si primum; semper  
est natum facere idem. Probatur. Quoties permanerit eadem vir-  
tus agentis necessarii, eadem dispositiones, tum ex parte ipsius, tum  
ex parte passi, exdemque remotiones omnium impedimentorum,  
debet illud agens necessarium facere idem; quod enim non faciat  
idem, solummodò potest provenire vel ex eo, quod absit conditio  
aliqua prærequisita; vel ex eo, quod subintroierit aliquod impedi-  
mentum; vel ex eo, quod ex mero suo libito nolit facere idem: quo  
circa si nil ex his contigerit, necesse est, quod faciat idem: at quo-  
ties agens necessarium permanerit idem adæquatè, permanent om-  
nia dicta; quia horum omnium permanentiam intelligo per hanc  
phrasim: ergo. Si secundum; non semper est natum facere idem.  
Eo namque ipso, quod vel attrita sit virtus agentis, vel conditio  
aliqua prærequisita deficiat, vel impedimentum aliquod inelucta-  
bile subrepserit; non est necesse, quod agens necessarium faciat idem,  
quod antea faciebat, quando res aliter se habet; sed eo ipso, quod  
agens necessarium permaneat idem, non adæquatè; sed purè inadæ-  
quate, contingit aliquod ex memoratis: ergo.

Aliæ restant calculationes, nimirum: Quoties unum crescit ad  
diminutionem alterius, si hoc alterum summe minuatur usque ad non  
gradum sui; illud primum debet crescere supra omnem gradum. Sed  
hoc infra Disp. 4. num. 109. Item: omnis motus supponit subiectum  
mobile. Ibid. num. 115. Item: à substantia per se subiectivâ non po-  
test egredi actio, quæ non sit exigitiva subiecti. Ibid. num. 119. Item:  
quod potentia passiva magis distat ab actu, èd major esse debet Po-  
tentia activa. Ibid. num. 123. Item; Factum  
agitur eo modo, quo faciens facit.  
Ibid. num. 132.

*Finis Disputationis Secundæ.*

DIS-

# DISPUTATIO TERTIA AXIOMATA CIRCA ACTIONES, COGNITIONES, ATQUE OPERATIONES.

Non minùs frequentia sunt hæc , quàm antecedentia utpote ipsis affinia . Nec minùs fæcunda veritatum , si bene intelligantur : quàm falsitatum , si malè .

Quocirca hæc cum suis  
corollariis explicata  
dabo .

- Caput I. *An , & quo jure Actiones sint suppositorum ?*  
Num. 1.
- Caput II. *An , & qua ratione modus cognoscendi sequatur modum effendi ?* Num. 17.
- Caput III. *Doctrina contraria expenditur .* Num. 26.
- Caput IV. *Alia tria Proverbia circa modos prædicandi , operandi , ac recipiendi ; scilicet : unumquodque operatur secundum quod est in actu . Unumquodque recipitur ad modum recipientis .* Num. 34.



## CAPUT PRIMUM.

*An, & quo jure Actiones sint suppositorum?*

**P. Suar.**

*tom. 1. in 3.*

*1.*



*p. disp. 10.*

*scil. 3.*

*Scot. in 4.*

*disp. 12. q. 3*

*ad 2.*

Ribuitur paſſim hoc axioma Aristotelii ; ſed immēritō, ut bene notavit P. Suarez, & prænotaverat Scotus. Aristotelis verba hæc ſunt. *Experientia eft rerum singulariam cognitionem; Ars Universalium. Actiones vero, generationesque omnes in singularibus ver-*

*Ariſt. 1. ſantur. Ubi ſuppositorum, & ſubſtantia immemor, vel ignarus,*

*Met. c. 1. de ſolis singularibus ſcribit. Imò Magist. S. Thomas hæc Philoſo-*

*lett. 1. in phi verba explanans, singularium præcisè meminit, tacita præte-*

*1. metaph. riens ſuppoſita, idest naturas ſubſtantia completas. Primus ergo*

*P. Vasq. maximæ hujuſ Author, ut teſtatur P. Vasquez, fuit Damascenus,*

*3. p. diſ. 21. qui poſtquām hæc quatuor diſtinixerat, *Action*, *Actuum*, *Actus*,*

*Dam. lib. Agens ſubjugit. Operans denique iſ, qui actione perfungitur,*

*3. de fide hoc eft persona. Non nullumque habet apud Philoſophum funda-*

*cap. 15. mentum, ſic docentem. *Melius eft fortalſe dicere, non animam; ſed**

*Ariſt. 1. de anima hominem animā mifereri, vel diſcere, vel ratiocinari: ubi ſoli ſup-*

*text. 64. poſito operationem tribuit, quamquām hæc verba egregiè exponat.*

*P. Suar. P. Vasquez loco nupēr citato.*

*diſput. 33. 2. Ceterūm quia hoc Proloquium ſolemne eft multis Theologis,*

*metaphy. ſec. 7. n. 10. temperandi cauſā emergentes difficultates in tractatibus de Incarna-*

*Cōcil. Flo. tione, ac Trinitate: & quia valde familiare eft S. Thomæ locis no-*

*rēf. ſeff. 19. tatis à P. Suarez, & quia Iоannes de Montenegro, vulgo Theologus*

*1. Sentent. nuncupatus Ecclesiæ Latinæ cauſam agens contra PP. Orientales*

*Lorca rō. in Concilio Florentino, abſolute pronunciat. *Actiones juxta om-**

*1. in 3. pa. nium Philoſophorum ſcholam, ſuppositorum eſſe videntur: propterea*

*diſp. 20. n. illud expendendum luſcipimus. Triplex hac ſuper re diſtingui po-*

*13. Hurtado test ſententia. Prima abſolute, ac ſine ulla limitatione ſupponit*

*in 3. p. diſ. veritatē prafati axiomatis. Ità S. Thomas. M. Lorca, PP. Ra-*

*26. n. 34. & gusa, Vadingus, Albertinus, Petrus Hurtado. Secunda proprie-*

*diſput. 55. est neganti veritatem illius in ſenſu universalis. Ità PP. Vasquez,*

*met. n. 550. Meratius, Oviedo, Laurentius, Dandinus, Arriaga, Suarius Lu-*

*P. Ragus. de ſitanus, Muniesa, Martindn, Quiros, & in eamdem vergit P. Or-*

*Incarn. tega, necnon Rev. in Christo P. Thyrſus Præpoſitus olim Genera-*

*P. Albert in Coroll. lis: atque ut bene advertit P. Meratius, tenentur in vi conſequen-*

*9. 19. n. 50. tiæ negare illud in ſenſu universalis, quotquoq; cenſent, naturam*

*physi-*

## Actiones suppositorum. 179

physicè, ac verè producere suam subsistentiam, qui Doctores multi sunt, nec ignobiles.

3. Tertia Sententia procedit cum distinctione. Alii ajunt, actiones esse suppositi, ut ultimè denominati, sed nou ut solius denominati. Ità Scotus, quod innuit etiam P. Petavius. Alii esse suppositorum, quatenus suppositalitas sit principium formale, & actuale operationum. Ita aliqui, quos suppresso nomine refellit P. Suarez, quem frequentes sequuntur nostrates. Alii esse suppositorum, quatenus subsistentia est conditio tantum, sed necessaria prærequisita ad operandum. Ità Eximus ipse Doctor, cui adhærent PP. Petavius, Amicus, Aldrete, Lugo, & Illustrissimus Echaz. Alii esse suppositorum actiones illas, quæ sunt ad extra, non quæ sunt ad intra. Ità P. Carleton. Alii accipiunt hoc axioma de actibus, & passionibus indebitis naturæ, non verò de debitibus. Ità P. Rhodes. Alii de actionibus distinctis à simplici emanatione, scilicet de hac. Ità P. Martinus Precioz. Alii esse suppositorum denominativè dumtaxat, & per communicationem idiomatum. Ita PP. Conimbricenses, Aranda, & Bernal. Alii esse suppositorum, quatenus suppositalitas est forma moralis actionum, ipsas extollens, aut deprimens in ordine ad estimabilitatem. Ità P. Præpositus. Alii esse suppositorum, ut quod, non ut quo. Ita M. Godoy. Alii demum intelligent hoc proverbium in sensu solo expresso per Aristotilem, videlicet actiones esse singulatum per se existentium, quidquid sit de subsistentia, quæ illum præteriit. Ità PP. Fonseca, Montoya, & Monfortius.

4. Reor, famolam hanc assertionem in multiplici sensu esse veram, & in multiplici esse falsam. Est igitur falsa, 1. Si sermo sit de omni prorsùs actione, nulla dempta. 2. Si tò sunt accipiaturs privativè, quatenus nihil aliud à suppositis agat; vel denominetur agens, aut patiens. 3. Si significet, suppositalitatem esse principium actuale, formaleque operationum suppositi. 4. Si significet, illam esse conditionem indispensabiliter prærequisitam ad operandum. 5. Si significet, illam esse ex natura rei tantum prærequisitam, verum proximè, immediatè, ac directè, ita ut constituat actum primum proximum ad cunctas naturæ operationes, etiam distinctas à simplicibus emanationibus, actionibusque naturæ debitibus. Probo primam exceptionem. Tum quia actio, qua rationalis animus separatus à corpore producit suam præsentiam, intellectiones, amores, gaudia, aliosque effectus, est vera, & realis actio; sed

hæc,

M 2

3. *Sentent.* hæc , aut hæc actiones , neque physicè elecitivæ , neque adhuc denominative sunt suppositorum : quoniam sola anima elicit illas , & sola anima ab illis denominatur operans in actu secundo non verba .  
*P. Petav.* homo ille mortuus , cuius erat anima , & hæc non est suppositum , sed suppositi pars : ergo aliquæ actiones veræ , & reales , neque elicentes .  
*Dog.* citivæ , neque adhuc denominative sunt suppositorum . Tum etiam , quia actio , qua accidens miraculosè divulgum à substantia operare .  
*P. Suarez.* tur aliquid , non esset , vel denominative à supposito ullo . Tum de nique , quia actio , qua Natura producit suam subsistentiam in sensu tentia docente , illam esse formam positivam , est aliqua vera actio :  
*P. Rhodes.* siquidem natura , juxta plerosque ex adversariis , est verè causa efficiens .  
*Incarn. q.* ciens sive subsistentiæ ; & tamen pressè loquendo , actio hæc non est suppositi ullius , ut docet ipse Pater Suarez ubi supra num. 17. ergo non omnis actio est suppositorum indispensabiliter . Omitto solutiones , ne questio fiat omninò de nomine .

5. Probo exceptionem secundam , nimirum actiones non esse privativæ suppositorum , quasi nihil aliud à supposito producat , aut producatur , aut patiatur , aut aliquam ex his subeat denominacionem . Et primò quidem exemplo modò prolatò de anima separata à corpore , quæ verè vivit , cognoscit , amat , patitur &c. Secundò , quia , ut opportunè advertit P. Vasquez ubi supra num. 20. non tantum est verum , Christum Dominum , flagellatum , esuriisse , occisumque fuisse ; verum etiam , Christi humanitatem flagellatam , passam , occisamque esse : ergo passiones non solum sunt suppositorum ; sed etiam naturæ . Quamobrem non dixit tristis sum usque ad mortem , sed tristis est anima mea : nempe , quia licet angorille Christum , ut talem revera denominaret ; nihilominus animam quoque ipsius , ut talem denominabat . Tertiò . Natura , quippe quæ definitur ( principium motus , & quietis ) præcisè ut talis , atque ut distincta contra subsistentiam , est principium , seu virtus , à qua physicè nascitur actio productiva : ergo natura , ut sic distincta , verè dici potest operari : ergo ut sic distincta denominatur operans . Præterea passiones verè , & propriè recipiuntur in natura , ut distincta à subsistentia ; calor enim citra omnem metaphoram recipitur in substantia ignis , vel quantitate : rursus non modò producitur , estque ab alio subsistentia ( loquimur modò in sententia horum docentium , illam esse quid adæquatè positivum , quod negabimus in Logica ,) sed etiam natura ipsa creata : ergo falsum est , actiones esse activæ , passivæ , aut terminative subsistentiæ solius : ergo & suppositorum in sensu

sensu privativo; itnd & in sensu denominativo. Nam licet suppositum denominetur producens, aut productum, aut patiens; certum nihil prohibet subire has quoque denominations illud, à quo verè fluit actio; illud, in quo verè illa recipitur, & illud, ad quod verè terminatur; quoniam ab eo, quodd res sit, vel non sit, proposicio dicitur vera, vel falsa: atqui actio verè fluit à natura, recipitur in illa, atque ad illam terminatur: ergo etiam Natura denominationem subit operantis, patientis, atque productæ. Unde concludo cum P. Vazquez adversus M. Godoy, Naturam non tantum esse principium quo; sed etiam principium quod operationum. Fateor in afferendis, atque negandis his denominationibus, multum esse de modo loquendi; puto tamen hunc loquendi modum esse verum.

6. Tertiam exceptionem quatuor optimis rationibus firmat Eximus Doctor: nobis ratio negativa sufficiat. Entitatibus de facto existentibus non est tribuenda activitas, positivaque perfectio absque positivo fundamento; at virtus producendi cunctas suppositi operationes, sive dicatur ad aquata, sive inad aquata est activitas, positivaque perfectio: ergo subsistentiæ de facto existenti, licet esset quid ad aquata positivum, non est tribuenda absque positivo fundamento: ergo subsistentia non habet eam virtutem: ergo Axioma est falsum, si significet subsistentiam esse principium formale actionum. Quodd si dixeris, subsistentias Divinas esse principium quo productum ad intra, & inferas idem de subsistentiis creatis. Respondeo cum P. Arriaga negando consequentiam: quippe in Divinis non est alia distinctionis realis origo, nisi ratio producentis, & producti: ergo id, vi cuius formaliter Personæ Divinæ mutuo distinguuntur, est vel ratio producentis, vel producendi; atqui unicè distinguuntur ob subsistentias, cum natura sit communis: ergo subsistentiæ sunt rationes producentis, vel producendi. Hæc ratio applicari nequit creatis, quoniam una persona distinguitur ab alia numericè, non tam ratione subsistentiæ, quam ratione naturæ: quandoquidem Natura Petri v. g. per sola sua intima prædicata distinguitur individualiter à Natura Joannis, ut alibi dicemus.

7. Quartam exceptionem, videlicet subsistentiam non esse conditionem indispensabiliter prærequisitam ad operandum, suadet etiam Pater Suarez, addens, posito miraculo privationis subsistentiæ cum propriæ, tūm alienæ, novum miraculum non fore in eo, quodd Natura operaretur. Ubi inconsequentia arguitur à PP. Lugo, Oviedo, & Arriaga; sed immerito: nam licet forma sit conditio naturæ.

PP. Conti-  
bricensis  
lib. de Gen.  
cap. 4. q. 4.  
art. 1. Q. 2.  
Phys. c. 7.  
q. 18. art. 4.  
P. Aran-  
da lib. 4.  
de Incar.  
disput. 2.  
nu. 99. P.  
Præp. in 3.  
p. q. 1. art.  
2. dub. 3. n.

35. Godoy  
tom. 1. de  
Incarnat.  
trat. 1. di-  
sp. 5. n. 22.  
P. Fonse-  
ca 1. Metb  
c. 1 q. 5. lett  
4. P. Mon-  
toya disp.  
80 de Trin.  
scil. 3. n. 15  
Monfort  
pag. 20.  
Mart. 14.  
P. Suarez  
ubi supræ  
num 6.  
P. Arria-  
ga ubi sup  
num. 124.

P. Suarez  
loc. cit. nn.  
15. P. Lu-  
go disp. 22  
de Incar.  
scil. 7 n. 97  
P. Ovied.  
controv. 6.

*Met. p. 17. turaliter exacta, ut materia sit in rebus ob intimam connexionem.*  
*P. Arria 3. num. 17. hujus cum illa; attamen frequens sententia est, quod posito miraculo privationis omnium formarum, materia sine novo miraculo conservaretur: ergo quamquam subsistentia sit conditio naturaliter exacta ad operandum, abs jure insimulatur, qui dixerit, Naturam sine novo miraculo operaturam casu, quo subsistentia orbitetur. Quidquid de hoc sit. Probo exceptionem contra P. Alderete. Eo ipso, quod non probetur, quamcumque operationem Naturae esse metaphysicè connexam cum subsistentia; haec non est adeo indispensabiliter præ.*  
*P. Ortega 12. n. 125. dis. 3. de In- car. 3. non probetur, quamcumque operationem Naturae esse metaphysicè num. 16. dis. 3. de Incar. q. 2. a. 4. metaphysica connexio non probatur; nam ut bene advertit P. Ortega, argumenta circumferri solita pro necessitate subsistentiae ad operandum, solum probant necessitatem pure physicam, minimè autem metaphysicam: ergo.*

8. Priusquam probem quintam exceptionem, adverto. Aliud est suppositalitatem, sive subsistentiam esse conditionem proxime, atque immediate prærequisitam ad operandum; ita ut sit constitutivum actus primi proximi. Aliud autem longè diversum, eam esse conditionem mediately solum, atque indirecte prærequisitam ad operandum. Sic Ubicatio, conservatioque agentis sunt conditiones indispensabiliter prærequisitæ ad operandum; repugnat enim operari agens illud, quod non conservatur a Deo, vel nullibi est; & tamen creditu difficile est, ambo haec accidentia constituere actum, primum proximum causæ ad quamcumque suam operationem. Sic altera ex duabus scientiis mediis contrariis est prærequisita ad existentiam absolutam consensus liberi juxta nostram Theologiam; & tamen neutra constituit proximam potestatem consentiendi. In presenti non nego, subsistentiam esse conditionem mediately, & indirecte prærequisitam ad operandum; sed tantum directe, ac immediate, quo PP. Suarez, & Vasquez conciliare mihi videor, quorum ille constanter propugnat, hic constanter impugnat hanc prærequisitionem, uterque supponens subsistentiam esse rem adæquatè positivam.

9. Probo jam assumptum. Subsistentia per te est conditio immediate, ac directe prærequisita ad operandum: ergo constituit proximam capacitatem operandi: ergo posito miraculo privationis omnis subsistentiae, desiceret proxima capacitas operandi; sed deficiente hac proxima capacitate, nequit operatio existere naturaliter, sed opus est novo, & speciali miraculo, ut detur operatio; quandoquidem haec est naturaliter connexa cum illa proxima capacitate: ergo posito

sito miraculo privationis omnis subsistentia, novum, & speciale datur miraculum, si Natura tunc operaretur; sed hoc negat, & meritò, ipse P. Suarez: ergo subsistentia non est conditio proximè, immediatè, ac directè prærequisita ad quamcumque operationem. Profectò, posito quodd agens sit valde remotum à passo, miraculum esset, si tunc in passo operaretur: nempe quia propinquitas agentis, & passi est conditio immediatè, ac directè exacta ad operandum. Idem igitur dicendum impræsentiarum, si idem de subsistentia dixeris, quod de approximatione locali. 2. Tametsi divinæ Personalitates præcedant cuicunque operationi ad extra ob secunditatem Naturæ Divinæ, intimamque connexionem hujus cum illis; non tamen sunt conditiones immediatè, ac directè prærequisitæ ad operationes creatas, ut communis docet opinio: scilicet quia Natura Divina ob titulum omnipotentia per se præcisè, mentaliter præscindendo à personalitatibus, est sufficenter potens elicere quamlibet operationem ad extra: ergo quamvis subsistentia creata exigitur à Natura, ut in suo esse substantiali compleatur; hinc malè arguitur, illam esse conditionem immediatè, ac directè prærequisitam ad omnem operationem Naturæ. Et ratio præcipua est negativa, qua utitur quoque P. Oviedo: nempe non sunt passim admittendæ conditiones absque necessitate; sed nulla urget necessitas, ut ponamus subsistentiam immediatè, ac directè prærequisitam ad omnem operationem: ergo.

10. Cæterum subsistentia, posito quodd sit res positiva adæquata, est conditio prærequisita mediata, ac indirectè ad reliquas operationes Naturæ. Probatur: subsistentiam esse sic prærequisitam, stat in eo, quodd sit necessaria ad illud, quod immediatè prærequiritur ad omnes operationes Naturæ: atqui hoc ita contingit, cum necessaria sit, ut in rebus existat ipsa Natura, ob naturalem connexionem, quam supponimus hanc habere cum illa; Naturam autem existere, est quid immediatè prærequisitum, saltem naturaliter, ut Natura operetur, quod non negabunt vel illi, qui putant, causam non existentem posse divinitus operari: ergo. Quodd si intuleris, fore, ut Scientia Divina visionis causa ut proximè potentis operari, sit conditio prærequisita ad operandum. Concedam de conditione mediata, ac quasi indirectè prærequisita; negabo autem de conditione proximè, immediatè, atque directè necessaria. Hinc primò P. Suarez expono ajetem, subsistentiam requiri per se, non ex parte actio. num. 53. sis, seu termini proximi; sed ex parte agentis, nimirum quia agens ipsum

**P. Vasz.** ipsum est intimè connexum cum sua substantia. Quod nec P. Vasz-quez disp. quez, nec hujus sequaces negant. Expono P. Vasquez acerrimè ne-gantem præquisitionem substantiæ, docentemque, illam per acci-dens, & purè comitanter se habere ad operationes Naturæ. Illi termini *accidens*, *comitanter* non excludunt intimam connexionem Natu-ræ, & operationis hujus Naturæ cum substantia; nequitenim opera-ri Natura, quin existat: & nequit existere, quin substantia, habeatque suum complementum substantiale. Restat ergo ut tantummodo re-pellant immediatam, directamque substantiæ præquisitionem.

### §. I I.

**P. Arria-** 11. **H**inc secundò substantia dici potest prior ceteris operationi-  
ga disput. ga, nimirum quia Natura majorem habet connexionem cum sub-s-tentia, quæ modò supponitur esse sua perfectio substantialis, quām cum plerisque ex operationibus, quæ dumtaxat sunt perfectiones ac-cidentales Naturæ. Unde ex eis operationibus arguitur consequentiæ physiciæ existere substantiam, ex hac autem non semper arguuntur benè illæ. Hinc tertiod substantia se habet per *accidens*, & *per se*, co-mitanter, & antecedenter, pro *priori*, & pro *posteriori*. Sed aliter, & aliter: se habet per *accidens*, quatenus non constituit actum primum proximum ad quacumque operationem. *Per se*, quatenus natura est per se impotens operari, quin existat in rebus, & per se est impo-tens existere in rebus, quin substantialiter compleatur per substan-tiam; eo quod non per quidpiam sibi extraneum, sed per se, & per suam naturam sit connecta physice cum substantia. Rursus se ha-bet comitanter negativè, quatenus non præcedit immediatè cuivis operationi; & antecedenter quoque, quatenus non se habet purè dis-paratè ad operationes, eo modo, quo Musica ad logicam; sed est nece-saria ad illas, & ea deficiente, deficerent naturaliter hæc: quo-niam ea deficiente simpliciter, deficerent naturaliter principium ea-rumdem. Demùm se habet pro *priori*, & pro *posteriori*: pro *priori* prioritate universalitatis; & pro *posteriori* relatè ad naturam, à qua physice dimanat; non verè relatè ad operationes alias Naturæ.

**P. Suarez** 12. Hinc quartò utriusque argumentis satisfit. Probat Eximius  
*disp. cit. n.* Doctor præquisitionem substantiæ, tum ex eo, quod prius de-bebeat esse, *Naturam esse compleam*, & plenè constitutam in suo esse substantiæ, quām operari, eo quod modus operandi sequatur mo-

modum essendi, ut addit P. Lugo, qui sim uel cum P. Alderete utuntur hac ratione P. Suarez: tum ex paritate formæ accidentalis, P. Lu.  
go disp. 52  
de Incarn.  
scit. 7. 2u.  
103. quæ prius naturâ inest, seu inhæret subiecto, quām operatur, cui exemplo insistit Illustrissimus Echalaz: tum ex eo, quodd prius sit esse substantiale, quām accidentale: ergo prius est illud, per quod Natura completur in esse substantiali, quām id, per quod comple-P. Aldere-  
te disp. 39.  
de Incarn.  
scit. 5. nu.  
17. tur in esse accidentalı; sed per subsistentiam completur in esse sub-Echalaz.  
tract. 2. me  
taph. disp.  
6. n. 52. stantiali, per operationem autem in esse accidentalı: ergo. Re-  
spondeo, his tribus argumentis, supponentibus subsistentiam esse quid positivum adæquatè (quod suppositum est falsum juxta senten-  
tiā, quam dabimus disp. 4. Logicæ cap. 5.) ostendi sancte priorita-  
tem universalitatis, item prioritatem quasi indirectam subsistentiæ  
respectu operationum: refelli etiam, quodd simpliciter disparate se  
habeat respectu illarum, quemadmodum se habet Musica in logico  
respectu Logicæ, que omnia libenter admitto; eis verò non pro-  
bari prærequisitionem proximam, immediatam, directam, atque for-  
malem, quam solam nego: imò exemplum, quod adeo arrisit Illu-  
strissimo Echalaz, non leviter hoc confirmat. Non minus deside-  
ratur inhærentia, ut accidens operetur, quām subsistentia, ut Natura  
agat; & tamen inhærentia non desideratur, tamquam conditio  
immediate, directe, atque formaliter prærequisita ad operandum:  
asperum quippe est, unionem, seu educationem caloris constituere  
intrinsecè proximam caloris capacitatem ad calefaciendum: ergo  
quemadmodum eductio requiritur tantum, ut actuale exerci-  
tium sustendandi, & conservandi calorem: ita subsistentia solidum  
requiritur ex parte naturæ operatricis, tanquam fulcrum, comple-  
mentumque ipsius Naturæ, non verò tamquam quid intrinsecè con-  
stituens actum primum ad operandum.

13. E converso P. Vasquez cum suis probat, subsistentiam non esse conditionem prærequisitam ad operandum: tum ex eo, quod ejusdem est operari, cuius est produci, & esse: ergo illud, quod est, atque producitur, est quod operatur; at Natura, ut distingua à subsistentia, est, & producitur: ergo ut distingua à subsi-  
stentia operatur. Tum quia si subsistentia esset conditio ad operan-  
dum, mutata subsistentia, mutaretur operatio; atqui hoc est falsum;  
quandoquidem eodem modo, & easdem operationes merè naturales  
elicit humanitas Christi Domini cum subsistentia Verbi, quas elice-  
ret cum subsistentia propria: ergo. Tum quia, sicut Natura operari  
requirit absque aliqua subsistentia; ita calor caleficere nequit absque

subjecto : & tamen subjectum , ia quo est calor , aqua v. g. non est conditio per se exacta ad calefaciendum : ergo . Tum quia , ut addit P.Oviedo , nulla urget necessitas ad dicendum , subsistentiam esse conditionem prærequisitam ad omnem operationem . Tum demum , quia sicut Natura operari non potest , quin subsistentia firmiter ; ita neque subjectum potest quidquam pati , recipere , quin habeat subsistentiam , quin propterea subsistentia sit conditio prærequisita ad omnes passiones . Hæc omnia evincunt , subsistentiam non esse conditionem immediate , directe , atque formaliter prærequisitam ad operandum , & recipiendum , eo modo : quo est approximatio localis ; at vero non probant , illam non esse conditionem mediata , & quasi indirecte requisitam ad operandum , & sustentandum . In quam demum propositionem incidit P.Hurtado post longam impugnationem P. Vasquez . Et hinc facilè exponuntur illa dogmata , quæ adeò difficilia visa fuerunt M.Lorca juxta sententiam ejusdem Authoris .

*P. Petrus  
Hurtado  
disp. 26 de  
Incar. scđt.  
4. n. 38.  
Lorca sup.*

14. Dico 2. prædictum axioma est verum . 1. Si sermo sit de suppositis , prout coincidentibus cum singularibus : & quamquā sit de universalibus , si accipiatur non de actionibus physicè operativis , & de externis ; sed de actionibus intentionalibus . Probo primam partem . Actiones tum activè , tum passivè , tum terminativè sunt solummodū singularium : ergo prædictum axioma est verum , si sermo sit de singularibus . Probatur antecedens . Actiones esse activè , passivè , & terminativè singularium , præcisè stat in eo , quod sola singularia à parte rei agant , à parte rei producantur , & aliquid recipiant ; sed hoc ita contingit : quandoquidem sola singularia existunt à parte rei , nisi forte naturas à parte rei universales comminiscaris : ergo . Nec te moveat , actionem physicam nasci posse à multis causis sive inadæquatibus , sive adæquatibus ; aut suo modulo posse producere multos terminos simil , ut aliqui contra aliquos sentiunt ; aut posse recipi simul in multis subjectis distinctis : universalitas enim actualis , & formalis , ut distincta à merè fundamentali , ultrà multitudinem poscit unitatem actualem , cùmque unitas hæc non detur à parte rei , ut modū suppono ; idcirco quamvis actiones possint esse activè , passivè , atquè terminative multitudinis aliquujus , nequeunt tamen esse universalium in sensu logico . Secunda pars aperta videtur . Actiones quippè intentionales cognoscendi , & amandi , terminari possunt ad universalia , ut talia , siquidem cognoscere possumus reflexè , amareque , vel odiisse paruram propositam ut

ut universalem: unde licet hæc actiones intentionales esse non possint activè, aut passivè universalium, possunt tamen esse terminatiyè.

15. Dico secundò. Est quoque verum, si enunciet actiones esse denominativè suppositorum, cuius denominationis duo sunt fundamenta. 1. Quod suppositalitas (*dato, quod sit positiva*) sit respectu cæterarum operationum conditio, sine qua non possunt illæ à natura elici; non quod immediatè, ac formaliter prærequiratur ab illis, sed quoniam exigitur immediatè à natura, & hæc à suis operationibus. Quo circa in sensu formalí, logico, & ratione nostra actiones non sunt suppositorum: ex propriis enim terminis, proprietate expressione non semper ostendunt connexionem sui ipsarum cum subsistentia; sunt tamen in sensu physico, & reali suppositorum: eo quod sint physicè connexæ cum fundamento, nimirum cum natura, physicè connexo cum subsistentia, & ratio non adest adducendi hinc exceptionem, quam dabimus Disp. 5. Unde possunt dici suppositorum materialiter, non autem suppositorum formaliter, ut talium; sed acceptance valde diversa ab intento illo, quod meditabatur Pater Cardinalis de Lugo. Neque obstat, aliquid posse connecti physicè, aut metaphysicè cum fundamento connexionis *P. Lugo* *disp. 8. de Incar. n. 5.*

Quoniam, hoc concessso, semper subsistit, subsistentiam non se habere purè per accidens, & disparate respectu aliarum operationum, quemadmodum se habet Musica respectu Logicæ: nam Logica ita connectitur cum logico, ut is non connectatur cum Musica; operationes autem ita connectuntur cum Natura, ut hæc sit intimè connexa cum subsistentia. Solum ergo probabitur, operationes non esse per se formaliter connexas cum subsistentia, minimè vero, hanc se habere per accidens respectu illarum.

16. Secundum fundamentum ejus denominationis est, quod bene notatum reperi apud P. Præpositum, scilicet suppositalitatem esse formam moralem operationum, quas Natura producit: sicut enim Gratia sanctificans citra omnem physicum influxum, extollit opera honesta, subindeque est forma moralis eorumdem; ita quamquam subsistentia nullam proorsus haberet prioritatem respectu cæterarum operationum, poterat esse forma moralis ipsarum; nam crescente subsistentiæ perfectione, crescit, cæteris paribus, operationum perfectio; & illa decrescente, decrescit hæc: siquidem quod nobilior est persona operans; et, cæteris paribus, nobiliores evadunt operationes. Actiones ergo sunt suppositorum denominativè, de-

nominazione proveniente à subsistentia , tamquam à forma extolente , aut deprimente ipsas actiones . His duobus tertium addo fundamentum , videlicet identitatem inadæquatam suppositi cum Natura , ex qua identitate provenit , quod operationes strictè , & propriè nascentes à Natura tribuantur per Synecdochem supposito ipsi . Cujus rationem à priori in AA. linguarum reduco cum P.

**P. Arria-** Arriaga : sic homo denominatur albus ab albedine solum corpus af-  
**ga disput.** ficiente , & intelligens ab intellectione recepta in sola anima . Poteſt  
**cit. n. 124.** igitur suppositum denominari per Synecdochem , aut communica-  
tionem idiomatum , operans ab operatione ex sola Natura profluente , quæ omnia , ut toties dixi , intelligenda sunt posito , quod subsi-  
stentia sit quid positivum .

## C A P U T S E C U N D U M .

*An , ēs qua ratione modus cognoscendi sequatur  
modum effendi ?*

S.Thom. I.  
p.q.12.art  
4. Cajeta-  
nus tbi .  
P. Suarez  
disput. 30.  
Met. scđ.

11. nu. 13.  
P. Valen-  
cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscens . Hoc prolo-

punç. 5.

P.Gran-

do 1.part.

P.Albert

princ. 1.

Corol.1.q.

1. dub. 2.

P.Fasol.

1.p. qu. 12.

art. 4 dub.

2. P. Sa-

las 12. tr-

att. 2. disp.

3. scđ. 2.n.

17.



Ruitur hoc Axioma ex S. Thoma sic probante , creaturam nequire solis suis viribus Deum intueri . Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscens : nude cujuslibet cognoscens cognitio est secundum modum suæ naturæ . Si igitur modus effendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscens , oportet , quod P. Valen- cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscens . Hoc prolo- quium constanter tacent ex nostris PP. Suarez , Granado , Salas , Quiros , Fasolus , Albertinus , Valentia , Præpositus , Recupitus , Laurentius , Tannerus , & Rhodes . Addit M. Godoy cognoscibili- tatem sequi entitatem non tantum quoad intrinseca ; verum etiam quoad extrinseca ; ut hinc obtineat , potentiam obedientialem , quæ est entitativè naturalis , non posse cognosci , nisi cognitione super- naturali . Refellunt idem proloquium Scotus cum suis , ac PP. Mo-

lina , Ripalda , Arriaga , Ortega , & Penafiel , quibus addito P. Vas- quez parum illi fidentem . Spissum opus , & magna distinctione indiguum .

18. Triplex quoad rem præsentem modus cognoscendi secerni potest , nempè abstractivus , quidditativus , & intuitivus . Rursus quilibet ex his tribus modis cognoscendi potest esse , vel entitativè naturalis , vel entitativè supernaturalis ; unde sex emergunt modi cogno-

cognoscendi, de quibus intelligi potest prædictum Axioma. Ulterius multisvariā capi potest, modum cognoscendi sequi modum est. <sup>P. Laur.</sup> <sup>rent. stratt.</sup> 1. terminativē, quatenus modus cognoscendi, utpote pro- <sup>1 Met. disp.</sup> prietas connaturalis substantiæ cognoscitivæ, hujus terminet con- <sup>3. scđt. 13.</sup> <sup>P. Prepo-</sup> nexionem, ab hacque producatur, vel ut quod, vel ut quo. 2. sit. 1. p. qu. <sup>12. art. 4.</sup> negativē, quatenus modus cognoscendi nequeat perfectior esse. <sup>nu. 27. P.</sup> modo effendi. 3. positivē, quatenus modus cognoscendi exactè adsequet modum effendi, itaut inter utrumque proportio detur, <sup>Tannerus</sup> <sup>1. p. disp. 2.</sup> quam vocant mathematicam. 4. Subiectivē, ac entitativē, qua- <sup>q. 6. dub. 3.</sup> tenus cognitio ipsa ut condistincta à suo objecto, proportionetur, <sup>num. 3.</sup> vel positivē, vel negativē cum modo effendi sui principii. 5. Ob- <sup>P. Rhodus</sup> jectivē, aut terminativē, quatenus non tam cognitio, quam cogni- <sup>tom. 1. disp.</sup> tionis objectum, proportionetur cum modo effendi. Præterea hic <sup>S. P. Recu-</sup> modus effendi multipliciter considerari potest: est namque modus <sup>pitus lib. 6</sup> effendi objecti cogniti, & modus effendi ipsius cognitionis, & modus <sup>q. 3. n. 42.</sup> <sup>P. Quiros</sup> effendi cognoscentis ut quo, seu potentia illius, virtutisve, à qua im- <sup>disp. 27 de</sup> mediatè gignitur cognitio, & modus effendi cognoscentis ut quod, <sup>Deo scđt. 2.</sup> nimis substantiæ solis suis viribus relictæ, & modus effendi ejus. <sup>3.</sup> <sup>2. Senten-</sup> dem, ut specialiter adjuta: omnesque hi modi effendi possunt subdi- <sup>tia. Stetus</sup> vidi in modos effendi intrinsecos, & modos effendi extrinsecos, ex in 2. disp. 3. quorum membrorum dividentium multiplici combinatione plu. <sup>q. 9. 3. ali-</sup> <sup>bi. P. Ri-</sup> consurgunt propositiones aliæ veræ, aliæ falsæ, quibus abuti <sup>palda disp</sup> possunt Adversarii. <sup>10. de ente</sup>

19. Dico primò. Modus cognoscendi (quicumque ille fuerit) super scđt. entitativē in se ipso inspectus semper sequitur, tum negativē, tum <sup>4. P. Ar-</sup> à posteriori modum intrinsecum effendi sui principii, sive ut quod, <sup>riaga disp</sup> <sup>10. de An-</sup> sive ut quo; secus modum extrinsecum effendi. Probo primam <sup>gelis scđt. 3.</sup> partem. Modum cognoscendi entitativē in se ipso inspectum sequi <sup>nu. 33. 3.</sup> utroque illo modo modum intrinsecum effendi sui principii ut quod, <sup>dis/p. 5 de</sup> & ut quo, stat in eo, quod omnis cognitio sit effectus substantiæ, <sup>Visione</sup> scđt. 2. quam denominat cognoscentem & potentiam, seu virtutis illius, à <sup>P. Ortega</sup> qua physicè nascitur, & quod neutram perfectione superet; sed in <sup>disp. 3. de</sup> primis, omnis cognitio est effectus substantiæ cognoscentis, & po- <sup>Incar. q. 2.</sup> tentiæ immediatè causantis cognitionem, licet diversimodè; deinde <sup>num. 4. 3.</sup> nulla cognitio est entitativē perfectior alterutra ex illis duabus: nam <sup>de Dec. disp</sup> licet de cognitione supernaturali loquaris collatè cum anima, & <sup>5. art. 3. n.</sup> potentia intellectivæ, quæ ambæ sunt entitativē naturales; nihilo- <sup>6. P. Pena</sup> minùs hæ perfectiores sunt ista cognitione. Tum quia prudens, & <sup>fiel trati 6</sup> firma regula taxandi rerum perfectiones non est uolum, vel alterum <sup>2. scđt.</sup> 3. attri-

**P. Vas-** attributum, quo nunc attoiluntur, nunc deprimuntur; alioquin dī-  
grecz 1. p. q. 12. in no. ceremus, materiam primam, utpote incorruptibilem, perfectiorem  
tatione esse homine corruptibili; & conservationem miraculosam quanti-  
art. 4. tatis in Eucharistia, unionemque, atque eductionem cuiuscumqu e

**P. Mol-** auxilii supernaturalis ( quippe quæ sunt etiam supernaturales ) per-  
na 1 p. q. 12. art. 4. fectiones esse substantiæ Angelicæ, quæ est entitativè naturalis, quod  
Godoy difficultè creditur: ergo tametsi loquaris de cognitione supernaturali,  
trat̄. 9. necnon de anima, & potentia naturalibus; hinc præcisè perperam-  
dīput. 35. arguitur, cognitionem esse perfectiorem alterutrā. Tum quia, si  
num. 36. cognitio ista est supernaturalis; attamen est accidens incapax viden-  
di, amandique Deum, necnon intentionaliter vivendi; anima verò,  
& potentia gaudent distributione accommodâ his, & aliis prædicatis  
multò nobilioribus: ergo cognitio non excedit perfectione substanciæ,

**P. Arria-** tiam, aut potentiam, lege P. Arriaga. Quo circa sunt in ordine su-  
ga disp. 10. de Angelis periore inadæquatè, quatenus unum prædicatum illorum est su-  
fct̄. 3. sub. perius ex se; at non adæquatè, nam omnibus pensatis anima est  
fct̄. 2. perfectior.

20. Probo secundam partem. Modum cognoscendi semper se-  
qui negativè, & à posteriori modum extrinsecum effendi sui princi-  
pii ut quod, vel ut quo, staret in eo, quod semper esset effectus illius,  
& numquam perfectione entitativa superaret eum modum extra-  
secum; sed aliquando non est effectus illius, siquidem non omnis  
cognitio suapte naturæ præsupponit cunctos eos modos extrinsecos  
effendi, quos per accidens habet suum principium, ut per se patet:  
deinde aliquando superat illos perfectione, eo quod aliquando sint  
modi purè materiales; cognitione autem intellectiva semper sit actus  
spiritualis: ergo modus cognoscendi non semper sequitur negativè;  
& à posteriori modum extrinsecum effendi sui principii.

21. Dico 2. Modus cognoscendi entitativè in se ipso considera-  
tus numquam sequitur in perfectione plenè, adæquatè, & positivè  
modum intrinsecum effendi sui principii; modum autem effendi  
sui objecti, aliquando sequitur negativè tantum, aliquando positi-  
vè; semper verò sequitur illum, determinativè, & à posteriori.  
Probo primam partem. Modum cognoscendi in se ipso considera-  
tum, sequi plenè, atque adæquatè modum intrinsecum effendi sui  
principii, considereret in eo, quod entitativa perfectio cognitionis  
tanta esset, quanta perfectio sui principii; sed nullius cognitionis,  
( excipe increatas) perfectio entitativa tanta est, quanta perfectio  
sui principii. Nam licet P. Doctor Molina scribat, Visionem bea-  
tissimam.

tificam perfectiorem esse substantiam Angelicam, agere admodum id percepitur, quoniam Angelus, & si entitativè naturalis, fungitur prædicatis substantiæ intellectivæ, liberæ, capacis amandi, & videndi Deum, necnon filiationis adoptivæ per gratiam habitualem, & filiationis naturalis per unionem hypothaticam, quibus omnibus nobilissimis attributis caret Visio beatifica; ergo modus cognoscendi non sequitur plenè, adæquatè, atque perfectè modum intrinsecum essendi sui principii. Modum vero extrinsecum, & accessorium aliquando sequitur positivè, aliquando non: nimurum, quia cognitione creata aliquando est majoris, aliquando æqualis, aliquando minoris perfectionis respectu modi extrinseci, quem hic, & nunc habet suum principium.

22. Probo secundam partem. Modum cognoscendi sequi negativè modum intrinsecum essendi sui objecti, est, non esse entitativè perfectiorem illo: rursus eumdem sequi positivè, est illum æquare perfectione, vel esse perfectiorem illo; at modus cognoscendi aliquando non est perfectior entitativè suo objecto ( ut patet in quamque cognitione creata, etiam immediatâ, & intuitivâ, cuius objectum sit quid divinum ) aliquando est illi perfectione æqualis, ut contingeret in cognitione reflexa habente pro objecto aliam cognitionem, itaut intensione, claritate, extensioneque temperaretur disparitas, quæ hinc inde emergere poterat; aliquando demum, est perfectior suo objecto, ut patet in cognitione spirituali, cuius objectum sit accidens materiale: ergo modus cognoscendi aliquando sequitur negativè, aliquando positivè modum intrinsecum essendi sui objecti. Semper tamen sequitur determinativè, & à posteriori illum: quoniam hoc consistit in eo, quod objectum cognitionis sit prius in genere objectivo, atque determinativo respectu ejus cognitionis: & hoc ita evenit, siquidem id est res cognoscitur esse cognitione vera, quia est, ut modò suppono. Hinc refutandi sunt Authores quidam docentes apud PP. Ariaga, & Ripalda: potentiam naturalem idcirco non posse agnoscere intuitivè res supernaturales, neque adhuc abstractivè Mysterium Trinitatis, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi sui objecti. Refutantur inquam, quia eo ipso, quod cognoscibilitas, seu modus cognoscendi carere possit multis prædicatis, quæ habet modus essendi objecti, non sequitur, modum cognoscendi fore supernaturalem ex eo præcisè, quod objectum supernaturale sit; proindeque fundamentum huic axiomati innixum est imbecil-

le

P. Arria.  
disp. 1. de  
Incarn. n.  
17. & disp.  
10. de An-  
gelis scđ. 3  
n. 37.  
P. Ripal.  
disp. 10. de  
ente super  
scđ.

le: at cognoscibilitas, seu modus cognoscendi carere potest multis prædicatis, quæ habet modus essendi objecti: ergo ex eo præcisè, quod objectum sit supernaturale non sequitur, modum quoque cognoscendi fore supernaturalem (quamquam id alias sit verum) proindeque non sequitur, potentiam nequire naturaliter cognoscere res supernaturales. Major videtur certa: nám si modus cognoscendi carere potest multis prædicatis, quibus gaudet modus essendi objecti, hæc consequentia ex vi formæ est mala: *Objectum habet prædicatum supernaturalitatis: ergo etiam cognitio habet illud; tametsi ob alias rationes probetur: cognitionem habere tale prædicatum;* ergo ex eo præcisè, quod objectum sit supernaturale, perperam arguitur, modum cognoscendi illud, futurum quoque supernaturalem. Jam probo minorem. *Cognitio intuitiva Dei caret prædicatis essendi à se, Omnipotentiæ, immensitatis, & aliorum, quæ habet Deus:* item cognitio, qua Angelus inferior intuetur Superiorum, vel æqualem, non est substantia intellectiva, libera, & capax amicitiæ cum Deo, quibus omnibus prædicatis ornatur objectum ejus cognitionis; ergo fieri potest, ut modus cognoscendi careat multis prædicatis, quæ reperiuntur in modo intrinseco essendi sui objecti. & hoc quamquam cognitio sit naturalis: ergo hi Authores conclusionem alias veram ratione debili probant.

23. Dico 3. Modus cognoscendi, quicumque fuerit, si objectivè, passivèque consideretur, aliquando sequitur in perfectione tantum negativè, aliquando positivè, ac adæquatè, aliquando plusquam adæquatè, aliquando à posteriori modum intrinsecum, atque essentialē essendi sui principii. Probatur; modus cognoscendi objectivè, passivèque consideratus, nil aliud est, quam objectum expressum per cognitionem; at objectum hoc, sive cognitio sit abstractiva, & mediata, sive intuitiva, & immediata, aliquando non est entitativè perfectius modo intrinseco essendi sui principii cognoscitivi, (ut patet dum intuitivè cognoscimus accidentia materialia) proinde ergo sequitur negativè quoad perfectionem modum intrinsecum essendi sui principii cognoscitivi: aliquando est perfectius entitativè principio cognoscente, ut contingit in Deo intuitivè cognito à Beatis; aliquando est illi perfectione æquale, ut contingit, quando una Anima intuitivè cognoscat aliam: item aliquando objectum est ordine influxūs posterius principio cognoscente, ut evenit in operationibus Angelorum, quando supra eas reflectunt; ergo modus cognoscendi objectivè, passivèque consideratus, ali-

quan-

quando habet unam, aliquando aliam ex his relationibus, proportionibusque cum modo intrinseco essendi sui principii: & hactenus de sequela quoad entitativam perfectionem modi cognoscendi; respectu modi essenti tum intrinseci, tum extrinseci; tum subjecti cognoscens, tum objecti cogniti.

24. Jam dico 4. Modus cognoscendi etiam abstractivus, obscurus, & imperfectus, non ita sequitur intentionaliter modum essendi substantiaz cognoscens, ut identitatem enunciet inter hunc modum essendi subjecti, & modum essendi objecti cogniti; sed ita, ut ea cognitio, vel is cognoscendi modus sive sit naturalis, sive sit supernaturalis, nascatur à specie propria supjecti cognoscens, vel ab alia similis, aut inferioris naturaz. Explicatur. Dici solemus nos homines cognoscere Angelum ad modum Juvenis, non quia hæc nostra abstractiva, & imperfecta cognitio enunciet identitatem inter Juvenem, & Angelum (aliás omnis nostra cognitio repræsentativa Angeli, non tantum effet imperfecta, verùm etiam falsa) sed quia nostra cognitio nascitur, vel à specie hominis, quæ respectu nostræ est propria, vel ab specie tenuissimæ flammæ. Ratio est: omnis cognitio creata, vel nascitur immediatè ab objecto, vel à specie propria ejusdem, vel ab aliena, non quacumque; sed earum propriâ rerum, quas quis immediatè, ac in se ipsis agnoscit; Intellectus enim creatus ex se est indifferens ad cognoscendum etiam illa, quæ sunt: & cùm hæc non sit indifferencia libertatis, debet ab alio determinari; hoc autem aliud, vocatur *species impressa*; ergo cognitio, modusque cognoscendi abstractivè Angelum, oriri debet, vel immediatè ab Angelo, vel à specie propria hujus, vel ab aliena respectu Angeli, sed propria aliis rei, quam immediatè in se ipsa noverimus; atqui non oritur immediatè ab Angelo, neque à specie propria hujus, ut patet: ergo oriri debet à specie aliena respectu Angeli, licet propria aliis objecti; sed ob revelationes, quas habemus de natura, agilitate, conditionibusque aliquibus naturaz angelicaz, species, quæ minùs improportionata videtur, est species juvenis: cognoscimus ergo Angelum per speciem juvenis, & ad modum juvenis, idest cognitione oriunda ex specie juvenis: & juxta intelligentiam hanc est verum dicere, modum cognoscendi sequi, modum essendi; item, ~~et~~ anquodque cognosci ad modum cognoscens; idest, cognitio abstractiva, & imperfecta ideo sequitur, attemperatur, proportionatur quæ modo essendi subjecti cognoscens, quia procedit ex specie propria ejusdem subjecti, vel aliis similis, aut inferioris speciei.

25. Dico 5. Nec modus cognoscendi intuitivus, atque immediatus sive naturalis, sive supernaturalis sit, ita sequitur intentionaliter modum essendi subjecti cognoscentis; ut nascatur à specie propria hujus, sive hoc sit entitative perfectius objecto cognito, sive imperfectius. Probatur: Angelus supremæ hyerarchiæ cognoscit intuitivè cognitione naturali Angelum infimæ, & vicissim hic cognoscit intuitivè quoque illum; at cognitio, quam format Angelus supremus, non oritur à specie propria hujus, neque illa, quam habet Angelus infimus, oritur à specie propria ipsius: ergo. Probo primam partem minoris: si cognitio, qua Angelus supremus intueretur inferiorem, oriretur à specie propria Angeli supremi, sequeretur, eam cognitionem exprimere Angelum inferiorem non prout est in se ipso; sed ad modum alterius, nimirum ad modum Angeli supremi: unde rursus sequeretur, eam cognitionem non fore intuitivam. Neque refert, Angelum supremum esse nobiliorem inferiore, huic æquivalere, aut ipsum virtualiter continere; nam homo etiam est perfectior belluâ, & tamen neque huic æquivalat in ordine ad cognitionem intuitivam, quidquid sit de aliis æquivalentiis, neque belluam continet virtualiter quoad hoc munus: si enim belluam agnosceres ad modum hominis, & per speciem propriam hominis, non agnosceres intuitivè belluam: ergo quod Angelus supremus sit entitative nobilior Angelo inferiore, est quid disparatum prorsus ad rem præsentem. Et ratio est, quia tantum discrepat perfectius ab imperfectiore, quantum imperfectius à perfectiore: ergo si cognoscere perfectius ad modum, & per speciem imperfectioris est cognoscere abstractivè, ac per species alienas illud, quod perfectius est; pariter cognoscere imperfectius ad modum, & per speciem perfectioris, est cognoscere illud, quod imperfectius est, ad modum, & per speciem alterius, subindeque abstractivè æquivalentiæ, ac virtualitates in re præsenti sunt pura verba: hinc probata manet secunda pars illius minoris, videlicet, Angelum infimum non agnoscare supremum per speciem propriam ipsius Angeli infimi. Idem constat de cognitione intuitiva supernaturali; quoniam cognitio, qua Beati possident Deum, est intuitiva, & supernaturalis; & tamen non habent illam per speciem sui ipsorum, alioquin agnoscerent Deum ad modum, & per speciem creaturæ, unde non agnoscerent illum prout est in se ipso: ergo neque modus naturalis, neque modus supernaturalis cognoscendi intuitivè ita sequuntur modum essendi subjecti cognoscentis, ut habeatur per species proprias ipsius subjecti.

CA-

## CAPUT TERTIUM.

*Doctrina contraria expenditur.*

26.



Lerisque ex his argumentis, quibus olim Scotus utebatur, respondeht Cajetanus, PP, Suarez, Fa-solus, Granado, & Albertino supra citati, duo. Primum est, se non loqui de cognitione intuitiva supernaturali, sed de intuitiva naturali; nam hanc,

& non illam repellere conatur S. Thomas à creatura. Secundum est, Angelum supremum excedere quidem specificè Angelum infimum, non tamen genericè; nam ambo continentur sub eodem genere potentialitatis, compositionisque, cùm ambo sint creaturæ. Sed contra primò: nam ut modò dicebamus, cognitio, qua Angelus infimus intuetur superiorem, est naturalis; & tamen hæc cognitio non sequitur modum effendi sui principii, quatenus habeatur per speciem hujus: quia si Angelus infimus agnosceret supremum ad modum sui ipsius, hoc est, per speciem sui ipsius, non agnosceret illum prout est in se ipso, & ad modum ipsius, proindeque non agnosceret intuitivè illum; ergo neque de conceptu cognitionis intuitivæ naturalis est sequi modum effendi sui principii. Secundò, vel cognitio debet sequi modum specificum effendi subjecti cognoscens, vel modum genericum? Primum est falsum; aliàs cognitio intuitiva naturalis, qua homo intuetur albedinem, effet ejusdem speciei cum homine, quo circa illa cognitio effet subjectivè in se ipso homo. Si secundum; rogo iterum, aut debet sequi modum genericum infimum, proximum, atque immediatum subjecti cognoscens; aut præcisè modum genericum remotum? Primum est quoque falsum; nam cùm genus proximum, & immediatum hominis sit animal, sequeretur fore, ut cognitio, qua homo albedinem intuetur, effet animal. Si secundum; in quonam gradu remotiōnis debet esse gradus iste genericus, quem sequi debet modus cognoscendi? Cur potius debet esse hic, quàm ille? cur genus immaterialitatis, & non genus substantiæ, aut genus entis? arbitriariè dici ista videntur: evadendum igitur est nobis ad terminos clariores, & magis concisos, firmiorque assignanda regula, ut dignoscamus quando est possibilis huic subjecto cognitio intuitiva naturalis illius objecti, & quando non.

O 2

27. Ter-

27. Tertio displicet valdè hæc Cajetani doctrina, quia evacuat omnino argumentum S. Thomæ, aut verbaliter dumtaxat illud protegere videtur. Sancti hujus Patris conclusio erat, intellectum creatum nequire propriis viribus intueri Deum : ratio, qua id probat, est : quoniam modus cognoscendi sequitur modum essendi. Jam si axiomatis hujus sensus est, modum cognoscendi sequi modum essendi, quando subjectum cognoscens, & objectum cognitionis non sunt in eodem genere potentialitatis ; sed quando subjectum cognoscens est potentiale, & objectum cognitionis est purus, simplexque actus ; perinde esse dicere : *Creatura nequit propriis viribus intueri Deum, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi*, ac dicere, *creatura nequit propriis viribus Deum intueri, quia quando subjectum cognoscens est creatura, & objectum cognitionis est Deus, cognitionis intuitiva debet sequi modum essendi Dei, aut substantie cognoscentis*. Sed hanc rationem exhibere, & hic sistere, est argumento prorsus in efficaci uti : nam de hoc est quæstio, & hujus requiritur ratio : ergo si solutio Cajetani est legitima, inefficaciter probavisset suam conclusionem S. Magister. Clarius : per te modus cognoscendi sequitur modum essendi. sicut, semper omnino, an aliquando tantummodo ? Si primum ; est falsum : animam namque rationalis à corpore separata intuetur Angelum supremum cognitione pure naturali ; & tamen cognitionis ea naturalis non sequitur modum essendi animæ, alias Angelum exprimeret instar animæ separatae, & per modum hujus, unde esset cognitionis abstractiva Angeli. Si secundum ; hujus diversitatis desideratur ratio : cur videlicet cognitionis naturalis intuitiva sequi debeat modum essendi, quando objectum est purus actus, quando est extra ordinem, genusque potentialitatis, & compositionis, brevius *quando est Deus* ; secus autem, quando objectum est immersum potentialitate, idest, *quando est creatura*? Cur modus essendi objecti inferioris non obstat cognitioni naturali intuitivæ objecti perfectionis creati ; obstat autem simili cognitioni objecti increati? Hoc est punctum difficultatis : ergo si exceptio, solatioque horum Doctorum germana esset, post exhibitam rationem à S. Thoma, eadem difficultas perseveraret in conclusione, quam stabilire conatur. Rursus vel assumpta maxima est universaliter vera ; vel solum in materia præsenti, quam disputat S. Doctor? Primum est falsum ob exceptiones jam productas, quasque fatentur contrariae. Si secundum ; æquè, aut potius magis incerta est ratio, quam conclusio, cui probandæ subservit, petitionemque prin-

principii continent: ergo. Displicet tandem doctrina ipsa ob redargu- *P. Pendf.  
tract. 6. de  
Visione di-*  
*spat. 2. &  
subject. 3. P.  
Suarez sup.*  
tiones, quas acutè præparat P. Penâfiel.

28. Quinque optimas producit rationes Eximus Doctor promo-  
vendi ergo eam maximam S. Thomæ. Prima est: sensus nostri so-  
lùm percipiunt individua materialia; immo, & anima ipsa licet spiritualis sit, dumtaxat cognoscit intuitivè, ac prout sunt in se res materiales, cætera autem per analogiam ad res materiales: sed hujus experimenti nulla alia assignari potest ratio, nisi quia modus cognoscendi sequitur modum essendi, atque propterea cum sensus sint materiales, tantum possunt cognoscere materialiter res alias materiales, & cum anima exerceat munus formæ corporis, & sit in materia, tantum potest cognoscere intuitivè res corporeas, reliqua autem per modum, quamdamque analogiam ad corpus: ergo tenendum est, modum cognoscendi sequi modum essendi. Secunda: facultas intelligendi est proprietas consequens ipsum esse substantiaz immaterialis: ergo oportet, modum, & usum hujus facultatis proportionatum esse modo essendi substantiaz ipsius immaterialis; ergo modus intelligendi sequitur &c. Tertia: species, quæ cognoscendo subserviunt, recipiuntur juxta modum intelligentis, quia unum quodque recipitur ad modum recipientis; ergo cognitiones ab his speciebus procreatæ sequuntur etiam modum essendi subjecti cognoscentis. Quarta: multò magis excedit Deus in ratione objec-  
ti intelligibilis omnem intellectum creatum, quam substantiaz spirituales intellectum corpori unitum; & similiter, major est impropositio inter actualitatem divini esse, & potentialitatem spiritus creani; quam inter hunc, & res spirituales: sed propter has improportiones non potest intellectus corpori conjunctus videre naturaliter res spirituales; ergo minus potest videre naturaliter Deum; ergo tandem tandem ideo est creatura naturaliter impotens videre Deum, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi. Quinta, & est ratio cardinalis: unusquisque intellectus habet aliquod objec-  
tum maximè proportionatum suis viribus, suoque intelligendi modo, per quod, & ad cuius proportionem cætera percipiunt: quod contingit in supremo intellectu, qui est divinus, & in omnium infimo, qui est humanus corpori unitus: sed nihil aliud potest esse magis proportionatum, quam modus essendi, quo fungitur subjectum intelligens; ergo is modus essendi est illud, ad cuius proportionem, analogiam, seu modum, intelligit subjectum intelligens. Hoc elegandi discursu ostendit sapiens hic Doctor veritatem

præ-

P. Fasol. sup. præfati axiomatis, & ab eo didicit P. Fasolus has ratiocinationes.

P. Penaf. 29. Cæterum, ut benè advertit P. Penafiel, eædem rationes probant, intellectum creatum adhuc elevatum non posse intueri Deum, cum ille adhuc, ut elevatus distet infinitè à divina perfectione, immersusque sit potentialitate: Immo nec posse naturaliter cognoscere Deum cognitione abstractivâ, quo usque certi perfectionis termini præfigantur, inter quos contineantur modus essendi objecti cogniti, & modus essendi subjecti cognoscendi: quod haud facile fiet, ut notat P. Ripalda. Ad primam nego minorem; si enim sensus

P. Ripalda.  
sup.

materiales, quia materiales sunt; unicè possunt agnoscere res materiales, & neque abstractivè adhuc res spirituales, etiam Anima, & Angelus, quia potentiales sunt, & creature tantum possent agnoscere res alias potentiales, & neque abstractivè cognoscerent objectum increatum, quandoquidem non datur minor distantia inter hoc, & res potentiales; quam inter spirituale, & materiale. Quod si ad certos ordines, certaque genera confugiant Adversarii, intra quæ contineri oporteat subjectum cognosens, & objectum cognitum; proferant rationem illius ampliationis, vel restrictionis, & ratio eadem ostendet, axioma quandoqne esse verum, quandoque falsum. Jam ratio, ob quam sensus corporei nequeunt naturaliter percipere res spirituales, est, qua tu propabis, lapidem non posse discurrere, nivem non posse loqui; nimur quia ab intrinseco sunt incapacia horum effectuum; & sunt ab intrinseco incapacia, quia hæc est ipsorum natura, cujus non datur ulterior ratio ostensiva, & à priori, sed à posteriori solummodo. Profectò si dissimilitudo prædicatorum inter potentiam, & objectum esset universalis regula ad decernendum, quando objectum est proportionatum, & quando improportionatum; nunquam possemus liquidò assequi, quando datur, & quando non datur hæc proportio, ut doctè prævidit

P. Oviedo  
controver. 5.  
de Beatit.  
punct. 1. n.  
12.

P. Oviedo. Firma igitur regula, & magis nota nobis viatoribus est experientia, vel aliud principium experientiæ æquivalens, ut est Divina authoritas respectu rerum supernaturalium.

30. Dico igitur sensus corporei suâpte naturâ sunt incapaces cognoscendi res spirituales, & quamquam hujus naturæ non habeamus rationem à priori, sicut neque habemus illam cæterarum naturarum; habemus tamen illam à posteriori, experientiam videlicet: quoniam objectum formale horum sensuum est semper aliquid corporeum, ut color, sonus, durities &c. potentia autem cognoscitiva divagari nequit ultra suum objectum formale; ergo independenter à consecutione

tione modi cognoscendi respectu modi essendi, quæ partim est vera, partim falsa, subsistit, sensus corporeos assequi non posse res spirituales: quemadmodum independenter à simili consecutione subsistit, auditum non posse percipere colores, visum non posse percipere sonum. Ad paritatem animæ respondeo, conjunctionem cum corpore esse quidem impedimentum cognoscendi intuitivè spiritualia; sed nego, hinc inferri modum cognoscendi sequi semper modum omnem effendi: tum quia ab aliquo, vel aliquibus singularibus sinistrè arguitur ad universalia: tum quia, si bona esset sequela, oporteret etiam fateri, cognitiones ipsas abstractivas, quas anima elicit, dum est corpori unita, esse corporeas, & materiales entitativè: nam per te modus cognoscendi sequitur modum effendi; at modus effendi, quem tunc habet anima, est entitativè corporeus; nam ille modus effendi est unio physica cum corpore, quæ unio est entitativè corporea: ergo etiam modus cognoscendi debet esse entitativè corporeus. Tum quia germana ratio, propter quam anima eo modo cognoscit, non est præcisè quia unita est corpori ( si enim haberet species proprias rerum spiritualium infusas à Deo, quamvis unita foret corpori, non cognosceret res spirituales per modum accidentium materialium ) sed ulterius, quia non alias habet species ab eis, quæ ingrediuntur per sensus: cùmque species hæ sint corporeæ, id circò omnia cognoscit per corporeas species, unde per modum rerum sensibilium; sicut oculus videt per modum rei viridis etiam nivem, quando habet perspicilia viridia.

31. Ad secundam: distingo primum consequens: esse proportionatum adæquatè, ac in omnibus suis prædicatis; nego: inadæquatè ac in aliquibus tantum; concedo. Similiter ad tertiam: unumquodque recipitur ad modum recipientis, non quidem adæquatè, quasi habere debeat omnia attributa, & qualitates, quas habet subjectum recipiens; sed solum inadæquatè, ac negative, quatenus excedere nequit capacitatem recipientis, & in aliquibus attributis debet esse ei similis, de quo infra. Ad quartam, reliquis concessis, distinguo ultimum consequens, quia modus cognoscendi sequitur adæquatè, ac in omnibus modum effendi; nego: quia illum sequitur inadæquatè, ac in aliquibus; concedo consequentiam. Ad quintam respondeo, illam majorem esse ambiguam: vel enim significat, unumquemque intellectum habere objectum aliquod, ad cuius analogiam, similitudinem, modumque cætera omnia percipiatur; & hoc est falsum: nam cùm objectum illud esset valde diversum à reliquis obje-

objectis cognitis, si hæc omnia agnoscerentur ad modum illius, hæc omnia cognoscerentur abstractivè, ac per modum aliud: vel significat, unumquemque intellectum habere aliquod objectum, id est aliquam mensuram, aliquam fixam regulam, extra quam nil possit cognoscere; & hoc est verum; nam talis regula est objectum formale cognoscendi; verum hinc nil contra nos.

32. Ex huc usque dictis palam fit, quo sensu sint vera, & quo sensu sint falsa hæc axiomata: *unumquodque cognoscitur ad modum cognoscens*. *Modus cognoscendi sequitur modum essendi*. Sunt vera, i. Quatenus modus cognoscendi esse nequit ultra capacitatem subjecti cognoscens: sed disputandum restat, quantum pateat, vel coaretur hæc capacitas. 2. Quatenus modus cognoscendi non est entitative perfectior modo intrinseco essendi subjecti. 3. Quatenus est effectus consequens ad illum. 4. Quatenus, si abstractivus fuerit, habetur per speciem subjecti cognoscens, vel aliud rei inferioris. 5. Quatenus quod perfectior aut imperfectior fuerit entitative modus essendi tum subjecti, tum objecti, eò, ceteris paribus, perfectior, aut imperfectior est entitative modus cognoscendi, non quidem proportione arithmeticā, sed geometricā: sic perfectior est, ceteris paribus, cognitione orta essentialiter ab Angelo supremo, quam ab infimo, & nobilior est cognitione terminata ad Deum, quam terminata ad creaturam. 6. Quatenus modus cognoscendi subsistere nequit deficiente modo intrinseco essendi; implicat enim vere, & propriè cognoscere quidquam, subjectum illud, quod non existit in rebus. 7. Quatenus commensuretur cum modo essendi non potentiaz, sed substantiaz cognoscitivæ, quam explicationem tradidit P. Recupitus.

P. Julius Re-  
cupitus lib.  
6. q. 3. n. 42.

33. Sunt autem falsa i. si universaliter edicant, modum cognoscendi in omnibus, & per omnia proportionandum esse cum modo essendi sive intrinseco, sive extrinseco subjecti cognoscens, id est habitum omnia attributa, & qualitates, quas hic habuerit; proportio enim requisita inter cognitionem, objectum, atque potentiam, isti prætensiæ à qualitatibz perfectionis entitative non inservit, cum tantum sit accommodatio quædam, & habitudo, quæ aliis relationibus fulcitur, ut de proportione intellectus creatus ad Deum cognoscendum censet S. Thomas docens: ideo Intellectum creatum esse proportionatum ad Deum, in quantum se habet ad ipsum, ut qd. l. p. q. 12. sed et ad causam, & ut potentia ad actum. Unicè consistit proportio art. 1. ad 4. hæc in eo, quod subjectum suâpte naturâ sit capax cognoscendi hoc

vd

vel illo modo objectum : & hæc capacitas experientia solà , vel au-  
thoritate nobis patefit ; sicut capacitas intrinseca ignis ad comburen-  
dum , & Solis ad illuminandum . Satius videtur , rationes à priori  
prætermittere , quando re ipsâ non dantur , quām falsas congruen-  
tias , vel amphiboliis scatentes conglobare . 2. Sunt falsa , si enun-  
ciant modum etiam cognoscendi intuitivum sequi modum essendi  
subjecti cognoscentis , quatenus habeatur per speciem hujus ; si enim  
haberetur per speciem hujus , cùm hoc sit alienum ab objecto , ha-  
beretur ille modus cognoscendi per species alienas , proindeque non  
esset intuitivus , sed abstractivus . 3. Si enuncient , modum co-  
gnoscendi ita proportionari modo essendi objecti , ut sit ejusdem or-  
dinis , perfectionisque specificæ , quidquid sit de identitate generica  
sub amplissimo genere , quod quis pro suo libito assignare potest .  
4. Si significant modum cognoscendi sequi necessariò . 5. Si hanc  
determinent sequelam , etiam quando modus cognoscendi est super-  
naturalis , & modus essendi naturalis .

## CAPUT QUARTUM.

*Tria alia Proverbia de modis prædicandi , operandi ,  
& recipiendi .*

34.



Rimum est: *Modus prædicandi sequitur modum esse.* Albertus  
in prædi-  
cabilibus  
traß. 2. c. 9

Vel de modo vero prædicandi , vel de modo  
falso : item vel de sequela adæquata , eo quod modus prædicandi in  
omnibus imitetur modum essendi ; vel de sequela tantum inadæ-  
quata ? Rursus vel de modo essendi subjecti prædicantis ; vel de  
modo essendi objecti prædicati : & sic vel de modo intrinseco ; vel  
de modo extrinseco ? Dico 1. Ista propositio est falsa . 1. Si proce-  
dat de modo prædicandi falso : quoniam nulla tendentia intentiona-  
lis , quæ , ut talis , est dissona suo objecto , ut talis sequitur , seu imi-  
tatur illud : sed omnis modus prædicandi falsus , ut talis , est tenden-  
tia intentionalis dissona suo objecto ; siquidem objectum enunciat  
aliter ac est ; alioquin non esset prædicatio falsa ; ergo nullus modus  
prædicandi falsus sequitur , seu imitatur suum objectum . Est falsa  
2. si procedat de modo prædicandi vero , & de sequela adæquata .

P

Pro.

Probatur. Eo ipso, quod uterque modus essendi intrinsecus scilicet, atque extrinsecus tum subjecti cognoscentis, tum objecti cogniti, habere possit attributa, quorum est incapax modus praedicandi, hic non sequitur adæquatè, ac in omnibus alterutrum ex illis duobus modis essendi: at fieri potest, ut uterque ille modus essendi habeat attributa, quorum est incapax modus ipse praedicandi; quoniam contingere potest, ut ambo illi modi essendi sint substantiales, vel accidentia materialia, cum modus praedicandi, seu praedicatio ipsa intentionalis neque sit substantia, neque accidens materiale, sed accidens spirituale; ergo modus praedicandi etiam verus, non sequitur seu imitatur adæquatè, ac in omnibus alterutrum ex illis duabus modis essendi. Est falsa 3. si significet, modum verum praedicandi sequi objectivè, ac intentionaliter omnem modum essendi objecti enunciati: quia nullus actus praescindens aut objectivè, aut formaliter à multis modis essendi sui objecti sequitur intentionaliter omnem modum essendi sui objecti: sequela namque ista confisteret in eo, quod omnem illum modum essendi exprimeret, & certum videtur non exprimere omnem eum modum, si à multis praescindit: at multi modi veri praedicandi praescindunt aut objectivè, aut formaliter à multis modis essendi suorum objectorum; siquidem veritatis prærogativa non poscit, prædicationem exprimere clare quotquot sunt in objecto, ut exemplis cuique obviis constat: ergo multi modi veri praedicandi non sequuntur intentionaliter omnem modum essendi suorum objectorum.

35. Est falsa 4. Si significet, modum praedicandi sequi modum essendi, eo quod terminet connexionem illius: quoniam eo ipso, quod modus essendi objecti praedicati existere possit absque modo se ipsum praedicandi, non connectitur cum hoc; quamobrem hic non terminat connexionem illius: atqui modus essendi objecti praedicati existere potest absque modo se ipsum praedicandi; nam licet homo nequeat non esse animal; attamen potest esse animal, quin ullus intellectus creatus id agnoscat: ex hoc quorumnam contradictiorum par sequetur? ergo modus essendi objecti praedicati non connectitur cum quovis modo se ipsum praedicandi. Est falsa 5. Si enunciaret, modum praedicandi sequi modum essendi, quatenus habeatur, aut per species proprias modi essendi objecti praedicati, aut modi essendi subjecti praedicantis: quia nullus modus praedicandi pure abstractivus habetur per species proprias sui objecti, & nullus modus praedicandi intuitivus habetur per species proprias subjecti prædi-

can.

cantis, quando objectum prædicatum est aliquid valde diversum ab eo; constant ambo ex definitionibus communiter receptis cognitionis intuitivæ, ac abstractivæ: at inter modos prædicandi veros, multi sunt purè abstractivi, aliqui possunt esse intuitivi circa objectum diversum valde à subjecto prædicante; ergo modus prædicandi verus non semper sequitur modum essendi, quatenus habeatur per species proprias aut objecti prædicati, aut subjecti prædicantis.

36. Dico 2. hæc maxima Alberti est vera 1. Si procedat de modo prædicandi vero, & de sequela saltem inadæquata respectu modi essendi objecti prædicati: nam omnis propositio conformis suo objecto, sequitur aliquatenus, sive imitatur illud: pronunciat enim illud, quod re vera est: sed omnis modus prædicandi verus est propositio conformis suo objecto; ergo omnis modus prædicandi verus aliquatenus sequitur, sive imitatur modum essendi sui objecti. Est vera 2. Si enunciet, modum prædicandi sequi modum essendi objectivè, ac intentionaliter, in quo solo sensu admittit P. Hurtado hoc axioma. Probatur: modum prædicandi sequi modum essendi objectivè, ac intentionaliter consistit in eo, quod intellectus prædicet objectum modo, quo ipsum apprehendit, seu per speciem eamdem, per quam habet apprehensionem illius: sed hoc ita contingere, experientiâ ipsâ docemur; siquidem species ipsa, quæ apprehensioni inservit, judicio subservit, unde provenit, quod etiam quando aliquid judicamus de Angelo, cognoscamus ipsum instar corporis, quia ipsum sic pro nostra ruditate apprehendimus; ergo. Est vera 3. Si enunciet, modum prædicandi sequi modum essendi, quatenus est effectus in genere physico modi essendi principii cognoscentis, & in genere objectivo modi essendi objecti cogniti, seu prædicati: nam omnis cognitio creata est effectus in genere physico principii cognoscentis (eo quod hoc vivat in actu secundo per omnem suam cognitionem, & particeps non sit illius divinæ perfectionis, vi cuius Deus citra omnem physicam causalitatem vivit intentionaliter per suos actus intellectus, & voluntatis) item est effectus in genere objectivo, seu determinativo sui objecti: at omnis modus prædicandi est cognitio, quoniam de solo modo intentionalí prædicandi loquimur in præsenti; ergo &c. Et hæc sufficient Alberto.

37. Secundum proverbium est: *unumquodque operatur secundum quod est in actu; seu, modus operandi sequitur modum essendi: traditur proculdubio à S. Thoma sic ajente: manifestum est enim, quod unumquodque secundum quod est actu, & perfectum, secundum hoc est principium*

*Ibid. q. 50. cipium activum alicujus. Patitur autem unumquodque secundum quod art. 5. in est deficiens, & imperfectum. Et rursus alibi: quia enim unumquodcorp.*  
*P. Molina. que operatur secundum quod est actu, operatio rei indicat modum esse na 1. p. q. ipsius. Tuentur absolutè, ac sine ulla restrictione primam propositionem Patres Molina, Albertinus, & Valentia; Cajetanus ambas, 25. P. Al bertinus P. Joannes Praepositus explicat axioma, quatenus agere secundum g. 1. Phi losop dub. se consideratum, atque ex suo conceptu est perfectio nullam dicen& 1. P. Va imperfectionem; pati autem dicit imperfectionem: nam denotat lent. 1. 1. p. subjectum non habere ex se omnem perfectionem, siquidem illam, qu. 25. potest accipere ab alio. Patres Vasquez, Tannerus, Arriaga, & Cajetanus utrobiq; Herrera easdem conclusiones cum probent, quas gemina illa propositio. P. Praep. sitione suadet S. Magister, nimis in Deo esse potentiam activam, 1. p. q. 25. & Angelos esse naturaliter incorruptibles, utramque propositionem P. Vasq. tacitam prætereunt: quinimmo Arriaga reverenter impugnat secundam. Ubi audiendus Magister Cano profundè vir litterarum, 1. p. q. 25. qui Magistri sui Victoria monita referens salubria pro reverentia, & rustici. 1. pietate erga D. Thomam, subjungit: sed admonebat rursum, non Theat. P. Arria. oportere Sancti Doctoris verba sine deleitu, & examine accipere; immo ga 1. p. di. verò si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitatueros nos, sput. 40. ejusdem in simili re modestiam, & industriam, qui nec authoribus an set. 1. & tiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam co dis. 2. sec. 6. P. Herrer rum ratione in contrarium vocante transit. Quod ego præceptum dilig. q. 3 de An. gentissime tenui. Et paucis interpositis loquens de eodem Victoria, gelis sec. 2. inquit: Vir erat ille natura suâ moderatus; at cum Divo etiam Theologo aliquando dissentit, majoremque, meo iudicio, laudem dissentiendo, lib. 12. de locis ca. 1. quam consentiendo ostendebatur: tanta erat in dissentiendo reverentia. M. Cano Hæc fuit sapientis hujus Theologi sententia: nec mirum, cum præfatus fuisset: illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Filii verbis utar, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Theologo nil est neceſſe in cuiusdam jurare leges; magis enim est opus, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quam ut Magistri debeat vestigiis semper insistere: siquidem est futurus Theologia laude perfectus.*

*S. August. Epist. ad 38. Sic sentiunt, & loquuntur Theologi viri, & cordati. At Hieronymi silent omnes, quia loquitur Augustinus, quibusdam S. Hieronymi Jam pridē querelis satisfaciens: Nisi forte ille modus est, quo utrumque hoc vi tium, vel vitii suspicionem caveamus, si cum Doctore amico sic dispute mus, ut quidquid dixerit neceſſe sit approbare, nec querendi saltem causā liceat aliquantulum reluctari. Tum verò sine ullo timore offendonis, tan-*

tasquam in campo luditur ; sed mirum , si nobis non illuditur . Ego enim fateor charitati tuae , solis eis scripturarum libris , qui jam Canonici appellantur , didici bunc timorem , bonoremque deferre , ut nullum eorum Autorem , scribendo aliquid errasse , firmissime credam . At si aliquid in eis offendero Litteris , quod videatur contrarium veritati , nihil aliud , quam vel mendosum esse codicem , vel interpretem non asecutum esse , quod dictum est , vel me minimè intellexisse non ambigam . Alios autem ita lego , ut quantalibet Sanctitate , Doctrinâque præpolleant , non ideo verum putem , quia ipsi ita senserunt ; sed quia mibi , vel per illos Autores Canonicos , vel probabili ratione , quod à vero non abborreat , persuadere potuerunt . Nec te , mi frater , sentire aliquid aliter existimo . Prorsus , inquam , non te arbitror , sic legi tuos libros velle , tamquam Prophetarum , & Apostolorum , de quorum scriptis , quod omni errore careant , dubitare , nefarium est . Absit hoc à pia humilitate , & veraci de temetipso cogitatione . Hęc protulerim propter Gonetum ( quem aliqui juniores imitantur ) qui annosum Hyspanum P. Arriaga carpit , eo quod deflexerit ab illis rationibus venerabilis Magistri Sancti Thomæ : novisſe tamen debuerat , hunc non indigere cultu feli Deo , Canonicisque Scriptoribus debito .

39. Igitur proverbia memorata sunt vera . 1. Si significant , modum operandi effectum esse modi effendi intrinisci : quia omne , quod producitur ab alio , est effectus illius ; sed omnis modus operandi producitur ab aliquo modo intrinseco effendi , proportione servata : ergo omnis modus operandi est effectus alicujus intrinisci modi effendi , nempe alicujus virtutis operativæ . 2. Si significant modum operandi non excedere capacitatem subjecti ( naturalem , si modus operandi fuerit naturalis ; obedientiam , si ille fuerit supernaturalis ) proindeque sequi negativè modum effendi . Probatur : nil agit illud , cuius agendi est incapax : ergo nil est incapax agendi illud , quod actū agit : ergo nulla actualis operatio est ultra omnem capacitatem subjecti : ergo si ea axiomata significant , modum operandi non esse ultra capacitatem subjecti , sunt vera . Consequentiae sunt legitimæ , & antecedens probatur . Ab actu ad potentiam valet consequentia , modo exposito Disput . I. num . 93 . ergo omne , quod actū agit , est potens agere : ergo omne , quod non est potens agere , seu est incapax agendi , non agit actū : ergo nil agit illud , cuius agendi est incapax . 3. Si significant , modum operandi physicè existere nequire absque modo effendi , idest absque existentia sui principii . Tum quia repugnat , terminum

Gonetus  
disp. 2. de  
Angel. ar-  
tit. 4.

num actū physicè produci, quin actū physicè existat: ergo repugnat principium actū physicè producere aliquid, quin existat in rebus: quemadmodum enim rem produci est accipere esse; ita rem producere physicè est dare esse; & tam repugnat rem non habere esse, quando dat esse; quam non habere esse, quando accipit esse. Tum quia, si causa non existens physicè, potest physicè operari, cur Alcides neminem suā clavā comminuit ab eo tempore, quo mortuus est? Cur ignis extinctus, & extincta lucerna non calefaciunt, & illuminant? Cur Taurus concisus non petit cornibus circumstantes? Tum quia demonstrationes à posteriori tendentes in existentiam causarum exulare deberent; si enim potest hic, & nunc operari causa illa, quæ hic & nunc non existit in rebus, quo pœto demonstrat existentiam causæ existentia effectus? Neque exemplum causæ moralis prodest adversariis; homicidium namque heri commissum v.g. influit hodiè moraliter in supplicium homicidæ, quoniam influit mediâ cognitione factitatis, potestque cognosci, atque reprobari sua factitas, etiamsi non existat: causa autem physica influit in effectum mediâ actione a se physicè nascente, & implicat actionem physicè nasci à principio non existente physicè. Præterea illis non prodest alterum exemplum penetrationis localis; nimirum Agens posse operari in loco, ubi non est (operatur quippe in passo, & Agens ipsum non est in loco ipso passi) unde inferunt, operari etiam posse in tempore, in quo non est. Mala sequela: tum quia, si bona esset, Agens non solum posset operari in instanti, in quo non est, modò extiterit in instanti immediate antecedenti, verùm etiam, modo existat in instanti immediate subsequenti, quemadmodum Agens non solum potest operari in loco immediate subsequenti ad se; verùm etiam in loco immediate antecedenti. Tum quia agens non solum de potentia absoluta, sed de facto quoque operatur in loco, ubi non est; immò miraculo esset opus, ut esset in illo eodem loco, in quo operatur transeunter; penetraretur namque cum passo; ergo si à loco arguitur benè ad tempus, non modò posset agens operari in tempore, in quo non existit, verùm etiam de facto aliquando operaretur. Tum quia prærequisita, & non prærequisita ad operandum solum experientiæ face ducti agnoscamus: at experimur agens non existere in illo eodem loco, ubi operatur; numquam tamen experti sumus, illud operari physicè in tempore illo, quo existentiæ caret: ergo fundamentum habemus ad philosophandum, & afferendum, existentiam Agentis in loco operationis non esse prærequi-

requisitam ; prærequiri verò in tempore operationis ; Ratio esse potest ; ex eo quod operationes naturales non prærequirant qu idquam naturaliter impossibile, malè arguitur, non prærequirere rem natura- liter possibilem ; sed agens , & passum esse in eodem loco est natura- liter impossibile ; secus , esse in eodem tempore : ergo .

40. 4. Sunt vera ista Proverbia , si significant modum operandi non posse esse entitativè perfectiore , omnibus pensatis, quām mo- *P. Rhodes* dum intrinsecum essendi sui Principii adæquati : ita P. Rhodes . *tom. 1. Di-* Probatur : nullus effectus potest esse entitativè perfectior , omnibus *sput. 2. Q.* pensatis , quām suum Principium adæquatum ; nam cùm hoc præ- *1. sec. 1. §.* continere beat illum formaliter , vel eminenter , necesse est , quod sit aut ejusdem speciei cum effectu , aut perfectioris ordinis , & utrumlibet contingat , non erit entitativè imperfectius suo effectu : at om- nis modus operandi est effectus modi essendi intrinseci sui Principii adæquati , ut constat ; ergo . Quæ objici possunt desumpta ex illo prologo : *Altus melior est , quām potentia , infra exponentur Dis-* put. 4. num. 1. Sunt vera 5. si significant modum operandi aliquam , non autem exactam , & mathematicam proportionem ha- btere cum modo essendi : nam omne id , ex cuius perfectione colligere possumus aliquam , vel omnem perfectionem modi intrinseci es- sendi principii , aliquam proportionem habere debet cum hoc modo es- sendi : at ex modo operandi colligere possumus , & sèpè colligimus aliquam , vel omnem perfectionem modi intrinseci essendi : nam ut supra docuit S. Thomas , *Operatio rei indicat modum esse illius;* ergo . Porcò hæc tota proportio tandem tandem resolvitur in virtutem , capacitatemque , qua pollet modus essendi respectu modi operandi , ita ut hic sit effectus , ille verò sit causa . Sunt vera 6. in sensu , quem notavit P. Præpositus supra , videlicet , si significant , *operari* ex ge- nere suo esse perfectionem ; pati autem , ex suo quoque genere esse imperfectionem , tametsi per accidens inverti possint termini . Nam omne , quod in subiecto infert virtutem activam , fæcunditatemque , est arguitivè saltem perfectio subiecti : item omne , quod ar- guit subiectum posse alterari , vel mutari , est arguitivè saltem im- perfectio subiecti : capacitas enim alterationis subiectus est im- perfectio , quemadmodum capacitas operandi physicè , modo propor- tionato propriæ naturæ , est perfectio ( quod addo propter capacita- tem peccandi , quæ in creatura ex se defectibili , est perfectio physica , in Deo autem ut pote summè bono , primariaque moralitatis regu- li , esset imperfectio ) at *operari* infert in subiecto operante virtutem activam

activam , secunditatemque ; pati autem arguit , subjectum posse alterari ; quoniam ab actu ad potentiam valet consequentia ; ergo . Et in hoc sensu intelligendus videtur venerabilis Magister , dum loco citato inquit : *unumquodque secundum quod est actum , & perfectum ; secundum hoc est principium activum alicujus* . Non quia hoc quod est esse actum , & perfectum per se praeceps à quovis alio arbitrando , importet esse principium activum . Tum quia licet hoc , quod est , esse principium activum , est perfectio ; ast non omnis perfectio consistit formaliter in hoc , quod est , esse principium activum ( puta externitatem , immensitatem &c.) ergo esse actum , & perfectum non importat per se praeceps esse principium activum . Tum quia juxta communem satis sententiam , quam docte promovet P.

**P. Arria-** Arriaga licet mihi falsam , relationes divinæ formaliter ut tales , præga disputa scindendoque ab essentia dicunt perfectionem , sicut dicunt entita-  
49. de Tri- tem ; ergo spiratio passiva per se præceps dicit perfectionem , & actus-  
nit. stet. 2. litudinem ; at spiratio passiva per se præceps non dicit principium activum , quia non operationis ad intra , cum non sit alia quarta persona : non operationis ad extra , quia ad hanc concurrunt Divinæ Personæ per principium commune , ut nunc suppono : ergo . Quam obrem intelligendus est S. Doctor , quatenus hoc , quod est , esse principium activum importat perfectionem : cumque in Dœ sit omnis perfectio imperfectionis expers , concluditur in Dœ esse principium activum , seu potentiam : quod erat assumptum illius .

41. Ceterum falsitate laborant memorata proverbia . 1. Si significant modum operandi proportionari adæquatè cum modo essendi , ita ut fruatur cunctis attributis , quibus fruitur modus essendi sui principii : quia nihil entitativè accidentale habet cuncta attributa , quibus gaudet illud , quod est entitativè substantiale ( nihil enim entitativè accidentale est simul entitativè substantiale ) at fieri potest ; quod modus operandi sit entitativè accidentalis ; modus autem essendi sit entitativè substantialis ; ergo fieri potest , quod modus operandi non habeat cuncta illa prædicata , quibus gaudet modus essendi sui principii . Sunt falsa 2. Si significant , modum operandi sequi non tantum modum intrinsecum ; sed etiam modum

**P. Oviedo** extrinsecum essendi sui principii , ut opportunè notat P. Oviedo ; controv. 6. alioquin intellectio dimanans ab homine sedente dependeret à sessio-  
mct. p. 3. ne , hancque presupponeret . 3. Si significant , quemlibet modum num. 13. operandi sequi necessariò ex modo essendi sui principii ; nam eo ipso , quod hic non connectatur metaphysicè cum quolibet suo modo ope-  
randi ,

randi, non quilibet hic modus operandi sequitur necessariò ex illo modo essendi; at modus essendi principii non semper connectitur metaphysicè cum quolibet suo modo operandi; siquidem non semper est in actuali exercitio uniuscujusque sui modi operandi: ergo: 4. Si significant, modum essendi principii causativi esse firmam, atque universalem regulam ad taxandum perfectionem operationis: non quidem ob doctrinam, quam urget, ac provehit P. Ripalda <sup>P. Ripal-</sup> probaturus fieri posse, ut operationes derivatæ à facultatibus inac- <sup>da disp. 37</sup> qualibus, sint perfectione æquales, tametsi cætera sint paria, quam <sup>de ente su-</sup> doctrinam alibi dissolvimus; sed quia modus essendi principii causa- <sup>pra n. scđ.</sup> tivi, quamquam perfectionem aliquam refundat in modum ope- <sup>4.</sup> randi; non tamen refundit semper omnem, quam ipse habet: quo- niam non semper modus operandi est perfectione par modo essendi, ut supra dicebamus: ergo modus essendi non est firma, & universa- lis mensura ad taxandum perfectionem modi *operandi*; & hoc, licet cætera sint paria: obversentur namque menti tuæ duæ libertates omnino æquales; quænam contradic̄tio sequetur ex eo, quod una pro suo libito eliciat consensum intensum ut quatuor; altera verò adéquatè distincta vel omittat consensum, vel eliciat dissensum, vel consensum intensum præcisè ut duo? In hoc casu modi essendi sunt æquales, & modi operandi sunt inæquales: ergo modus essendi non ducit semper in cognitionem perfectionis modi operandi.

42. Sunt falsa 5. Si significant, omnem prorsus modum ope- randi ita aptari modo essendi, ut nullum habeat prædicatum nobilis ex genere suo aliquibus prædicatis repertis in modo essendi sui principii: quoniam omne obsequium exhibitum Deo contra vehe- mentem temptationem, dignumque approbatione divina, & augmen- to gratiar̄, est ex genere suo nobilis aliquibus aliis prædicatis; sed aliquis modus operandi est obsequium dictæ conditionis, & in modo essendi sui principii sunt aliqua alia prædicta minoris perfectionis ex genere suo, ut prædicatum entis realis, corporis &c. ergo modus operandi habere potest aliquod prædicatum nobilis ex genere suo aliquibus prædicatis repertis in modo essendi sui principii: ergo mo- dus operandi non ita aptatur modo essendi, ut nullum habeat præ- dicatum ex genere suo nobilis aliquibus prædicatis, quæ sunt in- modo essendi. Dixi aliquibus, quippe numquam potest contingere, ut modus operandi sit absolutè ac simpliciter, omnibusque pensatis, perfectior physicè modo essendi sui principii adéquati, ut sèpè di- clam est. Sunt falsa 6. Si conferant modum operandi cum modo effen.

essendi principii inadæquati : nam modus operandi potest perfectio-  
ne vincere eum modum essendi ; sic cognitio spiritualis perfectior est  
phantasmate materiali , quod producit illam inadæquatè , aut si ma-  
vis , species impressa spiritualis intelligibilis: sic visio beatifica utpote  
vitalis , & expressio in actu secundo Divinitatis perfectior est lumine  
gloriæ , à quo inadæquatè procedit . Et ratio est : modus operandi  
non haurit totam suam perfectionem à solo modo essendi sui princi-  
pii inadæquati ; sed à modo essendi principii totalis , atque adæquati :  
ergo quamquam nequeat perfectione superare principium adæqua-  
tum ; potest tamen principium merè inadæquatum .

43. Tertium , & ultimum proverbium est : *Unum quodque re-*  
*cipitur ad modum recipientis* , quod sine certo Authore traditur à  
Monfort. pag. 529. Monfortio . Haud quaquam spernendum fundamentum prebuit

1. p. q. 12. art. 4. in dūm quod cognitum est in cognoscente ; cognitum autem est in cognoscente  
corpor. secundūm modum cognoscētis : unde cujuslibet cognoscētis cognitio est  
secundūm modum suæ naturæ . Quam doctrinam cum præfato axio-

P. Faso. lus ibi . mate P. Fasolus convertit . Verūm objiciens sibi venerabilis S. Ma-  
gister illud , probandi ergo , nullam esse in Sacramentis virtutem ,

3.p. q. 62. art. 4. causativam gratiæ , ita quodd recipiat eam ab alio : quia quod recipitur  
ab aliquo est in eo per modum recipientis , distinguit inter virtutem  
completam , permanentemque ; ac virtutem instrumentalem : con-  
cedit adagium de prima : *Virtus spiritualis non potest esse in re corpo-  
rea per modum virtutis permanentis , & completa , sicut ratio probat* ;  
negat autem de secunda : *nihil tamen prohibet in corpore esse virtu-*

P. Pend. fiel tract. 6. ejus axiomatis veras acceptiones : prima est , quatenus omne , quod  
disput. 2. num. 30. recipitur in ente creato , debet esse quid creatum : secunda , quate-  
nus omne receptum in subjecto materiali debet esse materiale , &

P. Arria- ga disp. 3. de anima num. 5. omne receptum in subjecto spirituali debet esse spirituale . P. Arria-  
ga discernit inter esse ad modum recipientis , eo quodd sit ejusdem ordi-  
nis cum illo , & esse ad modum recipientis , eo quodd sit juxta illius ca-  
pacitatem , ita ut subjectum magis capax plura possit recipere ; con-  
cedit hoc , & negat illud .

44. Dico primò , verum est , unumquodque recipi ad modum  
recipientis 1. Si sermo sit de receptione locali , quæ valdè impropria  
est , & de modo quoad situm , & figuram . 2. Quatenus receptum  
debet recipi juxta capacitatem subjecti , non supra . 3. Quatenus re-  
cipi debet juxta dispositionem subjecti recipientis . 4. Quatenus re-  
ceptum

ceptum induere solet qualitates aliquas p̄c̄xistentes in subjecto ; in quo recipitur . 5. Quatenus receptum receptione connaturali , & ad aquata recipitur ad modum materialitatis subjecti , si hoc fuerit materiale , & corporeum : necnon ad modum spiritualitatis , si subjectum spirituale fuerit . 6. Quatenus receptum comitatur subjectum recipiens , est in eodem loco extrinseco , ubi est hoc , movetur que ad motum hujus . Probo primam partem : Aqua ( idem dicit de quovis liquore ) recepta in vase rotundo habet figuram rotundam , & recepta in vase cubico habet figuram cubicam , & recepta in vase trianguli habet figuram triangularem : ergo si sermo fuerit de receptione locali , & de modo quoad situm , ac figuram , verum est unumquodque recipi ad modum recipientis . Et ratio est : omne , cuius partes èquè distant , & indistant inter se proportione servatā , ac partes illius subjecti , in quo recipitur localiter , habet figuram similem figuræ , quam habet illud subjectum ( nam ut modò suppono cum Cardinali de Lugo , figura artificialis unicè consistit in ea vel distantia , vel indistantia ) subindeque recipitur ad modum recipientis quoad situm , ac figuram : sed omne receptum localiter in aliquo vase est tale , ut ipsius partes èquè distent atque indistent inter se , ac partes illius vasis , proportione servata . Probatur : omne , cuius partes , distributione accommodâ , sunt contiguae , immediatèque quoad locum partibus illius vasis , est tale , ut ipsius partes èquè distent , ac indistent inter se , proportione servatā , ac partes illius vasis : quoniam si partes A. & B. illius distant inter se duobus digitis , necesse est similem distantiam plus minusve intercedere inter partem aquæ v. g. contiguam parti A , & aliam partem ejusdem aquæ contiguam parti B : sed omne receptum localiter in aliquo vase , est tale , ut ipsius partes , distributione accommodâ , sint contiguae , immediatèque quoad locum partibus illius , quia hoc est esse localiter receptum in illo ; ergo &c .

45. Probo secundam partem ; omne , quod recipit aliud , habet capacitatem recipiendi illud , naturalem , si receptio sit naturalis ; obedientiam verò , si receptio fuerit supernaturalis ; ergo omne receptum in aliquo subjecto est receptum juxta capacitatem hujus naturalem , vel obedientiam , non supra ambas . Antecedens videatur certum ; nam ab actu ad potentiam valet bene consequentia ; quo circa si subjectum actum recipit , eo ipso potens est , seu capax recipiendi . Dixi capacitatem naturalem , vel obedientiam ; quia non omne receptum in alio recipitur juxta capacitatem naturalem hu-

jus, cum dona supernaturalia recipiantur in anima, quae profectio non habet capacitatem terminativè naturalem (quidquid sit de naturalitate subjectiva) ad recipienda illa dona. Probo tertiam partem: recipi juxta dispositionem subjecti recipientis consistit in eo, quod res illa vel non recipiatur, nisi subjectum sit dispositum, vel non recipiatur in majore intentione, atque mensura, nisi subjectum dispositum sit ad illam majorem intentionem: sed hoc ita evenit. Probatur: quoties agens naturale, vel non operatur simpliciter in passo, vel non operatur in majore mensura; effectus non recipitur in passo, vel saltem non recipitur in majore mensura; effectum namque recipi in passo, est agens operari in passo: at quoties passum vel simpliciter non est dispositum, vel non est dispositum ad majorem mensuram, & intentionem effectus, agens naturale non operatur simpliciter in eo passo, vel non operatur in majore mensura: quia agens nequit operari naturaliter, nisi adstantibus omnibus praerequisitis, & quorum numero est dispositio passi: alioquin cur ignis non comburit illicet lignum viride? ergo quoties passum non fuerit dispositum simpliciter, vel saltem non fuerit dispositum ad majorem intentionem, continget, quod effectus non recipiatur in eo, vel saltem non recipiatur in mensura majore: ergo recipitur ad modum recipientis, idest juxta recipientis dispositionem.

46. Probant aliqui quartam partem eo quod alimentum in stomacho agrotante receptum fiat insipidum, vel amarum propter qualitates ibi regnantes: & liquor in vase grave-olente receptum, factore imbuatur, sed aliena valde à philosophica phrasí est id generis receptio. Igitur calor receptus in ferro densior est; receptus autem in stupa rarius: calor receptus in corpore fluido est fluidus; & receptus in corpore solido solidior est: forma recepta in subjecto gravi, gravis est; & recepta in subjecto levi, levis est, supernaque appetit: & universim accidentia, quae inhærent subjecto motum habenti velocem, moventur velociter, & quae inhærent subjecto quiescenti, quiescunt: ergo unumquodque recipitur ad modum recipientis, quatenus indui solet accidentibus, quae inhærent illi subjecto. Probo quintam partem: omne adæquatè, ac connaturaliter receptum in subjecto corporeo, & materiali est materiale: item omne adæquatè, ac connaturaliter receptum in subjecto spirituali est spirituale: ergo unumquodque recipitur ad modū recipientis, si receptio sit adæquata, & connaturalis, & modus sit materialitatis, aut spiritualitatis. Probo antecedens quoqd primam partem;

cor.

corpus est illud , quod formaliter , & ratione sui est impenetrabile , vel cum dicit ordinem intrinsecum unionis , aut receptionis ad impenetrabile , ut sine miraculo nequeat separari ab illo , ut Disp. IV. Logicę cap. de quantitate dicam , qui conceptus omni , & soli corpori competit ; quidquid reclament sophismata contra illum fieri solita , quæ ibi dissipabo ; ergo omne , quod ejusmodi naturæ fuerit , est corporeum , atque materiale : sed omne adæquatè , ac connaturaliter receptum in subjecto corporeo est hujusmodi naturæ . Probatur . Nil sic receptum est independens ab impenetrabili utrovis illo modo ; ergo omne sic receptum est dependens ab impenetrabili alterutro illo modo . Probatur antecedens : nihil independens ab impenetrabili utrovis illo modo est adæquatè , ac connaturaliter receptum in subjecto corporeo , & materiali : ergo nil sic receptum est independens utrovis illo modo . Consequentia est legitima , quia conversio est . Probo antecedens : omne dicto modo independens ab impenetrabili , vel est Deus , vel Angelus , vel Anima rationalis , vel actus spirituales horum ; sed nihil ex his recipitur adæquatè , ac connaturaliter in subjecto corporeo , ita ut sine miraculo non possit carere illo subjecto , ut videtur certum : ergo nil dicto modo independens ab impenetrabili , est adæquatè , ac connaturaliter receptum in subjecto corporeo .

47. Hinc 1. Audiendus non est P. Arriaga docens ubi supra ; quod licet materia non causet , recipit tamen animam rationalem : etenim aliud est , hanc intrinsecè uniri materiæ , & aliud plurimum diversum , hanc recipi in materia . Illud est verum , quia anima est forma corporis : secundum autem est falsum : quoniam unam rem in alia recipi strictè , atque philosophicè loquendo consistit in eo , quod producatur per actionem essentialiter unitam huic alii , tamquam subjecto aliunde , seu per aliam actionem connaturaliter productio : atqui Anima rationalis non producitur per actionem sic essentialiter unitam materiæ ; quandoquidem actio conservativa illius , quæ est ejusdem speciei cum actione primò productiva , sine contradictione , aut miraculo existit separata à materia : ergo anima rationalis strictè loquendo , non recipitur in materia , tametsi ipsi uniatur , utpote ipsius forma : quod etiam firmatur exemplo Verbi Divini , quod intrinsecè unitur Humanitati , quin recipiatur in illa . Hinc 2. Actus spirituales nostræ animæ non refragantur conceptui corporis , quem præscripsimus ; aliud namque est dependere à corpore tamquam à termino extrinseco connexionis ; aliud tanquam à termini-

termino intrinseco unionis, aut receptionis, ita ut absque miraculo non possit illo privari; in hoc secundo consistit ratio corporis; & hoc secundum neque in anima, neque in hujus actibus spiritualibus deprehendes: illud primum non sufficit ad conceptum corporis, alias actus divini contingentes metaphysicè connexi cum quantitate, & rebus alijs materialibus essent corporei: & illud primum est, quod probabis in anima rationali, hujusque actibus. 3. Neque restagatur modus perseitatis, vi cuius anima equina conservaretur à Deo miraculosè extra omnem materiam: tum quia ille modus non est quid positivum, sed mera parentia unionis, & receptionis Animæ illius absolutè existentis: tum quia licet quid positivum foret, attamen illi competenter ratio materialitatis; nam quamvis suapte naturæ reijceret unionem sui ipsius, & illius Animæ cum materia, nihilominus ex sua natura haberet uniri animæ illi materiali, quæ ex sua quoque natura ita haberet uniri materiæ, ut citra miraculum nequiret carere hac unione; & hoc sufficit, ut res materialis sit, atque corporea.

48. Hinc 4. neque impugnatur conceptus ille actus Fidei, quo crederes tuam animam numquam separandam fore à quantitate: quoniam licet actus iste haberet per suam essentiam uniri tute animæ, & insuper haberet per suam essentiam, quod tua anima uniretur quantitatì; attamen, neque haberet per suam essentiam uniri immediatè quantitatì, neque uniri rei, quæ ex vi sua naturæ uniretur quantitatì essentialiter: (Anima quippe rationalis non haberet per suam essentiam uniri quantitatì, sed dumtaxat ratione Divinæ determinationis:) ergo non haberet id, quod sufficere dicimus ad materialitatem. Hinc 5. neque impugnatur transcendentali illo arguento, quod desumitur ex possibilitate decreti, quo Deus efficaciter statuat, uniri quantitatì omnes actus intellectus naturæ suæ separabiles à quantitate (revelet Petro hoc decretum: assentiatur hic per actum fidei supernaturalis: ecce actum spiritualem intimè connexum cum quantitate tamquam termino unionis:) quoniam actus hic Fidei est intimè connexus cum sua veritate: suæ veritas consistit in eo, quod omnes actus intellectus, inter quos est ipse, uniantur quantitatì: ergo hic actus Fidei est intimè connexus cum eo, quod ipse quantitatì uniatur: ergo intimè connectitur cum hac, tamquam termino unionis: & tamen est actus spiritualis: ergo. Respondetur: vel istud Decretum, à quo pendent cætera, est adeo amplum & universale, ut complectatur etiam assensum fidei exhibitum revelationi sui ipsius; vel non complectitur hunc assensum? Si primum; est impossibile tale de.

decreto, & revelatio, & assensus, & totus casus: nam omne decreto, quo Deus serid, ac efficaciter statueret rem simpliciter antecedenter necessariam, est impossibile, quia fatuum; volitiones enim, atque nolitiones prudentes debent versari circa contingentia: at decto isto serid, & efficaciter statueret Deus rem simpliciter antecedenter necessariam; siquidem statueret uniri quantitati istum actum fidei, quando existeret, & esset prorsus necessarium, quod iste actus fidei si existeret, uniretur quantitati, eo quod tu ipse dicis, eum fore metaphysicè connexum cum hac unione; ergo. Si secundum; transfat possibilem esse totum casum; sed nil contra nos: quoniam iste assensus non esset metaphysicè connexus cum unione sui ipsius, sed cum unione reliquorum actuum intellectus ad quantitatem: nam præcisè esset connexus cum eo, quod ipse enunciaret, ipse verò enunciaret, quod revelatio; revelatio autem, quod decretum; decretum, tandem præcisè statueret, reliquos actus intellectus distinctos ab hoc assensu uniendo esse quantitati: ergo de primo ad ultimum, assensus iste non probaretur intimè connexus cum unione sui ipsius ad quantitatem. Hinc demum præfatus conceptus solum est intelligendus de termino illo, qui connaturaliter recipitur in subjecto corporeo; fieri namque potest, quod Spiritus interposito miraculo recipiat in materia; unde multi opinantur, animam rationalem posse divinitus recipi in subjecto corporeo, quatenus Deus potest illam producere actione essentialiter unita illi subjecto præexistenti: quod sane contra exigentiam animæ foret; at quænam contradic̄tio sequetur ex eo, (ut Aliqui censem) quod Deus exigentiam illam violet?

49. Probo jam secundam partem illius antecedentis scripti numero 46. scilicet: omne adæquatè, ac connaturaliter receptum in subjecto spirituali esse spirituale. Omne, quod naturaliter potest existere separatum ab impenetrabili, est quid spirituale, modò sit entitas realis, & positiva: nam, ut hactenus diximus, illud solum est corpus, quod est proximè, ac ratione sui impenetrabile, vel impotens existere absque miraculo separatum ab illo: sed omne adæquatè, atque connaturaliter receptum in subjecto spirituali, in primis est entitas positiva (quia chymaræ, puraque nihila incapacia sunt hujusmodi strictæ receptionis) deinde naturaliter sine miraculo potest existere separatum ab impenetrabili. Probatur: omne, quod sine miraculo caret unione sui cum impenetrabili, naturaliter potest existere separatum ab impenetrabili: sed omne adæquatè, ac connaturaliter receptum in subjecto spirituali, naturaliter sine miraculo caret unione sui cum im-

impenetrabili: nam si adæquate, ac connaturaliter recipitur in subiecto spirituali, huic soli unitur (subjectum quippe receptionis est subiectum unionis, licet non è converso:) unde non uniretur immediate, aut mediate quantitati, proindeque sine ullo miraculo caret unione sui ipsius cum impenetrabili: ergo. Respondebis, majorem ultimi Syllogismi esse falsam: quoniam impenetrabile ipsum caret unione secum ipso: eo quod omnis vera, & physica unio sit nexus extreorum distinctorum, & tamen, nequit existere naturaliter separatum ab impenetrabili. Sed contra: impenetrabile ipsum nequit adæquate, & connaturaliter recipi in subiecto spirituali: ergo quod in eo sic recipitur, non est ipsum impenetrabile: deinde non dicit ad illud memoratum ordinem unionis vel receptionis, ut manet probatum: ergo quod sic recipitur in subiecto spirituali, nequit esse corporeum aut materiale. Probo antecedens: nil, quod identificatur cum materia prima, vel illius solius est proprietas physica, recipitur adæquate, ac connaturaliter in subiecto spirituali (de identificato constat, quippe materia ipsa non sic recipitur: de proprietate physica etiam videtur certum; nam omnis proprietas physica recipitur in subiecto, cuius est proprietas: sic frigus recipitur in aqua; sic calor ignis recipitur in igne; sic dulcedo Saccari recipitur in Saccaro) sed quantitas, vel quod idem est, impenetrabile ipsum aut identificatur cum materia prima, ut probabiliter docent multi: aut saltem est proprietas physica illius; quandoquidem semper ac illa est in suo statu naturali habet quantitatem, quod est medium ad cognoscendas proprietates physicas rerum, & quo probamus calorem esse proprietatem ignis, frigus aquæ; albedinem nivis &c. ergo impenetrabile ipsum non recipitur adæquate ac connaturaliter in subiecto spirituali. Dixi adæquate, quia res materialis commodè potest recipi inadæquate in subiecto spirituali juxta sententiam, quam vero similiorem puto, docentem, sensations materiales recipi inadæquate in anima rationali, cui abs dubio uniuntur physicè; siquidem illam denominant sentientem, & subiectum receptionis non est distinguendum à subiecto unionis absque speciali fundamento. Dixi connaturaliter; nam si potentia absoluta Dei attenderimus, nulla contradictione sequetur ex eo, quod Deus producat rem materiale actione essentialiter annexa subiecto spirituali præexistenti, in quo casu res materialis recipietur in subiecto spirituali solo.

50. Probo demum ultimam partem conclusionis num. 44., videlicet unumquodque recipi ad modum recipientis, quatenus recepitum

ptum est in eodem loco extrinseco, ubi est recipiens, comitatur hoc, moveturque ad motum hujus. Omne penetratum cum recipiente, ipso physicè atque immediate unitum, est in eodem loco extrinseco, ubi est recipiens, comitatur hoc, & movetur ad motum hujus; sed omne strictè, ac philosophice receptum in subjecto, penetratus cum hoc, ipso physicè immediate unitur: ergo omne receptum strictè in subjecto est in eodem loco extrinseco. Minor experientia constat; nihil enim assignatur verè receptum in alio, quod non penetratur cum illo, si hinc physicè uniatur. Quid si dixeris, inde sequi, fore ut duas res corporeas, quales sunt materia, & forma equina, mutuò penetrantur. Respondeo, id non esse absurdum, quando res illæ habent unicam, eamdemque quantitatem; sed quando habent diversas; in casu autem objecto contingit primum, quoniam unica quantitas afficit materiam, atque formam equinam. Jam probo majorem; nam ut bene docet Cardinalis de Lugo de conceptu unionis physicæ quæ non sit purè continuativa, est, quid ita extrema unita componant aliquod tertium, quod in aliquo vero sensu sit unum; ut extrema illa sint in eodem loco adæquato: non quid unum sit in omni loco, in quo est alterum (alioquin Humanitas Christi Domini esset ubique, siquidem ubique est Verbum, cui illa physicè unitur, & ubicatio, quam corpus Christi Domini habet in cœlo, esset in Eucharistia) sed quia unum esse debet in loco, in quo est totum alterum: sic dicta Humanitas est in loco, ubi est totum Verbum, quia totum hoc est in loco, quem occupat Humanitas: sic anima rationalis tota est in loco capitis, & tota in loco manūs &c. quod non contingit in unione partium integrantium. Si autem aliquando eveniat, unum extreorum unionis non comitari alterum, neque moveri ad motum illius, id proveniet ex eo, quid essentiæ suæ sit affixum loco determinato: & hoc accidit præsentia, quam corpus Christi Domini habet in cœlo: vel ex eo, quid sit ubique, ut est Verbum Divinum.

51. Dico 2. falsum est, unum quodque recipi ad modum adæquatum recipientis, quatenus sit ejusdem omnino ordinis cum illo, habeatve prædicata eadem, quæ habet illud; nam forma equina recipitur in materia, & tamen neque est incorruptibilis, neque pura potentia, neque primum subjectum, sicut est materia. Accidens item recipitur in substantia, & non est substantia: dona supernaturalia recipiuntur in anima, & non sunt naturalia, sicut est anima; ergo receptum non semper habet eadem attributa, quæ recipiens;

R

ergo

*De Lugo  
disput. 1.  
de Incarn.  
scđ. 7.*

Ergo falsum est istud axioma , si significet receptum esse ad modum adæquatum recipientis , idest habere omnia prædicata , quibus gaudet recipiens . Falsum est 2. Si significet receptum ita coarctari per recipiens , ut esse nequeat perfectius illo entitatib[us] : quoniam anima materialis recipitur in materia , & tamen est perfectior quam illa . Probatur : omne , quod est vivens , & actus substantialis , est entitatib[us] perfectius materia , quæ neque vivens est , neque actus , sed potentia : atqui omnis anima materialis est vivens , & actus substantialis : ergo . Major videtur certa : nam licet materia gaudeat incorruptionib[us] ; attamen activitas ad operandum , & præcipue modo vitali , atque cognoscitivo , videtur multò major perfectio . Difficile sanè creditu est , animas multorum Brutorum , quæ generosas habent operationes , & mirabiles valde , acri ornatissimis instinctu non esse perfectiores , quam materiam primam , quæ insipidum quid inanime est , atque sterile : ergo falsum est , receptum deprimi usque ad imperfectiones recipientis . Falsum est 3. Si significet , receptum induere sibi cuncta accidentia recipientis : nam licet receptum uniatur mediately eis accidentibus , eo quod ubiatur recipienti , cui accidentia illa uniuertur ; at verò neque unius immediate illis , neque illa recipit in se ipso : sic materialis sensatio recepta inadæquatè in anima rationali non induit sibi intellections spirituales , aut voluntates , quæ sunt in anima : sic dulcedo recepta in faccato non habet hujus albedinem , quia non dicimus , dulcedo est alba , sed faccatum est album . Falsum est 4. Si significet , unumquodque recipi ad modum , idest juxta capacitatem naturalem recipientis : quippe dona superna recipiuntur in anima , quæ non habet capacitatem naturalem , sed obedientiam ad illa . Falsum est 5. Si significet receptum esse ad modum , hoc est , juxta exigentiam semper recipientis : hoc namque manus recipit modò intensum frigus , cujus profectus manus ipsa non habet innatam exigentiam , quamvis illam habeant agentia circumstantia . Falsum est 6. Si procedens de receptione violenta , aut spirituali , edicat , receptum debere esse materiale , si recipiens materiale sit ; aut spirituale , si recipiens sit spirituale , ob supra dicta ; receptum namque tantummodò subit has denominationes , quando connaturaliter recipitur in subiecto illas habente .

*Finis Disputationis Tertiae.*

DIS-

# DISPUTATIO QUARTA.

## AXIOMATA DE ACTU, ET POTENTIA.

- Caput I.** *An, & qua ratione Actus sit potior, quidam Potentia.* Num. 1.
- Caput II.** *Ceteræ partes Conclusionis cum consecutiariis.* Num. 12.
- Caput III.** *Multa objectiones.* Num. 27.
- Caput IV.** *An Actus, & Potentia debeant esse in eodem generare?* Num. 40.
- Caput V.** *Examinatur doctrina contraria.* Num. 49.
- Caput VI.** *An omni potentia activa respondeat passiva?* Num. 54.
- Caput VII.** *Tradit secundam conclusionem.* Num. 60.
- Caput VIII.** *Quatuor corollaria.* Num. 70.
- Caput IX.** *An vis creativa repugnet creature?* Num. 82.
- Caput X.** *Altera pars conclusionis.* Num. 94.
- Caput XI.** *Argumenta Doctorum aliorum.* Num. 109.
- Caput XII.** *Argumenta S. Thomæ.* Num. 123.
- Caput XIII.** *Primarium argumentum S. Thomæ.* Num. 135.
- Caput XIV.** *Qua ratione ad Præteritum non detur Potentia?* Num. 146.
- Caput XV.** *Replicæ contra banc doctrinam.* Num. 158.
- Caput XVI.** *Concordia Divina Præscientia cum libertate nostra.* Num. 165.
- Caput XVII.** *Occurrit ultime instantie.* Num. 180.
- Caput XVIII.** *Reliqua Prologia de Actu, & Potentia.* Num. 190.



## CAPUT PRIMUM.

*An, & quare ratione Actus potior sit, quam Potentia.*

*Arioste-*  
lei 9. Met.  
*cap. 8.*

1.



Rotulit Philosophus hoc proloquium, quando scripsit. Manifestum est, quod actus prius potentia est. Dico autem non solum illa potentia determinata, quae dicitur principium transmutatorium in alio, prout aliud est, sed prorsus omni motivo, & statim principio:

*S. Thomas*  
1. p. q. 25.  
art. 1.  
*Cajetanus*  
*ibidem.*

omni itaque tali prior est actus, & ratione, & substantia. Ad quod probandum multas congerit rationes. Duas adjicit S. Thomas. Prima: Quia forma est perfectior, quam materia; sed actus est forma, potentia autem materia: ergo. Secunda: actus est finis potentiarum activarum: ergo perfectior est, quam haec. Distinguit vero postea venerabilis Magister hoc proloquium, & concedit, quodcumque actus est aliud à potentia; negat autem, quando non est aliud: ut hinc habeat actionem Dei non esse meliorem divinam potentiam, quia utrumque, sit, est essentia Divina. Circa quam distinctionem multa meditatur Cajetanus. P. Vasquez annuit axiomi, quando actus est immaterialis, ut intellectio, quam satetur esse perfectiorem potentiam intellectivam, eo quod sit perfectio illius; renuit tamen, quando actus est transiens. Ejusdem sententiam est P. Fonseca, qui distinguens actiones, quoad subjectum immanentes, sed quoad effectum transiunt, ab actionibus quoad utrumque immanentibus, addit, illas esse perfectiores potentiarum agentium, à quibus procedunt. Eximus Doctor distinguit inter actum, & potentiam physica, & realia, atque actum, & potentiam logica: concedit actum logicum, id est actum existendi esse perfectionem priorem, quam suam potentiam logicam; negat, actum physicum potentiarum agentis, ut sic, perfectiorem esse suam potentiam passivam, quatenus tali; accidentalem verum interdum esse perfectiorem, interdum imperfectiorem.

*P. Vasquez*  
1. p. disp.  
102. n. 22.  
*P. Fonseca*  
ca in met.  
c. 15. qu. 8.  
scit. 3.

*P. Suarez*  
disput. 43.  
met. scit. 6.

2. Multae hic fieri possunt combinationes, ex quarum mixtione resultat, hoc axioma apparere modo ut verum, modo ut falsum. Igitur actus comparari potest vel cum sua potentia logica, vel cum physica passiva, vel cum physica activa. Præterea cum activa, quæ sit virtus mere instrumentalis, vel quæ sit virtus, seu causa principialis: insuper cum principali, quæ sit causa naturalis, vel cum principali, quæ sit causa obedientialis. Ulterius in qualibet ex his comparationibus potest esse sermo, aut de actu substantiali, informativo-que,

que, aut de actu accidentalis: item quando actus dicitur à Philoso-  
pho prior, quam potentia, prioritas hæc considerari potest vel natu-  
ræ, vel cognitionis, vel durationis, vel universalitatis, & in subsi-  
stendi consequentia, vel perfectionis entitativæ, vel æstimabilitatis  
juxta Prudentum judicium: itidem unaquæque ex his prioritatibus  
potest esse vel realis, vel rationis solius. Conferamus igitur singu-  
latim terminos, quos discrevimus.

3. Dico primò, si actus comparetur cum sua potentia logica; nullus realiter à parte rei est prior, quam illa, aut naturæ, aut du-  
rationis, aut universalitate, aut entitativa perfectione, aut pruden-  
ti æstimabilitate. Est tamen prior illa per rationem, prioritatæ  
perfectionis, atque æstimabilitatis; non autem naturæ, aut dura-  
tionis: & quamvis actus aliquis cognitione sit prior quamcumque  
potentiam logicam creatam respectu intellectus humani, non tamen est  
necessariò prior cognitione, quam sua potentia logica. Probo pri-  
mam partem, quam sola nebula distinctionis rebus creatis invenien-  
tis capacitatem suscipiendi contradictoria, obnubilare potest. Ni-  
hil realiter, simpliciter identificatum cum potentia logica est reali-  
ter prior, quam illa prioritate naturæ, aut durationis, aut univer-  
salitatis, aut entitativæ perfectionis, aut prudentis æstimabilitatis  
(singulæ namque ex his prioritatibus poscunt unum, & aliud, prout  
earum definitiones evoluenti perspicuum erit: & non datur verè,  
& realiter unum, & aliud, ubi summa adest unitas, atque identi-  
tas; solo autem beneficio capacitatis ad duo contradictoria mitiga-  
ri possunt oppositæ dissonantiae: verùm hujus beneficii participes  
non esse creature, nunc suppono.) At omnis actus logicus reali-  
ter, simpliciter identificatur cum sua potentia logica: nam poten-  
tia hæc nil aliud est, quam capacitas, seu non repugnantia, ut res  
identificetur cum eo, quo cum identificatur: ergo. Probo secun-  
dam partem. Actum esse ratione nostra priorem perfectione, atque  
æstimabilitate, quam suam potentiam logicam, stat in eo, quod  
major perfectio, majusque æstimationis fundamentum nobis pro-  
ponatur per hos terminos *Esse actu beatum* v. g. quam per hos posse  
*esse beatum*: item per hos, *esse actu regem*, quam per hos posse *esse regem*: sed hoc ita contingit, quemadmodum licet animalitas, &  
rationalitas objectivæ mutuò identificentur, majorem perfectionem  
pandit nobis expositio hæc *rationale*, quam hæc *animal*: ergo quam.  
quam actus identificetur cum sua potentia logica; est nihilominus  
ratione nostra prior, quam illa ambabus dictis prioritatibus. Et ra-  
tio

tio cardinalis est : tametsi objecta realiter , simpliciter identificentur ; attamen expressiones ipsæ , seu cognitiones realiter distinguunt reciprocè : ergo potest una expressio clarior esse , quām altera : ergo potest una repræsentare in objecto majorem perfectionem , quām repræsentat altera .

P. Suarez  
ubi supra  
num. 2.

4. Et sic accipio Doctorem Suarium docentem absolutè , claram esse , actum priorem esse perfectione , quām suam potentiam logicam . Procul dubio loquitur de prioritate mentali , & rationis , quia non mihi persuadeo , putavisse tantum Doctorem , rem esse sine controversia , dari verè , ac realiter id generis prioritatem inter extrema realiter identificata . Idem innuunt illæ duæ rationes , quas perhibet . Prima est . Unicuique rei melius est esse in actu , quām in potentia , quia absque esse in actu , nulla est vera perfectio : sic melius , atque estimabilius est esse actu Sanctum , quām posse Sanctum esse : item esse actu Regem , quām posse Regem esse . Secunda est , quod res plus habuerit de actu , & magis separata fuerit à potentialitate ; eo perfectior est . Ad primam resp. rei melius esse , formaliter , & ratione nostra esse in actu , quām in potentia radicali : item melius est à parte rei esse in actu , quām in potentia radicali , atque remota ; hæc enim non est potentia logica respectu illius actus , sed realiter ab eo distincta , proindeque melius est esse actu Sanctum , quām posse Sanctum esse potentiam radicali , physica , distinctaque realiter ab hoc , quod est , Sanctum esse . Cæterum neque est melius , neque perfectius à parte rei , esse actu Sanctum , quām posse Sanctum esse potentiam logicam , seu possibilitate proxima formalis , & immediata . Nam cum hæc potentia , seu possilitas formalis , nil aliud sit à parte rei , quām actualitas ipsa Sanctitatis , ut supponimus : repugnat omnino , actualitatem esse re ipsa perfectiore hac potentialitate . In comuni loquendi modo dicimus , melius est esse actu Regem v. g. quām posse esse Regem , & meritò quidem , quis conferimus actualitatem regiam cum potestate remota , & radicali , vel cum proxima , quæ distincta sit ab ipsa actualitate . Hoc autem non officit nobis loquentibus de potestate , seu potentia logica , quæ eo ipso indistincta est realiter à sua actualitate . Sin verò in ea propositione institueretur comparatio inter actualitatem regiam , & potentiam logicam ad illam , seu inter actualitatem , & possibilitatem illius formalem , atque immediatam ; falsitatis argueretur proposicio ob jam dicta , atque ob dicenda , quando probabimus possibilitatem formalem , & immediatam non distingui ab actuali essentia , & existen-

stentia. Ad secundam distinguo illam, èd perfectior est, formaliter; & ratione nostra; concedo: realiter à parte rei; subdistinguо: quando sermo est de potentialitate physica, distincta realiter ab actu; permitto: quando de potentialitate logica; nego.

5. Probo jam tertiam partem. Actum esse priorem ratione nostra, quām suam potentiam logicam prioritate naturæ, aut durationis, consisteret in eo, quod apprehenderemus actum, tamquam causam suę potentię logicę (in hac quippe causalitate pono prioritatem naturæ) aut tamquam existentem in tempore, priusquām sua potentia existat; sed neutrum apprehendimus, neque ullum ex parte rerum datur fundamentum ad tam sinistrum appprehendendi genus ergo actus non est ratione nostra prior, quām sua potentia logica prioritate naturæ, aut durationis. Probo quartam partem. Actum esse priorem cognitione, quām potentiam logicam, stat in eo, quod cognitio cuiusq; potentię logicę, seu possibilitatis sumat initium, vel mediatae, vel immediatae à cognitione alicujus actus; at omnis cognitio humana initii sumit à cognitione alicujus: actus à ergo aliquis actus est cognitione prior, quām potentia logica respectu humani intellectus. Probatur major. Omnis cognitio dependens à sensibus externis, vel est cognitio alicujus actualitatis, vel originem sumit ab ea cognitione; sensus enim percipere nequeunt purè possibilia, aut meras potentialitates; sed solas res aetū existentes: atqui omnis cognitio, quam pro hoc statu habemus, dependet à sensibus, & phantasmatibus; nam propterea dixit Philosophus, *eum, qui sensu aliquo caret, non posse consequi perfectam scientiam illorum, quæ solo eo sensu percipi possunt*. Et alibi. *Cæcum à nativitate, qui de coloribus ratiocinatur, de solis nominibus differere; nam rem ipsam concipere non potest*: ergo omnis cognitio, quam pro hoc statu habemus, aut est cognitione alicujus actualitatis, aut ab ea cognitione originem sumit. Neque refert nos cognoscere substantias, privationes, entia rationis, & alia, quæ sensibus non percipimus; quoniam licet ea non percipiamus, attamen sensibus percipimus alia, ad quorum similitudinem, vel quorum speciebus, objecta illa cognoscimus; quare semper subsistit, præcedere cuicunque cognitioni humanæ potentialitatis puræ aliquam cognitionem alicujus actualitatis. An autem sit quoq; cognitione prior actus, quām potentia relatè ad mentem divinam, vel angelicam; tractatur docte à P. Suarez ubi supra. Probo tamen ultimam partem; quoniam in eis, quæ immediatae novimus per sensus, necesse non est, quod priusquām sciamus illa esse possibilia, no- P. Suarez  
rez disput.  
cit. num. 4. & s. nove.

verimus existere actū illa ipsa, aut alia , quorum specie juvemur ad ea cognoscenda: ergo non omnis actus est necessario prior, quam sua potentia logica .

## §. II.

6. **D**ico secundò. Si actus comparetur cum sua potentia physica passiva, sitq; actus substantialis informativus ; perfectione quidem est prior, quam illa potentia , non autem duratione , cognitione, aut universalitate. Sin verò actus fuerit accidentalis; aliquando est perfectior, aliquando imperfector, quam sua potentia physica passiva. Probo primam partem. Forma substantialis est entitative perfectior , quam materia prima de facto existens (quidquid sit de alia materia prima possibili, quæ eis forsä prædicatis extolli potest, ut perfectione supereret multas formas substantiales) ergo si actus informativus substantialis comparetur cū sua potentia physica passiva; est perfectione prior, quam illa. Probatur antecedens ex nuper d' Etis: quamquam materia prima prædicato incorruptibilitatis, ampliorisq; capacitatis ad existendum vincat multas formas pure materiales ab ipsa dependentes in esse, ac conservari; vincitur tamen in eo, quod forma substantialis est perfectio, complementumq; ipsius materialis primæ, distinctivum unicum compositi, & cui debetur , quod potius sit hujus, quam illius speciei , principiumq; activum , imò unica origo operationum compositi, elongata valde à potentialitate , in qua immersa est materia: ergo absolute loquendo , & omnibus pensatis , perfectior est forma substantialis , quam materia prima de facto existens . Ne

**P. Ar.** verearis de illo geminato discursu, quem opponit P.Arriaga . Nam riaga di- solum probat, formam ex conceptu formæ, ut præscindentis à substanziali, & accidentalí, non esse perfectiorem materiam . Quod inficias non gressus. 7. imus, cùm loquamur de forma substantiali. Rursus neq; formides illa; quæ ponderat. P.Lynce . Nam quantumcumq; deprimat formam

**P. Lynce** cineris infra materiam primam ; nihilominus semper subsistit , illam lib. 2. phy- gaudere prædicatis nuper memoratis; secus materiam primam .  
st. tratt. 5.

**capitul. 2.** 7. Probo secundam partem. Actum informativum substantialiem num. 14. esse duratione, cognitione , aut universalitate , priorem respectu suæ potentiae passivæ , staret in eo , quod existeret prius tempore , quam materia prima , priusquam illa necessario cognosceretur , esset independenter ab eadem , hæcque à forma dependeret in existendo ; sed nullum ex his contingit, ut singula perpendenti cōstatib; ergo actus infor-

informativus substantialis non est duratione, cognitione, aut universalitate prior respectu materialis. Probo tertiam partem. Potentia passiva actuum accidentalium, aliquando est forma rationalis; aliquando est sola quantitas; sed omnes actus accidentales, praesertim naturales, sunt imperfectiores forma rationali; aliqui autem sunt perfectiores quantitate: ergo actus accidentalis aliquando est perfectior, aliquando autem imperfectior, quam sua potentia passiva. Minor quoad primum membrum videtur clara; quicumque enim sint actus accidentales, sive illi sint spirituales, sive materiales, sive naturales, sive supernaturales; mindes perfecti sunt entitativè, omnibusque pensatis, quam rationalis animus; hic enim est substantia, vivens, cognoscitiva, capax videndi Deum, & amandi ipsum, libera, potens per se subsistere, denominationemque subire, filiae, amicæque Dei, & hereditis gloriae, quibus omnibus excellentiis caret omne accidens, etiam supernaturale. Neque refert, gratiam, aliaque dona supernaturalia, plus estimari, quam animam rationalem. Nam etiam aurum ob majora, quæ affert commoda, estimabilis est, quam una formica; & tamen est entitativè ignobilis, cum formica sit vivens, & materialiter cognoscitiva, secus aurum. Ista ratio suadet, dona supernaturalia esse majora, quam animam relata ad concupiscentiam, non relata ad appreciationem; quia rem esse supernaturalem, non consistit in eo, quod sit perfectior entitativè tota natura; sed in eo, quod ejus supereret vires adæquatas, & exigentiam. Etiam quoad secundam partem videtur certa illa minor; lux namque, candor, colorum dispositio, in qua consistit perfectio imaginis, dulcedo, & alia similia accidentia recipiuntur in quantitate; ei namque uniuntur (alioquin non forent impenetrabilia cum alia quantitate, neque moverentur ad motum illius) & fundamentum non adest ad distinguendum hic subjectum receptionis à subjecto unionis, & tamen accidentia memorata abs dubio videntur perfectiora quantitate pure accidentalis, quæ nullam specialem habet perfectionem &c. Jam quod potentia passiva actuum accidentalium, aliquando sit anima rationalis, suadetur. Nam gratia, aliaque superna charismata, alicubi recipi debent, cum sint accidentia, entia in aliо: idem dico de cognitionibus, amoribusque naturalibus, sed pure spiritualibus: sed non apparet subjectum aliud, in quo recipientur, cum soli animæ communicent suos effectus formales: ergo.

8. Dico 3. Si actus sive accidentalis, sive substantialis comparatur cum sua potentia physica activa adæquata non est perfectior

illà. Si cum inadæquata; aliquando est perfectior, aliquando imperfectior. Si cum principali; numquam est perfectior, sive illa fuerit naturalis, sive obedientialis. Si cum instrumentalis; interdum est perfectior, interdum est imperfectior. Probo primam partem. Nihil, quod continetur adæquatè in alio, vel formaliter, vel eminenter est entitativè perfectius illo alio; sed omnis actus cum substantialis, tum accidentalis continetur, vel formaliter, vel eminenter, adæquatè in sua potentia physica activa adæquata: ergo. Major videtur certa, quippe nil est entitativè perfectius illo, quod vel est ejusdem speciei, vel superioris; at omne continens aliud formaliter est ejusdem speciei cum illo, & omne continens illud eminenter, est superioris speciei: ergo nil est perfectius eo, in quo vel formaliter, vel eminenter continetur adæquatè. Probo jam minorem primi syllogismi. Omnis potentia, seu virtus (suppono modò virtutem physicè operatricem non distingui à substantia) adæquatè, ac se sola productiva cujusque actus, vel est superioris speciei respectu illius, vel ejusdem, vel æqualis, vel inferioris; at esse nequit inferioris, quoniam nil entitativè imperfectius alio, potest se solo, & solis suis viribus producere illud aliud, alias se solo posset tribuere illam perfectionem, quam non habet: ergo omnis potentia, virtusque adæquatè productiva cujuscumque actus, debet esse ejusdem speciei cum actu, vel æqualis, vel superioris. Si ejusdem; hæc vocatur continentia formalis, aut univoca: si æqualis; vocatur continentia virtualis: si superioris; vocatur continentia eminentialis: ergo omnis actus continetur vel formaliter, vel eminenter adæquatè

*P. Vas-* in sua potentia activa adæquata. Hinc i. difficultis admodum mihi *quez ubi* est propositio DD. Fonseca, & Vasquez ajentium, intellectionem *sup.*

*P. Fonseca* esse magis perfectam potentiam intellectivam, & amorem potentiam *qua ubi su-* litivam. Tum quia supponit falso distinctionem harum potentiarum *pra.*

à substantia animæ; tum quia ambo hi actus per verum, & physicum influxunt hauriunt totam suam entitativam perfectionem respectivè ab utraque illa potentia; qui ergo fieri potest, ut majorem accipient perfectionem èà, quam utraque potentia habet? Tum quia ratio P. Vasquez, nimis intellectu distinctionem esse perfectionem potentiarum intellectivarum, non convincit. Etenim operatio vitalis etiam est perfectio viventis; hoc namque per suam immanentem operationem se ipsum movet, ac perficit: & tamen hujusmodi operatio non vincit perfectione ipsum vivens. Similiter lux est perfectio aëris in ipso intrinsecè recepta, & cum sit mera qualitas,

ne-

Nequit perfectior esse aëre qui est substantia elementaris. Calor item est perfectio ignis, frigus aquæ, & neutra qualitas est perfectior substantiæ sibi respondentे. Et ratio est. *A.* esse perfectionem rei *B.*, stat in eo, quod melius sit rei *B.* inspecta suâ naturâ, esse cum *A.*, quam sine illa; atqui hoc est compatibile cum eo, quod *A.* non sit magis perfecta, quam *B.*, ut superis exemplis constat: ergo est compatibile *A.* esse perfectionem rei *B.*, & non esse perfectiore*m* hac.

### §. III.

9. **H**inc 2. refellendi sunt quidam MM. autumantes, calorem, v. g. licet entitativè imperfectiorem igne *B.* esse virtutem adæquatè productivam illius: nempe quia perfectio effectus non est taxanda virtute instrumentalí, sed causa principalí, non illo, quod immediatè producit, sed illo, cuius nomine, & virtute operatur: cumque calor, inquit, operetur nomine, ac virtute ignis *A.* v. g., tamquam hujus instrumentum, & substitutum; inde fit, perfectionem ignis *B.* taxandam non esse perfectione caloris, sed perfectione substantiæ ignis *A.*, quod specioso exemplo Legati, & Proregis illustrari potest. Nam licet hi, utpote privati, impares sint secundum se tractandis, & firmandis Reipublicæ negotiis, ea nihilominus tractant, & firmant, quia operantur nomine, & virtute Regis, & tamquam instrumenta regiæ potestatis. Sed contra i. Nihil per se ab intrinseco incapax faciendi aliquid, potest illud facere, sive nomine, & virtute propria, sive nomine, & virtute aliena. Num lapis substitui potest ad loquendum, aut ratiocinandum nomine hominis, & tamquam hujus instrumentum? Apage: quia lapis per se ab intrinseco incapax est harum operationum, & abs jure colaretur hæc incapacitas, dicendo lapidem tunc neque locuturum, neque ratiocinaturum nomine proprio: at omne entitativè imperfectius alio est per se ab intrinseco incapax producendi adæquatè, ac se solo illud aliud; nam per se ab intrinseco est impotens dandi se solo eam perfectionem, quam non habet. Et ulterius, qui omne se solo producens aliud, tamquam virtus adæquata, debet præcontinere illud vel formaliter, vel eminenter: ergo nil entitativè imperfectius alio, potest aut nomine proprio, aut nomine alieno producere se solo illud aliud. Profecto omnis vera, & realis substitutio intrinsecè importat capacitatem iotrinsecam illius, quod

sufficitur : alioquin lignum suffici poterat in locum concionatoris ad concionandum : ergo priusquam dicatis , calorem producere adæquatè ignem *B.* instar substituti ignis *A* ; debetis ostendere , calorem esse per se ab intrinseco capacem producendi adæquatè ignem *B.* , & en primam disparitatem ad istam paritatem . Prorex enim , atque Legatus per se ab intrinseco est capax firmandi publica negotia ; tum quia est intrinsecè capax habendi supremam autoritatem ; tum quia si tali intrinseca capacitatem opus non esset , cur bellua , aut truncus non renunciatur Prorex .

10. Contra 2. Nil potest suffici in locum alterius ad quidquam faciendum , quando ille alter est per se ab intrinseco incapax efficiendi illud : quis dicit , hominem suffici posse in locum aquæ ad amandum , aut in locum Angeli ad nutritionem ? Et certè non ob aliam rationem , nisi quia aqua , & Angelus intrinsecam habent incapacitatem ad efficiendum effecta ista : omnis enim substitutio unius pro alio essentialiter importat capacitatem in utroque ad illud , ad quod est substitutio ; at substantia est per se incapax eliciendi se ipsa ignem *B.* ergo nil suffici potest in locum substantie ad producendum ignem *B.* Eisdem terminis , quibus subducere conantur substantiæ virtutem intrinsecam , & essentialem ad operandum , hanc virtutem supponunt . Neque dicas , calorem esse instrumentum ignis *A* ; quoniam dumtaxat est instrumentum in ordine ad ea , ad quæ neque calor , neque ignis *A.* est intrinsecè improportionatus ; at calor utpote imperfectior igne *B.* est intrinsecè improportionatus ad producendum se solo ignem *B.* , & tu dicas substantiam ignis *A.* esse quoque intrinsecè improportionatum ad producendum se ipsa ignem *B.* : ergo . Et ecce secundam disparitatem ad istud urbanum exemplum . Rex enim , cui Legatus substituitur , intrinsecè fungitur capacitate ad confiencia publica Regni negotia , quia Legatus non agit vices trunci , aut lapidis ; sed alius hominis , qui , intrinsecè suâ inspectâ naturâ , potest se ipso immediate facere , quod illo mediante insistit . Contra 3. Hoc quod est , calorem operari nomine , ac virtute substantiæ , tamquam hujus instrumentum addit aliquam perfectionem calori , vel non ? Si hoc : ergo quemadmodum calor specificativè , ac secundum se præcisè est improportionatus ad producendum se solo ignem *B.* , æquè improportionatus manebit , tametsi dicatur , operari nomine substantiæ , & tamquam instrumentum hujus . Si dicatur primum ; quænam est illa perfectio superaddita ? substantialis ne , an accidentalis ? si substantialis ; ergo jam habe-

habemus calorem non se solo, sed simul cum quadam substantiali perfectione producere ignem *B.* Si accidentalis; adhuc manet calor - improportionatus ad producendum se solo ignem: quoniam omne accidens naturale est entitativè imperfectius substantiæ, præsertim si fuerit accidens materiale.

11. Ecce disparitatem tertiam. Etenim homo reduplicative, ut Prorex, aut Legatus intrinsecè claudit voluntatem Principis valorentem, & firmantem determinationes, quas transfererit: unde potest nomine Principis, atque tamquam hujus instrumentum illas confidere, quæ nomine proprio firmare nequirit: ast quamnam assignationem, aut voluntatem ignis *A.* importat calor reduplicative, ut instrumentum illius, beneficio cuius exercere possit nomine illius ignis ea, quæ nomine proprio exercere non valet? Tandem dicere, instrumentum non habere tantam perfectionem, quam habet effectus; est verum: sed ideo, quia instrumentum non est virtus adæquata, & se sola producens effectum, sed simul cum causa principali. Dicere insuper, interdum produci substantias ad conspectum accidentium præcisè, est etiam verum. Caeterùm in eis casibus neutram producunt accidentia illas substantias, sed præparant ultimè materiam, cuius ultimæ præparationis intuitu, Deus ut causa universalis producit formam substantialem. Non enim dedecet Philosophum recursus ad Deum, quando in causis naturalibus, hic, & nunc concurrentibus non datur proportio, seu capacitas producendi effectum, quem experimur, prout in ipsis casibus contingit. Dicere demum, causalitatem ipsam, seu actionem productivam esse imperfectiorem substantiæ effectus, & tamen substantiam causæ per illam solam producere adæquate effectum. Est quoque verum; sed non venit ad rem. Nam aliud est illud, quo tamquam virtute adæquata, una substantia producit aliam; & aliud est id, quo tamquam exercitio hujus virtutis, una substantia producit aliam. Illud primum debet præcontinere formaliter, aut eminenter substantiam productam, quia huic dat totum esse, ac perfectionem, quam habet, quamobrem nequit esse merum accidens. Hoc secundum, cùm non sit producens substantiam; sed exercitium producendi illam, non tribuit verè, & propriè substantiæ perfectionem, qua fungitur; sed est exercitium tribuendi hanc perfectionem: ergo opus non est, quod illam præcontinet formaliter, aut eminenter: ergo potest esse accidens.

## C A P U T SECUNDUM.

*Ceteræ partes Conclusionis cum Consecutariis.*

12.



Robo jam secundam partem conclusionis scriptæ num. 8. videlicet , actum interdum esse perfectiōrem , interdum esse imperfectiōrem suā potentia activā inadæquatā . Lumen gloriæ est potentia activa inadæquata respectu visionis beatificæ : necnon anima ipsa , quæ profectō non se habet merè passivè erga eam visiōnem ; sed activè quoque , quatenus vivit per illam , & consequenter se movet ab intrinseco , ut nunc suppono cum communi Nostratum sententia (quod si utrobique horrueris ad illam vocem *Potentia*, substitue illam alteram *Virtus* : nam apud me idem significant . ) At visio beata , tametsi intrinsecè supernaturalis sit , est imperfectior , quam anima ; perfectior autem , quam lumen : ergo actus interdum est perfectior , interdum imperfectior , quam sua *Virtus* , aut potentia activa inadæquata . Prima pars minoris sēpe probata est . Animæ enim est substantia vivens , rationalis , libera , capax amicitiæ contrahendæ cum Deo , hocque fruendi , quibus omnibus attributis caret visio , quamquam supernaturalis : ergo licet inspecto hoc solo attributo supereat entitativam perfectionem animæ ; omnibus tamen pensatis , ut penfari debent ad reciprocā duorum comparationem , superatur ab anima . Secunda pars etiam constat ; quia supernaturaliitate pares sunt visio , & lumen ; visio autem habet ulterius esse actum vitalem , immanentem , formalēque expressionem , seu imaginem Divinitatis , quorum prædicatorum expers est lumen . Probo tertiam partem conclusionis , videlicet actum , si comparetur cum potentia activa principali , numquam esse perfectiōrem illā . In omni quippe sententia commensurari debet perfectio effectū perfectione causæ principalis , ita ut limites hujus non trasgrediantur . Et ratio est , quia immediatè , vel mediatè accipit ab illa totam suam perfectionem : ergo hanc præcontinere debet causa principalis , aut formaliter , aut eminenter ; quod autem hoc subsistat , licet potentia principalis sit purè obbedientialis , constat , ex nupera collatione animæ cum visione beatifica . Probo ultimam partem , nempe actum quandoque esse perfectiōrem , quandoque imperfectiōrem suā potentia activā instrumentalī . Serra , vel calybs est potentia instrumentalis

lis incisionis ligni: item calor est potentia quoque instrumentalis ad producendum ignem: sed incisio ligni, sive divisio unarum partium ab aliis non est perfectior calybe, aut serrâ; cùm ea divisio sit tantummodo deſtructio unionis earum partium, instrumenta verò ſint ſubſtantia positivæ; & rurſus ignis est perfectior calore: ergo actus quandoque eſt perfectior &c.

13. Alium ſenſum habere potest hoc axioma, & präcipuè inten-  
tum à Philosopho, ut teſtatur P. Suarez; ſcilicet actus perfectior eſt, P. Suarez  
quām potentia, quatenus hæc melius ſe habeat intrinſecè cum actu, rez disp.  
quām ſine illo, non quia mutetur quoad essentialia; ſed quia jam cit. n. 21.  
habet unitam ſibi perfectionem, quam antea non habebat. Verūm exceptionem illico ſubjugit Philosophus. *In bonis quidem actū, ſeu eſe in actu, præferendum eſe potentia; non verò in malis.* Unde ſubori-  
tur quæſtio. An melius ſit carere omni actu, quām pravum habere? 9. Met. cap. 10.  
Vide P. Suarez more ſolito diſcuſtientem hanc difficultatem. Breviter P. Suarez  
dico: aut actus eſt pravus refpeſtivè ad potentiam, & hoc ſive physi- rez ibid.  
cè, ſive moraliter: aut non? Si primum; affirmo; ſic melius eſt carere ſt. 6. n. 22  
omni actu peccandi, quām aliquem patrare, & melius eſt carere omni  
actu ægrotandi, quam morbo laborare, ex genere ſuo. Nempe quia  
ambo actus ſunt pravi potentij peccandi, atq; ægrotandi, prout ſunt  
à parte rei. Ratio eſt clara. Cuilibet rei eſt melior ex genere ſuo ca-  
rentia mali proprij, quām hujus præſentia; quoniam hæc infert vi-  
olationem physicam, aut intentionalem, ſecus illa: ergo ſi actus fuerit  
pravus refpeſtu potentia, melius eſt huic, carere illo actu, quām eum  
habere. Si ſecundum; nego. Nam, cæteris paribus, melius eſt coperari,  
& exercere virtutem propriam, quām otari: ergo ſi actus neq; phy-  
ſicè, neq; moraliter pravus fuerit potentia, ſed alij rei diſparatae non  
eſt melius potentia, carere omni actu, quām aliquem habere.

14. Conſectarium primum. Subſtantia non ſolūm eſt principium quod; verūm etiam principium quo immeđiatè operativum allus ſubſtantia, non ſolūm immeđiatione ſuppoſiti; verūm, etiam immeđiatione virtutis. Clarius.. Subſtantia identificatur realiter cum aliqua virtute prodičiva allus ſubſtantia; repugnat enim ſolum calorem idq; ſive nomine proprio, ſive nomine alieno producere ignem, ut manet probatum: ergo neceſſarium eſt, iſpum ignem A. concur-  
rere immeđiatè, faltem inadæquate, ad producendum ignem B. Et conſirmatur exemplio retundente pleraq; argumenta contraria.: Subſtantia eſt potentia immeđiatè receptiva allus ſubſtantia, ut vulgo ſalentur. Authores contrarij negantes in materia prima potentiam ſu.

superradditam ad recipiendas formas substantiales. Quæ igitur specialis est repugnantia in eo, quod sit immediatè operativa, quæ non impugnet similiter, substantiam esse immediatè receptivam? Consecutum secundum. Substantia etiam est principium quo immediatè productivum accidentium in se ipsa, & accidentium in passo extra-neo. Probatur prima pars. Eatenus aqua v. g. non esset immediatè productiva frigoris in se ipsa, quatenus acciperet hoc à generante, eo quod, qui dat formam det consequentia ad formam, ut commune fert adagium: sed hæc ratio est inefficax: tum quia illud solum est universaliter verum, loquendo de proprietatibus metaphysicis, quæ realiter simpliciter identificantur cum essentia, & ratione nostra consequuntur illam: sic qui generat hominem, generat visibilitatem cum eo identificatam, & formaliter consequentem ad ejus essentiam: tum quia si forma non produceret physicè, ac realiter suas proprietates physicas, potiore jure non operaretur extra se in passo extraneo, quod esset incidere in heresim philosophicam ajetum, nullam virtutem creatam operari quidquam in rebus; sed solum Deum immediatè operari omnia: *Hoc autem est impossibile* ait S. Magister, & duplice absurdo refutat; tum quia generans non ita dicitur dare consequentia ad formam, quia hac otiente, illud solum producat proprietates formæ; sed quia producens formam, dat principium, radicem, atque originem illarum proprietatum, ut idem Venerabilis Magister exposuit ibidem loquens de Deo. Non solum est causa actionum, in quantum dat formam, quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motus gravium, & levium; sed etiam Or. ergo non obscurè docet, generantem eatenus esse causam consequentium ad formam, quatenus est causa formæ ipsius, operationes illas principiantis, subindeque generantem dare virtualiter, seu in radice consequentia ad formam; tum quia, si ab aqua seminatur extrinsecum calefaciens, recuperat illa pristinam frigiditatem, vel adæquatè, vel inadæquatè. Sed tunc non adest causa illa, quæ primitus generavit aquam; nam fieri potest, ut sit valde distans, vel pœnitus corrupta. Neque dici potest philosophicè, Omnipotentiam solum generare illam frigiditatem, quoniam dedecorus est Philosopho recursus ad solum causam primam, quando adest causa secunda, non certo improportionata ad effectum producendum: ergo restat ut dicamus substantiam ipsam aquæ expeditam à contrariis qualitatibus producere frigus illud succedens calori.

*1.p.q.105. art.5.corp*

15. Secundam partem bene probat P. Oyedo. Aqua est immediate

diatè productiva frigoris in se ipsa , ut manet probatum : ergo etiam **P. Oviedo**  
**in passo extraneo . Probatur consequentia : eatenus non est bona ,** **controv. 9.**  
**quatenus frigiditas producta in aqua , & frigiditas in passo extraneo** **P. by sic.**  
**essent distinctæ speciei , proindeque ex una non posset argui ad alte-** **prædictio 3.**  
**ram ; vel quatenus frigiditas producta in aqua , haberet per suam ,** **num. 2.**  
**naturam recipi in aqua , & non in passo extraneo , & vice versa : sed**  
**in primis ambæ frigiditates sunt ejusdem speciei , ut patet : deinde**  
**neutra habet per suam naturam recipi in uno potius , quām in alio**  
**subjecto : si quidem non sunt qualitates modales se ipsis affixæ sub-**  
**jectis ; sed absoluæ : ergo si aqua est virtus immediatè productiva**  
**frigiditatis in se , debet quoque esse virtus immediatè productiva fri-**  
**giditatis in passo extraneo . Dices primò , consequentiam esse ma-**  
**lam , eo quod frigiditas aquæ sit causa adæquatè productiva alterius**  
**frigiditatis , siquidem producit illam separata ab aqua , & recepta in**  
**passo extraneo . Resp. frigiditatem separatam à subjecto natura suæ**  
**propenso in frigus , producere quidem aliquam frigiditatem in sub-**  
**jecto sibi admoto , sed non tantam , quantam , ceteris paribus , pro-**  
**ducit , quando est in substantia ex se frida , ut constat experientiæ ;**  
**ergo quia substantia quoque ipsa concurrit ad majorem illam frigi-**  
**ditatem . Dices secundò , eamdem consequentiam esse malam , quia**  
**si aqua posset producere frigus in passo extraneo , produceret illud**  
**tamen in se ipsa non haberet frigiditatem , cum haberet virtutem**  
**ad id , & subjecto capaci applicata foret ; sed hoc est apertè falsum :**  
**ergo . Resp. tamen aqua sit virtus ad producendum frigus in se**  
**ipsa , & in passo extraneo , magis propendet in productionem pro-**  
**prii , quām alieni frigoris : ergo si adest causa naturalis adeo robusta ,**  
**ut impedit , aquam producere frigus in se ipsa , impedit etiam ,**  
**illam producere frigus in passo extraneo . Nec propterea inter con-**  
**nexiones physicas sumptas in actu primo , agnosco unas mayores aliis**  
**intensivè ( de quo suo loco fuscè ) sed tamen dico , aquam magis pro-**  
**nam esse in proprium frigus , quām in alienum , quatenus majore-**  
**vi contraria opus est ad impediendum frigus in ipsa aqua , quām in**  
**passo alieno .**

16. Jam ratio est . Ut agens operetur in passo non sufficiunt  
 hec tria sola , Virtus agentis , capacitas passi , amborum approxi-  
 matio ; sed insuper considerantur quædam aliæ conditiones , quibus  
 deficientibus agens non operabitur , ut decretum applicativum Om-  
 nipotentia , determinativum individuationis , dispositio passi tum  
 negativa , tum positiva , & alia id generis : At una ex dispositioni-  
 bus

bus naturaliter exactis ab aqua, ut frigus producat in passo extraneo, est, ipsam habere in se frigiditatem, ut experientia constat; ergo si illa caruerit, non producet frigus in passo extraneo, etiam si hoc sit applicatum, & capax. Dices tertid, eamdem superiorem consequentiam esse malam, quia omnis substantia creata limitata est ad operandum in se ipso, atque impotentem operari per se immediatè in alio. Cujus non leve est indicium, Deum largitum fuisse cuicunque substantiæ operatrici quasdam virtutes, & proprietates, quibus præsentibus substantia operatur in alio passo, & quibus absentibus non operatur. Resp. aliud est, accidentia ipsa substantiæ non operari simpliciter in passo extraneo, aliud non operari independenter ab applicatione: quod numquam operentur, nisi applicata; probat, illa indigua esse applicatione, non verò illa simpliciter non operari. Idem in nostro casu. Aliud est substantiam non operari frigus in passo extraneo: aliud non operari ipsum independenter à frigore proprio: quod deficiente hoc non operetur; probat substantiam aquæ indiguam esse frigore proprio ad operandum; ast non probat, ipsam simpliciter non operari. Sed cur eget proprio frigore? Quoniam ordini naturali consonum est, unam quamque rem priùs constitui in suo statu naturali, quæ ad operandum extra se divagari; sed aqua per frigus constituitur in suo statu naturali: ergo prius est, habere in se ipsa frigus, quæ aliud alteri impertiri. Cur item non producit intensius frigus in passo extraneo, quæ in se ipsa, siquidem ad frigus in se ipsa, aqua sola concurrit; ad frigus autem extraneum, ipsa, & proprium frigus? Resp. rationem esse, quia impedit multam virtutem in conservando proprio frigore, quo circa non est tam expedita ad operandum in alio, quæ in se ipsa. Accedit passum extraneum plerūmque informari qualitatibus contrariis, & numquam tam applicatum esse aquæ, quæ hanc sibi ipsi.

17. Distinguunt Docti: quidam R.R. inter accidentia passi extra-nei similia specificè accidentibus substantiæ operatricis, & accidentia specificè dissimilia. Ajunt substantiam concurrens immediatè ad illa, secus ad hæc; nam Vinum consecratum tantum calorem producit in stomacho, quantum Vinum non consecratum; sed ibi non datur substantia Vini: ergo signum est, substantiam vini non concurrens immediatè ad productionem caloris: ergo quando accidens productum in passo alieno est distinctum specificè ab accidentibus substantiæ, hæc non concurrit immediatè ad illud producendum. Hæc Doctrina mihi non probatur: Accidentia namque vini non pro-

\* producunt immediatè calorem ( si enim hanc virtutem haberent , cur non producunt in vino quoque ipso calorem ) hausto igitur vi- no experimur majorem calorem , quia illius accidentia , sicut etiam accidentia mellis , piperis , & aliorum similium irritant acidum ra- dicale , quod stomacho inest , acidum autem excitatum diffundit calorem materialem tum per stomachum , tum per venas corporis , & ex vaporibus , quos acidum vino excitatum in cerebrum vibrat , temulentia contingit ; non secùs ac potionēs multæ , quas medici prescribunt , cùm in se frigidæ , aut saltem temperatæ sint , calorem excitant , non immediatè , ac directè , sed quasi indirectè , movendo almirum halitus , & humores calidos .

## §. I.

18. **C**onsecutarium tertium . Anima identificatur adæquatè cum suis potentiis sumptis in actu primo remoto ; inadæquatè autem , si in actu primo proximo sumantur . Hac super re divisi sunt Magistri . S. Thomas constanter asseverat , quod nec in Angelo , nec in aliqua creatura virtus , vel potentia operativa est idem cum sua essentia . E contrario SS. Augustinus , Bernardus , & Isidorus , quos adducit P. Lynce infra laudandus , conceptis verbis docent , me- moriam , intellectum , & voluntatem esse idem cum Anima . Scotus cum sua docta prole pro identitate potentiarum cum Anima stat , quam eis argumentis tuetur , à quibus ægrè se expedit Cajetanus . Nostrates quoque mutuò dividuntur . Veteres enim agnoscent , po- tentias esse distinctas ab Anima . Ita PP. Molina , Suarez , Vasquez , Valentia , Eminentissimus Tholedo , Rubio , Conimbricenses , & Alderete . Verùm RR. frequentes eunt in sententiam Augustini , & Nominalium , negantque potentias distinctas esse ab Anima . Ita PP. Hurtado , Ariaga , Oviedo , Rhodes , Izquierdo , Lynce , Al- phonsus , quibus Illustrissimus Echalaz suffragatur . Potentias Ani- mas sunt in quadruplici differentia . Aliæ namque sunt activæ ma- teriales , ut potentia visiva , auditiva &c. Aliæ activæ spirituales , ut intellectus , & voluntas ; Aliæ passivæ materiales , ut ex in quibus recipiuntur visio , & cæteræ sensationes materiales ; Aliæ tandem passivæ spirituales , & ex , in quibus recipiuntur intellectio , & vo- litio . Omnes insuper bipartitè sumi possunt , scilicet in actu primo remoto , & in actu primo proximo .

I.p. q. 54.  
aut. 3. C  
q. 77.art.1  
Cajetanus  
bit.Scotus  
irr.dist.16  
C in 4.  
dist. 12.  
P.Suarez  
lib. 2. de  
anima c.1.  
C disp 18  
met.jcti.3.  
nu. 15. P.  
Vasquez  
I.p. q. 54.  
art. 3. C  
12.dist.14  
cap. 3.  
P. Molina  
I. p. q. 54.  
art. 5.  
P. Valen-  
tia tcm.1.  
dist. 6. qu.  
32.punc.2.  
D. Toledo  
lib. 2. de  
anima c. 4  
que. 9.

19. Dico ergo . Anima neque identificatur adæquatè cum suis

**P. Rubio** potentissimis passivis materialibus sumptis in actu primo remoto, neque lib. 2. de cum cæteris sumptis in actu primo proximo. At vero si ceteræ Potentiae sumuntur in actu primo remoto, anima identificatur adæquatè cum illis; quocirca: **Anima rationalis** adæquatè identificatur potentia productrici visionis, auditionis, amoris, intellectionisque.

**P.P. Con-** Probo primam partem: Animam identificari adæquatè cum suis po-  
**nibriten-** tentiis passivis materialibus consistet in eo, quod operationes ma-  
**ses 2. de** teriales recipiuntur in sola anima; at non recipiuntur in eas ola.  
**anima c. 3**

**gu. 4. P.** Prob. Si recipiuntur in ea sola, & neque inadæquatè in materia, aut  
**Aldrete** quantitate, illæ non forent materiales, sed spirituales, ad modum,  
**disp. 50. de** quo intellectiones sunt purè spirituales, quia licet dependant à cor-  
**Incarnas.** pore, tamquam ab organo, per quod species ingrediuntur, non ta-  
**scit. 3. n. 14** men dependent ab eo, tamquam à subjecto. Et ratio hujus sequelæ  
**2. Scutellaria** desumitur ex doctrina, quam protulimus Disp. 4. Logicæ inter assi-  
**P. Hurtado** gnandum conceptum corporis, nimirum de conceptu rei materialis,  
**disp. 4.** & corporeæ esse, eum habere ordinem intrinsecum, vel identitatis,  
**de anima,** vel unionis, vel receptionis ad impenetrabile, ut sine miraculo non  
**scit. 4.** possit carere illo: ergo si operationes materiales non recipiuntur  
**P. Arria-** intrinsecè in materia, non essent materiales. Neque dicas, sufficere,  
**ga disp. 3.** quod ei uniantur. Nam cum subjectum unionis non oporteat di-  
**de anima** stinguere à subjecto receptionis absque ratione patente, qualis hic  
**scit. 3. dub.** non datur, si operationes præfatae uniuntur materiae, in eadem re-  
**num. 8.** cipiuntur: omne enim accidens ibi recipitur, ubi unitur. Probo  
**P. Rhedes** secundam partem. Animam identificari adæquatè cum suis poten-  
**lib. 2. disp.** tissimis sumptis in actu primo proximo, statet in eo, quod identificare-  
**15. q. 3. p.** tur cum eis omnibus, quæ significat hic terminus v. g. **Parentia pro-**  
**Izquierdo** **xima, & expedita ad intelligendum, ad volendum &c.** Sed hoc non  
**Pbar.** dis. 1. q. 1. evenit, quoniam potentia, ut proxima, & expedita ad intelligen-  
**num. 3. P.** dum importat omnes conditiones, prærequisitaque ad producendam  
**Alphonfus** disp. 6. de intellectionem, & Anima cum his omnibus non identificatur, alias  
**anima scit.** identificaretur cum Omnipotencia, quæ est comprincipium indis-  
**2. P. Lyn-** pensabiliter prærequisitum; cum specie item impressa, quæ est con-  
**ce. tom. 3.** ditio, vel principium intellectionis; & cum intellectione ipsa, quæ  
**lib. 7. trax.** est prærequisita ad volitionem: ergo Anima non identificatur adæ-  
**1. cap. 1.** quatè cum suis potentissimis sumptis in actu primo proximo.

20. Probo tertiam partem, & confusionis vitandæ gratiâ loqua-  
mur de potentissimis cognoscitiva, & volitiva. Prætereo argumentum  
desumptum ex eo, quod voluntas dum amat ferretur incognitum,  
si ipsa non produceret cognitionem, sed potentia alia adæquatè di-  
stinetur.

stincta, proindeque si non identificaretur cum intellectu, quod argumentum valide urget P. Ricchardus Lynce nuper laudatus. Omnis Anima rationalis producit immediatè immediatione virtutis, atque potentiae intellectionem, & amorem: ergo est Virtus, atque Potentia tum intellectiva, tum volitiva. Frustra enim commiscemur potentiam entitative accidentarias, & superadditas animæ, si hæc utraque immediatione dicta producit ambos illos actus. Probatur antecedens. Omne, quod verè citra ullam impropriatem producit intellectionem, & amorem, & neque producit illa in genere causæ præcisæ moralis, neque physicæ mediatæ mediatione virtutis, aut potentiae, producit illa immediatione dicta; non enim restat aliud genus producendi quidquam verè, ac propriè: at omnis Anima rationalis producit verè citra omnem improprietatem, intellectionem, & amorem, quæ producit, & neque producit illa in genere causæ moralis præcisæ, neque physicæ mediatæ mediatione virtutis, aut potentiae: ergo omnis Anima rationalis producit immediatè immediatione virtutis, atque potentiae intellections, atque volitiones, quas producit. Tripartita est minor; probo illam quoad primam partem. Omnis creatura verè, & propriè vivens per aliquem actum, verè, ac propriè talem actum producit; sed omnis Anima rationalis verè, ac propriè vivit, ut creatura per suas intellections, atque amores, ut perspicuum est: ergo. Major est mihi certa, tum quia vivens juxta communem Philosophorum acceptiōnem, est illud, quod operatur à se, in se, & per se; ergo à se, in se, & per se producit illud, per quod in actu secundo vivit: tum quia hoc maximè differt substantia viva à mortua, quia hæc nil operatur, sed quasi truncus jacet; substantia verè viva, aut agit modis notatis, aut agere potest; tum quia, ut monuit S. Thomas. Ut sic viventia dicuntur quæcumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam; Ea verè in quorum natura non est, ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem, & quamquam ibidem articulo 2. videatur rejicere operationem à conceptu vita, loquitur de vita in actu primo, ut legenti totum articulum patebit, quo circa sensus est. Vita substantialis, seu in actu primo est realiter distincta ab operatione. Et jure quidem optimo, quandoquidem omnis causa distinguitur à suo effectu. Vivens ergo in actu secundo debet agere, seu producere eum motum per quem in actu secundo vivit. Respondere autem, sufficere, quod illum producat potentia, seu vir-

1.p. qu. 18.  
art. 3.

P. Oviedo  
supra.

**virtus**, seu **facultas viventis**; est verum, si **potentia, virtus, & facultas non distinguantur à vivente**, quod si **distantiae** fingantur, probabit **responsio**, illas quidem vivere, non autem substantiam ipsam viventis; si quidem illæ sunt, quæ operantur, secus hæc; qui plura volet; adeat P. Oviedo latè hæc tractantem.

### §. III.

21. **N**EC te moveat 1. Deum vivere per suos actus internos, quin eos verè producat, sed tantum virtualiter. Nam, quamvis non producat physicè suos actus, trahit hoc suam originem à summa simplicitate Dei; at summa hæc simplicitas temerè poneatur in creaturis: ergo est disparitas: quin etiam argumentum reviscit. Omne vivens producit actum, per quem vivit, juxta habitudinem, quam cum tali actu habuerit; ergo si purè virtualiter distinguitur ab illo, purè virtualiter producit eum, realiter autem, si realiter distinguitur ab illo; sed creatura realiter distinguitur à suis actibus vitalibus: ergo realiter producit illos. Nec movearis secundò solutione, quām cum PP. Arriaga, & Zuniga parat P. Izquierdo:

**P. Izq. disp. 2.** nimirum, aliud esse vitam physicam, aliud vitam intentionalem.  
**Pbar. q. I. num. 11.**

Illam, non autem hanc consistere in actione: unde infert, posito, quod Deus se solo produceret intellectuē, eamque uniret physicè animæ, hanc intellectuā formaliter, unde viveret quoque vita intentionali. Nam contra est. *Ea in quorum natura non est, at se agant ad aliquem motum, viventia dici non possunt, nisi per quamdam similitudinem, ut jure docemur à Magistro S. supra citato.* Nam ut sic viventia dicuntur quæcumque se agant ad motum, vel operationem aliquam: ergo si vivens intentionale non se agit ad aliquem motum, vivens dici non potest, nisi per quamdam similitudinem: ergo ut verè; ac propriè sit vivens, desideratur, quod se agat ad aliquem motum; sed posita hypothesi ista (quam merito putat impossibilem P. Vasquez) anima non se ageret in motum ullum, sed ageretur à Deo: ergo posita hypothesi ista, anima non viveret, nisi per quamdam similitudinem. Explicatur. Aliud est actio physica prout distincta contra internam, aliud prout distincta contra actionem mē apparentem, ac fictitiam. Non dicimus, vivens intentionale egere actione physica, prout coincidit cum externa, contraponiturque interna; sed actione physica, prout est vera, & realis, contrapositaque apparenti. Porro agnoscendas esse has duas actionum species, sa-

**P. Valg. 12. disp. 16.** civit

## *Anim a identificatur cum Potentiis.* 239

civit idem S. Magister, dum scripsit consentaneè ad doctrinam.

Philosophi. *Duplex est actio, una, quæ transit in exteriorem materiam,* ut calefacere, & secare. *Alia quæ manet in agente, ut intelligere, sentire, velle:* ergo intellectionem, ac volitionem apponit exemplum actionis internæ, atque immanentis. In hac dicimus confitere vitam intentionalem sumptam in actu secundo.

22. Sed quia hæc omnia connivent disputationi prolixæ de constitutivo physico intellecationis, paucis me explicabo, sequens Damascenum. Audio S. Thomam nuper adducentem intellectionem, ut exemplum actionis, & rursus alibi ajentem, *Intelligere, & sentire sunt actiones immanentes:* ergo jam habemus, intellectionem esse actionem. Audio insuper eundem innuentem, intellectionem non tam consistere in actione, seu origine, quam in forma, qua intellectus percipit objectum, quæ forma alia esse non potest ab specie expressa. *Intelligere, inquit, importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatnr, sed solum informatio quædam in intellectu, prout intellectus noster fit in actu performam rei intellecta:* ergo habemus quoq; intellectionem, non tam esse actionem, quam formam quandam, nimirum speciem expressam. Præterea Philosophi quotidie clamat, intellectionem sive cognitionem, esse imaginem intentionalem objecti, esse affirmativam, esse negativam, esse expressionem atq; representationem, quæ attributa cadere non possunt in solam actionem productivam speciei expressæ, sed in speciem ipsam, verbumq; mentis. Ex alia parte nihil certius, quam intellectionem esse vitam in actu secundo; vitam autem creatam, atque determinatè ut creatam sic consideratam esse imp̄rescindibilem ab actione vera, & reali. Ex quibus colligo hujus termini, *Intellectio, usum, & acceptiōnem valde ambiguam esse apud Authores (& idem dico respectivè de amore, ac volitione).* Dico igitur Intellectio actiōnē sumpta, consistit in actione, quoniam est vita creata in actu secundo: omnis autem id generis vita indispensabiliter est actio nunc physica, & materialis, si vita fuerit pure physica, nunc interna, & intentionalis (sed non fictitia) si vita fuerit intentionalis. Intellectio vero sumpta passiōnē est sola species expressa, quippe hæc sola est forma, quæ formaliter, & immediatè aperit, representatq; objectum. & affimat, aut negat illud. Intellectio deum adæquate sumpta est complexum ex utraque. Nam intelligere sumptum adæquate, ac secundum totum, quod in illo concipi mus, duo dicit: unum est vivere; alterum est habere imaginem, expressionemq; objecti. Vivere est actio: Imago est species expressa: ergo

ergo intellectio adæquatè sumpta in utroq; consistit. Videor mihi audi dire hanc doctrinam à S. Joanne Damasceno sic loquente. Verbum nostrum est naturalis animæ nostra motio, secundum quam movetur, inde fide. cap. telligit, aut cogitat. Ergo in verbo duo cognoscit, motum, ac formam cogitandi; sed motus est actio, & ea forma est species: ergo agnoscit

S. Da. 18. ambo hæc in verbo adæquatè sumpto. Hinc argumentis P. Molina, na par. 1. ed tendentibus ut probent, intellectionem consistere in sola actione; qu 12. art. respondeo concedendo de intellectione sumpta aetivè, & negando de 2. disp. 1. illa passivè accepta; e converso autem argumentis P. Vasquez, & alio-  
C art. 5. rum suadentibus, intellectionem consistere in sola specie expressa,

P. Mol. 23. Probo jam secundam partem illius minoris, quam scripsimus num. 20. nimirum animata non producere moraliter præcisè suas disp. 112. intellectiones, & amores. Et 1. quidem, quia hoc producendi genus, num. 13. non sufficit, ut agens formaliter, & immediatè vivat per id, quod

P. Arria. ga disp. 6. moraliter producit. David enim fuit causa moralis homicidij Uriæ, dt. anima quem interfecit gladio filiorū Ammon: quin formaliter, & immediatè.

1. P. Montoya disp. 87. de actus: ergo non producit illos dumtaxat moraliter. 2. Animam pro-

Scientia cap. 6. ducere moraliter eum amorem, quo amat Deum vel est præcipere, suadere, aut hortari voluntatem, ut ipsa eliciat physicè talem amorem,

2. Reg. 12. (& hic frivulus videtur modus apprehendendi res) vel est voluntatem producere amorem ob exigentiam, connexionemq; physicam animæ cum eo amore, quemadmodum ultima dispositio ad formam ignis, dici solet causa efficiens moralis formæ ignis, quia est physicè connexa cum ea forma, ad quam præcedit; et hæc physica connexio, præterquam quod nulli rationabili fundamento insit, prosterneret abs dubio libertatem indifferentiæ: ergo Anima non producit moraliter dumtaxat eum amorem. Non item producit illum in genere cause physicæ mediæ mediatione potentiarum, aut virtutis (& hæc erat tertia pars illius memorata minoris), quoniam hoc consistaret in eo, quod anima verè physicè produceret potentiam illam, sive virtutem, à qua immediatè procedit amor; at juxta adversarios non producit illam, quippe dicitur accipere suas potentias à sua causa creatrice, quæ producens formam, producit quoq; intuitu hujus consequentia ad ipsam: ergo. Probo majorem: quidquid non producit verè, ac physicè illud, quod verè, & physicè producit rem A. non est causa physica mediata rei A. Sicut neq; assidet mediata Joanni, qui non assidet ei, qui immediatè assidet Joanni: ergo animam esse causam physicam mediataam amoris, mediatione potentiarum, atq; virtutis, con-

## *Anima identificatur cum Potentiis.* 241

afferet in eo , quod physicè causaret potentiam physicè causantem amorem .

24. Neque valet recursus ad simplices emanationes, naturalesque resultantias : nam ut abstineam à questione de voce, sciscitor. Has potentias resultare ab anima , ab hacque procedere per simplicem emanationem , est verè physicè produci sine ambagibus ab anima eodem rigore , ac proprietate productionis , quo ab his potentiis producuntur ipsæ operationes , an non ? Si primum : ergo primò, anima non tam accipit eas potentias à solo creatore, quām ipsas ipsa sibi comparat: ergo secundò, jam agnoscis in animæ substantia virtutem aliquam immediate operativam alicujus rei . Si secundum : ergo has potentias resultare ex anima , impar est afferendo animam esse causam physicam mediatam amoris : conceptus namque causæ physicæ mediatæ juxta communem hujus vocis intelligentiam est, posse causare verè , physicè , propriè id , quod verè , physicè , propriè causat aliud, ut constat in avo respectu nepotis . Nihil firmum in scholis habemus , si cuilibet liceret terminorum acceptiones mutare , causâ tantummodo declinandi argumentum contrarium . Præterea neque valet recursus ad adagium illud , *Actiones sunt suppositorum* , quasi sufficiat , solas potentias animæ operari , ut huic tribuatur operatio, illaque dicatur verè operari : non , inquam , valet , tum quia anima non est suppositum , sed suppositi pars ; tum quia ut constat , dum hoc adagium exposuimus , Aristoteles tale quid non dixit , sed *Actiones verè , generationesque omnes in singularibus versantur* , quod <sup>1. Metaphysica</sup> ad rem præsentem non venit ; tum quia ex doctrina fuit ibi prolata pb. cap. 1. constat , quod Judicium ferendum sit de hoc axiome .

25. Habemus jam Animam verè , physicè , atque immediate immédiatione virtutis producere suos actus vitales . Et simili discursu evincitur , voluntatem physicè , immediatè , immédiatione virtutis producere actum supernaturalem charitatis , necnon intellectum eadem immédiationis specie producere visionem beatificam . Unde subinfertur , habitum supernaturale , & lumen Gloriarum non esse totam rationem agendi actus eos supernaturales . Voluntas quippe re ipsa vivit vitâ utique entitativè creatâ per actum charitatis , & intellectus per visionem vitalem beatificam: ergo aliquo modo vero , & proprio debent ambæ potentias producere ambos actus , sed non purè moraliter , non item physicè mediátè immédiatione virtutis; quandoquidem non producunt virtutes illas supernaturales , quibus confortantur , elevanturque ad hos actus supernaturales : ergo physicè

immediatè immiediatione virtutis. Imò duriusculè hlc vexantur contrarii, quoniam habitus, & lumen non sunt proprietates voluntatis, & intellectus, quare hlc confugere nequeunt ad asylum simplicis emanationis, naturalisque resultatiæ; quamquam tamen hæc ita sint. Insignis Theologus P. Alderete parum firmum putat hunc discursum deluptum ex vitalitate eorum actuum, existimat enim, habitum supernaturalem esse vitalem in actu primo ergo licet actus exigat procedere à principio vitali, hinc male probatur, illum exigerre processionem à voluntate v. g. cùm aliud adsit principium vitale, habitus videlicet: à quo seniore magistro mutuaverunt juniores aliqui hanc solutionem. Sed contra 1. Aliud est arguere influxum immediatum voluntatis in actu charitatis (idem dico de intellectu respectivè ad visionem beatam) ex eo, quod actus exigat oriri à principio vitali; aliud autem ex eo, quod voluntas expers cùm sit divinæ simplicitatis, verè, ac propriè vivat per actuum charitatis. Non argumentatus sum primo, sed secundo modo; ista vero solutio impedit primum, non secundum modum: ergo argumentum hæc pergit, & solutio illac.

26. Contra 2. Habitus per se est principium vitale actus, eumque immanenter producit: ergo vivit per illum; quid ergo ei deficit, ut verè dicatur amare, & similiter quid deficit luminis gloria, ut verè dicatur Deum videre? Respondebis deficere illis capacitem, ut subeant has denominations. Verum est. At repugnat, capacitem deficere, ubi adest illud, quod est ea capacitas; sed si habitus est verè, & propriè principium vitale, vivitque per actuum, habet illud, in quo consistit capacitas amandi. Prob. voluntatem amare, ferri intentionaliter in objectum, seu affectivè conjungi cum illo, nil aliud est, quam sua activitate producere amorem, eum recipere se ipsa, ac demum per illam vivere. Eo namque præcisè, quod hæc omnia intelligantur, intelligitur voluntatem amare: ergo capacitas amandi, nil aliud est, quam capacitas producendi amorem, recipiendi illum, & per illum vivendi; sed per te habitus charitatis habet capacitem ad hæc omnia: ergo habet capacitem, ut amet, ut feratur affectivè in objectum. In veriore autem philosophia, habitus id circa neque amat, neque vivit per amorem, quis illum non producit à se, in se, & per se; recipitur namque amor in sola anima. Cæterum in principiis hujus Magistri non assequor quidnam sit illud, quod deficit habitui charitatis ad hoc ut verè, & propriè dicatur amare. Contra 3. Neque habitus charitatis vivit inten-

P. Aldre.  
re disp. 50.  
de Incarn.  
scil. 3. nu.  
12.

tentionaliter amando , neque lumen videndo . Ulterius neque vivunt physicè nutritione , vel sensatione : ergo nullam vitam actus-  
lem vivunt : ergo non sunt principia strictè vitalia ; omne namque strictè vivens capax est vivendi aliquam vitam ex his tribus . Restat ergo , ut dicamus , hæc comprincipia data animæ , solummodo esse vi-  
ventia accidentalia , & impropria , quatenus cum viventia non sint , viventem substantiam adjuvant : & per figuratam locutionem ipsis  
communicatur nomen sui effectus , ut passim contingit .

## C A P U T T E R T I U M .

### *Multa Objectiones.*

27.  Ontra primum , & tertium consequitum tres objici solent rationes . Prima est . Potentia , & actus re-  
ferri debent ad idem genus , nam dividunt ens:ergo si actus non est in genere substantiæ ; potentia , quæ dicitur ad illum actum , nequit esse substantia ; sed operatio animæ non est in genere substantiæ , ut certum est : ergo neque potentia:ergo hæc distinguitur ab anima . Secunda ab absurdo . Nam sequeretur , formam esse in continuo exercitio operandi : unde habens formam vitalem continuò eliceret actus vitales , ideo namque semper , ac ipsam habet , est vivens , quia illa est principium immediatum vivendi : ergo si est principium immediatum actuum vitalium , qui habet formam vitæ , esset in continuo exercitio efficiendi actus vitales . Tertia , & juxta Cajetanum est radix totius hujus doctrinæ . Nil est in potentia secundum actum , in quantum est actus ; sed anima secundum suam essentiam est actus : ergo secundum suam essentiam non est potentia . His addunt alii quartam : Si substantia animæ esset principiū immediatum operationis , ab hac specificaretur ; sed hoc est impossibile : ergo . Quinta . Respiceret operationem tamquam finem , quod etiam repugnat . Sexta . Virtus est qualitas determinata ad bene operandum ; sed anima non est hujusmodi qualitas : ergo non est virtus operativa . Septima . Esse , & operari creaturæ distinguuntur realiter ; ergo potentia ordinata ad esse , distinguitur à potentia ordinata ad operari ; sed substantia est potentia ordinata ad esse , virtusque operativa est potentia ordinata ad operari : ergo .

28. Ad primam respondeo , infra me explicaturum istud prolo- *In 1. diff. 7*  
quum , quod ante S. Thomam solus Averroes tradidit . Interim *g. 1. art. 2.* dico

dico ipsum S. Mágistrum alibi negavisse illud de actu , & potentia  
 activa , & in præsentiarum de sola potentia activa est sermo . Ad  
 P. Oviedo  
 controv. 3.  
 de anima  
 punct. 2. n.  
 22.  
 secundam nego sequelam , quia ut bene notat P. Oviedo , calor est  
 virtus immediatè operativa , & potentia ipsa intellectiva superad-  
 dita est quoque virtus immediatè operativa intellectionis , v. g. quia  
 propterea fint in continuo exercitio operandi . Adjunctam proba-  
 tionem distinguo cum Scoto . Aliud namque est , esse principium  
 immediatum vitæ in genere *causæ formalis* , aliud in genere *causæ effi-  
 cientis* : Ratio , ob quam habens formam vitæ , semper ac ipsam ha-  
 bet , est vivens , est , quia forma illa est principium immediatum vitæ  
 in genere *causæ formalis* , hoc est , per solam sui unionem cum ma-  
 teria ; quocirca eo ipso , quodd materia uniatur , dabitur compositum  
 vivens , sicut eo ipso , quodd albedo uniatur huic papiro , papirus est  
 alba . Non dicimus , substantiam esse in hoc genere principium im-  
 mediatum operationis . His preslus Cajetanus duo respondebat , Pri-  
 mum est , quod illa similitudo adducitur non ad probandum , sed ad de-  
 clarandum : ergo jam habemus confessione hujus præclari commen-  
 tatoris , paritatem formæ vitalis nil probare in re præsenti . Secun-  
 dum est , quod licet non sit simile quod genus *causæ* , est . tamen simile  
 quoad actum , vel potentiam . Sit ita ; verum quid refert ista similitu-  
 do , si est admixta patenti dissimilitudini , & quidem non aliò spe-  
 Etanti , sed ad rem præsentem pertinenti . Ad tertiam negat Scotus  
 majorem , cum quia potentia activa fundatur in actu , & ex hoc ipso  
 aliquis potest activè , quia actu est : ergo falsum est , nihil esse in po-  
 tentia secundum actum , in quantum est actus : tum quia habitus  
 animæ secundum idem sunt in actu , & potentia operativa ; nam  
 cum sint res simplices , nequit in eis poni distinctio duarum partium ,  
 quarum una sit actus , & altera sit potentia : ergo habitus est essen-  
 tialiter actus , siquidem est terminus generationis , & simul est po-  
 tentia , cum ordinetur ad ulteriorem actum , scilicet ad operatio-  
 nem : tum quia calor ipse , secundum suam qualitatem cumque essen-  
 tiam , est actus utpote terminus generationis : etiam secundum suam  
 essentiam est realiter potentia ; tum quia solidum est de ratione ulti-  
 mi actus , quodd non ordinetur ad ulteriorem actum in eo ordine ,  
 in quo est ultimus actus ; at forma est ultimus actus in ordine ad  
 compleendam materiam , constituendumque ens naturale , non vero  
 in ordine operativo : ergo quamquam nequeat esse potentia ordina-  
 ta ad ulteriorem actum completivum materiæ , esse valet potentia  
 ordinata ad ulteriorem actum operationis . Propter hæc crediderim ,  
 mar.

Scotus in  
 2. diff. 16.  
 quæst. 1.  
 Cajeta-  
 nus i. par.  
 q. 77. art.  
 .t

similitudo adducitur non ad probandum , sed ad de-  
 clarandum : ergo jam habemus confessione hujus præclari commen-  
 tatoris , paritatem formæ vitalis nil probare in re præsenti . Secun-  
 dum est , quod licet non sit simile quod genus *causæ* , est . tamen simile  
 quoad actum , vel potentiam . Sit ita ; verum quid refert ista similitu-  
 do , si est admixta patenti dissimilitudini , & quidem non aliò spe-  
 Etanti , sed ad rem præsentem pertinenti . Ad tertiam negat Scotus  
 majorem , cum quia potentia activa fundatur in actu , & ex hoc ipso  
 aliquis potest activè , quia actu est : ergo falsum est , nihil esse in po-  
 tentia secundum actum , in quantum est actus : tum quia habitus  
 animæ secundum idem sunt in actu , & potentia operativa ; nam  
 cum sint res simplices , nequit in eis poni distinctio duarum partium ,  
 quarum una sit actus , & altera sit potentia : ergo habitus est essen-  
 tialiter actus , siquidem est terminus generationis , & simul est po-  
 tentia , cum ordinetur ad ulteriorem actum , scilicet ad operatio-  
 nem : tum quia calor ipse , secundum suam qualitatem cumque essen-  
 tiam , est actus utpote terminus generationis : etiam secundum suam  
 essentiam est realiter potentia ; tum quia solidum est de ratione ulti-  
 mi actus , quodd non ordinetur ad ulteriorem actum in eo ordine ,  
 in quo est ultimus actus ; at forma est ultimus actus in ordine ad  
 compleendam materiam , constituendumque ens naturale , non vero  
 in ordine operativo : ergo quamquam nequeat esse potentia ordina-  
 ta ad ulteriorem actum completivum materiæ , esse valet potentia  
 ordinata ad ulteriorem actum operationis . Propter hæc crediderim ,

maximam illam S. Magistri tantum esse veram in sensu formalí, & præcisiyo, non in sensu reali.

29. Ad quartam respondeo, substantiam specificari *extrinsecè* ab operatione, quatenus ex hac devenimus in cognitionem specificæ activitatis substantiæ: ad modum, quo ex operationibus Divinæ omnipotentie assurgimus aliquando ad majorem ipsius cognitionem; non autem specificari *intrinsecè* (& hoc solum esset absurdum) quoniam substantiam specificari *intrinsecè* ab operatione consistet in eo, quod operatio esset differentia specifica, qua ignis v. g. constitueretur in esse ignis potius, quam in esse aquæ, quo modo homo constituitur per rationalitatem in sua specie, atque idcirco à rationalitate specificatur *intrinsecè*: at ex eo, quod substantia sit immediate operativa, non sequitur constituendam iri per operationem in sua specie: ergo. Ad quintam dico, substantiam respicere operationem, tamquam finem medium, ordinatum scilicet ad ulteriorem finem, idest, ad eam aliam substantiam, quæ producetur; non autem respicere illam tamquam finem ultimum. Ad sextam respondeo, aliud est virtus moralis, aliud virtus physica, seu activitas, fœcunditas, visque ad physicè operandum. Illa est qualitas determinata ad bene; verum non dicimus, substantiam esse virtutem moralem; hæc autem solummodo est vigor, seu capacitas ad operandum bonum, aut malum effectum, & non est qualitas determinata ad bene, alioquin Divina omnipotentia, quæ est infinita virtus operativa, esset absolutè determinata ad operationes externas. Ad septimam respondeo, consequens supponere falsum, quippe distinctionem supponit inter essentiam, & existentiam, de quo postea, & insuper non inferri ex antecedenti, quoniam bene stat, duo inter se distingui realiter, & tamen quod unum, ideinque ad illa ordinetur: sic terminus, & sua actio productiva distingui solent mutuò, & eadem causa necessaria, quæ *intrinsecè* ordinatur ad unum, seu connectitur cum uno, connectitur cum altero.

30. Multus est Eximus Doctor in probando, potentias ad operationes accidentarias distingui realiter à substantiis creatis, quod assumptum fusè ostendit in libro de anima, & in metaphysicis disputatiis supra citatis. Fatetur, substantiam esse principium, quo, immediate operativum aliis substantiæ, eo quod solum accidens nequeat substantiam producere; dissitetur autem, potentias animæ identificari cum ea. Primum fundamentum est authoritas Dionisii, Augustini, Anselmi, & Scripturarum innuentium distinctionem potentiarum inter se,

P. Suarez  
supra.

se , atque ab anima , quas Patrum sententias producit P. Vasquez . Respondeo ex his modis loquendi , non satis firmum sumi argumentum , quoniam non semel loquimur omnes de rebus simpliciter identificatis , tamquam de rebus distinctis : sic dicimus *multa attributa* esse in Deo , ut Sapientiam , Immensitatem , & alia , cùm tamen pressè , & rigorosè loquendo non sint *multa* , sed *unum* quid simplicissimum ; & indivisible . Similiter frequenter ajunt , vel Scholastici ipsi , quorum locutiones strictioribus adstringuntur legibus , hominem constare duobus prædicatis , *Animal* , scilicet , & *Rationale* ; cùm re ipsa non sint duo , sed *unum* : ergo ex his modis loquendi , etiam Scholasticorum , nequit efficax confici argumentum , ad probandum reciprocam distinctionem eorum , de quibus sermocinamur . Rationem sapienter 1 p. q. 15. protulit S. Magister Thomas , quia sic nominamus aliquid , sicut cognoscimus illud ; at plerūmque formalitates realiter identificatas cognoscimus , ut distinctas , propterea quod ratione nostra illæ distinguuntur : ergo plerūmque nominamus , ut distinctas formalitates realiter identificatas : ergo ex his , vel illis phrasibus non concluditur distinctio realis ; quo circa concedo , Patres istos loqui de anima , & hujus potentiiis , tamquam de rebus distinctis ; sed nego , eas esse à parte rei distinctas . Solùm igitur distinguuntur per rationem , quatenus neque hoc expressio *Intellectus* ostendit nobis identitatem potentiarum intellectivarum anima , aut voluntate ; neque vice versa , juxta generalia principia identitatis , atque distinctionis formalis , quæ disp. 1. Logicæ damus .

31. Secundum fundamentum est , elegans quædam induc̄tio , qua ostendit Cœlum , Elementa , Mixta , Viventia , & Animam ipsam mediis potentiiis , & qualitatibus superadditis operari proprios effectus accidentales , quam inductionem amplificat disputatione citata metaphysicorum num. 13., & tandem concludit num. 22. , operationes quoque spirituales procedere ab anima beneficio potentiarum distinctum . Duplex est responsio . Prima : ista omnia operantur mediis aliquibus potentiiis superadditis , quia fundamentum datur ad probandum , potentias illas distinguiri à substantia operante , vel quia procedunt ab hac , ut lux , & calor à substantia solis : vel quia constat , separabiles esse ab eis substantiis : sic experimur calorem sine igne , & gravitatem in accidentibus consecratis absque substantia panis , & vini . Ast unde constat , potentias animæ produci ab hac efficienter , aut esse ab illa separatas ? Ubinam gentium experti sumus intellectum , aut voluntatem animæ sine anima ? ergo ratio , quæ suadet veritatem inductionis , non suadet veritatem consequentis inde illati .

Se-

Secundus est, unde constat, omnia ista accidentia, quorum interventu operantur istae substantiae, esse virtutes per se immediatè effectivas istarum operationum? Cur non sunt aliqua ex illis, dispositiones mere prærequisitæ, ut substantia ipsa illos effectus producat, quemadmodum applicatio localis, siccitas, decretum applicativum omnipotentiaz, & alia multa sunt dumtaxat conditiones, sine quibus ignis non producet aliud ignem citra influxum strictum causæ efficientis illis attribuendum: quod si hoc concesseritis; idem dicemus de anima, indigere nimirum ad intellectionem, & amorem quibusdam certis accidentibus (puta specie impressa respectu cognitionis, & cognitione respectu amoris) non tamquam potentii, virtutibusve immediatè operativis; sed tanquam conditionibus dumtaxat, & prærequisitis, sine quibus non valet operari anima.

### §. II.

32. **T**ertium est. Diversitas operationum, quæ diversas potentias efflagitare videtur. Nam 1. ubicumque operatio intellectualis est accidentalis, magna datur diversitas in operationibus illius gradus: ergo cum substantia creata sit per se indifferens ad has operationes, verosimilius est ad illas determinari per proprias facultates, & potentias. 2. Magna datur distantia inter substantiam animæ, & intellectionem purè accidētalem: ergo conjungi nequeunt nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est potentia accidentalis. Et ideo, quia sola substantia infinita omnem vincit distantiam, atque improportionem, idcirco sola illa est per se sufficiens ad hujusmodi operationes. 3. Anima indiget aliis comprincipiis accidentalibus, ut speciebus intentionalibus, & habitibus: ergo indiget virtute accidentalí superaddita proportionatâ operationi accidentalí. 4. Virtus intelligendi, & amandi est per se primò ordinata ad has operationes accidentales: ergo ab eis sumit speciem: ergo est accidentalis; atqui anima est substantialis: ergo est distincta ab eis virtutibus. 5. Anima per suammet entitatem substancialē informat corpus, sed non per intellectum, & voluntatem, quia haec potentias ideo non sunt organicas, quia materiam non informant: ergo entitas animæ distinguitur ab intellectu, & voluntate. Si medium assumptum, & adjunctæ probationes rem evincerent, diceremus, intellectum quoque operari media virtute superadditâ, & materiam primam recipere formam, mediā potentia superadditâ, quoniam etiam intellectus indifferens est

est ad procreandas, & recipiendas multas intellectiones; etiam eget comprincipiis accidentalibus ad eas producendas; etiam multa perfectione superat unamquamque seorsim cognitionem, quia multa poterit activitate ad multis cognitiones eliciendas: ergo valde distat ab unaquaque seorsim: ergo excogitare oportet aliud tertium, quo impropositio hæc, atque distantia mitigetur. Ad argumentum igitur nego consequentiam. Ista quippe indifferentia abiicitur per speciem intentionalem, habitum, imperium voluntatis, & cætera comprincipia, influxura in intellectionem, quemadmodum per hæc eadem comprincipia tolleretur similis indifferentia, quam haberet intellectus superadditus.

33. Ad secundam nego consequentiam: quia magna quoq; datur distantia inter virtutem universalem omnia intelligendi, & unam individuam cognitionem obscuram, ac imperfectam; & tamen non admittit aliam, quasi reflexam, virtutem conjungentem extrema distantia hujus. Suppar est distantia, inter substantiam animæ, & istum intellectum accidentalem superadditum, quin propterea, ut ille resultet ex anima, sitque hujus proprietas, ponatur aliquod medium, in quo coéant. Ratio est. Tota ista distantia, neque est localis, neq; mutua repugnantia, sed unicè consistit in eo, quod substantia animæ multò perfectior sit operatione intellectuali; sed nullum est inconveniens in eo, quod res multò perfectior, & finita sit virtus immediatè produc-tiva rei imperfectioris, ut constat in ipso intellectu superaddito: ergo. Si malueris, dicio istam distantiam coarctari, atque proportionari virtute accidentaria, non quæ sit potentia intellectiva, sed quæ sit species, habitus, aut aliud ex comprincipiis, quibus eget intellectus ad eliciendum cognitionem. Ad tertiam nego quoque consequentiam. Ratio enim, quæ probat, ista principia recensita distingui ab anima non militat distinctioni intellectus ab illa. Nam ideo anima eget species, quia, cùm per se indifferens sit ad cognoscendum, ab illis solis determinatur ad primam cognitionem: & ideo sunt distinctæ ab anima, quia hæc multo tempore existit absque illis: & ideo sunt accidentales, quia distinguuntur adæquatè à supposito. Ast quando existit anima absque intellectu? Ad quartam, permisso antecedenti, distinguo primum consequens, ab eis sumit intrinsecè speciem; nego: extrinsecè; permitto. Recognosce similem solutionem datum simili argumento num. 29. Ad quintam distinguo minorem, non per intellectum, & voluntatem in sensu reali; nego minorem: in sensu formali, & ratione nostra; concedo. Cùm memoria, intellectus,

Intellectus, voluntas, & anima idem sint à parte rei, contingere nequit, quod à parte rei informet unum, & non alterum. Ceterum cum apprehendamus has potentias instar ramorum ex anima pullulantium, subindeque instar rerum distinctarum, datur locus, ut animam apprehendamus esse formam corporis, secùs intellectum, & voluntatem. Cumque ulterius res nominemus, sicut eas apprehendimus, prout supra docuit B. Thomas, inde fit, quod animam, & hujus potentias nominemus prout distinctas: sapientis autem est non trasfundere imperfectos, atque inadæquatos nostros modos apprehendendi ad objectivas realitates.

34. Quartum fundamentum est, neminem terminorum gnatum dicere, intellectum amare, voluntatem intelligere, alterutram olfacere, videre, audire &c. Signum ergo est, has potentias reciprocâ fungi distinctione. Sic etiam argumentatur Eminentissimus P. Toledo cum PP. Conimbricensibus. Rursus habitus eas potentiæ juvantes sunt quoque diversi, quoniam habitus fidei non datur voluntati, sed intellectui; è contrario habitus charitatis voluntatem elevat, non intellectum. Præterea si intellectus, & voluntas essent idem, actus intellectus foret actus voluntatis, imò & esset actus potentia visivæ, necnon visio corporea esset actus voluntatis; sed hoc est apertè falsum: ergo. Demum intellectus esset potentia immediatè libera, non secùs ac voluntas, quod sanè cordatus nemo dicet. Respondeo, vel procedit res in sensu reali, materiali, atque identico; vel in sensu formalis, præcisivoque, juxta quem loqui sollemus? Si primum; eum res eadem, quæ est intellectus, sit voluntas, potentia visiva, auditivaque radicaliter, citra omnem capacitatem suscipiendi contradictoria, palam fit, quod in sensu reali, materiali, ac identico, intellectus amat, videt, audit, est immediatè liber ad actus quosdam, nimirum ad amorem, odium, & similes: at verò, quia ut supra audivimus à S. Magistro, loquimur de rebus, sicuti eas cognoscimus, & has potentias agnoscimus per species distinctarum rerum; idcirco superiores locutiones accipiendas sunt in sensu formalis, & præcisivo; in hoc autem sunt falsæ, nec earumdem veritas deducitur ex nostra conclusione, quoniam intellectum in sensu formalis, & præcisivo amare, videre, esse immediatè liberum, elevari per habitum charitatis, & similes alias subire denominationes, staret in eo, quod expressio hæc *Intellectus* nobis patefaceret vim in suo objecto ad amandum, videndum &c. Identitas quippe, & distinctio formalis, seu rationis consistunt totæ in foliis nostris cognitionibus,

nunc obscuris, nunc claris juxta illa, quæ Disp. I. logice dicemur: quapropter propositio omnis, quæ affirmat, vel negat modò identitatem, modò distinctionem rationis, est propositio reflexa, alludens ad expressionem propriam illius subjecti, de quo fuerit sermo; at quamquam omnes dictæ potentiaæ sunt realiter vauum quid, nihilominus expressio hæc *Intellectus*, seu hic terminus mentalis non patefacit nobis in ipso intellectu, qui est suum objectum, vim ad amandum, videndum materialiter &c. quemadmodum licet Animal, & rationale sint unica essentia à parte rei, nihilominus hic terminus *Animal* non aperit nobis per se præcisè in suo objecto capacitatem ad ratiocinandum, sed rationibus aliis nobis constat de hac capacitate: ergo quamquæ omnes dictæ potentiaæ sunt unum quid, falsum tamen est dicere in sensu formalí (quo frequentissimè utimur inter loquendum) intellectum amare, voluntatem intelligere &c. nempe quia ubi invenitur sensus formalis, tota res consistit in cognitionibus, & quamvis objecta sint idem, cognitiones, termini, seu expressiones sunt diversæ. Ob eamdem rationem dicere nequimus verè, actum intellectus esse actum voluntatis, aut viceversa, etiam cognitiones omnes immediatè nascantur à voluntate in sensu reali, & volitiones ab intellectu: quoniam phrasis hæc *Aetus intellectus* supponit in communī loquendi modo (quem intelligere, non autem corrigere tenetur) pro solis cognitionibus; hæc vero *Aetus voluntatis* pro solis affectibus prosecutivis, aut aversivis; sed quamvis intellectus, & voluntas sint idem; cognitiones tamen non sunt affectus: scilicet quia eadem simplex potentia habere potest actus realiter distinctos: ergo quamvis intellectus, & voluntas sint idem; actus tamen intellectus in communī loquendi modo non est actus voluntatis. Sic licet Animal, & rationale sint idem, sensatio non est ratiocinatio, idest connotatum Animalis, non est connotatum rationalis. Sic licet potentia apprehensiva, judicativa, & discursiva sunt idem (non enim subdividitur realiter intellectus in trinam aliam potentiam) nihilominus actus potentiaæ apprehensivæ, idest simplex apprehensio, non est actus potentiaæ judicativæ, hoc est judicium. Sic demum, tametsi potentia ad amandum, & potentia ad odium sint eadem; actus tamen potentiaæ volitivæ non est actus potentiaæ aversativæ, quippe amor non est odium. Neque ulla hinc sequitur contradic̄tio plusquam merè apparens, quæ viros perterrificando impar est, cùm sola terminorum explicazione evanescat. Oportet itaque terminos reflexè introspicere, ne in discursu, sicut in

## Objectiones.

23

in primis apprehensionibus, deceptionem patiamur.

35. Quintum fundamentum est. Sensationes materiales, ut potest actiones immanentes, atque vitales recipiuntur in potentiis sibi respondentibus; ergo si omnes haec identificantur cum anima, recipiuntur esse sensationes in sola anima: ergo essent spirituales, cum indeperderent a corpore tamquam a subiecto. Confirmatur 1. quod res imperfectior fuerit, eò majorem compositionem habet; sed rationalis animus imperfectior est Angelo: ergo majorem compositionem habere debet; at nisi distinguatur a suis potentiis non habebit majorem compositionem: ergo distinguitur. 2. Non sunt agglomerandæ in entitatibus modò existentibus perfectiones temeræ; sed animam esse per se solam, virtutem ad tot operationes, quot habet, grandis est perfectio: ergo non est dicendum, illam identificari cum hac activitate, nisi praesens urgeat ratio; atqui non urget; ergo. 3. Si anima identificaretur cum suis potentiis non esset limitata, & terminis circumscripta; proprium namque est solius infinitudinis divinae esse per se virtutem ad omnia: ergo. 4. Nihil materiale identificari potest cum re spirituali; at potentiae omnes materiales, ut visiva, auditiva, locomotiva, & alia id generis, sunt materiales: ergo identificari nequeunt cum re spirituali, qualis est anima rationalis. 5. Si anima identificaretur cum suis potentiis, cucus non careret potentiam visivam, ut patet; sed illa caret, alias videre posset: ergo. Sic argumentatur P. Toledo. 6. Diversa organa, ac <sup>P. Toledo</sup> dispositiones poscent una potentiam, ac alia: ergo potentiae ipsæ sunt <sup>quaest. 9 de</sup> distinctæ: ergo non identificantur cum anima eadem. Confirmatur primarium assūptum a P. Aldrete. Si anima non juvaretur <sup>P. Aldre-</sup> potentiā naturali superadditā, majore conatu elicet actus natura-<sup>se disps. 50</sup> les, quam supernaturales; sed hoc est, falsum, quia numquam ex-<sup>de Incarn.</sup> perimus distinctionem inter utrosque, sed solidum propter majorem, <sup>scilicet 3. nro.</sup> atque minorem intensionem agnoscimus majorem, & minorem co-<sup>14.</sup> natum: ergo. Probat majorem: majore conatu elicet anima actum illum, quem se sola absque juvamine potentiae superadditæ producit; quam illum, ad quem concurrit adiuta, & confortata per habitum infusum, qui dat simpliciter posse; atqui si anima non juvatur potentiam naturali superadditam, elicet actum naturalem se solâ absque juvamine aliis potentiam supernaturalem vero adiuta per habitum infusum: ergo si non juvat potentiā naturali superadditam, majore conatu elicet actus naturales, quam supernaturales.

## §. III.

36. **A**D objectionem distinguo consequens; si haec omnes identificarentur adæquatè cum anima, sensationes materiales recipieren tur in sola anima; concedo: si identificarentur inadæquatè solum; nego. Aliud est, præfatas sensationes recipi *in anima*, aliud recipi *in sola anima*. Si recipieren tur in sola anima, non essent materiales: verum id non contingit; quoniam, ut supra diximus, potentia materiales passiva identificantur inadæquatè solum cum anima; adæquatè autem cum anima, & materia. Recipiuntur itaque in anima, & materia, quia utriusque uniuntur, & fundamen tum non adest, ut distinguamus hic subiectum unionis à subiecto receptionis. Porro hæc receptio inadæquata in anima sufficit, ut sint immanentes, quoniam immanentia conceptus receptione contentus est in eo composito, quod est, & denominatur vivens, atque operans; at quamquam recipientur inadæquatè hæc sensationes in anima, recipiuntur adæquatè in homine, qui est compositum illud substantiale, quod est, & denominatur vivens: ergo quamquam recipientur inadæquatè solum in anima, retinent conceptum immanentia. Præterea similis receptio inadæquata in materia sufficit, ut sint materiales; similis autem receptio in anima non sufficit ut sint spirituales, quia, ut dicam Disp. IV. Logicæ capite de quantitate. Conceptus, seu ratio corporeitatis, atque materialitatis consistit in tali ordine intrinseco, vel identitatis, vel unionis, vel receptionis cum impenetrabili, itaut sine miraculo res nequeat illo orbari; conceptus autem spiritualitatis consistit in eo, quod intrinsecè habeat res nullum ex illis respectibus; at eo ipso, quod sensationes materiales suæ naturæ exigant recipi, licet inadæquatè in materia, habent aliquem ex prædictis ordinibus; & non eo ipso, quod recipientur inadæquatè in anima, carent illis, ut patet: ergo eo ipso, quod recipientur inadæquatè in materia, sunt materiales; & non eo ipso, quod inadæquatè recipientur in spiritu, sunt spirituales. En rationem, ob quam operatio spiritualis, nec inadæquatè potest connaturaliter recipi in materia; operatio vero materialis potest inadæquatè sustentari à spiritu; nempè quia, si operatio spiritualis conaturaliter recipieretur in materia, saltem inadæquatè, haberet memoratum ordinem intrinsecum ad impenetrabile, sed in eo ordine stat ratio materialitatis; ergo operatio spiritualis haberet rationem materia.

zialitatis. Cæterum licet operatio materialis inadæquatè recipiatur in subjecto spirituali, potest simul recipi inadæquatè in materia: ergo retinebit conceptum materialitatis: ergo non erit spiritualis: si quidem spiritualitas non consistit in ordine intrinseco ad spiritum; sed in positiva resistentia ordinis, seu respectus intrinseci ad impenetrabile.

37. Major primæ confirmationis in sensu universalis falsa est; Materia namque imperfectior est homine, & minorem nihilominus compositionem habet, quam homo: nam hic partibus essentialibus, & integrantibus componitur, & illa solis integrantibus. Punctum item indivisibile quantitatis neutram habet compositionem, & homo multò perfectior utramque. Distingue illam si malueris, & concede; si cætera sint paria: nega; si dispara: in præsenti dispartia sunt; Angelus namque est substantia completa, neutiquam dependens à corpore, magno fruens acumine ad intelligendum; anima verò est substantia incompleta dependens à corpore, quatenus propria est ex se in unionem cum hoc, & mediocriter intellectiva. Ad secundam respondeo, nos jam exhibuisse supra fundamentum haud spernendum, ut probaremus animam, præscindendo à quibusvis potentiis superadditis esse, virtutem productricem actuum eorum, per quos vivit. Ad tertiam, quam merito respuit ipse P. Suarez, respondeo cum eodem negando antecedens, & adjunctam probatio. *P. Suarez* nem, quæ, si esset solida, inferret, non modò substantias de facto *disput. 18.* existentes distingui à suis potentiis; sed etiam repugnare creaturam *Metaph.* *set 3. nu.* immediatè per se operativam, *quod tamen*, ait, *difficile suaderi*, aut *16.* *probari potest*. Imò cùm potentia ipsa superaddita in sensu composite limitationis propriæ creaturarum, sit virtus per se immediatè operativa, nescio, quo jure tam constanter asseverant aliqui, limitationem propriam creaturarum collapsamiri, si substantia per se, immediatè operetur. Philosophica ratio est. Radix limitationis propriæ creaturarum stat in eo, quod creatura quævis dependeat ab alio quoad suam essentiam, & in suo esse, conservari, & operari, certosque limites habeat sua fœcunditas, ultra quos operari nequeat; sed quamvis res aliqua identificetur cum sua virtute operativa, depeadet nihilominus à Deo in suo esse, conservari, & operari, certosque limites habet, ultra quos operari nequit, ut constat in potentiis ipsis, quas superaddunt Adversarii: ergo quamquam res aliqua identificetur cum sua virtute operativa, conservat radicem limitationis creaturarum. Ad quartam respondeo, nil entitative in se ipso

materiale posse identificari cum re spirituali ; aliquid tamen effectivè solùm , & per locutionem figuratam , materiale posse identificari cum subiecto spirituali , idest , posse spirituale esse illud , quod aliquem , vel aliquos habet effectus materiales , Potentiae , quæ dicuntur materiales , non sunt tales entitativè in se ipsis , sed effectivè dumtaxat , quatenus actus eorum sunt materiales , quo circa hæc locutio , *Potentia visiva est materialis* , figurata est , tribuens causæ nomen effectus . Hæc dixerim de potentia visiva sumpta radicaliter , seu in actu primo remoto ; sumpta vero in actu primo proximo , cùm importet quædam organa , certasque corporeas dispositiones , est materialis entitativè ; ast hoc modo accepta non identificatur adæquatè cum anima .

38. Ad quintam respondeo , quemadmodum stolidus non caret potentia intellectiva radicali , & remotâ ; sed tantum proximâ , eo quod orbatus sit dispositionibus quibusdam necessariis in cerebro ad intelligendum , atque id circa captus mente dicitur : ita cæcus non caret potentia visivâ radicali , & remotâ , quæ est sola anima ; sed proximâ , & expeditâ , quia caret eâ organorum dispositione , quæ ad videndum desideratur . Unde solùm concludes , potentias proximas , atque expeditas non identificari adæquatè cum anima . Ad sextam nego consecutionem . Diversitas organorum , atque dispositionum præviarum tantummodo arguit diversitatem operationum , sicut & diversitas rationum formalium ; operationum autem diversitas non infert distinctionem potentiarum : alioquin cùm apprehensio , judicium , & discursus sint operationes distinctæ ; opus esset potentiam ipsam intellectivam in trinam aliam secare : insuper cùm amor , & odium sint quoque operationes distinctæ , possemus voluntatem in duas alias potentias subdividere . Igitur eadem indivisibilis anima oculorum fabricâ indiget ad eliciendum visionem , auribus ad audiendum , cerebro ad intelligendum , corde ad amandum , & prodiversitate operationum diversa organa , diversa comprincipia , diversaque dispositiones prævias efflagitat . Similiter juxta operationum diversitatem diversa poscit objecta formalia . Objectum ergo formale animæ prout assentientis , est sola veritas ; prout dissentientis , falsitas ; prout videntis , lux , & color ; prout audientis , sonus ; prout amantis , bonitas ; prout detestantis , malitia : quæ omnia si ad rigorosum , & magis pressum revoceant sermonem , non aliud significant , quædam operationes has realiter ad invicem distinctas , diversas innuerint rationes formales . Arduitas , quæ illicet sese offert , fundatur partim in usu frequente locutionum conniventium distinctioni poten-

tentiarum, partim in eo, quod loqui solemus consentaneè ad apprehensionem; apprehendimus per potentias, ut distinctas inter se, atque ab anima. Ad septimam respondeo negando majorem, cuius probatio, si peremptoria esset, convinceret, voluntatem quoque ipsam realiter distinctam ab anima majore conatu elicitarum actus naturales, quam supernaturales, quoniam illos producit absque superaddita virtute, hos, adiuta, & confortata per habitum elevantem.

39. Directa solutio est. Iste terminus, *major conatus*, aut significat majorem intensionem, vehementiamque affectus; aut majorem defatigationem, laboremque in ipso efficiendo? Si primum; cur intensius operatura est Anima sola, quam adiuta per aliud intensiō nem non remorans? Potius videtur dicendum oppositum, nimirum animam vehementius operaturam, dum per aliud confortatur, quam dum sibi soli relinquitur. Sed neque hoc verum est simpliciter, cum intensio, & remissio actus liberi à sola libertate determinatur. Si secundum; falsum quoque est, animam laboraturam magis in actu naturali, quam in supernaturali: nam tunc solū magis fatigatur, qui operatur solus, quam qui operatur adiutus, quando ille habet ex se vires adæquatas ad faciendum utrumque, id est, quando se solo potest facere id, quod facit solus, & id, quod facit adiutus ab alio. Sic quia solus moveare possum pondus A. ut quatuor, & etiam pondus B. ut quatuor, minùs fatigabor pondere A, quam pondere B, si alias mihi opituletur, ut moveam pondus A., & nemo, ut moveam pondus B: Attamen si habet vires adæquatas ad faciendum, quod facit solus, & non ad faciendum id, quod facit simul cum alio, tunc necesse non est, laborare plus, dum operatur solus, quam dum habet coadjutorem: sic meis solis viribus submoveare valeo pondus ut duo; secùs pondus ut octo: ergone amplius fatigabor, quando solus moveo pondus leve, ut duo, quam dum moveo simul cum coadjutore pondus grave, ut octo? Hoc impræsentiarum: Anima solis suis viribus (subintellige reliqua comprincipia) producere potest actu naturalem, non tamen supernaturalem: ergo immerito dicitur plus laboratura in actu naturali, quia sola eum producit, quam in supernaturali, in quem influit adiuta per habitum infusum.



CA-

## CAPUT QUARTUM.

*An, & qua ratione, Actus, & Potentia debeant esse in eodem genere?*

12. Met. 40.  
xx.26.



Enerantur quidam hoc Adagium, tamquam primum in Metaphysica principium, auctoritate Philosophi, ut sibi videntur, impulsi: sed abs jure: quoniam ille non scripsit actum, & potentiam esse in eodem genere; sed, *Alio etiam modo principia sunt proportione eadem, ut actus, & potentia; verum bac, & alia sunt in aliis, & modo alio.* Actum autem, & potentiam esse eadem secundum proportionem, seu quamdam comparationem, (ut bene exponit ibi P. Fonseca) non est formaliter esse in eodem genere; sed ita se invicem comparare, ut unum perficiat alterum, quod sane stare potest, quamquam sint in diverso genere; alias substantia per nullum accidens posset perfici, cum sint in diversis generibus. Confirmatur: ibidem textu 28. ait Philosophus, *quamquam & hoc modo sunt eadem (intellige elementa, seu principia omnium) ex proportione, quod sunt materia, forma, privatio, & movens: ergo etiam haec quatuor sunt apud illum idem secundum proportionem; & tamen non sunt in eodem genere, ut satis constat: ergo eum dixisse, actum, & potentiam esse idem secundum proportionem, non satis firmum fundamentum est ad dicendum, eum docuisse, potentiam, & actum esse in eodem genere.*

Fateor Commentatorem ansam hinc arripuisse, ut scribebat, *Potentiam ad unumquodque praedicamentum esse in illo genere praedicamenti, in quo est actus:*

S. Met. com. 9. *Et rursus alibi, Potentiam, & actum esse differentias, quae ma. com. 6. contingunt omnibus praedicamentis.* Unde colligunt, quod sicut in singulis praedicamentis est propria forma, seu actus: est quoque propria potentia, proindeque actum, & potentiam esse in eodem genere. Ceterum Mahumetanus non est Author Canonicus: Scribat Ayerroes

p. 1. q. 77. *quod volet; Aristoteles doctrinam istam non tradidit.*

art. 1. 41. Invalescere cœpit hoc axioma simul ac S. Magister Thomas Scotus in usus fuit illo. Cum potentia, inquit, & actus dividant ens, & quodlibet

2. dis. 16. genus entis; oportet, quod ad idem genus referantur potentia, & actus.

gu. 1. P. Oviedo Acriter refellit Scotus hanc propositionem in sensu, quem præse-

contr. 3. de runt verba, quem ex nostris sequitur P. Oviedo. Addit Scotus, illam

anima p. 2 veram esse de sola potentia objectiva, quæ est differentia entis; falsam

num. 22. autem

autem de potentia receptiva, & activa, quod validis firmat rationibus, à quibus ut se tueatur Cajetanus scribit, axioma intelligendum esse de potentia essentialiter ordinata ad actum, sive receptiva sit, sive activa, & Aristotelem appellat; sed immeritd, ut nuper ostendimus,

Cajetanus  
l.1. qu.77.  
art.1.

& planum fiet legenti prædictos Metaphysicorum textus. Eximius Doctor discernens inter potentiam per se primò ordinatam ad actum, & potentiam non sic ordinatam, docet, hanc non constitui necessariò in eodem genere cum actu: illam ulteriùs dividit in potentiam acti-  
vam, & passivam, ambas, inquit, debere esse in eodem genere cum  
actu, non in fieri, sed perfectè, ac consumatè existente: sed cum hoc  
discrimine, quod potentia passiva sit in eodem genere strictè, ac rigo-  
rosè, id est in eodem prædicamento, & in eodem genere illius prædi-  
camenti. Denique ipse B. Thomas contentus distinctione inter po-  
tentias activas, & passivas scribit alibi. *Non oportet, quod in eodem ge-*  
*nere posatur potentia, & actus, præcipue de potentiis activis.* Revocatis  
in memoriam divisionibus actus, & potentiarum datis ab initio hujus di-  
sputationis, addo, genus, & potentiam bifariam esse posse in eodem  
genere 1. formaliter. 2. æquivalenter, & virtualiter, quatenus cùm re  
ipsa non sint ejusdem generis, perinde tamen se habent in ordine ad  
hoc, vel illud munus, ac si ejusdem essent generis: sic quæ distinguuntur  
virtualiter, talia sunt, ut cùm verè, & formaliter non distinguantur,  
perinde se habent in ordine ad hoc, vel illud, ac si distingueren-  
tur. Præterea cùm sint genera in triplici differentia, infimâ, mediâ, &  
supremâ; tripliciter potest intelligi, actum, & potentiam esse in eo-  
dem genere, vel infimo, vel medio, aut subalterno, vel supremo.  
Rursus cùm genus supremum apud unos sit sola substantia, apud  
alios sit ens reale; quando actus, & potentia dicantur esse in eodem  
genere supremo, potest id intelligi, vel de solo genere entis realis, vel  
etiam de genere substantiarum. Insuper actus capi potest, vel pro solo  
exercitio actuali absoluto, & immediato potentiarum, vel pro termino  
ipso distincto ab illo exercitio: sic potentiarum activarum actus potest vocari  
sola productio termini, vel etiam terminus ipse ut distinctus à sua  
productione: similiter actus potentiarum passivarum potest dici forma ipsa,  
quæ recipitur, vel sola unio, aut eductio, quæ est formale, atque im-  
mediatum exercitium recipiendi.

42. Dico primò. Si de actu, & potentia logicis, seu objectivis  
sermocinemur, illa sunt in eodem prædicamento, & genere illius  
prædicamenti strictè, ac propriè. Ita Scotus ubi supra. Nam quæ rea-  
liter, simpliciter identificantur, spectant in sensu directo, ac primo

in.

Y

intentionali ad idem omnino genus; at actus, & potentia logica realiter simpliciter identificantur, quia id intelligimus communiter eis terminis. Potentia logica ad rationalitatem est capacitas, ut res sit rationalis: actus logicus est, ipsam esse rationale; illa autem capacitas est hoc esse: ergo in sensu directo, primoque intentionali spectant ad idem genus: quamobrem si actus sit substantia; potentia quoque: si actus fuerit qualitas; potentia quoque, & sic in ceteris. Dixi in sensu directo, & primo intentionali, quoniam in sensu reflexo, secundoque intentionali, possunt formalitates identificatæ spectare ad diversa prædicamenta. In hoc quippe sensu non attenditur, quid res sint in se ipsis, sed quid apparent esse; at licet in se ipsis identificatæ sint, apparent possunt, ut distinctæ, subindeque datur locus, ut apparent spectantes ad diversa prædicamenta: ergo quamquam sint in se ipsis identificatæ, attamen in sensu reflexo, ac secundo intentionali pertinere possunt ad diversa prædicamenta. Sic Petrus sub hoc conceptu *Homo* spectat ad prædicamentum substantiæ; sub hoc autem *similis Joanni in natura* ad prædicamentum relationis. Sic admissa identitate actionem inter, ac passionem, una eadem objectiva realitas constituit diversa prædicamenta, diversa, inquam, ratione nostra. Sic pariter Animalitas hominis sub hoc conceptu *Animal* est genus, sub hoc *Rationale* est differentia, sub hoc *Homo* est species, quæ citra dubium sunt prædicabilia logicè distincta. Fundamentalis ratio multarum convellens æquivocationum radicem hæc esto. Duo in Scholis frequentes sunt modi loquendi plurimè diversi: unus directus primò intentionalis, proprius Physicorum, & suppositioni personali innoxius: alter reflexus, secundò intentionalis, Logicorum proprius, & suppositione simplici affectus. Ille aperit nobis realites objectivas, ut sunt in se ipsis à parte rei, præscindendo signatæ, & objectivæ à nostris modis accipiendi. Hic proponit nobis signatæ, aut exercitè (quod secundum non raro contingit) res, ut apparentes per hos, vel illos actus intellectus. Hinc 1. frequens inter disputandum æquivocatio, dum arguens sequitur unum sensum, & respondens ad latibula confudit alterius, quo sit, ut inanes ictus æri infligant. Hinc 2. ex veritate, aut falsitate unius modi loquendi, perperam deducitur veritas, aut falsitas alterius, quia res ipse in se ipsis distinguuntur realiter ab expressionibus, conceptibusque illas representantibus; res vero prout à nobis cognitæ, & prout subsunt huic, vel illi conceptui, has expressiones, & conceptus reduplicant: ergo reduplicant aliquid realiter distinctum à rebus ipsis objectivis; ergo ex eo, quod aliquid con-

veniat, vel non conveniat rebus, prout sunt in se ipsis, malè deducuntur idem convenire, aut non convenire eisdem, prout sub hoc, vel sub illo conceptu.

43. Dico 2. De quibuscumque actibus, & potentiis physicis, & realibus sermonicemur, illa debent esse in eodem genere universalissimo entis: Realis namque actus, realisque potentia apta sunt ad existendum in rebus: ergo sunt entia realia. Secundum dicendum de actu proprio, & negativo, qualis est privatio lucis v. g. quia subjectum potens privari luce est ens reale; privatio autem ipsa pro ut includens carentiam est purum nihil: ergo non sunt in eodem genere entis realis. Dico 3. si sermo fuerit de actu, & potentia, constituentibus unum per se, debent esse in eodem universalissimo genere, sive actus sit, ut *quod*, sive ut *quo*; non vero in omni eodem genere: id est, debent esse in eodem praedicamento, sed non in eodem genere ejusdem praedicamenti. Prima pars est firmior intelligentia memorati proloquii, & probatur facile. Omnia, quæ sunt substantia, debent esse in eodem genere universalissimo, seu in eodem praedicamento: sunt enim in praedicamento substantiae; at omnes actus, & potentiae constituentes unum per se sunt substantiae. Probatur: omnia, quæ intrinsecè constituent compositum substantiale, sive quæ ens naturale præcisè, sive quæ suppositum, sunt substantiae (nullum enim compositum substantiale, præcisè ut tale constituitur intrinsecè per ullum accidens, juxta communem vocum acceptiōnē; illud namque, in quo imbibitur accidens, non vocatur compositum substantiale, sed accidentale) at omnia, quæ constituent unum per se, constituent compositum substantiale, quia unum per se, ac compositum substantiale sunt terminai convertibiles: ergo omnia, quæ constituent unum per se, sunt substantiae. Explicatur legitimā inductione: quæ constituent unum per se dumtaxat, sunt materia prima, forma substantialis, ambarum unio, subsistentia, (supposito quod sit, quid positivum), hujusque physica unio cum natura sive composita, ut humana, sive simplici, ut Angelica; sed hæc omnia sunt substantia.

44. Probatur. Tum ex communi terminorum acceptiōne, quam flectere non expedit; tum quia conceptus substantiae nimirum *Ens per se* convenit his omnibus: non enim significat, substantiam esse id, quod existit, aut existere potest naturaliter absque unione cum alio: quippe inde sequeretur, formam equinam v. g. non esse substantiam: quoniam existere nequit absque unione cum materia, imò inferatur præterea, ipsam materiam primam non esse substantiam: nam

existere non potest separata ab omni forma. Significat igitur praefatus conceptus, substantiam esse id, quod vel est per se, vel non distinguitur adæquatè ab eo, quod est per se; atqui, propriè loquendo, solum suppositum est per se, eo quod sit natura ultimè completa, per se etaque substantialiter, non indigens unione cum alia substantia: ergo praefatus conceptus significat, substantiam esse id, quod vel est suppositum, vel non distinguitur adæquatè à supposito: sed omnibus eis, quæ recensui, convenit alterutrum ex his duobus, ut ea insipienti patebit: ergo omnia, quæ constituunt unum per se, sunt substantia, de quo fuis in disp. 4. Logicæ cap. de substantia: ergo attinent ad idem genus amplissimum: ergo si in adagio isto sermo sit de actu, & potentia constituentibus unum per se, illud est verum. Secunda pars conclusionis videtur etiam clara: quoniam materia prima, & forma humana constituunt unum per se, & tamen non sunt in omni eodem genere, quoniam anima est in genere spiritus, materia in genere corporis: Anima in genere viventium, secus materia: Anima in genere cognoscitivorum, secus materia: & rursus materia est in genere incorruptibilium, anima autem equina, cum qua constituit unum per se, est in genere corruptibilium, quæ sunt genera, quorum meminit Aristoteles loco Metaphysicorum citato.

45. Dico 4. Si sermo sit de actu, & potentia activa inadæquata; interdum sunt in eodem genere universalissimo, interdum non, quod intelligendum est, sive actus sumatur pro termino producto per actionem, sive pro actione ipsa; & eadem dicta censeantur de potentia activa adæquata. Probo primam partem: quamquam nullum accidens concurrat de facto, adhuc inadæquatè, ad producendam substantiam, eo quod nullum urgeat fundamentum, ut accidentibus de facto existentibus donemus perfectionem hujus virtutis, licet inadæquatè; attamen possibile est, accidens concurrens inadæquatè ad productionem substantiæ, quia ex hoc par nulli contradictionum deducitur. Tunc sic. Terminus productus est substantia; sed una potentia activa inadæquata esset substantia quoque, & altera esset accidens: ergo una potentia activa inadæquata esset in eodem genere amplissimo substantiæ cum termino producto, altera autem in diverso genere: ergo si actus comparetur cum sua potentia activa inadæquata; interdum est in eodem genere, interdum in diverso. Quod autem in ea suppositione una potentia activa inadæquata, debeat esse substantia; constat ex supra disputatis: quoniam solum accidens in nulla hypothesi possibili potest se solo adæquatè producere substantiam.

P. 11.

Præterea si actus sumatur non pro termino producto per actionem, sed pro actione ipsa; fit argumentum idem, invertendo terminos: Actio illa est accidens, quia sola divina actio est substantialis; sed una potentia inadæquatè activa illius, est etiam accidens, & altera est substantia: ergo una potentia inadæquatè activa est in eodem genere universalissimo accidentis, in quo est actus ille, & altera non. Probo secundam partem, scilicet dicenda esse eadem de potentia activa adæquata. Ex supra dictis, substantia ignis A. v.g. est potentia activa adæquata in genere virtutis (quia non arceo dispositiones prævias,) tum respectu ignis B, tum respectu actionis productivæ illius; sed cum hac est in diverso genere, & cum illo est in eodem: ergo potentia activa adæquata potest esse in eodem, & in diverso genere respectu sui actus.

46. Dico 5. Si sermo est de actu, & potentia passiva in communi; quandoque sunt in eodem prædicamento, quandoque non; numquam tamen sunt in eodem genere infimo ejusdem prædicamenti. Probo primam partem. Materia est potentia passiva respectu formæ ignis; sed ambæ sunt in eodem prædicamento substantiæ: ergo actus, & potentia passiva quandoque sunt in prædicamento eodem. Majorem vulgo defendunt Authores respuentes, ut supervacueam, potentiam superadditam materiæ ad recipiendas formas substanciales, necnon inducentem easdem, vel etiam majores difficultates, quām inducit potentia identificata cum materia. Si autem opineris, actum potentiarum passivæ, non tam esse terminum receptum, quām hujus receptionem, adhuc habemus, quo partem hanc suadeamus. Post Hostiam consecratam, aliqua accidentia supervenientia (puta calorem, humiditatem &c.) recipiuntur immediatè in quantitate: ergo ea quantitas est potentia immediatè receptiva eorum accidentium; sed illa receptio est accidens, & quantitas illa est quoque accidens: siquidem neutrum ex his est substantia completa, aut substantia incompleta, quæ sit materia prima, vel quæ sit forma substantialis, vel quæ sit subsistentia, vel quæ sit unio substantialis, quæ sancit omnes species substancialiæ sublunarisi: ergo potentia passiva, & suus actus sunt in eodem genere accidentis. Antecedens supponit, in hostia consecrata dari quantitatem, quod aliqui negant, sed immerit: nam licet quantitas prior panis deficeret, utpotè identificata cum materia prima, ut multi censent; attamen quantitas alia nova subrogari oportet, quocirca licet omnis materia prima de facto existens identificaretur cum sua quantitate, non verò omnis quan-

quantitas cum materia prima. Probo igitur dari quantitatem in ea hostia.

47. Quoties aliquid est impenetrabile, datur ratio objectiva, quæ formaliter, ac immediatè constitutæ illud in esse impenetrabilis: quemadmodum quoties aliquid fuerit album, datur ratio formalis, ac immediatè constitutiva illius in esse albi; at Hostia consecrata est impenetrabilis cum alia quantitate, ut experientiâ constat: ergo ibi datur ratio formaliter, ac immediatè constitutiva illius in esse impenetrabilis: sed hæc ratio nihil aliud esse potest à quantitate distinctum: tum quia conceptus adæquatus quantitatis nequit alii à quantitate convenire: sed impenetrabilitas, seu vis restitiva, ne aliud corpus occupet proprium locum, est conceptus adæquatus, & quiditativus quantitatis, ut suo loco dicam: quoniam est id, quod primariè apprehenditur in illa, & prima origo extensionis, divisibilitatis, atque mensurabilitatis, cum activæ, tum passivæ, quæ sunt proprietates omnes quantitatis: ergo nil aliud à quantitate potest esse ratio formaliter constitutiva rerum in esse impenetrabilium: tum quia hæc ratio non potest esse decretum divinum statuens, accidentia illa non penetrari. Probatur. Ratio formaliter constitutiva hujus papyri in esse albæ, non est decretum divinum de eo, quod alba sit; sed quædam qualitas, quam *Albedo* nuncupamus, quæque descendit ex illo decreto. Quod si ita non sit; exulent protinus omnes formæ, dicaturque decreta divina esse rationes formaliter, atque immediatè constitutivas earum omnium denominationum, eorumque omnium effectuum formalium, quos experimur: ergo dicendum, rationem formaliter, & immediatè constitutivam dictorum accidentium in esse impenetrabilium, non esse decretum divinum penetrationem cohibens, sed accidens quoddam ex illo decreto oriundum, quod vocatur *quantitas*. Igitur aliud est, dari decreta divina, quoties hujusmodi denominations exercentur in rebus; aliud autem, ea decreta esse formas, quæ immediatè per se ipsas constituant eas denominations. Dantur quidem decreta, & ob suam intimam efficaciam sunt connexa cum eis denominationibus; attamen non sunt formæ immediatè constitutivæ illarum: sic datur sanguinem decretum divinum de eo, quod ego sim hic; ast tale decretum non est mea ubicatio, seu formalis præsentia, sed tantum radicalis, & illativa: sic datur decretum divinum de futuro absoluto, conditioni, & naturæ illius proportionatum; verum non est formalis, & immediata futuritio; sed radicalis dumtaxat, remota, & illativa.

48. Pro-

48. Probo secundam partem, scilicet actum, & potentiam passivam, quandoque non esse in eodem praedicamento. Sensationes materiales brutorum recipiuntur, aut in sola anima eorumdem, aut in sola materia, aut in utraque: alicubi enim recipi debent, cum sint accidentia distincta à creatione; & nihil magis proportionatum ad eas recipiendas, quam anima ipsa materialis, aut compositum totum, quod per illas vivit: ergo potentia passiva illarum est quid substantiale; sed ipsæ sensationes sunt quid accidentale, ut constat: ergo potentia passiva ad prædicamentum substantiæ spectat, & actus ad prædicamentum accidentis: ergo actus, & potentia passiva quandoque non sunt in eodem prædicamento. Probo tertiam partem, nempe actum, & potentiam passivam numquam esse in eodem genere infimo ejusdem prædicamenti: nam ut deprehendet quisquis discurrat per singula genera omnium prædicamentorum, numquam recipitur quippiam in subiecto sui generis infimi, v.g. substantia alia est completa, alia incompleta; & neque una substantia completa recipitur in alia substantia completa, neque una incompleta in alia incompleta ejusdem ordinis, idest una materia in alia materia, vel una forma substantialis in alia forma substantiali, & sic de reliquis: ergo.

## C A P U T Q U I N T U M.

*Examinatur Doctrina contraria.*

49.  Ajetanus, & P. Suarez, ut processum in infinitum *Eagetanus*  
rescindant, quem ex sententia B. Thomæ hac super  
re, Scotus eliciebat, distinguunt inter potentiam *1.p. qu. 77.  
art. 1.*  
five activam, five passivam per se essentialiter ordi- *P. Suarez*  
natam ad actum, & potentiam five activam; five *disput 14.  
metaphys.*  
passivam non ordinatam per se essentialiter ad actum: de prima af- *scđ. 2. nū.  
13.*  
firmant, de secunda negant, debere esse in eodem genere cum suo  
actu. Hinc quamquam materia, & forma materialis recipient sen-  
sationes materiales, mediante potentia superadditâ, processus in in-  
finitum intercluditur, & disparitas est; quoniam potentia illa su-  
peraddita est per se primò ordinata ad eas sensationes, quamobrem  
esse debet in eodem genere accidentalí, in quo illæ sunt. Cæterum  
materia prima non est per se primò essentialiter ordinata ad poten-  
tiam eam superadditam; atque id circa necesse non est, quod sit in  
eodem

eodem genere accidentalī, in quo illa est. Sed contra 1. Materia, prima est potentia per se primō ordinata ad recipiendum formam, ut fatetur ipse Doctor Eximius loco citato; & tamen non est in eodem prædicamento cum *actu receptionis*: quandoquidem hæc est de genere accidentalī, illa verò de substantiali: ergo non semper sunt in eodem prædicamento actus, & potentia per se primō ordinata ad illum. Quod si responderis, materiam primam solummodo esse potentiam per se primō ordinatam ad habendum formam, & posse illam habere absque receptione, ut contingit in anima rationali, quam habet materia sine receptione, eo quod illa non educatur de potentia hujus, proindeque falsum esse, materiam per se primō ordinari ad recipiendum formam; contra est. Quoniam materia, licet non sit per se determinata ad recipiendum quamcumque formam substantialē ob istam exceptionem; est tamen per se destinata ad recipiendum dispositiones præbias ad quamcumque formam, necnon unionem sui ipsius cum forma: ergo ipsa est potentia passiva essentialiter ordinata ad actum recipiendi eas dispositiones, atque unionem, & nihilominus non est in eodem genere cum actu eo: ergo.

50. Contra 2. Dum dicitur, hoc axioma intelligendum esse de potentiis per se essentialiter ordinatis ad actum; vel sermo est de potentiis, quæ à parte rei, & in sensu reali sunt determinatae; vel de potentiis, quæ in sensu formalī, & prout apparent per has, vel per illas cognitiones, habent determinationem hanc? Si primum; supponitur probandum, quippe probandum est, potentias animæ (de his loquitur Cajetanus) habere in sensu reali hanc determinationem (qui enim opinetur eas identificari cum anima, negabit præfatam determinationem, sicut negatur in anima ipsa;) sed id supponitur: ergo. Si secundum; quemadmodum intellectus v. g., ut sic nobis apparet Potentia intellectiva, primād dicit ordinem ad intelligendum; ita anima, ut sub eisdem terminis apparet, apparet ut ordinem dicens ad intellectionem, & eadem sub his terminis Potentia volitiva apparet ut dicens ordinem ad volitionem, non secūs ac homo sub hac expressione *Animal* connotat sensationem, & idem sub hac *rationale* connotat discursum; atqui Anima non est in eodem prædicamento, in quo est actus intelligendi: ergo distinctio ista potentiarum per se primō ordinatae non videtur faciliſſacere. Tertio. Dato, potentias distingui ab anima, tametsi hæc non produceret illas per veram efficientiam, sed à creante acciperet, hæc nihilominus esset potentia passiva per se essentialiter in sensu reali ordinata ad illas; abs dubio

dubio namque pateretur violentiam , si eis supernè orbaretur : si quidem Anima rationalis, qua rationalis, propensa est ad actum, vel potentiam ratiocinandi: ergo illæ potentiarum, suique ipsarum receptio, essent actus animæ ; & tamen hæc cum neutrīs illarum esset in eodem genere : siquidem anima est substantia , & potentiarum illæ distinctæ, ipsarumque receptio esset in genere accidentis : ergo non semper sunt in eodem prædicamento actus , & potentiarum per se primò ordinatae ad illum . Similiter substantia ignis est potentia passiva per se primò ordinata ad receptionem proprii caloris , & substantia aquæ ad receptionem proprii frigoris ; hæc namque qualitates sunt præcipue passiones , atque proprietates illarum substantiarum ; & tamen non sunt in eodem prædicamento cum illis substantiis, ut patet: ergo Sanè rationem non invenio , ob quam intellectus sit potentia per se primò ordinata ad recipiendum intellectionem , & substantia ignis non sit potentia passiva per se primò ordinata ad recipiendum in se proprium calorem , vel potentiam receptivam proprii caloris , si forte potentia hæc ponatur distincta à substantia ignis .

51. Quartò. Actus, & potentia per se primò essentialiter ordinata ad illum , non debent esse *in omni* eodem genere : ergo neque est necesse, quod sint in eodem genere supremo substantiarum, vel accidentis . Probo nunc antecedens . Intellectus distinctus ab anima est per se potentia per se primò ordinata ad actum intelligendi ; at non sunt in omni eodem genere . Probatur . Intellectus est in genere virtutis productivæ intellectionis , qualitatis absolutæ producibilis per strictam efficientiam à solo Deo ; nam horum omnium attributorum particeps est intellectus , & cùm illa sint ex se , atque abstractè considerata, indifferentia ad multas species , abs dubio sunt prædicata generica, non secus ac Animal , & vivens . Præterea intellectus ipsa est in genere operationis vitalis , actus immanentis expressionis formalis objecti producibilis per strictam efficientiam à creatura ; hi namque omnes conceptus sunt etiam indifferentes ad realitates distinctas in specie ; at neque intellectus habet ullum ex secundis attributis , neque intellectio ullum ex illis primis : ergo intellectus , & intellectio non sunt in omni eodem genere . Cur ergo esse debent actus, & potentia per se primò ordinata ad illum in genere determinato substantiarum, vel in genere determinato accidentis ? Si ad specificationem recurras ; iterum quero : Cur ad specificationem, quoad hoc, quod est esse substantiam , vel accidens ; & non ad specificationem , quoad cætera attributa , quo nuper tetigimus ? Si hæc consequentia est firma ob-

titulum specificationis , actus est accidentalis : ergo etiam potentia per se primò ordinata ad illum : cur ob eumdem titulum non sunt hæc legitimæ : Actus est accidentis modale , expressivum formaliter obiecti: ergo etiam potentia per se ordinata ad illum . Actus est operatio vitalis immanens : ergo etiam potentia . Actus est formaliter liber : ergo etiam potentia ? Parco aliis similibus .

52. Quintò. Ista primaria , atque essentialis ordinatio , aut est intima connexio potentiae cum actu ( quam vulgo Philosophi vocant exigentiam innatam ) aut mera quædam proportio potentiae respectu actus , aut sola habitudo , relatioque causæ ad effectum , aut demum potentiam comparari ad actum , ut imperfectum ad perfectum , prout innuit P. Suarez ? Primum est falsum ; nam una ex potentias , quas

*P. Suarez  
supra nu.  
14.*

vocatis per se primò ordinatas ad actum , est potentia volitiva ; sed hæc non habet intimam connexionem cum actu amandi , sive in-

communi , sive in individuo , alias nequirit sine violentia carere omni amore actuali ( quod falsum est , tum quia multoties homo dormit , & consequenter nullo exercetur amore ; tum quia sepe quoque est aliò distractus , quin bonitatem ullam advertat , vel malitiam . ) Quod si censueris , connexionem voluntatis solummodo esse cum eo , quod aliquando prodeat in aliquem amorem ; idem dicam de anima ipsa , quia nil prohibet dicere , ipsam exigere producere aliquando intellectionem aliquam , & aliquem amorem . Si secundum , aut tertium ; cur anima est improportionata ad producendum , vel recipiendum actum amoris , cur habitudinem causæ habere nequit ? ergo juxta phrasim istam anima etiam est potentia per se primò essentialiter ordinata ad actus memoratos ; & tamen non est in eodem genere superiori accidentis , vel substantiae cum amore : ergo . Si quartum ; dicas falsum : Intellectus enim non est absolute loquendo , ac omnibus pensatis , imperfectior respectu intellectionis , sed multò perfectior , quam illa , ut supra argumentabamus contra PP. Vasquez , & Fonseca : ergo in ista acceptione , intellectus non est potentia per se primò ordinata ad intellectionem . Si propterea dixeris , intellectum eatenus præcisè dici imperfectum respectu intellectionis , eatenus per illam perficitur ; cum anima ipsa perficiatur quoque per intellectionem , eodem jure vocari potest imperfecta respectu illius . Perfectò nullum detego sensum verum , juxta quem dici possit intellectus potentia per se primò ordinata ad intellectionem , & juxta quem non dici possit idem de anima ipsa .

53. Duas objicit congruentias P. Suarez probaturus potentiam passi-

passivam accidentalem, per se primò ordinatam ad actum, esse in eodem genere, & prædicamento, in quo est actus. Prima est induc̄tio quædam per omnes has potentias divagans: nam habitus, & eorumdem actus in eodem genere, & prædicamento collocantur: quia licet actio in fieri, & ut mera actio, ad prædicamentum spectet actionis; attamen, ut actus vitalis, habens esse consummatum in suo genere, qualitas est: ergo ad idem spectat prædicamentum, in quo est habitus. Sed contra. Intellectus, admissus quodd sit distinctus ab anima, particeps est eorum omnium generum, quæ notavimus num. 51., quorum omnium expers est suus proprius actus, videlicet intellectio: ergo induc̄tio non est universalis. Secunda congruentia est: quando potentia receptiva est per se ordinata ad actum, comparatur ad illum, ut imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo videtur componere cum suo actu unum per se: ergo oportet, eam potentiam, & eum actum collocare in eodem genere, quæ majorem proprietatem servent. Nego antecedens: nam in primis non semper comparatur, ut imperfectum ad perfectum id generis potentia, ut nuper dicebamus: deinde, sicut non componunt verè, & propriè unum per se, sed quodammodo dumtaxat; ita non sunt verè, & propriè in eodem genere, sed quodammodo solum, quatenus perinde se habent, ac si essent ejusdem generis, quod est, illa esse virtualiter, sed non verè, & realiter sub eodem genere. Unde colligo 1. Quodd si unicè spectetur proportio inter actum, & potentiam, sicut hæc potest dari inter causam, & effectum, quamvis generum sint diversorum, nempe quando causa est æquivalēt, & continet eminenter effectum: ita dari potest inter potentiam, & actum, quamquam ad genera diversa pertineant. Colligo 2. Hoc axiomate non posse argumentum evidens deduci ad probandum potentias animæ, aut allus substantiæ distingui ab illis. Colligo 3. Sensus, in quibus est verum; & sensus, in quibus est falsum ipsum axioma, quos recensere, propterum erit cuilibet.



## CAPUT SEXTUM.

*An, & qua ratione potentiae activae correspondat  
Potentia passiva?*

P. Suarez 54.

disp. 43.

met. scđ. 2.

num. 10.

3 de anima

cap. 5.

9. metaph.

ralem activam, non è converso, ut notarunt PP. Fonseca, & Co-nimbricenses. Quidquid de hoc sit, negat hoc adagium in sensu uni-versali P. Suarez, quem sequitur P. Augustinus Laurentius: sed seca 1. me-taph. cap. 1 concedit illud, si contrahatur ad potentiam naturalem activam agentis creati: & similiter concedit, cuicunque potentia passiva alicu-jus ordinis respondere, per se loquendo, potentiam activam in eo-

Lorca dem ordine. Idem tuetur Magister Lorca. Aliter distinguunt Co-tom. 1. in nimbricenses: ajunt, potentiae omni passivae correspondere potentiam 3. partem activam naturalem, non ad producendum formam determinatè, sed dis-put. 23. num. 4. vel formam, vel hujus unionem cum subiecto, vel dispositiones hu-PP. Co-jus, quibus positis Deus, ut author naturalis producit formam. P. nimbric. 2. de Anima Fonseca docet, potentiae naturali passivae correspondere potentiam 8. 1. qu. 3 naturalem activam, non quæ per se sufficiens sit ad formam facile, art. 1. ac perfectè introducendam, sed quæ utcumque possit eam introdu-cere, tametsi ad perfectam introductionem adminiculo egeat supe-rant. tract. 4. metaph. 55. Dico primò: cuivis potentiae activæ, sive fuerit naturalis, sive dis-put. 3. scđ. 2. n. 26. supernaturalis, sive creata, sive increata, necessariò, atque indis-pensabiliter correspondet aliqua potentia passiva logica; secus aliqua potentia passiva physica. Cuivis item potentiae passivæ logicæ re-spondet aliqua potentia activa physica, necnon cuivis etiam poten-tiae passivæ physicæ. Probo primam partem. Potentiam passivam logicam, ut contra physicam, distinctam, voco capacitatem rei ut fiat, & producatur per potentiam activam: ergo quoties in A. v. g. detur hæc capacitas, datur in A. potentia passiva logica; at quoties detur potentia activa, quæcumque illa fuerit, ad rem A. faciendam, necessariò, & indispensabiliter dari debet in ea re capacitas, aut non repugnantia ut fiat, seu producatur. Probatur: eo ipso quod A.



Cribit P. Suarez se non invenire hoc principium sub his terminis apud Philosophum, à quo traditum fuisse, opinatur quidam. Profectò in locis ci-tari solitis, tantummodò inquit, potentiae omni naturali passivæ correspondere potentiam natura-

intrin-

intrinsecè repugnaret fieri, aut produci ab alio, eo quod vel esset ipse Deus, vel contradictiorum complexio; nulla prorsus daretur vera, & realis potentia activa ad illud: ob quam rationem nulla est, aut esse potest potentia activa, producivaque Dei, aut chymæræ: ergo quoties datur potentia activa realis, & vera ad *A*; simpliciter necessarium est, hanc rem capacem esse, ut fiat, & per se ab intrinseco non repugnare suæ productioni. Moderni quidam, præsupposita distinctione potentiarum subjectivæ, ac terminativæ absolutæ à potentia subjectivæ absolutâ, & terminativæ conditionatâ, inquietunt, Deum habere potentiam activam chymæræ, subjectivæ utique absolutam, & terminativæ conditionatam; chymeram autem carere potentiam passivam logicam, propterea quod ex suis intrinsecis repugnat fieri, & produci.

56. Hæc evasio duo supponit mihi falsa: primum est, Deum non habere intimam connexionem cum possibiliate possibilium; secundum, cognoscibilia esse ab intellectu objecta, quæ in se ipsis sint chimæræ, impossibilia, seu entia rationis. Sed utroque dissimulato, dicendum est 1. sicut Deus dicitur habere potentiam activam chimæræ non subjectivæ, ac terminativæ absolutam; sed subjectivæ absolutam, & terminativæ conditionatam, sub hypothesi, quod chymera possibilis esset: ita chymera habet potentiam passivam logicam, ut producatur à Deo, non quidem subjectivæ, ac terminativæ absolutam; sed subjectivæ absolutam, & terminativæ conditionatam: nam si Deus est potens producere illam, si illa non esset chymera, sed quid possibile; etiam chymera, si non esset chymera, sed res possibilis, posset produci per Deum: ergo adhuc subsistit, potentiarum activarum correspondere potentiam passivam logicam proportionatam generi potentiarum activarum. Neque obstat, chymeram non existere, & consequenter suam potentiam logicam passivam, ut à Deo producatur, non esse subjectivæ absolutam. Quoniam phrasi hac *Potentia subjectivæ absoluta* non significo potentiam acti, & simpliciter existentem in rebus; sed absolutam veritatem propositionis enunciantis, chymeram posse produci per Deum, unicæ assumptæ hypothesi, nimirum quod possibilis esset. Dicendum 2. istam potentiam terminativæ conditionatam omnino frivolam videri; pari namque ratione dicere poteratis, Deum habere potentiam subjectivæ absolutam, ac terminativæ conditionatam ad peccandum, nempe sub hypothesi, quod peccare esset bene agere. Tam enim repugnat, chymeram esse possibilem, quam peccare esse bene agere: & quemadmodum Deus in hypothesi frivola, quod peccaret, non esset Deus: ita chymera in ista alia hypothesi non esset chymera.

mæra. Item dicere poteratis, hominem gaudere potestate subjectivè absoluta, & terminativè conditionata ad complicandum esse, & non esse: nimirum sub hypothesi, quod complexio hæc esset saltare: quæ abs dubio meræ tricæ, & verborum lusus videntur: ergo potentia ista subjectivè absoluta, & terminativè conditionata ad producendum impossibilia sub hypothesi, quod impossibilia non essent, quam Deo tribuitis, minus seria videtur.

57. Ratio est: habere potentiam ad aliquid faciendum sub hypothesi, quod potentiam habcas, item sub hypothesi repugnante simpliciter; est habere potentiam frivolam, & nugatoriam: sed Deum habere istam potentiam terminativè conditionatam, est re ipsa, ab aëtis terminorum in volucris, habere potentiam ad chymæram faciendam sub hypothesi, quod haberet potentiam, seu sub hypothesi prorsus repugnante simpliciter; nam repugnat hypothesis de eo, quod chymæra sit possibilis: ergo modus iste discurrendi nugatorius videtur. Contra 3. Si Omnipotentia Dei solummodo est virtus producendi possibilia sub hypothesi, quod possibilia sint, & à veritate, falsitateque præscindit hujus hypothesis, ut arbitramini; sequeretur, Omnipotentiam tallem esse, ut ex suis intrinsecis permittat nihil omnino posse verè, actū, absolutè operari. Magna sanè potentia! Probatur assumptum. Omnipotentia nihil omnino operari posset absolutè casu, quo omnia essent impossibilia; sed per vos ex se permittit, quod omnia sint impossibilia: ergo ex se permittit casum, in quo nihil omnino posset operari. Et hæc cine est decantata Dei Omnipotentia?

58. Contra 4. quoniam distinctione hac potentiarum adhuc non medentur hi Authores plagiæ infictæ per Adversarios. Etenim per vos Deus ex suis intrinsecis est potens producere chymæram sub hypothesi, quod possibilis sit: rursus ex suis intrinsecis est impotens producere illam sub hypothesi, quod impossibilis sit: ergo Deus ex suis intrinsecis infert distinctionem, vel realem simpliciter, vel virtualem, vel aliam similem inter utramque hypothesis. Si enim ex suis intimes, atque essentialibus prædicatis permitteret ambas hypotheses esse unum idem; non esset, cur ex suis intrinsecis repugnaret productioni chymæra sub una hypothesi, & non sub alia, sed tam posset ex suis intrinsecis producere chymæram sub una hypothesi, quam sub altera: ad modum, quo ex suis intrinsecis tam est potens producere hominem sub hypothesi, quod sit animal; quam sub hypothesi, quod sit rationalis: nempe quia Deus ex se consentit, animal & rationale esse omnino idem. Et ratio est: Deum posse sub una hypothesi, & non sub

## *Correspondentia Poten. Act. ac Passiva. 271*

sub altera ; manifestum indicium est , hypotheses eas distingui invicem , aut realiter simpliciter , aut alio æquivalenti modo ; capacitas namque suscipiendi duo prædicata alioquin contradictoria , stare nequit absque aliqua ex his distinctionibus : ergo si Deus per sua intima , & essentialia attributa est potens producere chymaram sub una hypothesi , & non sub alia , ut conceditis : per sua intima attributa infert id , quod est manifestum indicium alicujus distinctionis inter unam , & alteram hypothesis : sed hæc distinctione est aliquid extra Deum ; nam hic supponitur , non consistere in Deo ipso possibilitatem formalem , & immediatam possibilium , aut impossibilium impossibilitatem: alioquin Deus cum utraque esset connexus connexione logica : ergo jam habemus , Deum essentialiter connexum cum aliquo extra se : quo ruit firmissimum fundamentum sententiæ negantis connexionem Dei cum possibilibus, summa videlicet independentia Divinitatis ab omni alio extra se morante .

59. Probo jam secundam partem conclusionis , videlicet : non cuilibet potentiaæ activæ correspondere potētiam passivam physicam. Potentia passiva physica est potentia ad sustentandum , & recipiendum terminum per educationem productum ; sed non cuilibet potentiaæ activæ ad producendum terminum respondet potentia ad sustentandum , & recipiendum illum. Probatur: Deus habet potentiam physicam ad producendum rationalem animum ; at nulla respondet potentia receptiva hujus ; cùm animus rationalis ut pote productus per creationem , nullibi recipiatur, tametsi ut pote actus informativus corporis, huic uniatur, sunt enim res distinctæ recipi, & uniri; ut modò suppono ex Physica, & ex mysterio Incarnationis : ergo non cuilibet potentiaæ activæ correspondet potētia physica passiva. Idem argumentum fiet de potētia Dei productrice Angeli, materiae primæ, atq; quantitatis eucharisticæ, quæ solæ sunt res productæ per strictâ creationem. Probo tertiam partem: nempe cuilibet potentiaæ passivæ logicæ respondere potentiam activâ physicam. Quoties res fuerit intrinsecè capax , ut ab alio fiat; datur, vel saltem est possibilis aliis capax faciendi rem illam; at quoties habet potentiam passivam logicam, est intrinsecè capax ut ab alio fiat: ergo quoties habuerit potētiam passivam logicam, datur, vel saltem est possibilis aliis capax faciendi illam . Sed hæc capacitas est potentia physica activa : ergo, quoties detur potentia passiva logica, datur potentia physica activa. Major est mihi evidens; nam sola Creatura est intrinsecè capax, ut ab alio producatur: quotiescumque autem datur creatura , adest saltem causa prima potens illam pro-

producere. Probo quartam partem, scilicet, cuivis etiam potentia passiva physica respondere potentiam physicam activam. Implicat dari in rebus veram, realem, & non nugatoriam potentiam ad recipiendum terminum A. v.g. quin detur, aut saltem dari possit vera, & realis potentia activa ad producendum illum terminum; dum taxat enim abest potentia activa ad producendum Deum, chimeram, & meram carentiam: ad nullum autem ex his tribus recipientium datur in rebus ulla vera potentia: ergo cuicunque potentia physica passiva correspondet potentia physica activa.

## C A P U T S E P T I M U M .

*Tradit secundam Conclusionem.*

60.



Ico secundò. Cuicunque potentia activa creata correspondet aliqua potentia passiva physica; sed non cuicunque potentia passiva physica correspondet aliqua potentia activa creata. Porro haec correspondentia non est necessariò *existentiae physicae*, atque *absolutæ*, quatenus ambæ potentia existere debeant absolute, ac simpliciter in rebus; sed sufficit correspondentia *possibilitatis*, quatenus si una possibilis fuerit, altera quoque. Neque est necessariò correspondentia ordinis ejusdem philosophici, quasi una potentia esse debeat in eodem genere, aut specie, ubi est altera: est autem ejusdem Ordinis Theologici, quatenus utraque esse debeat terminativè naturalis, vel terminativè supernaturalis: & quamquam non sit necessarium, potentiam physicam passivam esse entitativè supernaturalem, quando talis est potentia activa; est tamen necessarium, potentiam physicam activam adæquatè sumptam esse supernaturalem, quando potentia passiva supernaturalis fuerit. Probo priam partem. Omni operanti in subjecto, & ex presupposito subjecto indispensabiliter correspondet aliqua potentia passiva physica; sed omnis potentia activa creata operatur in subjecto, & ex presupposito subjecto: ergo cuicunque potentia activa creata indispensabiliter correspondet aliqua potentia passiva physica. Minor est certa: quoniam omnis modus possibilis operandi, aut est per creationem, aut per educationem; at creature repugnat operari per creationem, ut mox dicam: ergo solum potest operari per educationem; sed hoc modo operari est operari in subjecto, & ex presupposito subjecto: ergo omnis

omnis potentia activa creata operatur in subjecto ; & ex subjecto : Prima major est quoque certa : quia potentia physica passiva est subjectum illud , in quo , & ex quo agens operatur : ergo omni operanti in subjecto , ac ex subjecto corresponderet aliqua potentia passiva physica .

61. Probo secundam partem , nimirum non cuivis potentiae passivae physicae correspondere potentiam activam creatam . Humanitas Christi Domini est aliqua potentia passiva physica unionis hypothatica ; sed illi non correspondet ulla potentia activa creata ; adeo enim excellens opus est ea unio , ut solius Spiritus Sancti obumbratione , ac fecunditate produci valeat : ergo alicui potentiae passivae non correspondet potentia activa creata . Minor certa mihi videtur . Plurimum namque Divinam omnipotentiam commendat , posse Deum opus aliquod adeo perfectum excogitare , & executioni mandare , ut nulla prorsus creatura , sive naturalis , sive supernaturalis , sive elevata , sive non elevata possit illud efficere . Probo igitur maiorem : unio hypothatica eatenus non reciperetur in humanitate , quatenus nihil entitativè supernaturale recipi posset in subjecto undequaque naturali , vel quatenus inde inferretur suum terminum , personalitatem scilicet verbi , recipiendum fore in humanitate ; sed hoc non sequitur ( ut patet in anima rationali , quæ non recipitur in materia , tametsi unio sua recipiatur ; imò & in ipsa materia , quæ cum sit terminus unionis sui ipsius cum anima , nihilominus in hac non recipitur ) deinde illud primum est falsum . Probatur : quamquam nihil naturale possit juxta suam naturam recipi adæquate in subjecto supernaturali ; attamen nullum est inconveniens in eo , quod aliquid supernaturale recipiatur adæquate in subjecto naturali , ut contingat actibus , & habitibus supernaturalibus , qui recipiuntur adæquate in anima : & ratio est . Nihil indebitum toti naturæ , sive distributivæ , sive unitivæ , & collectivæ inspectæ , potest terminare ipsius connexionem : alias esset indebitum , & simul debitum absolute naturæ : at omne donum supernaturale entitativè est indebitum toti naturæ , & à mera gratiositate , atq; liberalitate divina oriundum : ergo nullum donum supernaturale potest terminare connexionem naturæ ; sed si aliquid naturale ex se , atque ex propria natura reciperetur in subjecto supernaturali , hoc terminaret cōexionem illius : quemadmodum materia prima terminat connexionem formarum materialium , eo quod hæc suapte naturæ poscant recipi in illa : ergo nil supernaturale potest ex se , atque ex propria natura recipi in subjecto supernaturali , quod di-

Etum puta non minus de receptione inadæquata, quam de adæquata; utrilibet enim infert connexionem rei naturalis cum subiecto supernaturali, quam connexionem arcet supernaturalitatis ratio: ceterum neque is, neque ullus aliis titulus vetat, rem supernaturem esse connexam cum natura, ut patet in aëribus supernaturalibus vitalibus, qui ob suam immanentiam exigunt recipi modò in intellectu, modò in voluntate.

62. Sin verò hæc ratio eruta ex unione hypothatica tibi non arriserit, eo quod opineris, hanc unionem non distingui ab unione, qua materia, & anima Christi Domini invicem copulantur, accipe aliam ad probandum eamdem secundam partem. Omnis actio physica habet per solam suam essentiam oriri ab eo agente, à quo oritur, & non oriri ab eo, à quo non oritur: ergo actio, qua solus Deus citra miraculum produceret in materia formam ignis, eo quod materia illa esset ultimè disposita, & nullum adesset agens creatum productivum illius formæ, haberet quoque per suam essentiam oriri à Deo, & non oriri ab alio: ergo haberet per suam essentiam non oriri abulla potentia activa creata: ergo nulla esset potentia activa creata ad talē actionem; & tamen esset potentia physica passiva illius: si quidem illa cum suo termino reciperetur in materia illa disposita: ergo non semper, ac datur potentia physica passiva creata, datur potentia activa creata. Probo antecedens, ex quo cætera pendent. Actio agentis A. v.g. (idem opinare de quibusvis aliis aliorum agentium) vel est per se ab intrinseco determinata, ut nascatur ab eo agente, vel non, sed potius indifferens ut ab illo procedat, vel ab alio? Si primum; habeo intentum, nimirum actionem illam habere per solam suam essentiam oriri ab agente, à quo oritur. Si secundum; ergo ut actio illa hic & nunc oriatur potius ab agente A. quam ab alio, opus est alia secunda, & quasi reflexa actione auferente indifferentiā, quam habet directa, cum hæc ut potè rationis expers, non fungatur libertate ad determinandum se ipsam potius ex hoc agente, quam ex illo: de illa igitur secunda actione, percontor idem: habet ne per solam suam essentiam oriri ab agente A. vel non? Si primum; quare de prima actione non pronuncias idem? quare ingeminas actiones ad libitum? Si secundum: ergo opus est tertia alia actione auferente indifferentiā secundā: de tertia efformo idem argumentum: ergo abundum est nobis in infinitum, vel sistendum in actione aliqua, quæ habeat per solam suam essentiam fluere ab eo agente, à quo hic & nunc fluit: ergo etiam habet per solam suam essen-

essentiam non nasci ab eo agente, à quo non nascitur.

63. Probo hanc consequentiam. Omnis realitas objectiva habet per solam suam essentiam, non habere illud, quod si haberet, haberet profectò per solam suam essentiam aliquod, quod modò non habet per solam suam essentiam: est planum, quoniam essentia rerum non sunt flexibiles instar regulæ Lesviae, itaut in uno casu habeant prædicatum aliquod essentiale, quod in alio casu, vel suppositione non habent per suam essentiam, sed sunt æternæ, fixæ, atque immobile; at si actio dicta oriatur ab agente *B.*, haberet tunc per suam essentiam oriri ab eo, juxta nuper elaboratum discursum; modò autem non habet hoc per suam essentiam: quandoquidem modò existit, quin oriatur ab agente *B.*: ergo dicta actio habet per solam suam essentiam non oriri ab agente *B.* stat ergo actionem omnem habere per suam essentiam procedere ab agente, à quo procedit; & non procedere ab eo, à quo non procedit: ergo actio, quam solus Deus poneset in materia, haberet per suam essentiam non procedere physicè à creatura: ergo non daretur potentia creata ad illam, & tamen daretur potentia passiva physica: ergo non cuivis potentia passivæ physicæ correspondet potentia activa creata. Effugia intercludam capite sequenti.

64. Probo tertiam partem conclusionis, scilicet correspondentiam inter potentiam activam, & passivam non esse necessariò correspondentiam *existentiæ*; sed sufficere *possibilitatis*. Stat bene, agens creatum habere potentiam activam termini *A.* & neque existere in rebus potentiam passivam logicam hujus, neque potentiam passivam physicam, & è converso: ergo hæc correspondencia non est necessariò correspondentia *existentiæ*. Probatur antecedens. Non semper existit in rebus id, quod facere possumus, aut id, in quo, & ex quo possumus operari. Item existere potest aliquid in rebus, quin absolute existat potentia creata activa illius, aut potens operari ex illo.

Quænam in hoc contradicatio? ergo stat bene &c. Docet P. Suarez, *P. Suarez*  
consentanei esse naturis rerum, perfectionique universi, ut si debetur *disp cit.*  
*num. 11.*  
virtus activa naturalis, debetur etiam materia, vel subjectum, circa quod possit talis virtus operari; ne illa superflua sit, utpote necessariò caritura sua actione. Frustra enim datur potentia, quæ numquam reducitur ad actum. Sed contra. Non semper reducuntur ad actum sanandi v. g. virtutes omnes individuæ, quibus pollent omnes individuæ herbæ medicinales, quas omne pratum gignit, aut sylva. Si ergo naturis rerum, perfectionique universi non dissentit, quod mul-

ta ex his numquam exerceant omnes suas virtutes ob ignorantiam hominum, vel ob impedimenta alia: si non idcirco dantur frustra? quare dissentit naturis rerum, quod numquam exerceatur virtus aliqua naturalis ob defectum subjecti, in quo operetur? quare dicetur dari frustra hanc potentiam? Accedit, quod jam exposuimus veritatem illius Proloquii supra.

65. Hæc dixerim de potentia activa creata sumpta in actu primo remoto, quod si in actu primo proximo consideretur; licet non semper poscat actualem existentiam potentiae passivæ logicae sui termini; poscit tamen semper potentiam passivam physicam ejusdem. Ratio primi est. Potentia passiva logica termini nihil aliud est, quam intrinseca possibilitas hujus, seu capacitas essentialis, quam habet, ut producatur; sed, ut modò suppono ex infra dicendis, ea possilitas, seu intrinseca capacitas nihil aliud est, quam terminus ipse: ergo potentia passiva logica termini est terminus ipse; sed non semper, ac existit potentia physica activa illius etiam proxima, & expedita existit terminus ipse, ut patet in terminis, & actionibus liberis, ad quas habemus potentiam proximam, & expeditam; & tamen ab illis abstinemus, eo quod potentia libera, neque logicè, neque physice connectatur cum illis: ergo non semper, ac existit potentia activa in actu primo proximo, existit potentia passiva logica termini. Quid autem si potentia sit necessaria? Resp. tunc extituram eo ipso potentiam passivam logicam sui termini; quia potentia necessaria, si constituitur in actu primo proximo, est physice, ac naturaliter connexa cum suo termino (hoc enim est unum è distinctivis potentiae necessariæ à potentia libera) at potentia passiva logica termini est terminus ipse, ut modò dicebamus: ergo eo ipso, quod existat potentia activa in actu primo proximo, & sit necessaria, existere debet potentia passiva logica. Jam ratio secundi est. Omne constitutum per potentiam passivam physicam sui termini poscit indispensabiliter hanc potentiam; repugnat quippe existere rem permanentem deficiente quopiam ex suis constitutivis: at omnis potentia activa creata, reduplicativè ut in actu primo proximo ad suum terminum, constituitur per potentiam passivam physicam illius: quia ut talis constituitur per omnia prærequisita ad terminum, ut dicam disp. de causis, & ea potentia cum sit causa materialis illius, est sine dubio unum è prærequisitis ad terminum: ergo.

66. Probo quartam partem, videlicet præfata correspondientiam inter potentiam activam, & passivam non esse necessariò ejusdem

dem ordinis philosophici, quasi una potentia esse debeat in eodem genere, aut specie, ubi est altera. Et quidem si comparatio instituatur inter potentiam activam, & passivam logicam, idest, inter potentiam causæ, & effectum, satis constat ex superioribus, potentiam activam esse posse identificatam cum substantia; terminum autem productum, seu potentiam passivam logicam posse esse accidentalem. Idem est dicendum, si comparatio instituatur inter potentiam activam, & potentiam passivam physicam; quia anima utpote identificata cum suis potentiis, tum spiritualibus, tum eis, quæ materiales vocari solent (non quod entitativè in se ipsis sint materiales, sed quia effectus ipsarum magis noti, sunt materiales) est potentia causativa impulsus in quantitate Eucharistica: ergo quantitas hæc est potentia passiva physica hujus impulsus; & tamen anima, & quantitas non sunt in eadem specie, aut prædicamento: ergo necesse non est, correspondientiam inter potentiam activam, & passivam sive logicam, sive physicam esse ejusdem speciei, aut prædicamenti. Probo quintam partem, scilicet haec correspondientiam esse ejusdem ordinis Theologici, quantum ambæ potentiarum esse debent terminativè supernaturales, vel terminativè naturales. Potentiam esse terminativè supernaturalem, consistit in eo, quod terminus ab ipsa productus, vel in ipsa receptus sit supernaturalis: item esse terminativè naturalem, consistit in eo, quod terminus sit naturalis: at si terminus potentiarum activarum fuerit supernaturalis, necesse quoque est, terminum in potentia passiva receptum esse supernaturalem, aut esse naturalem, si terminus potentiarum activarum naturalis fuerit; nam ut ponimus, idem est terminus utriusque potentiarum; quoniam recipitur in potentia passiva illud idem, quod producitur ab activa: ergo necesse est, ambas has potentias esse terminativè naturales, vel terminativè supernaturales, quin contingere possit, unam esse terminativè naturalem, & alteram terminativè supernaturalem: ergo id generis correspondentia admittenda est inter has potentias.

67. Probo sextam partem, scilicet non desiderari, potentiam passivam esse adæquatè, vel inadæquatè supernaturalem, etiam si potentia activa sit supernaturalis entitativè: nam potentia activa actus charitatis Theologicæ, visionisque beatificæ, est supernaturalis; sed potentia passiva nullo modo est supernaturalis: ergo fieri potest, ut cum potentia activa sit supernaturalis, potentia passiva si entitativè naturalis. Major est certa; quippe activa potentia eorum actuum est, vel solum principium supernaturale, ut aliqui putant, vel complexum

ex

ex principio entitativè supernaturali, & potentia naturali, ut magna Theologorum pars docet. Utrumque autem est absolute quid supernaturale, cùm neutrum adipisci valeat solis suis viribus natura. Probo minorem primi Syllogismi. Potentia passiva eorum actuum est anima: tum quia non est subjectum aliud, in quo recipientur commodiūs: tum quia utpote vitales, sunt immanentes, proindeque recipi debent in anima, quæ illis mediantibus amat, & cognoscit. Tum quia si fingeretur subjectum aliud entitativè supernaturale, in quo actus illi supernaturales recipientur, de illo subjecto rediret eadē difficultas: nisi forte dices, produci à solo Deo per creationem, quod inutile paradoxon videtur. Tum quia proportio requisita inter receptum, & recipiens non est, quodd sint ejusdem omnino ordinis; sed quodd recipiens capax sit recipiendi alterum: sic materia prima, & forma materialis vivens non sunt ciusdem omnino ordinis: cùm una sit de ordine puræ potentialitatis, & altera de ordine actualitatis: una sit imperfecta valde, & altera multò perfectior, quibus non obstantibus, materia recipit formam. Hanc igitur capacitatem, sicut & cæteras, solummodo novimus per experientiam, vel per aliud experientię æquivalens, qualis est in rebus supernaturalibus doctrina Patrū, Conciliorum, & Scripturæ: cùmque ex his constet, naturam capacem esse recipiendi supernaturalia dona, inde fit, proportionē dari inter naturam & supernaturalia, ut hæc recipientur in illa. Neque profunt latibula specificationis; quoniam receptum specificatur extrinsecè à recipiente extrinsecè, & quo ad universalissimum conceptum creaturæ, quatenus, si recipiens est quid creatum; receptum etiam, & receptibile debent esse quid creatum. Aliæ autem extrinsecæ specificationes arbitriæ sunt. Vide quæ dixi super adagio illo, *unumquodque recipitur ad modum recipientis*: ergo prædicti actus entitativè supernaturales recipiuntur adæquatè in potentia adæquatè naturali: ergo eorumdem passiva potentia est adæquatè naturalis. Sed potentia activa est supernaturalis, ut dixi: ergo fieri potest, quodd potentia activa sit supernaturalis, & potentia adæquatè passiva sit adæquatè naturalis: ergo inter has duas potentias non datur opposita correspondentia.

68. Probo ultimam partem, scilicet potentiam adæquatè activam fore supernaturalem, si passiva, in qua operatur, esset entitativè supernaturalis. Omnis potentia adæquatè activa rei supernaturalis, est supernaturalis; Natura quippe sibi soli relata nequit producere rem entitativè supernaturalem, ut Catholica dogmata sanciunt; at omnis potentia activa in potentia passiva entitativè supernaturali est potentia

tia activa rei supernaturalis. Patet: omne, quod fit in subjecto, & ex subjecto supernaturali (puta unionem hypotheticam recipientem suam præsentiam, & si vis suam durationem) & suapte natura habet recipi in illo, est supernaturale: ergo omnis potentia activa in potentia passiva supernaturali, est potentia activa rei supernaturalis. Patet antecedens. Omne, quod ex se connexum est cum subjecto supernaturali, est supernaturale; sed omne, quod suapte natura habet recipi in subjecto supernaturali, est connexum ex se cum tali subjecto: ergo omne, quod suapte natura fit ex subjecto supernaturali, sive in eo recipitur, est supernaturale. Probo maiorem. Omne, quod est in rebus, & non est naturale, est supernaturale; sed omne, quod ex se habet connexionem cum subjecto supernaturali, est, aut saltem esse potest in rebus: & deinde non est purè naturale. Probo hoc. Nihil purè naturale est connexum cum subjecto supernaturali: ergo omne connexum cum illo non est purè naturale. Consequentia est legitima, quoniam consequens est æquipollens propositionis, in quam convertitur antecedens. Probo hoc. Nil terminans connexionem rei naturalis est supernaturale: ergo nil, quod fuerit purè naturale, est connexum cum re supernaturali. Probo antecedens. Nil debitum naturæ est supernaturale; sed omne terminans connexionem rei naturalis, est debitum naturæ: nil enim magis debitum, quam terminus connexionis respectu sui fundamenti: ergo nil terminans connexionem naturæ est supernaturale.

69. Dixi Potentia activa adæquatè sumpta. Nam si sumatur inadæquatè dumtaxat, & partialiter, fieri potest, ut potentia passiva sit adæquatè supernaturalis; & tamen potentia activa inadæquatè sumpta, seu ut pars potentiarum activarum, sit naturalis; quoniam ex supradictis constat, potentiam naturalem posse influere simul cum potentia supernaturali in effectum supernaturalem, proindeque posse operari in subjecto supernaturali, si tale subjectum daretur. Quid si paritatem objeceris inter hanc, & proximè superiorē conclusionem; accipe, disparitatem ex conceptu ipso rerum. Supernaturale nequit esse debitum naturæ, ut constans est PP. doctrina; attamen natura potest esse debita rei supernaturali: quia neque ratio, neque PP. authoritas id prohibet; imò constat, gratiam, & cætera dona Spiritus Sancti, connaturaliter recipi in anima, & consequenter hanc esse illis debitam: ergo quamquam nil naturale possit exigere receptionem in subjecto supernaturali; aliquid tamen supernaturale exigere potest receptionem in subjecto naturali: ergo quamquam nullum subjectum supernaturale.

naturale possit esse potentia receptiva connaturaliter rei naturalis; aliquod tamen naturale potest esse potentia connaturaliter receptiva rei supernaturalis. Dico *connaturaliter*, quia non negabo, posse Deum producere rem purè naturalem per actionem essentialiter unitam rei supernaturali, quæ per talem actionem non producatur, in qua hypothesi res naturalis recipietur in subjecto supernaturali, eo quod receptionis, eductionis, atque passionis conceptum unicè constituam in actione productiva termini, essentialiter unita alii, tamquam rei per ipsam non productæ. Porro actio hæc esset quidem supernaturalis, secus terminus ab ipsa distinctus, & per ipsam citra suam naturam productus: in quo nullum absurdum: quoniam non magis distant inter se supernaturale, & naturale, quam substantia, & accidens; atqui contingit, terminum esse substantiam, & actionem esse accidens. Quid ni ergo contingere potest, terminum esse naturalem, & actionem esse supernaturalem? Præcipuè juxta illos, qui putant, actionem, qua Deus solus producit aliquam creaturam, identificatam esse cum Deo ipso: ast fieri nequit, terminum esse supernaturalem, & actionem productivam illius esse naturalem: quia aliàs natura connecteretur cum supernaturali.

## C A P U T   O C T A V U M.

*Quatuor Corollaria perhibet.*

70.



Orollarium primum. Una actio nequit reflexè produci ab alio agente, à quo hic, & nunc non producitur, constat ex num. 62. Sed dices contra illa. Aliud est, actionem agentis *A.* nequire nasci immediate per se ipsam ab agente *B.* extraneo; aliud nequire nasci per aliam reflexam actionem. Discursus ille probat primum, quod verum esse transeat; verum non probat secundum, quod est falsum: nam possibile est, actionem unius agentis produci per reflexam actionem allius. Sed contra. Si actio agentis *A.* potest produci per aliam reflexam actionem agentis *B.* etiam hæc secunda posset reflexè produci per aliam tertiam, & tertia per quartam, & sic deinceps: sed hoc est falsum. Prob. omne, quod infert decretum aliquod divinum esse stolidum, est chymæra; at iste actionum reflexatum processus inferret decretum divinum stolidum. Probatur: omne, quod infert decretum divinum hujus tendentia volo agens *C.* (ponamus

mus hoc esse quartum agens ) ponere productionem productionis produc-  
tionis , productionis , productionis agentis A. infert stolidum decre-  
tum divinum : Quis enim , nisi fatuus potest exercere suam liberta-  
tem per actum adeo frivolum , & impertinentem ? at processus iste  
actionum reflexarum inferret decretum divinum præfatae tendentiæ ;  
nam ut daretur talis processus , necesse erat , Deum illum velle  
( procul sit omne peccatum ) & non aliter eum vellet , nisi modo di-  
cto , ut rem insipienti constabat : ergo . Imò agens ipsum A. posset  
quoque per secundam actionem producere reflexè primam , & per  
tertiam secundam , & per quartam tertiam . Ubi manifestiñ argue-  
retur stultitiae decretum divinum id decernens : haberet quippe hanc  
tendentiam : *Volo agens A. elicere actionem actionis , actionis , actionis*  
*ipsius agentis A.* Parùm videberis consulere prudentiæ infinitæ vo-  
luntatis divinæ , si decreta id generis , ipsi attribueris . Neque pari-  
tas quarumdam divinarum scientiarum te protegit : quoniam mul-  
tum interest inter actus voluntatis , & intellectus . Scientia absque  
satuitatis labo potest esse de objecto simpliciter necessario , & de sim-  
pliciter impossibili , ut constat ex Deo non minùs agnoscente veri-  
tates objectivas , sive necessarias , sive impossibilis ; quām subjectivè  
contingentes : at decreta , volitiones , consilia , præceptaque esse  
non possunt nisi de contingentibus , ut authoritate , atque ratione  
evincit subtilissimus Theologus P. Junio : ergo ex eo , quodd aliqua P. Junio  
scientia expers sit imprudentiæ , licet hanc , vel illam scđ. 7. de  
habeat , sinistrè argues , similem immunitatem in decreto , similem Grat. c. 8.  
habente modum tendendi .

71. Contra 2. Ista secunda reflexa actio esset essentialiter super-  
flua : ergo impossibilis . Consequentiam admittunt DD. contrarii .  
Probo antecedens : omne per se essentialiter connexum cum sua  
superfluitate , est essentialiter superfluum : at ista reflexa actio esset  
per se essentialiter connexa cum sua superfluitate . Probatur : super-  
fluitas actionis reflexæ staret in eo , quodd actio directa agentis A.  
sufficienter per se solam existeret in rerum natura , nascens ab hoc ,  
proindeque non egeret alia actione , ut existeret in rerum natura :  
hoc enim solo dato , intelligitur , actionem aliam reflexam esse super-  
vacaneam , & consequenter naturaliter impossibilem apud Adver-  
sarios : at actio reflexa esset per se essentialiter connexa cum eo , quodd  
actio directa per se solam nasceretur ab ipso agente A. ergo actio re-  
flexa esset per se essentialiter connexa cum sua superfluitate . Probo  
minorem : actio reflexa esset per se essentialiter connexa cum natura ,

essentia, & quidditate actionis directæ (sicut quævis actio est per se intimè connexa cum natura, & essentia illius termini, cuius est productio: quod probabis tum ex eo, quod sit modus illius, tum ratione eadem, qua num. 62. suadere conabamur, habere per suam essentiam nasci ab agente, à quo nascitur; & non nasci ab agente, à quo non nascitur) at de natura, essentia, & quidditate actionis directæ est, sufficienter per se solam nasci ab agente A., & non egere alia reflexa actione, ut existat in rerum natura; nam hoc est commune cuicunque actioni: & probatur. Actio ea directa, vel existit per se solam sufficienter in rerum natura independenter ab alia actione, vel non? Si hoc; ergo ut existat, eget actione alia reflexa: ergo actio illa reflexa neutiquam est superflua: ergo nec naturaliter impossibilis, quod meritò negant contrarii, superfluitate actionis reflexæ ducti. Si illud; ergo per suam intimam essentiam habet, non egere actione alia reflexa: egere namque naturas rerum, vel non egere aliquibus terminis, seu quod idem est, connecti, aut non connecti cum illis, non est prædicatum accidentale, ut esse album; sed penitissimè essentiale, ut agentes de rerum connexione ostendamus: ergo actio directa habet per suam essentiam talem esse, ut sufficienter existat in rebus independenter ab ulla alia actione; sed in hec stat superfluitas actionis reflexæ: ergo directa per suam essentiam habet id, in quo consistit superfluitas reflexæ. Sed reflexa est intimè connexa cum natura actionis directæ: ergo reflexa esset essentialiter connexa cum fundamento intimè connexo cum sua superfluitate: ergo esset intimè connexa cum sua superfluitate: ergo esset essentialiter superflua.

72. Respondebis primò: actionem reflexam esse quidem superfluam, ut absolutè, ac simpliciter existat directa; non autem, ut per ipsam, & beneficio ipsius existat ab agente B. Contra primò: ergo similiter dicere poteras, aliam tertiod reflexam actionem esse necessariam, ut per ipsam existat actio secundò reflexa ab agente C. & aliam quartam, ut per ipsam existat tertia actio ab agente alio, & aliam quintam, ut per ipsam existat quarta ab alio; quod futile videtur. Contra secundò: aliquid esse necessarium ad rem superfluam omnino, non est, esse necessarium, sed superfluum: at primam actionem existere secundò ab agente B. est quid omnino superfluum: ergo actionem reflexam esse ad hoc necessariam, non est esse necessariam, sed esse superfluum; cumque ulterius sit connexa essentialiter cum hac superfluitate, convincitur, illam esse essentialiter superfluam. Tertiod, actionem

Nem reflexam esse necessariam, ut directa procedat ab agente *B.* aut eam excusat à superfluitate, aut non? Si primum: ergo actio ista reflexa non modò est supernaturaliter possibilis, ut conceditis; verùm etiam naturaliter, ut negatis; primarium namque fundamentum hujus naturalis impossibilitatis est superfluitas prædictæ actionis. Si secundum: ergo tametsi fingatur actio ista necessaria ad istud munus, nihilominus est superflua simpliciter. At superfluitas non est ipsi contingens, sed essentialis; eo quod per suam essentiam sit connexa reflexa actio cum radice superfluitatis, ut nuper ratiocinabamur: ergo semper subsistit, actionem reflexam esse essentialiter superfluam. Respondebis 2. Idem argumentum probare repugnantiam actionis geminæ totalis terminatæ ad eundem effectum; nam altera ex illis actionibus esset essentialiter superflua. Contra. Neutra esset essentialiter, sed purè contingenter superflua: ergo nulla est paritas. Patet antecedens. Superfluitas actionis oriundæ ab agente *A.* consisteret in eo, quod tunc adesset alia actio totalis, ratione cuius sufficieret existeret ille terminus, & similiter è converso; sed actio agentis *A.* non haberet per suam essentiam, quod tunc adesset illa altera actio, sed contingenter omnino cum illa conjungeretur: ergo actio agentis *A.* non haberet per suam essentiam radicem superfluitatis: ergo non esset essentialiter superflua.

73. Respondebis 3. s.pè contingere, quod unum agens producat actionem alterius, nempe quando illud movet, seu applicat ad operandum: sic serrator per actionem reflexam producit actionem, qua serra lignum scindit. Contra. Aliud est agens *A.* v.g. producere mediata actionem agentis *B.* quatenus producat virtutem, à qua immediatè descendit actio hujus agentis, aut quampiam aliam ex conditionibus prærequisitis ad operandum (quod non aego, & hoc est, quod probatur exemplo isto: serrator enim imprimens impulsum serræ, causat virtutem, à qua immediatè derivatur incisio ligni) aliud autem, agens *A.* producere immediata actionem agentis *B.* per actionem terminatam unicè ad actionem directam hujus agentis. Hoc est, quod aego, quodque non probatur ista paritate. Respondebis 4. In sensu composito intime alligationis, quam habet unio corporis, & animæ Petri cum his extremis, stat capacitas, ut per reflexam unionem uniatur extremis Joannis, vel etiam horum extreborum unioni: cur ergo in sensu composito summa alligationis, quam respectu agentis *B.* habet sua actio, capacitatem non habet, ut per aliam reflexam actionem procedat ab agente *A.*? Contra. Admissa possibili-

tate metaphysica istius unionis reflexæ, non id circa est naturaliter impossibilis, quia superflua; sed quia secum traheret unum e duobus, nempe unionem extremitatum Petri bilocari, vel extrema Petri, & Joannis penetrari: implicat enim unam unionem substantialiter, & non pure integraliter uniri alteri, quin ambæ sint in eodem loco: & implicat ambas esse in eodem loco, quin altera saltem bilocetur, vel ambarum extrema penetrantur: at utrumque hoc est naturaliter impossibile: ergo unio reflexa est naturaliter impossibilis independenter à superfluitate. Cæterum DD. contrarii inquiunt, actionem reflexam esse naturaliter impossibilem, præcisè quia est superflua; ego autem addo esse essentialiter superflua, & inde subinfero, esse metaphysicè impossibilem. Contra 2. Finis cuiuscumque actionis, media qua physice producitur terminus, est præcisè, terminum illum exire ab agente, cuius est ipsa actio: unde originem trahit communis definitio actionis physicae, determinatio *actualis absoluta, & immediata, ut terminus physice procedat ab agente, à quo est ipsa.* Percontor igitur à vobis. Finis unionis est ne solummodo, quod existat in rerum natura extrellum illud, quod unit? Si negetis; ecce vos ipsi disparitatem datis inter actionem, & unionem. Si affirmatis; falsum videmini affirmare: nam cum unio physica presupponat extrema existentia, nequit habere profine eorumdem existentiam in rebus; alioquin nancisci conaretur à ipsu, quod jam supponit acquisitum.

74. Corollarium secundum: absolutè loquendo, neque creatio ipsa potest per actionem reflexam educi, neque educatio reflexè creari: devoluta vero impossibilitate actionis reflexæ, dico: esse specialem contradictionem in eo, quod educatio reflexè creetur, quæ non est in eo, quod creatio reflexè educatur, quod, ut facilius percalleas, discri-  
men adverte inter utramque actionem. Educatio est actio se ipsâ unita alteri tamquam subjecto præsupposito, idest tamquam subjecto per ipsam non producto: quam ob rem, formam materialē educi de potentia materiæ, in ipsaque recipi, nihil aliud est, quam actionem productivam hujus formæ per se ipsam immediatè uniri materiæ, quæ non producitur per illam actionem. Creatio est actio, quæ non unitur per se ipsam subjecto præsupposito, sed termino producto per ipsam; quapropter, animam rationalem creari, nil aliud est, quam produci per actionem non alligatam essentialiter subjecto alii per ipsam non producto, sed ipsi soli animæ rationali. Ratio est. Hæ definitiones convenient respetivè omnibus educationibus, atque creationibus, quas novimus, ut inductione constabit; ergo sunt veræ, atque sufficien-

vientes. Dico igitur, impossibile esse, quod eductio creetur: non verò quod creatio educatur (supposita actionis reflexæ possibilitate) Probo primum. Si eductio crearetur, hæc reflexa creatio esset creatio, ut ponimus, & non esset creatio, ut probo. Nulla actio essentialiter unita, sive mediata, sive immediata alteri, tamquam præsupposito subjecto, est creatio: de conceptu quippe hujus, ut distinctæ ab eductione, est non habere ejusmodi unionem; at creatio ista reflexa essentialiter uniretur mediata vel immediata alteri tamquam subjecto præsupposito. Patet: ista creatio reflexa haberet per suam essentiam uniri termino per ipsam producto: sed hic terminus, quippe qui esset eductio, haberet per suam essentiam uniri alteri tamquam præsupposito subjecto: ergo reflexa creatio eductionis haberet per suam essentiam uniri termino unito per suam essentiam alteri tamquam præsupposito subjecto: sed hoc est uniri essentialiter mediata subjecto præsupposito: ergo ista reflexa creatio haberet per suam essentiam uniri mediata subjecto præsupposito: ergo non esset creatio.

75. Probo secundum ex eo, quod si creatio reflexè educatur, nulla sequitur contradic̄tio, unà exceptâ actionis reflexæ, quam modo permittimus: ergo hac hypothesi admissa, possibile est creationem reflexè educi. Sed emergit illico difficultas. Nil, quod essentialiter est independens à subjecto præsupposito, potest per quipiam sibi extrinsecum dependere ab illo; quemadmodum nil quod essentialiter est homo, potest per aliquod sibi extraneum constitui non homo. Sed omnis creatio est essentialiter independens à subjecto præsupposito, hoc enim maximè differt ab eductione: ergo nulla creatio potest per quipiam sibi extrinsecum dependere ab aliquo subjecto præsupposito. At si reflexè educeretur, per hanc eductionem constitueretur dependens ab aliquo præsupposito subjecto: omne namque quod educitur de potentia subjecti, dependet ab illa: ergo nulla creatio potest reflexè educi. Trasmissio primo Syllogismo, ubi confunditur independentia positiva cum negativa consistente in pura carentia dependentie, nego subscriptam minorem, ad cuius probationem dico. Omne, quod naturaliter, & consentaneè ad propriam naturam educitur ex potentia materiæ, dependet à subjecto præsupposito: dependet enim à sua eductione, quæ per se dependet à subjecto præsupposito; secus omne, quod supernaturaliter dumtaxat, & propria repugnante natura educitur: licet enim eductio hujus dependeat quoque per se ab illo subjecto; attamen ipsum non dependet ab eductione, cui potius ex natura sua physica resistit. Casu autem, quo creatio reflexè educeretur

tur non naturaliter, sed propria reclamante naturā educeretur: ergo minimè dependeret à præsupposito subjecto.

76. Corollarium tertium. Diximus num. 64. correspondētiam inter potentiam activam, & passivam logicam passivam esse, correspondentiam solius possibilitatis. Hinc inferunt RR. quamcumque causam creatam esse metaphysicè connexam cum possibilitate suorum effectuum, & omnipotentiam ipsam divinam esse intimè connexam cum possibilitate possibilium, & impossibilium impossibilitate. Una ex præcipuis rationibus, quibus moventur, quamque valdè attollit P. Ribadeneyra est: potentia ignis A. v.g. ( idem dicit de quavis alia respectu suorum effectuum ) per se ab intrinseco est potens producere ignem B. item per se ab intrinseco est impotens producere chymaram: ergo per se ab intrinseco distinctionem infert ignis B. à chymara: ergo per se ab intrinseco infert, ignem B. non esse chymaram, subindeque esse possibilem. Energare conantur alii hunc discursum distinctione potentie subjectivè absolutæ, ac terminativè conditionatæ data, & refutata supra: Ego tametsi illationis doctrinæ essentiar, probationi huic non fido. Etenim nihil, quod præcisè, ut tale, est compatibile cum eo, quod ignis B. sit chymara; est præcisè, ut tale, connexum cum possibilitate ignis B. At potentiam ignis A. posse per se ab intrinseco producere ignem B. & non posse per se ab intrinseco producere chymaram, præcisè ut tale, est compatibile cum eo, quod ignis A. sit chymara. Explicatur. Patrem eternum posse per se ab intrinseco producere Filium, & non posse per se ab intrinseco producere essentiam, præcisè ut tale, est compatibile cum eo, quod filius sit realiter essentia divina, seu sit Deus, ut certum est: ergo ignem A. posse per se ab intrinseco producere ignem B. & non posse per se ab intrinseco producere chymaram, præcisè ut tale, est compatibile cum eo, quod ignis B. sit chymara. Ratio amborum est: omne, quod præcisè, ut tale, contentum est sola distinctione virtuali, aut alia simili inter ignem B. atque chymaram, præcisè ut tale, est compatibile cum eo, quod ignis B. sit chymara; sola namque distinctio virtualis, aut formalis unius ab alio, non impedit unum esse illud aliud, ut patet in divinis. At potentiam ignis A. posse producere ignem B. & non posse producere chymaram, præcisè ut tale, est contentum sola distinctione virtuali ignis B. à chymara: quemadmodum Patrem posse producere filium, secus essentiam divinam ( hæc enim neque generat, neque generatur ) contentum est mera distinctione virtuali, aut alia simili inter filium, & essen-

essentiam : ergo potentiam ignis A: posse producere ignem B. secus chymeram , præcisè ut tale , est compatibile cum eo , quod ignis B. sit chymera . Neque appelleat impossibilitatem distinctionis pure virtualis extra Deum . Nam , quamquam re vera impossibilis sit , hæc impossibilitas non evincitur per istud medium à te assumptum . Unde infero ego , istud medium præcisè , ut tale , impar esse , ac insufficiens probando connexionem causarum cum possibilitate suorum effectuum . Hac de causa , quando proprio in loco , utor illâ ratione , solidum deduco immediatè , ac directè , Deum per se essentialiter inferre distinctionem realem , aut saltem virtualem inter creaturam possibilem , & chymeram . Cumque utravis distinctio sit quid à Deo distinctum ; habetur , illum per se essentialiter connecti cum aliqua veritate distincta ab ipso .

77. Corollarium quartum . Diximus num. 65. Potentiam , ut in actu primo proximo ad operandum semper importare secum existentiam absolutam passivæ potentiae physicæ ; non tamen semper existentiam absolutam potentiae passivæ logicæ , unde infertur , possibilitatem formalem , atque immediatam effectus non esse prærequisitam ad effectum producendum : ut autem latenter detegas aequationem discernere oportet possibilitatem mediatam , & illativam ab immediata , & formali . Illa est sanè prærequisita largo quodam modo ad effectum ; nam consistit in sola virtute causæ , vel in complexo ex illa , & conditionibus præviis ad operandum , quæ omnia , & singula intime connectuntur cum possibilitate effectus , atque id circò vocantur possibilitas mediata , & illativa illius ; at virtus causæ , & conditiones illæ sunt prærequisitæ ad effectum : ergo possibilitas illativa est prærequisita ad effectum . Dico esse prærequisita largo quodam modo : nam pressè loquendo , illud tantummodo est prærequisitum , quod constituens proximam causæ potentiam , non influit physicè in effectum , qualiter se habet replicatio agentis ad passum . Cæterum possibilitas proxima , intrinseca , immediata , & formalis effectus stat formaliter , ac immediatè in effectu ipso , qui suæ solius beneficio essentiaæ est possibilis potius , quam impossibilis , & non ad utrumlibet indifferens : ad modum , quo Petrus suæ solius beneficio essentiaæ est homo absque indifferentia , ut sit homo , aut Jumentum , quod fuissemus ostendemus disputatione de rerum possibiliitate ; atqui effectus ipse non est prærequisitus ad se ipsum ; alioquin sibi ipsi precederet : ergo possibilitas formalis , & immediata effectus non est prærequisita ad effectum ipsum : ergo neque potentia passiva logica ,

Sed

Sed dices. Repugnat, causam esse proximè potentem ad effectum; & hunc non esse possibilem formaliter: ergo proxima causæ potentia importat secum essentialiter possibilitatem formalem effectus. Distinguo hoc consequens: importat constitutivè possibilitatem formalem effectus; nego: connexivè; concedo. Sic repugnat, creaturam existere absque Deo: hinc autem solum potest inferri, creaturam importare secum essentialiter connexivè existentiam Dei; non verò essentialiter constitutivè.

78. Instabis. Si sola possibilitate formalis, atque immediata effectus non intellecta, non intelligitur causa, ut proximè potens effectum producere; hæc possilitas non distinguitur adæquatè ab ea proxima potestate; atqui sola possilitate formalis, atque immediata effectus non intellecta, non intelligitur causa, ut proximè potens eum producere: ergo possilitas formalis, atque immediata effectus non distinguitur adæquatè ab ea proxima potestate. Sed omne, quod non distinguitur adæquatè ab ea proxima potestate, identificatur adæquatè cum illa, vel constituit illam, vel constituitur per illam, vel per aliquid, quo etiam constituatur proxima illa potestas: ergo formalis, & immediata possilitas effectus aliquam ex his relationibus habet cum proxima potestate suæ causæ; sed nullam aliam potest habere ab hoc, quod est constituere proximam potestatem: ergo illam constituit. Jam prima major est evidens: si enim proxima potestas causæ distingueretur adæquatè à possilitate formalis effectus, hac sola non intellecta, intelligerentur omnia distincta adæquatè ab illa (hanc enim vim habet particula illa exclusiva) & consequenter intelligeretur ipsa proxima potestas cause. si ea distingueretur adæquatè ab illa possilitate: ergo si sola possilitate formalis effectus non intellecta, non intelligitur proxima causæ potestas; evidens signum est, hanc proximam potestatem non distingui adæquatè ab ea possilitate: quo circa major illa, ob solam carentiam penetrationis terminorum, negari potest. Probo nunc minorem. Omnis cognitio causæ, ut proximè potentis producere effectum debet representare hujus possilitatem formalem, ac immediatam: ergo hac sola possilitate non intellecta, seu non cognita, non intelligitur causa ut proximè potens, seu non datur cognitio causæ, ut proximè potentis. Probo antecedens. Omnis cognitio habens hunc expressum modum tendendi. *Causa est proximè potens producere effectum A.* v. g. clarè representat possilitatem formalem ipsius effectus *A.* Sed omnis cognitio causæ, ut proximè potentis producere effectum *A.*, debet ha-

habere prædictum modum tendendi : si namque aliud huic dissimilem habuerit , vel non exprimet causam , ut proximè potentem , vel saltem non , ut proximè parentem producere effectum A. in individuo : ergo omnis cognitio causæ , ut proximè potentis producere effectum , claram repræsentat hujus possibilitatem formalem . Probo majorem . Omnis cognitio aperte æquivalens huic modo tendendi effectus A. est proximè potens produci à causa , repræsentat claram possibilitatem formalem , & immediatam effectus : valde namque hebes erit intellectus ille , qui ex hac cognitione non deprehenderit illicid effectum A. esse formaliter possibilem ; at omnis cognitio habens hunc modum tendendi , causa est proximè potens producere effectum A. est aperte æquivalens huic , effectus A. est proximè potens produci à causa ; siquidem sola voce activa , & passiva differunt : ergo .

79. En argumentum probans , quamcumque relationem trascendentalem , sive connexionis , sive oppositionis , sive causalitatis constitui intrinsecè per terminum ; & hoc propter maximam illam : *Id , quo solo non intellectio , non intelligitur A. non distinguatur adæquate ab A.* Maxima hæc ex sola terminorum propositione est mihi vera ; sed in re scholastica parum utilis : qui enim censuerit rem A. non esse constitutivum rei B. sed solum connotatum , aut terminum solius connexionis metaphysicæ , concessa ista majore , dicet minorem hanc : *Sola re A. non intellecta , non intelligitur B. implicare in terminis non secus , ac istam aliam : solis extremis non intellectis , non intelligitur anio physica ipsorum .* Ratio est . Omnis propositio tacitè assumens duas hypotheses , quarum una infert existentiam conditionati , altera ejusdem parentiam , implicat in terminis : hoc est . Est propositio conditionalis veritatis impossibilis ; sed tales sunt istæ duæ propositiones . Probatur : Hæc propositio : *Solo A. non intellecto , non intelligitur B. assumit tum hypothesis de eo , quod A. non intelligatur in rebus , tum hypothesis de eo , quod cætera omnia distincta adæquate ab A. intelligantur existere in rebus :* ( hanc quippe vim habet particula illa exclusiva solo ; quamobrem propositio hæc v.g. *solus Petrus non tacet* , est simpliciter copulativa enuncians Petrum non tacere , & cæteros tacere , quod inde constat ; nam si alius quoque à Petro non taceret , falsum esset dicere , solum Petrum inter illos , de quibus est sermo , non tacere ) sed hypothesis de eo , quod non intelligatur A. infert , quod neque intelligatur B. ut potè connotans ipsum A. hypothesis verò de eo , quod cætera omnia intelligantur , adducit secum , quod intelligatur B. nam est unum ex distinctis adæquate ab A:

Cc

ergo

ergo ista propositio duas implicitè , aut explicitè assumit hypotheses ;  
quarum una infert intelligi *B.* , altera infert non intelligi *B.* ergo est  
implicatoria in propriis terminis : ergo tametsi assumpta Maxima sit  
vera , ejusdem applicatio in minore parum habet roboris .

80. Explicatur : esto aliquem probatum , extrema esse consti-  
tutiva intrinseca unionis , sic argumentari . Si solis extremis deficien-  
tibus , deficiat unio , signum est , extrema non distingui adæquatè ab  
unione ; sed solis extremis deficientibus , deficiet unio : qui enim  
fieri potest , ut detur in rebus actuale , absolutum , & immediatum  
exercitium uniendi physicè hæc duo extrema , quia hæc physicè exi-  
stant ? ergo extrema non distinguuntur adæquatè ab unione . Ne-  
gabis minorem , quæ si strictè expendatur , involvit terminos sibi ipsis  
contradicentes . Hypothesis namque de eo , quod sola extrema non  
existant , seu deficiant , duo importat : unum est , quod ipsa non exi-  
stant ; alterum , quod perseverent cætera omnia adæquatè distincta  
ab illis , si enim vel unum ex his adæquatè distinctis deficeret , jam  
non deficerent sola extrema unionis . Illud primum affert , quod non  
perseveret unio : quoniam connectitur metaphysicè cum extremis ,  
& deficiente termino connexionis metaphysicæ , ut tali , infallibiliter  
deficit fundamentum ; hoc autem secundum affert , quod unio per-  
severet : nam hæc est unum è distinctis adæquatè ab extremis : ergo  
minor ista duas involvit hypotheses , quarum una connectitur cum  
perseverantia unionis , altera eidem perseverantia repugnat . Idem  
ob eamdem rationem resp. syllogismo objecto num. 78. Concessa  
majore prorsus vera , nego minorem , quia implicat in terminis .  
Dum enim ponis , solam possibilitatem formalem effectū non intel-  
ligi in rebus , duo ponis : unum , ipsam possibilitatem non intelligi  
in rebus ; alterum , intelligi cætera omnia adæquatè distincta ab illa  
possibilitate . Primum adducit secum , quod proxima potestas causæ ,  
utpote connexa metaphysicè cum ea possibilitate , non intelligatur  
in rebus . Secundum autem , quod intelligatur in rebus , quoniam  
hæc proxima potestas est unum è distinctis adæquatè ab ea possibili-  
tate : ergo dum ponis , solam possibilitatem formalem effectū non  
intelligi in rebus ; radicem ponis gemini contradictorii . Neque dicas ,  
hanc esse petitionem principii : tametsi enim data solutio esset peti-  
tio principii , quando arguens assumeret medium distinctum à con-  
tradictorio meæ conclusionis ; non tamen est vitiosa , quando ille sistit  
in contradictorio implicito , vel explicito conclusionis ; quod impræ-  
sentiarum evenit .

81. Ob hanc rationem opinor , argumentum hoc fieri solitum à P. Cardinali de Lugo adversus Connotatores , firmum non esse . Quamquam enim major , quæ communiter negatur ab illis , vera sit ; minor tamen semper claudicat , & in contraditorio hæret explicito , vel implicito contrariæ conclusionis . Alia principia consentanea magis evidentiæ dabimus , quando Connotatores , amota quæstione de vocibus , aggrediamur . Jam probatio primæ minoris scriptæ num. 78. discernenda confundit . Aliud est , cognitionem cause , ut proximè potentis effectum producere non distingui adæquatè à cognitione possibilis formalis , & immediata effectus : aliudque longè diversum , proximam ipsam potestatem objectivam cause non distingui adæquatè à possibilitate formalis , & immediata effectus . Illud primum est verum : quoniam omnis cognitio cause , ut proximè potentis producere effectum , indispensabiliter exprimit possibilitatem formalem effectus , ut bene probat arguens : ergo est aliqua cognitio hujus possibilis : ergo non distinguitur adæquatè ab omni cognitione illius . Cæterum secundum est falsum , & de hoc est quæstio , & non probatur subjuncto discursu . Quo circa antecedentii concessio , dico implicare in terminis consequens ratione illius syncategorematis sola . Etenim si omnis cognitio cause , ut proximè potentis , est aliqua cognitio possibilis formalis effectus , bene deducitur fore , ut non intelligatur causa proximè potens , si nulla datur cognitio possibilis formalis effectus , proindeque , si hæc non intelligitur . Attamen , si addideris , hanc solam non intelligi , tam longè abest , ut sequatur non intelligi causam , quatenus proximè potentem , ut potius deducatur , illam intelligi , ut proximè potentem , eo quid , ut proximè potens distinguatur adæquatè ab ea possibilitate : ergo consequens illud repugnat antecedenti ,

Sin vero particulam exclusivam arceas , concedo totum .

Sed nihil habebimus , quia nervus totus istius

ratiocinationis in termino eo exclu-  
sivo consistit .

P. Lugo  
disp. 2. de  
Sacram.  
scil. 7.



## C A P U T N O N U M .

*An vis Creativa repugnet Creatura.*

82.



Ixi num. 6o. Cuicunque potentiaz activæ creatæ respondere potentiam physicam passivam. Quod si universaliter esset verum; sequetur, nullam creaturam posse producere quidquam per creationem: sed hoc accuratiū discutiendum. Non est articulus

fidei, nullam creaturam de facto operari per creationem, ut benè

*P. Arria.* ostendit P. Arriaga: Concilium namque Lateranense, cuius autho-

go disp. II<sup>1</sup> ritatem objiciunt aliqui, dum taxat declarat, *Deum esse omnium Crea-*

*Phys. scilicet. torem*, cum quo stat, aliquod distinctum à Deo esse quoque crea-

*P. Lynce* rem alicujus determinati individui: quemadmodum Deus est om-

1.5. *Phys.* nium productor, atque conservator; & tamen creaturæ etiam pro-

trax. 2. *cap. 4. nu.* ducent simul cum Deo, atque conservant effecta multa. Certum

30. nihilominus videtur, nullam creaturam de facto creare, quidquid

reclamat P. Lynce. Tum quia in hoc DD. Omnes conspirant, vel

Durandus ipse, & ab omnium judicio deflectere, tutum non est.

Tum quia virtus creatrix haud spernenda perfectio est: ergo minimē

danda creaturis de facto existentibus absque urgenti fundamento:

sed hoc non datur. Probo. Duo objicit P. Lynce. Primum est ac-

cidentia Eucharistica puta calorem, siccitatem &c. non recipiuntur

in quantitate: ergo nullibi: ergo producuntur per creationem; sed

ea potest producere ignis hostiæ admotus: ergo ignis potest de facto

producere per creationem ea accidentia. Secundum est. Transub-

stantiatio est actio, qua de novo producitur substantia Corporis

Christi sub accidentibus panis; sed non est eductio: ergo creatio.

Sed ad hanc actionem physicè concurrunt verba Sacerdotis: ergo.

83. Si Doctor hic probabilitate purè extrinseca contentus sit,

largior illam. Sed ad primam rationem nego majorem, quoniam

accidentia illa ex se poscunt in aliquo subjecto recipi: ergo recipiuntur,

nisi speciale adfit fundamentum, ut dicamus, *Deum eorumdem*

violare exigentiam, & miracula ingeminare; sed ejusmodi funda-

mentum non prohibetur: ergo accidentia ista in aliquo subjecto re-

cipiuntur: ergo in quantitate, quippe aliud non est magis idoneum.

Ad secundam nego majorem, quia conversio non efflagitat ex con-

ceptu suo novam, & absolutam productionem termini *ad quem*,

sicut

sicut nec absolutam destructionem termini à quo : nam eo ipso, quod deficiat unio termini à quo cum subjecto, & de novo producatur unio termini ad quem cum subjecto eodem, transibit hoc subjectum, seu convertetur ab uno termino ad aliud ; at quamquam non deficiat absolutè in rebus terminus à quo , fieri potest , ut deficiat hujus unio cum subjecto ( siquidem ille terminus non metaphysicè , sed physicè dumtaxat connectitur cum hac unione , & consequenter unionis hujus defectus non metaphysicè , sed naturaliter solummodo infert defectum illius termini ) & quamquam non producatur de novo terminus ipse ad quem , eo quod jam presupponatur producetus , fieri potest , ut de novo producatur illius unio cum subjecto : ergo quamquam neque unum absolutè , & simpliciter deficiat, neque alterum de novo producatur, dari potest conversio. Quod si; dum aīs, terminum ad quem de novo produci sub speciebus panis , intelligas , de novo produci unionem ipsius cum eis speciebus , donabo tibi propositionem ; verum unio ista non per creationem , sed per eductiōnem producitur . Nego insuper subscriptam minorem , quia verba Sacerdotis non physicè , sed tantum moraliter causant istam transubstantiationem , de quo alibi .

84. Tota igitur difficultas præsens ad duo puncta devoluitur . Primum est : an sit possibilis creatura , cui nativa & connaturalis sit virtus creandi? Secundum: an saltem habeat creatura aliqua virtutem obedientialem , ut supernè elevata possit aliquid creare ? Sciores omnes, uno excepto Durando, censem, impossibilem esse creaturam, cui ea virtus connaturalis sit. Dissentient ex RR.P.Arriaga,& Lynce nuper citati , & quamvis hic adducat etiam P.Hurtado; non assen- tior : quoniam in editione , qua utor, conceptis verbis docet hic Author, *creatio non potest ex natura sua Creaturæ convenire*, quam conclusiōnem ex ratione post modum solvenda deducit . Quoad virtutem autem obedientialem , & instrumentariam affirmat Eximius Doctor, quem sequuntur PP. Albertinus,Hurtado, Arriaga, Lynce, Oviedo, & Eminentissimus P. Bellarm: bene explicans S. Thomam . Negat autem S. hic Magister , Scotus , & Cajetanus , quibus adhærent PP.Vazquez,Fonseca,Granado,& Illustrissimus Episcopus Echalaz . Rei præsentis difficultatem introspicies, si memineris, unumquemque Authorem rationes aliorum hac super re confutare, & ex proprio penu novam depromere , probandi ergo repugnantiam creaturæ creatricis , quæ etiam ratio à subsequentibus exploditur . Cùm ergo fere nullus sit, qui cum alio conspiret in rationem assignandam hujus im-

Durandus in 2. diff.  
1. q. 4.  
Soarez disput. 20.  
Met. scil. 4  
Alberti tom. 1.  
qu. 1. Co-  
roll. 1. ex  
principio 2. Hurtad-  
do disp. 12.  
Phy. scil. 3. Arria-  
ce ubi nu-  
per.

Oviedo possibilitatis, bene colligitur, eam demonstrari non posse, ut olim docuit Gabriel. Hinc occasionem sumens.

Pby. p. 4. 85. Dico: Stando authoritati, repugnat omnino creatura, cui cont. 13. tcm. 2. lib. naturalis, nativaque sit virtus creandi; secus stando soli rationi naturali. Hæc duo non dissentunt invicem, quoniam multas veritates

Molina novimus PP. Authoritate ducti, quas solo naturali lumine aequi ne- 1.p. qu. 7. art. 1. & quibamus: quo circa bene stat, nullam rationem ex hucusque produ- q 45. art. 5. S. Thom. ipfa detur. Probo primam partem. Nihil, quod est solius Dei, potest

1 p. qu. 45. art. 5. ullà potentia reperiri in creatura aliqua; sed creare solius Dei, ejusque

Sectus in Verbi, & Sapientia est: ergo creare, seu virtus creativa non potest 4. disf. 1. ulla potentia reperiri in creatura ulla. Consequentia est legitima,

q 4. 1. major perspicua, & minor expressa S. Athanasii, qui sermone 3. refu- Cajetanus. tans Arrianos, hæc scribit. Administrare creaturarum, & servorum est;

3. p. q. 62. Vafq. 1. p. condere autem, & creare solius Dei, ejusque Verbi, & Sapientia est. Ubi

disp. 176. Verbi Divini Divinitatem afferens, inde argumentatur, quod Ver-

Fonseca bum operetur per creationem. Gracilis autem argumentatio foret, si 5. Metaph. cap. 2. creaturæ quoque vel existentes, vel possibles possent operari per crea-

Granados. tionem: nam ad probandum essentialē distinctionem unius ab alio, 1. p. q. 44. opus est medium assumere conveniens uni, & repugnans alteri, vel Echabalas. è converso. Concinit Gracco P. Latinus. Suadens enim Augustinus,

Pby disp. 24. cap. 4. Angelos nullam omnino posse creare naturam, hanc profert ratio-

Gabriel. nem. Solus enim unus cuiuslibet naturæ, seu magnæ, seu minimæ creator est Deus. Tacitum prætereo aliud ejusdem P. testimonium, quo uti-

in 2. disf. 1. tur S. Magister Thomas; nam respondere possunt Adversarii, Augu-

q. 4. art. 3. Aug. ju. stinum loqui tunc de creaturis modò existentibus, possibles verb per Gen. esse infinitas alias creatureas entitative perfectiores Angelis modò

ad litterā existentibus, & illis vim creatricem inesse.

cap. 15. Lynce ubi. 86. Respondet primò P. Lynce, bisariam sumi posse creationem. sup. n. 46. Primo pro actione independente à subjecto præsupposito. Secundo pro actione independente ab alia concausa efficiente, præsertim principali. Cur enim productio rei ex nihilo subjecti, seu ex nullo ante-

riore subjecto appelletur creatio; productio autem rei ex nihilo causa efficientis distinctæ, atque cooperantis, creatio nuncupari nequeat?

Addit PP. ambos loqui de hac secunda, non de prima. Loquuntur de secunda, quoniam solius Dei est operari posse independenter à qua- cumque concausa principali; si quando operatur simul cum creatu- ra, hæc collata cum Deo non est causa principalis, sed instrumentalis solummodo; at vero creatura numquam operari valet independenter

ter

ter ab alia concausa principali , quia operari nequit independenter à Deo: non loquuntur de prima illa rigorosa creatione ; namque etiam docent PP. solius Dei esse condere, efficaciter operari, providere, facere, & continere : at nihilominus hæc non sunt intelligenda absolute, sed cum restrictione , quandoquidem creaturæ quoque efficaciter operantur, providentque; qua propter præcisè sunt intelligenda *de providere, facere, efficaciter operari*; independenter ab alia concausa principaliore. Hanc etiā solutionem præbet P. Arriaga. Quinque hic discent . Primo, si actio independens ab alia concausa efficiente principaliore , est verè, & propriè creatio , sequetur fore , ut quando solus Deus producit aliquod accidens v.g. habitum infusum, vel lumen gloriæ , produceret illud per veram creationem , siquidem independenter ab omni influxu efficiente aliis concausæ principalioris illud producit : atqui hoc est falsum ; nam accidentia hæc titulo supernalitatis non eximuntur à conditione propria omnium accidentium distinctorum à creatione , quæ sanè accidentia ob proptiæ conditionis imbecillitatem, exigunt subiectum, in quo recipiantur: ergo productio rei independenter ab alia concausa principaliore non sufficit ad veram creationem , ut distinctam ab educatione , quidquid sit de creatione alia impropria : ergo non sunt dicendi PP. illi loqui de hac creationis specie .

87. Secundò . Si actio ex nihilo causæ coefficientis est vera creatio, propterea quod ex nihilo causæ materialis creatio sit, cur non dicet alias, actionem ex nihilo causæ finalis, atque exemplaris esse creationem, propterea que Bruta operari nequeuntia ex fine, aut ex causa exemplari, operari per creationem ? Quamobrem, sicut tu respondebis, non esse ad libitum, mutandos rerum conceptus, conceptumq; creationis non stare in eo, quod independens sit à causa finali, & exemplari; sed in eo, quod à materiali non dependeat: cuius ratio est, hoc voluisse significare homines illa voce. *Creatio* : Ita ego respondeo, solam productionem rei ex nihilo causæ materialis esse creationem, secus ex nihilo causæ coefficientis principalioris, nempe quia illud, & non hoc intelligimus ea voce *Creatio*. Tertiò . Non est proprium solius Dei illud, quod non verificatur de Deo semper , ac universaliter ; at concurrens ad actionem independenter ab omni concausa principaliori respectu illius actionis , non verificatur semper ac universaliter de Deo: ergo id generis actio non est propria solius Dei: ergo actio, quam PP. dicunt esse propriam solius Dei, non est illa , quam proponit hic Author . Probo minorem . Deus concurrit ad actionem ipsam peccatum.

*Arriaga  
ubi supra  
n.84.*

minosam creaturæ, utmodò suppono; & tamen non concurredit ad illam independenter ab alia concausa principaliore respectu illius actionis; quippe non concurrit independenter à creatura, quæ est principalis, imò unica causa malitiæ formalis illius actionis juxta illud.

*Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum, & rursus alibi.*

*Ostas. 13. Servire me fecisti in peccatis tuis: ergo hoc, quod est concurrere inde-*

*Isiae. 43. pendenter ab alia concausa principaliori respectu illius effectus, non ve-*  
tificatur semper ac universaliter de Deo.

88. Quarto. Eadem licentia, qua PP. dicentibus, creare esse solius

Dei, respondetur, id esse intelligendum de virtute creatrice independente ab alio, non de dependente, poterat aliis PP. docentibus, solius

Dei esse, se comprehendere esse omnipotentem, esse omniscium &c. respondere, hæc intelligenda esse de comprehensione, omnipotentia,

omniscientia, independentibus ab alio, non de dependentibus; quo circa creatura poterit comprehendere, Deum esse omnipotentem, o-

mniiscium, dependenter tamen ab influxu, & consortio Dei. Quinto. Redargutio, qua se tuetur hic Author, parum firma videtur. Aliud est,

solum Deum efficaciter operari; aliud autem efficaciter operari, ut

*Creatorem*. Si Cyrillus (in testimonio hujus nititur redargutio) scri-

psisset illud primum, succumberemus oneri; ast non primum, sed secundum tradidit, ex quo nil contra nos. Audiatur is P. disputans

*Lib. 2. contra Julianum. Inaccessa natura sunt ea, quæ propriè sunt solius, &*

*omnium summæ substantiae. Quorum unum esse dicimus efficaciter operari*

*posse, ut Creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant, nempe se-*

*cundum aliquod ipsarum. Ecce P. hunc non dicere, esse propriè solius*

*Dei efficaciter operari, sed efficaciter operari, ut Creatorem, ad quod*

*testimonium restringendum, seu alienandum vis nulla adigit. Simili-*

*liter: aliud est, Deum solum esse factorem, provisorem, & contento-*

*rem. Aliud longè diversum, solum Deum esse factorem, provisorem,*

*Damasc. & conténtorem omnium, seu universalem. Si Damascenus (cujus etiam*

*2. de fide. profert autoritatem) docuisset primum, valida esset redargutio: at*

*non primum, sed secundum scripsit. Audiatur. Quicumque dicunt,*

*Angelos conditores esse cujuscumq; substantia, ipsius Diaboli sunt, eorum*

*quidem Patris. Creaturae enim cùm sint, non sunt conditores. Omnia*

*verò factori, & Provisor, & contentori Deus solus est. En non dicit, Deum*

*solum esse factorem, sed Deum solum esse omnium factorem. Hinc*

*quæ instantia contra nos?*

## §. I I.

39. **H**æc forsan subodoratus , aliam capit viam nūm. 48. ut à PP. autoritate se protegat. Duplex distinguit creationis genus : unum consistens in actione independente à subjecto presupposito ; alterum in actione , cuius ratio *sabqua* , seu cuius objectum formale sit *ens finitum ut sic* . Si enim datur una intentionalis actio , cuius ratio sub qua est verum , & alia , cuius ratio sub qua est bonum , cur dari nequit actio physica , cuius ratio sub qua sit ens finitum ; jam actio hæc universalissimam rationem entis finiti sibi vendicans , cùm ex modo tendendi sit perfectissima , actionis perfectissimæ , nimirum creationis , nomen sibi arrogat ; de hac ergo specie creationis loquuntur PP. memorati , nam hæc est propria solius Dei . Probatur facile . Posse producere omne producibile est proprium solius Dei , quia nulla creatura hoc potest , alioquin se ipsam producere posset ; sed producere hoc singulare A.v.g. sub ratione communissima entis finiti , & producibilis , est posse producere omne producibile . Ideo namq; intellectus potest agnoscore omne verum : quia quodvis cognoscit sub ratione generalissima *veri* , & ideo voluntas capax est amandi omne bonum , quia amat sub ratione *boni* : ergo producere sub ratione generalissima entis finiti , & producibilis est proprium solius Dei . De hac creationis specie loquuntur PP. ipse de altera , quæ est produc-  
tio rei independentis à subjecto : ergo PP. non negant creature speciem illius creationis , quam ipse tuetur . Venustus discursus . Sed contra . Actio productiva individui effectus A. sub ratione generalissima entis finiti non est creatio : ergo PP. loquentes de creatione , de illa non loquuntur . Probo antecedens . Actionem esse produc-  
tionem illius effectus sub ratione illa generalissima , vel est rationem illam inveniri in omnibus , quæ terminant eam actionem , & esse talem , ut si non inveniretur , non terminarent eam actionem ( quæ duo solent esse attributa objecti formalis cujuscumque actus , & potentiaz ) vel est actionem illam ex se capacem esse , ut sit prod-  
uctio omnis omnino entis finiti ; vel est potentiam , à qua physice egreditur posse realiter à parte rei producere omne ens finitum ; vel denique est rationem solam entis finiti esse motivum impellens ad ponendam talem actionem , itaut si subjectum illam ponens , roga-  
retur rationem ponendi illam , hanc solam daret . Quia terminus bu-  
jus actionis est ens finitum .

90. Si primum: ergo etiam generatio à causis naturalibus oriunda est creatio. Probatur sequela. Ideo præcisè per te ista actio, quam comminisceris, est creatio, quia attingit suum terminum sub generalissima ratione entis finiti: & idem rursus attingit suum terminum sub generalissima ratione entis finiti, quia ratio hæc invenitur in omnibus, quæ terminant actionem eam, & si non inveniretur, actionem illam non terminarent: sed etiam ratio entis finiti invenitur in omnibus, quæ producuntur per generationem oriundam à creature, & si in illis non inveniretur, non generarentur à creature; cum certum sit hanc nullo modo posse producere id, quod non sit ens finitum: & certum ulterius sit, esse ens finitum quidquid à creature producitur: ergo etiam generatio à creature oriunda attingit suum terminum sub generalissima ratione entis finiti, subindeque est creatio stricta, & rigorosa. Si secundum; falsum dices: quoniam ex supradictis constat, omnem actionem physicè productivam cuiuslibet termini per solam suam essentiam habere, quodd sit productio illius, & quod non sit productio illius, cuius semel non est productio. Sed ista actio semel non est productio actualis, absoluta, immediata, & in actu secundo omnis omnino entis finiti, ut patet: ergo ista productio singularis effectus per solam suam essentiam habet non esse productionem actualem, absolutam, & immediatam omnino omnino entis finiti: ergo falsum dices, si dixeris actionem istam esse ex se capacem, ut sit actualis, absoluta, & immediata productio omnis entis finiti. Si tertium; sequetur similiter esse creationem actionem illam, qua Deus simul cum creature producit formam ignis dependenter à subjecto; nam etiam actio hæc egreditur physicè à subiecto, Deo nimirum, quod realiter à parte rei potest producere omnem ens sibutum: ergo si hac de causa ista tua actio attingit effectum sub ratione generalissima entis finiti, & propterea jure appellatur creatio, etiam actio à me objecta attinget suum terminum sub ratione generalissima entis finiti, & propterea erit creatio. Quodd si hoc exemplum displicerit, eo quod actio productiva ignis proveniat etiam à causa creata, suffice actionem à solo Deo nascentem, qualis est productio auxiliarum, luminis gloriae, & aliorum donorum supernaturalium, quæ solus Deus producit.

91. Denique si quartum elegeris extremum; quo pro ulterius: vel tò *Quia sumitur in sensu merè negativo, id est non ponere banc actionem, si suus terminus non foret ens finitum, & sic sequetur eductionem quoque esse creationem; quoniam agens eductionem non ponet, si hujus*

hujus terminus non esset ens finitum; illud enim, quod vel nihil, vel chymæra, vel Deus est, educi nequit ex subjecto. Vel tò *quia* sumitur in sensu positivo, quatenus sit ratio sufficienter, & adæquatè motiva ad ponendum actionem, eo quòd suus terminus sit ens finitum; & hoc apertè videtur falsum. Motivum namque adeo amplum, & universale, quale est ens finitum, nequit se solo impellere ad productionem v. g. producat Deus per istam actionem, quam committasceris, animam v. g. rationalem. Rogetur sic. Domine, quod motivum habuisti ad producendam hanc animam? esset ne de cora infinitæ sapientiæ, & prudentiæ Dei, hæc responsio. *Illam produxi unicè, quia illa est ens.* Apagè. Nam etiam cætera omnia, quæ produci possunt per eductionem, sunt entia finita, & non idcirco datur motivum sufficiens, & adæquatum ad producenda illa. Constat ergo actionem istam attingentem suum terminum sub ratione generalissima entis finiti, vel esse impossibilem, vel creationem non esse, ut distinctam ab eductione: ergo PP. negantes creaturæ capacitatem creandi de hac actione non loquuntur. Parco aliis, Ob eamdem rationem censeo cum P. Vazquez, & Echalaz, & Molina contra PP. Suarez, Oviedo, Hurtado, Arriaga, Lynce, & alios, repugnare creaturam, quæ potentiam habeat obedientialiter ad creandum. Probo. Repugnat creatura adhuc obedientialiter capax illius, quod est proprium Dei, ejusque verbi: sic repugnat creatura obedientialiter capax ad comprehendendum Deum, ad omnia proru tu sua voluntatis creandum, nimirum quia hæc sunt attributa propria Dei. At juxta Athan. & August. creare est proprium solius Dei: ergo. Confirmatur. Repugnat creatura, quæ habeat potentiam obedientialiter ad se ipsam producendam; at Angelum v. g. creaturam impossibile, quæm se ipsum producere juxta August. ajentem, *Angelum tam non posse quamvis rem creare, quæm neque se ipsum:* ergo.

S. Aug. 9.  
de Genes.  
ad lite  
cap. 15.

92. Quinque argumenta producit subtilis hic Scholasticus, probaturus suam conclusionem. *Primum est.* Multò majus est intueri infinitam essentiam Dei, quæm entitatem finitam à non esse ad esse per creationem traducere; at possibilis est creatura, quæ naturaliter Deum intueri possit: ergo & creatura, quæ connaturaliter valeat creaturam aliam de non esse ad esse per creationem traducere. Majorem vocat perspicuum, minorem supponit. Verùm ego, & nego majorem, & rursus utrāque præmissa datà nego consequentiam. Nego majorem, quoniam si Patres nostri, quibus major naturæ divinæ fulgor assulsum, consulantur; nemo dicet, solius Dei esse se ipsum intueri,

Florenti- tueri, imò tota Ecclesia catholica in Conclio Florentino tenet, per-  
num fessi- fectionem hanc communicabilem esse creaturis rationalibus, docente  
ultima in litteris u. Joanne. Quia videbimus eum sicuti est: at si consulantur super re-  
nionis præsentis, audiemus duos insignes Magistros Ecclesiae Athanasium  
Jo: epist. I. scilicet, & Augustinum expressè ajentes. Condere, & creare solius  
cap. 3. Dei, ejusque Verbi, & sapientiae esse: ergo perfectio hæc non est com-  
municabilis creaturæ, si authoritati PP. stemus: ergo Deum intue-  
ri, quamquam sit longè majus appretiativè, quam aliquod creare,  
non tamen est majus physicè, & entitativè. Nego insuper conse-  
quentiam. Quia brutorum sensatio, & nutritio, utpotè actiones  
vitales, multò perfectiores sunt omnibus pensatis, quam Solis splen-  
dor: ergo ne, quia formica potest sentire, & nutriti, potest quoque  
connaturaliter splendere instar Solis, Globum terraqueum, & cæle-  
stem illuminantis? Minime. Videlicet, quia ex capacitate ad opera-  
tionem perfectiorem, perperam arguitur universaliter capacitas ad  
imperfectiorem: alioquin Angelus potens elicere operationes spiri-  
tuales, elicere etiam poterit sensationem, & nutritionem materia-  
lem. Secundum. Independentia in operando à causa omnium im-  
perfectissima, qualis est materia prima, non est cur arguat in operante  
perfectionem infinitam: ergo non repugnat creaturæ hæc indepen-  
dentia in operando: ergo nec virtus creatrix. Omissis antecedentis,  
nego consequentiam; nam suppari vi arguere poteras. Producere  
materiam primam omnium entium imperfectissimam non est, cur  
arguat in operante infinitam perfectionem: ergo ipsi materiæ primæ,  
aut composito substantiali ex ipsa compacto non repugnat hæc pro-  
ductio. Mala consequentia, quoniam licet non repugnet ex isto ti-  
tulo, adest aliis ex quo repugnat. Idem in præsentis, transeat modò,  
istud independentiæ genus per se præcisè non arguere in sensu for-  
mali perfectionem infinitam; at quia proprium est solius Dei, ut  
docemur à SS. PP. creaturæ repugnat. Si mavis, negato antece-  
dens: quia omne proprium solius Dei arguit infinitam perfectio-  
nem; at istud genus independentiæ est proprium solius Dei, ejusque  
Verbi: ergo.

93. Tertium, creaturæ de facto existentes ad creandum possunt  
evchi supernaturaliter; quidni ergo creaturæ possibles, quæ multò  
perfectiores sint omnibus de facto existentibus, nativa virtute creare  
nequibunt? Nego antecedens; quia nulla virtus, sive adæquata, sive  
inadæquata, sive inchoata, sive completa tribuenda est entibus modò  
existentibus absque positivo fundamento, & necessitate: at tale-  
fun-

fundamentum non profers. Paritas namque ex virtute obedientiali ad quosdam actus supernaturales rem non evincit, quia male arguitur ex virtute ad unum, virtus ad aliud, quando unum, & aliud sunt extrema disparata, ut innumeris exemplis cuique præviis ostenditur: ergo. *Quartum:* majus quid est, ignem obedire Deo in non producendo calorem in passo approximato, & disposito, quam in producendo eundem absque omni passo; at in primo potest ignis obedire Deo: ergo in secundo. Major supponit probandum; supponit namque in igne capacitatem ad obediendum Deo in operando sine subiecto; hæc autem capacitas &què repugnat igni, atque capacitas ad obediendum Deo in amando. Nam, quemadmodum capacitas ad obediendum in amando, est propria solius rationalis; ita capacitas ad operandum sine ullo subiecto est propria solius Dei, ejusque Verbi, & Sapientiæ, ut clamat Athanasius contra Arrianos. Ad hęc. Obedire Deo in operando absque subiecto, & repugnat creaturæ ob testimonia PP. & repugnat ipsi Deo, ut potè incapaci obediendi sibi ipsi: ergo omne obedire Deo in hoc est chymæra: ergo capacitas ad hoc obedire est capacitas ad chymaram, unde & ipsa capacitas chymæra est. *Quintum.* Id non repugnat, ex quo non sequuntur duo contradictoria; at ex creatura creatrice non sequuntur duo contradictoria, ut pollicetur se probatum dissolvendo argumenta contraria: ergo. Et hæc est ratio, cui unicè fudit P. Arriaga. Sed ambo meminisse debuerant solutionis, qua hoc argumentum præcavet acerrimus Doctor Vazq. videlicet, latere posse contradictionem, licet ratio purè naturalis eam non detegat: ergo ex eo, quod argumenta sibi contraria non demonstrent contradictionem, & tu efficaciter refellas illa; non probatur omnem abesse contradictionem. Ceterum nego istam minorem; nam *creare* esse proprium solius Dei, & non esse proprium solius Dei sunt duo contradictoria; at ista creaturæ admissa, *creare* esset proprium solius Dei, ut tradit Magister Ecclesiæ Athan, disputans de eodem dogmate, quo magisterium exercuit: deinde non esset proprium solius Dei,  
ut tu doces: ergo sequerentur duo  
contradictoria,

*Vasquez  
ubi sup.*



## CAPUT DECIMUM.

*Altera pars precedentis Conclusionis.*

*Scotus in 94.*  
4. disf. 1. q.  
1. Vazq. 1.  
p. disp. 176  
num. 13.

*Suarez*  
di/put. 20.  
Met. scđ. 2



A fuit, quod stando rationi purè naturali, non repugnat creatura, cui innata, & connaturalis sit vis creativa. Probo illam dissolvendo argumenta haecenus ab Scholasticis excogitata suadendi ergo philosophicè hujus creaturæ repugnantiam. Primum sit Magistri Scoti, quod unum argumentum probatur acerimo Doctori P. Vazquez, qui reliquis confutatis, in eo quiescit, illudque valde amplificat P. Suarez, sed postea in solutionem Durandi vergit. Igitur omnis creatura, vel est materialis, vel spiritualis; sed neutra creare potest: ergo nulla. Prob. minor. Non materialis; nam hæc cùm dependeat à materia in esse, & conservari, pendere quoque debet in operari (alia agglomerat Eximus Doctor) non spiritualis, quia si creatura spiritualis creare posset, creatio hæc deberet esse libera: ergo deberet procedere mediis intellectione, ac volitione; sed hoc est impossibile. Probatur: actus hi solummodo conducere possunt ad creandum; vel tamquam actio creativa, & hoc repugnat; quoniam creatio debet esse in termino; actus autem illi essent in substantia illa creatrice: vel tamquam principium activum; & hoc repugnat etiam, quippe nullum accidens potest esse principium activum principale substantiæ, quidquid sit de principio instrumentalí, de quo nunc non disceptamus: ergo. Hinc refutata manet una ex solutionibus P. Lynce agentis, intellectum, & voluntatem, utpote potentias identificatas cum anima, non esse entitativè accidentia, sed substantia. Refutata inquam manet, argumentum quippe non procedit de intellectu, ac voluntate, sed de intellectione, & volitione, quæ cùm sint operationes vitales substantiæ illius spirituales, essent accidentales entitativè.

95. Respondeo i. cum P. Suarez, intellectiōnem, & volitionem creature illius spiritualis conducturas ad creandum, non quidem tamquam principium activum creationis; sed tamquam meram conditionem applicantem, atque dirigentem potentiam creatricem, identificatam cum substantia Angeli: ad modum, quo intellectio, & volitio prærequiruntur ad cetera opera agentis rationalis, ut rationalis, non tamquam principium physicè effectivum eorumdem, sed tam-

tamquam quid dirigenſ , & applicanſ potentiam executicem . Ita P. Suarez , quem ſequuntur PP. Oviedo , Arriaga , Lynce , Hurtado , & alii frequentes jam citati . Resp. ſecundò cum P. Lynce . Nullum eſſe impoſſibile , quod accidenſ aliquod ſit principium aetivum inadæquatè ſubſtantie : perfectio enim effectus non eſt taxanda per principium inadæquatum , ſed per adæquatum , id est non per unam partem ſuæ cauſæ , ſed per totam ; ſed quamquā accidenſ ſolum ſit imperfectius quacumque ſubſtantia , fieri nihilominus po- tefit , ut complexum resultans ex eo , & alio , vel aliis comprincipiis ſit æquè perfectum , atque ſubſtantia producenda : ergo quamquā accidenſ ſit imperfectius ſubſtantia , po- tefit nihilominus eſſe prin- cipium aetivum inadæquatè illius ; quo circa argumentum Scoti dum- taxat probat , intellectionem , & volitionem nequire eſſe principium adæquatum creationis ; permittit verò , quod ſit principium inadæ- quatum . Resp. tertio , præfatum argumentum unicè probare , in- tellectionem , & volitionem non poſſe creare ſubſtantiam ; at cur ne- quibunt creare aliud accidenſ ? Respondet P. Suarez , connaturalē dependentiam , quam accidenſ habet respectu ſubjecti , obſtar : unde infert , nullum eſſe poſſibile accidenſ , quod poſſit connaturaliter crea- re , vel creari . *Nam licet Deus poſſit agere in creatura , & per crea- ram , inquit , aliud , quod ſit illi connaturale : non tamen poſſet facere , quod ſit connaturale alicui creaturæ id , quod eſt improportionatum naturæ ejus ; at improportionatum eſt naturæ cuiuscumque accidentis , hoc quod eſt creari : nam accidenſ omne connaturaliter habet dependere à ſubjecto : item improportionatum eſt hoc , quod eſt creare ; hic nam- que modus operandi ſuperat modum eſſendi connaturalē ei acci- denti : ergo nequit Deus facere , quod accidenti ulli ſit connaturale , creari , aut creare ; & haec eſt una ex rationibus quibus Egidius oſten- dere conatur , creaturam non poſſe operari per creationem , nempe , quia operatur per potentiam accidentiarum ſuperadditam : haec au- tem attingere nequit immediate , niſi ſolum accidenſ , & hoc inca- pax eſt , ut connaturaliter creetur .*

96. Affentior majori , minori diſſentior . Tum quia creatio ipſa , juxta ipsum Egidium eſt accidenſ , & tamen ei non eſt connaturalē dependenter à præſuppoſito ſubjecto produci , cum potius hoc ſuopte conceptu reſpuat : ergo non eſt connaturalē omni accidenti genericē ſumpto produci dependenter à præſuppoſito ſubjecto . Tum quia conceptus accidentis dumtaxat poſtulat , quod ſit ens in alio ; at eſſe ens in alio non ſtat formaliter , ac immediate in eo , quod con- natu-

*Idem n. 17  
G. 19.*

*Egid.  
Quodlib.*

naturaliter dependeat ab alio tamquam à præsupposito subjecto : si quidem hoc commune est accidenti cum omnibus formis substancialibus materialibus , cuius communitatis incapax esse debet ratio formalis accidentis : ergo ex conceptu generico accidentis parvutudo colligi potest hæc connaturalis dependentia à præsupposito subjecto . Tum quia, etiamsi omne accidens poscat esse in subjecto, compatibile est hoc cum eo , quod connaturaliter creetur . Sic anima rationalis connaturaliter creatur , & tamen unionem efflagitat cum corpore , & existens absque ea violentiam patitur , ut supra notabamus cum D. Thoma , & cum ratione ipsa naturali : siquidem anima rationalis est entitas incompleta : ergo naturaliter exigit unionem sui cum altera comparte , qua cum componit totum substantiale . Hinc constant duo . Primum est, non fore supra modum essendi accidentis operari per creationem : nam eatenus modus hic operandi esset supra modum essendi , quia modus essendi connaturalis omni omnino accidenti esset dependere ab aliquo præsupposito subjecto : atqui hic non est modus essendi connaturalis omni omnino accidenti , ut modus dicebamus : ergo operari per creationem , non est supra modum essendi proprium , & connaturalem omni accidenti . Secundum est solutio alias argumenti ibidem adjuncti ab eodem Doctore: scilicet, non posse creari nisi, aut rem subsistentem , aut per modum subsistentis ; at accidens utpotè naturaliter inhærens subjecto , neque est subsistens , neque per modum subsistentis : ergo . Negatur minor cum sua probatione . Quoniam licet utrumque verificetur de plerisque accidentibus modis existentibus ; attamen cum neutrum importet conceptus genericus accidentis , ut constat ex actione ipsa creativa , absjure dicemus , alterutrum esse de conceptu omnis omnino accidentis . Hoc intelligendum de subsistentia per modum independentiæ à præsupposito subjecto ; secus per modum personalitatis .

*Durand.* 97. Primam solutionem scriptam num. 95. legit apud Durandum P. Vazq; quam frivolam vocat , eo quod in artifice potentia executrix distincta sit ab intellectu , & voluntate : quapropter datus locus ut intellectio , & volitio non sint principium formale, sed præcisè dirigens ; ast subantia spiritualis non aliam habet potentiam executricem præter intellectum , & voluntatem : ergo intellectio , & volitio vel non essent principium creationis , vel essent principium activum , & formale . Addit . Nulla creata intellectio , & volitio videtur possibilis , quæ sit aliud naturæ ab ea , quæ de facto datur in Angelis ; sed hæc non est principium creandi : ergo nulla est possibilis , quæ

quæ principium creandi sit. Ad primam, dissimulata falsa distinctione, quām is Author comminiscitur inter potentiam artificis executricem, & intellectum, atque voluntatem ejusdem, eo quod omnes potentia animæ, tam illæ, quæ vocantur materiales, quām cæ, quæ sunt spirituales, reciprocè identificantur, ut supra dictum est: hoc in quam prætermisso, respondeo. Aliud est, quod substantia spiritualis non habeat aliam potentiam executricem præter intellectum, & voluntatem, quatenus executrix potentia, quām habuerit, sit realiter intellectus, & voluntas: aliud autem, quod simpliciter, & absolute non aliam habeat potentiam executricem. Quemadmodum aliud est, quod homo non alio gaudeat attributo præter animalitatem, quatenus omnia hominis attributa sint realiter animal; & aliud, quatenus simpliciter nil aliud de homine verificetur præter hoc, quod est esse animal. Primum est verum, secundum autem falso. Idem de illa substantia spirituali; non haberet sanc aliam potentiam executricem præter intellectum, & voluntatem, sed unicè, quatenus potentia executrix, quam haberet ad creandum, realiter identificantur cum intellectu, & voluntate. Hinc vero perperam arguitur, actuales ipsas intellectionem, & volitionem concursuras instar principiæ activi, & non præcisè instar directionis, & applicationis. Si enim intellectio modò existens concurrit ad volitionem purè dirigendo, & applicando, non vero physicè influendo in volitionem, ut vulgo fatentur Philosophi, & hoc, quamquam intellectus, & voluntas multò identificantur: cur intellectio, & volitio illius substantiæ spiritualis creatricis non posset concurrere ad creationem dirigendo solidum, & applicando potentiam executricem identificantam cum ea substantia; non vero causando?

98. Ad hæc. Potentia executrix divina, Omnipotentia nimirum, non distinguitur realiter ab intellectu, & voluntate divinis; & nihilominus actus intellectus, & voluntatis Dei concurrunt ad opera hujus potentiarum, non tamquam principium effectivum physicè, sed tamquam directio dumtaxat, & applicatio. Cur igitur in substantia illa possibili non posset idem contingere, maximè cum hoc non arguat perfectionem infinitam, quandoquidem resolvitur tandem in id, quod eadem realiter potentia multos habeat actus, quorum uni dirigere possint ad alios. Ad secundum additamentum nego majorem: non enim est possibilis creatura individua omnium maxima in perfectione per identitatem ( quidquid sit de omnium maxima per unionem physicam cum perfectione omnium maxima, in quo

quo sensu existimo, humanitatem Christi Domini esse creaturam omnium maximam negativè, siquidem nulla est possibilis alia creatura, quæ majore fungatur perfectione, aut strictiore modo illam habeat) ergo ultra Angelos modò existentes, & ultra intellectiones omnes, atque volitiones possunt existere alias longè perfectiores: ergo aliud naturæ: ergo ex eo, quod nulla intellectuum, & volitionum modò existentium sit donata virtute creatrice, arguere nequimus, nullam esse possibilem, quæ ad creationem non concurrat dirigendo, & applicando potentiam executricem.

P. Suarez  
sup.

99. P. Suarez num. 21. conjecturâ geminâ conatur Scoti argumentum firmare. Prima est. Nulla intelligentia finita potest creare aliam perfectiorem se ipsa: nam hoc esset operari supra virtutem causæ principalis. Deinde non est cur possit creare substantias materiales: quia cum sit ad definitam speciem limitata, non continet illas eminenter, neque proportionem ullam habet cum eis. Præterea non potest creare alias substantias specificè distinctas: nam sicut per se loquendo nequit unum animal generare aliud animal distinctæ speciei; ita unus Angelus nequit creare aliud distinctæ speciei. Demum creare non potest aliam substantiam spiritualem ejusdem speciei: quoniam licet non repugnet multiplicitas individuorum in natura Angelica; attamen ea non est per se intenta à natura, sed solum propter speciem conservandam: ergo ubi individua fuerint incorruptibilia, nulli eorum est connaturalis virtus creandi aliud; at spirituales substantiae sunt incorruptibles; ergo nulli substantiae spirituali est connaturalis virtus creandi aliam. Secunda est: substantiae intellectuales creatæ in operationibus sibi maximè connaturalibus, quales sunt operationes intellectus, & voluntatis, non possunt quidquam efficeri, nisi ex presupposito subjecto: hæ namque operationes, utpote vitales, & immanentes, recipiuntur in substantia ipsa intellectiva: ergo vero similius est, non posse habere vim naturalem ad operandum sine presupposito subjecto. Denique primariam rationem impossibilitatis creature potenter creare, sumit ex eis, quæ facta sunt. Inter perfectissimas enim creaturas hæc tenus productas nulla accepit à Deo virtutem creandi, vel minimam entitatem: ergo signum est, id solum provenire ex limitatione omnium harum creaturarum, quantumvis perfectissimarum, & huic rationi insistit etiam P. Doctor Molina.

*Idem n. 12  
C. 38.*

P. Molina  
sup.

Confirmatur: Inter esse participata non potest novus ordo, seu novus gradus reperiri præter eos, qui facti sunt: ergo quocumque fuerit alias ordinis, atque gradus ab eis, qui conditi sunt, non est esse parti-

icipatum, sed esse per essentiam; at potentia creandi debet esse aliud ordinis, gradusque ab eis, qui modò conditi sunt, quandoquidem in nullo ex his reperitur: ergo potentia creandi non est esse participatum; sed esse per essentiam: ergo repugnat creaturæ.

100. Prima conjectura multisariam deficit. Nam 1. intelligentia finita potest creare aliam perfectiorem, non quidem tamquam causâ, & virtus adæquata, sed tamquam virtus inadæquata, prout de facto contingit, rem imperfectiorem producere simul cum alia concausâ rem aliam perfectiorem, cuius rationem non semel deditus, videlicet, perfectionem effectus non esse commensurandam uni dumtaxat parti causâ, sed toti integrè, atque adæquatè sumptæ. 2. non sequetur ullum contradictoriorum par ex eo, quod crearet substantias materiales, illasve contineret eminenter: quamquam enim non haberet cum eis proportionem logicam, eo quod nequiret confundi cum illis sub conceptu materialitatis, aut sub conceptu spiritualitatis: haberet tamen proportionem physicam causâ consistentem in vi, & fœcunditate produceadi substantiam illam materialem, quam esse materiam primam, supponendum est, non autem formam materialem, suapte naturæ exigentem recipi in subjecto. 3. non convincitur repugnantiae propterea, quod posset creare alias substantias spirituales, specificè distinctas. Si enim equus habet fœcunditatem ad generandum mulum, animal distinctæ speciei, cur si rationi soli naturali attendamus, dicendum est, repugnare substantiam spiritualem fœcundam ad creandum aliam substantiam spiritualem specificè distinctam? Porro ex rebus de facto existentibus nequit sumi argumentum efficax ad aliarum rerum possibilitatem refellendam. 4. Posset creare alias substantias ejusdem speciei: quoniam ut modò dixi, ex rebus nunc existentibus parum efficax depromitur argumentum contra res parè possibles: ergo quamquam in rebus modò existentibus multiplicatio individuorum solummodo intenderetur ob conservationem speciei, non illicè est necessarium, quod in omnibus speciebus possibilibus contingat idem.

101. Tum quia multiplicatio non intenditur præcisè ob conservationem speciei, sed ulterius, ut exerceatur virtus, & activitas rerum, ne otiosa sit; item ut satisfiat exigentias aliarum rerum, ut evenit in animabus rationalibus, quæ numericè multiplicantur, & non ad vitandum ullum imminens corruptionis periculum: ergo quamvis individua substantias spiritualis incorruptibilia sint, prout sunt animæ rationales, poterat res aliqua creata intendere creationem aliis sub-

stantie spiritualis, nimirum animæ rationalis; tum ut suam exercet virtutem, tum ut subiecto disposito ad eam animam satisfaceret. Ad secundam congruentiam, concessò antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, istæ operationes intelligendi, & volendi sunt vitales: ergo per naturam suam immanentes: ergo substantia spiritualis non valet eas connaturaliter producere absque subiecto. Ast cur operationes omnes illius substantiæ deberent esse vitales? Profecto creatio illa; quam exercere posset, non esset actio immanens, sed transiens, proindeque non haberet eundem titulum, quem habet operatio intelligendi, & volendi, ut pendeat à subiecto. Ad primariam **P. Albert.** rationem, quam valdè sensatam, & probabilem vocat P. Albertinus **tenui sup.** jam respondi, scilicet rebus modò existentibus non exhaustiri divinam omnipotentiam: ergo non sunt modò productæ virtutes omnes, atque activitates possibles: ergo ex eo, quod nec nobilissimus Angelorum polleat virtute creatrice, arguere nequimus, impossibilem esse creaturam, quæ per creationis viam, operari posset. Potuit sanè Deus non produxisse Angelos: ergone argueremus tunc, impossibiles esse substantias creatas spirituales completas? Minime: ergo ex eo, quod Deus modò non produixerit substantiam creatricem, non sequitur, illam impossibilem esse; neque promovet rem ornatius Universi, quoniam Deus non tenetur donare universum omni ornatu possibili. Ad confirmationem respondeo similiter negando antecedens, quia ultra ordines, gradusque specificos eslendi per participationem de facto conditos infiniti alii sunt possibles, alioquin Omnipotentia Divina exhausta fuisset rebus nunc existentibus.

### §. I I.

**Ocham. in 102. S**ecundum argumentum est Ochami, qui Magistri sui ratio-  
nem, s. q. 7. **N**isi non acquiescens, aliam carpit viam. Omnis creatura agit naturaliter, aut liberè; sed neutro modo potest creare: ergo nulla creatura potest creare. Probat quod non naturaliter. Si creatura necessariò crearet, sequeretur operaturam fore quidquid posset, siquidem non dependeret ex dispositione passi: ergo crearet infinita, vel in specie, vel in individuo: nullus enim numerus finitus est assignabilis, ad quem limitaretur sua virtus: sed hoc est inconveniens: ergo repugnat creatura, quæ naturaliter, seu necessariò creet. Propterea neque posset creare liberè; quoniam si hoc ita eveniret, posset velle creare omnia, quæ posset: ergo posset etiam illa omnia creare: ergo

ergo posset creare infinita . Acutè observat P. Suarez , quem imitatur P. Albertinus , neutrum membrum divisionis impugnatum esse <sup>P. Suarez</sup> efficaciter à Guillermo . Etenim quævis creatura necessariò , & naturaliter crearet , non continuò sequeretur , illam producturam esse infinita : tum quia ad creandum dependere poterat à capacitate , & dispositionibus subjecti , cui uniendus esset terminus creationis , eo quod terminus hic prærequireret illam capacitem , & dispositiones quemadmodum licet anima rationalis producatur per creationem , præquirit nihilominus quasdam dispositiones , organaque in materia , cui unitur , sine quibus violenta esset : bene quippe stat , rem creari , & tamen dependere connaturaliter à subjecto unionis , propterea quod sit entitas incompleta , ut contingit animæ rationali . Tum quia , etiamsi creatura illa non dependeret in creatione à subiecto presupposito , dependeret tamen à concursu Dei: ad modum , quo licet ignis naturaliter operetur , quando operatur , dependet nihilominus à concursu divino : sed hic concutus cohibere poterat illius creaturæ secunditatem ad unum , vel duos tantum effectus : ergo licet creatura illa naturaliter operaretur per creationem , non idcirco produceret infinita actū in specie , vel in individuo . Tum ulterius , quia , etiamsi creatura illa , neque à subjecto , neque à divino concursu compesceretur positivè , poterat nihilominus compisci à propriis viribus , & conditione , quæ sufficerent ad creandum decem effectus , v. g. & noa plures : quemadmodum virtus , qua fungitur anima ad amandum , limites habet Deo cognitos , ultra quos nequit producere alium amorem . Malè insuper impugnatur secundum membrum . Tum quia producere infinita actū esset impossibile illi creaturæ: ergo non nisi stultè posset hoc velle . Tum quia licet hoc vellet , volitio esset inanis , & vacua : ergo non sortiretur effectum producendi infinita actū .

103. Tertium argumentum unanimi consensu protulerunt <sup>Henricus</sup> & Richardus . Inter ens , & nihil datur infinita distantia : <sup>Quodl. 4.</sup> ergo ad vincendum , & transcendendum illam , desideratur infinita <sup>9. 37.</sup> virtus : sed distantia ea transcendorit , & vincitur per creationem , <sup>Ricard-</sup> cùm terminus producatur ex nihilo : ergo ad creationem desideratur <sup>art. 4. q. 4.</sup> virtus infinita ; at virtus hæc repugnat creaturæ: ergo repugnat hanc creare . Antecedens probatur , non est possibilis major distantia , quam inter duo contradictionia ; sed ens , & nihil sunt duo contradictionia : ergo non est possibilis major distantia , quam inter ens , & nihil : ergo est infinita distantia , quam inter illa datur . Majorem trifarijam probant .

1. Con-

**Contradiccio**, ut **contradiccio**, se extendit ad quamcumque maximam distantiam . 2. Omnia contradictoria aequaliter distant inter se , quoniam omnia sunt sequē opposita reciprocē ; sed aliqua distant infinitē inter se , ut *Deus* , non *Deus* : ergo omnia . 3. Major est distantia inter ens positivum , & nihilum ; quam inter unum ens positivum , & aliud ens positivum- etiam : sed inter duo entia positiva dari potest infinita distantia , ut datur Deum inter , & creaturam : ergo multō melius inter ens , & nihilum . Prætereo impugnationes , quibus Scotus , & Durandus hunc discursum adorintur: prætereo insuper illum probare , nullam rem posse adhuc Divinā omnipotentia creari , quia infinita distantia , nec divinitus potest percurri , aut finiri . Et respondeo primō , hoc discursu probari opus esse infinita quoque virtute ad generationem : vel enim loquuntur Henricus , & Richardus de nihilo ipsius termini producendi , vel de nihilo subjecti ? Si hoc secundum , ad rem non venit , quoniam nihilum subjecti non est contradictorium formale termini producendi ; sed solum nihilum ipsius termini : ergo non habemus infinitam istam distantiam , quam affectant hi Authores inter istud nihilum , & terminum creationis . Si primum ; ergo etiam datur infinita distantia inter terminum generandum , & nihilum hujus termini , quandoquidem etiam hæc duo sunt contradictoria : ergo etiam requiritur infinita virtus ad vincendam hanc distantiam ; sed per generationem vincitur ; nam ideo per vos illa vincitur per creationem , quia per hanc extrahitur res à suo nihilo , idest , producitur de novo res illa , quæ antea nil erat simpliciter , & absolutè ; sed etiam per generationem ignis v.g. hic extrahitur à suo nihilo , quippe de novo producitur forma ipsa , quæ antea nihil omnino erat , quæque secundum nullam sui partem essentialem præexistebat , ut Disp. I. Physicæ explicabo : ergo etiam ad generationem requiritur virtus infinita . Quod falsum est . Probatur hæc ratio PP.

P. Oviedo

sup.

P. Lynce

sup.

Illust. E.

chazar su

pra.

Oviedo , Lynce , & Echalaz .

104. Respondeo 2. Aliud est , quodd inter ens , & nihilum sui ipsius detur infinita distantia oppositionis (& hoc est verum : quamvis enim aliqui DD. ad tractatum de Trinitate putent majorem esse oppositionem inter *Producens* , & *Productum* , quam inter duo contradictoria , qualia sunt ens , & suum nihil , seu suus defectus formalis ; at lumen naturale reclamat , cum ex sola terminorum propositione magis repugnantia invicem appareant *Eſſe* , & *non eſſe* , quam *producere* , & *producī* : cuius non leve indicium est , primum illud , & omnium notissimum principium ; impossibile est , rem simul eſſe , &

non

non esse tradi potius per *eſſe*, & non *eſſe*, quām per *Producere*, & *producī*: aliud verō, quoddetur infinita distantia localis, temporalis, aut perfectionis, & hoc est falsum, quoniam nulla creatura distat infinitē loco, tempore, aut perfectione à suo contradictorio. De duobus primis constat, de tertio probatur: quia unaquaque res ea sola, perfectione distare potest ab alio termino, quam ipsa, vel terminus ille habuerit: ergo si neque ipsa, neque ille terminus habuerit perfectionem infinitam, nequeunt infinitē distare invicem perfectione; at neque terminus creatus, neque suum nihil habent perfectionem infinitam: ergo non distant invicem infinitē perfectione. Dico igitur, ex eo, quodd terminus creatus, & suum nihilum infinitē distent distantiam oppositionis, non sequitur, necessariam esse virtutem infinitam ad superandum hanc distantiam, seu ad producendum terminum creabilem: pars namque distantia datur inter terminum educibilem, & suum nihilum, quin propterea desideretur infinita virtus ad vincendam hanc distantiam; sequeretur autem ex eo, quodd terminus creabilis distaret infinitē à suo nihilo distantia perfectionis; verū, cùm hæc non detur, inde est, quodd argumentum istud non evincat intentum horum Authorum. Hinc in forma distinguenda est major cum sua prima probatione, & concedenda de maxima distantia oppositionis; neganda verō de maxima distantia perfectionis, loci, aut temporis. Similiter exponenda est secunda probatio. Quoniam, licet omnia contradictionia æquè distent reciprocē distantiam oppositionis; secus tamen distantiam perfectionis, nam in hoc binario contradictionum, Angelus, carentia Angeli, magis distant inter se extrema distantia perfectionis, quām in hoc, Formica, carentia formicæ, nam tantum distant distantiam perfectionis, quanta est perfectio unius: at multo major est perfectio extremi positivi constituentis primum binarium, quam constituentis secundum: ergo major distantia perfectionis datur inter extrema primi binarii, quām secundi. Similiter probatio tertia, major est distantia oppositionis inter ens, & suum nihil, quam inter unum ens positivum, & aliud positivum quoque secus distantia perfectionis.

105. Respondeo 3. Aliud est, vincere hanc infinitam distantiam, conjungendo extrema illius, ens videlicet, atque nihilum: aliud vincere illam, procedendo gradatim, & successivè per alias entitates mediantes inter nihilum, & ens: aliud vincere illam, quatenus nihilum sit subjectivè in se ipso aliquid infinitè atterens, & consumens vires agentis, ad modum, quo frigus atterit vires caloris: aliud de-

mum

mum, quatenus agens uno veluti impetu producat ens, atque repellat illud nihilum: transeat tria illa prima, si possibilia essent, posceret infinitam virtutem in agente: cæterum impossibilia sunt. Primum quidem, quia prorsus repugnet conjungere illa extrema: ergo distantia praetensa invincibilis est adhuc divinitus. Secundum etiam, nam cum oppositio inter ens, & suam carentiam sit immediata, nullæ mediant entitates, per quas successivè, ac quasi gradatim ascendat causa à carentia rei ad rem ipsam. Vastus profectò, & valde materialis est modus iste apprehendendi res. Tertium item, quoniam patet, ac simpliciter rem non esse, est quid merè negativum; non autem instar positivæ qualitatis resistentis positivè ingressui qualitatis adversæ. Et sanè cum non minus resistat termino generabili sua carentia, quam termino creabili suum nihilum; si ad vincendam resistentiam hanc opus esset virtus infinita, etiam opus esset ad vincendum illam: tantum ergo restat, agens vincere distantiam infinitam, quæ daretur inter ens, & nihil sui, quatenus uno impetu arceret illud nihilum, & crearet ens: sed hoc non probatur, arguere infinitam virtutem: ergo modus vincendi infinitam distantiam per creationem non arguit virtutem infinitam in creante. Hinc permisso antecedenti, distinguendum est primum consequens terminis nuper exhibitis. Sanè phrasæ istæ metaphoricæ extrahere à nibili, quasi nihil foret cubile aliquid, aut materia aliqua, ex qua fieret res, sicut charta hæc facta fuit ex cennibus tulsi, & similes alii passim obviae, non sunt capienda modo materiali, & secundum Verborum tinnitum.

106. Quartum argumentum formavere prisci quidam, quos suppresso nomine adducit P. Albertinus, & refutat Scotus. Ex reciprocâ improportione primorum extremorum sequitur impropositio virtutum potentium super illa; sed ens, & nihil; item aliqua potentia, nulla potentia, sunt extrema reciprocâ habentia improportionem, cum unum sit positivum, & alterum negativum: ergo virtutes potentes super illa sunt quoque improportionatae: ergo virtus creata potens super ens, & aliquam potentiam, idest, potens generare, est improportionata virtuti potenti super nihil, & super nullam potentiam, hoc est, potenti creare: ergo nulla virtus creata potest quidquam creare. Nego hanc ultimam consequentiam, cæteris dissimulatis. Verum sanè est, potentiam eductricem improportionatam esse creatrici, quia hæc multò nobilior est, quam illa: ideo ne potentia creatrix repugnat creaturæ? minimè. Etiam potentia spiritualis, & potentia materialis sunt mutuò improportionatae: & tandem

## Altera Pars Conclusionis.

313

men creatura habens potentiam materialem , fungi potest etiam potentia spirituali . Instabis : quoties *A.* fuerit impropotionatum extremo *B.* omne, quod fuerit proportionatum ipsi *A.* est impropotionatum illi *B.* sic quando *A.* est longitudinis inæqualis longitudini rei *B.* quidquid fuerit longitudine æquale rei *A.*, necessariò est longitudine inæquale rei *B.* & sic in aliis ; at eductio est impropotionata creationi: ergo omne, quod fuerit proportionatum eductioni, est impropotionatum creationi ; at omnis creata potentia est proportionata operando per eductionem : ergo est impropotionata operando per creationem : ergo nulla potentia creata potest connaturaliter creare . Duplex responsio . Prima , negare universalitatem majoris : Albedo namque est physicè impropotionata nigredini , & nihilominus potentia visiva proportionata videndo albedinem , est proportionata etiam videndo nigredinem : & ratio est . Aliud est proportio dimensionis formalis , vel æquivalentis ; aliud proportio virtutis , atque causalitatis . Maxima ista vera esse potest , si procedas de prima ; secus de secunda , cùm experiamur , multas causas , quæ simul possunt effecta disparia valde , & multam inter se impropotionata producere . Secunda : dato integro syllogismo , nego minorem subsumptam , quoniam potentia creata , quæ nativa vi posset creare , non esset proportionata operando per eductionem illum eumdem effectum , quem per innatam virtutem creare posset , vel etiam posceret .

107. Quintum argumentum ex identitate creationis cum suo termino desumptum proponit , ac rejicit P. Hurtado . Nulla actio , p. Hurtado. quæ semel dependet ab uno agente , potest dependere ab alio ; sed omni terminus creatus est sua actio creativa : ergo nullus terminus creatus semel dependens immediate à Deo , potest unquam dependere ab alio : ergo nullus terminus creatus potest produci à creatura per creationem . Dissimulata minore , respondeo . Duo esse genera creabilium: unum eorum , quæ à solo Deo creantur , & hæc nequeunt oriri per creationem ab alia creatura ; alterum eorum , quæ non creantur à solo Deo , & hæc per suam essentiam haberent ab utroque procedere , quo circa ex eo , quodd à creatura simul cum Deo creantur , non sequeretur , quodd agentia variarent . Ad modum , quo duplex est actionum classis : una illarum , quæ à solo Deo procedunt , & hæc repugnant à creatura nasci : altera illarum , quæ non proficiuntur à solo Deo , & hæc possunt simul procedere à creatura . Distinguenda igitur est major , nulla actio semel dependens ab uno agente , & non ab

Ff

ab

*ab alio* potest unquam dependere ab illo alio ; concedo : semel dependens ab uno agente , & simul ab alio non potest dependere ab alio ; implicas in terminis , & permissa minore , distinguo consequens : nullus terminus creatus semel dependens à Deo , & non à creatura potest unquam dependere ab alio ; concedo consequentiam : nullus terminus creatus semel dependens immediatè à Deo simul cum creatura , potest dependere immediatè ab alio ; nego consequentiam .

108. Sextum argumentum est , quod ibidem approbat ipse

*P. Alber-* P. Hurtado , quodque ex S. Thoma eruere sibi videtur . Modus ope-  
*tinus in* randi sequitur modum essendi , ut latè tractat P. Albertinus : ergo  
*Corol q. 1.* nulla actio potest connaturaliter convenire ulli creaturæ , quæ ipi  
*Philosoph* non sit proportionata ; at omnis creatio est improportionata modo  
*dub. 1.* essendi creaturæ . Probatur : omnis modus essendi cuiuscumque  
creaturæ est , habere aliquam compositionem , vel ex materia , & for-  
ma ; vel ex hac , & accidente ; vel saltem ex natura , & subsistentia :  
sed omnis creatio est improportionata huic modo essendi , quia crea-  
tio nullam facit compositionem , tamquam forma , vel tamquam  
subiectum : ergo omnis creatio est improportionata modo essendi  
cujusque creaturæ : ergo nulla creatio potest oriiri ab ulla creatura .  
Solvunt expeditè hunc nodum PP. Arriaga , Oviedo , & Lynce  
supra adducti , neque Hurtado ipse satìs sibi constat . Igitur parcens  
isti Adagio , quod supra discussi , nego subscriptam minorem , & mino-  
rem quoque probationis , cuius ratio est falsa . Tum quia , si termi-  
nus creationis fuerit integraliter compositus , creatio ipsa potest  
integraliter constare multis creationibus integralibus partialiter .

Tum quia creatio compositionem facit , vel intrinsecam , vel  
extrinsecam cum suo termino : sicut enim cognitio est  
forma constitutiva hujus effectis formalis , Co-  
gnitum ; ita creatio est forma constitutiva  
hujus Creatum .



## C A P U T X I.

*Argumenta aliorum Doctorum.*

109.



Eptimum argumentum excogitavit Cajetanus: quoties unum crescit ad diminutionem alterius, si hoc alterum summè minuatur, & usque ad non esse, & non gradum sui ipsius, illud unum super omnem gradum, & usque ad infinitum assurgere

*Cajetanus*  
1. p. q. 45.  
art. 5. ad  
3. Scotti.

debet; at potentia passiva, & virtus agentis, talia sunt, ut virtus agentis crescat juxta diminutionem potentiarum passivarum: ergo si hæc summè minuatur, & usque ad non esse, illa summè assurgere debet, & consequenter debet esse infinita; at in creatione potentia passiva summè minuitur, & usque ad non esse sui, quoniam in creatione nulla datur potentia passiva: ergo in creatione summè assurgit virtus agentis: ergo est infinita. Sed hæc repugnat creaturæ: ergo creaturæ repugnat virtus creandi. Majorem probat quadam peripatetica regula, quam tradidit Philosophus, quando scripsit, *motum in loco vacuo futuram infinitè velocem, & minimè proportionalem motui in loco non vacuo, eo quod de crescente resistentiâ medii, crescit velocitas: ergo si hæc resistentia minuitur usque ad non gradum sui, velocitas crescere debet usque ad omnem gradum.* Confirmatur: si virtus creativa non excederet virtutem eductivam juxta mensuram, & proportionem, qua decrescit potentia passiva, & consequenter, si virtus creativa non excederet summè virtutem eductivam; sequeretur, possibile esse, quod virtus eductiva æqueta, imò & superet creativam; sed hoc est planè falsum: ergo. Probatur major. Demus virtutem eductivam duplo minorem virtute creativa: demus insuper virtutem aliam eductivam duplo, aut etiam quadruplo maiorem illa prima: sanè hæc secunda, æquaret, imò & superaret virtutem creativam. Nam quod est quadruplo majus illo, quod est duplo minus virtute creativa, est duplo majus virtute creativa: ergo nisi hæc summè vincat eductivam, sequetur fore, ut aliquando ab hac vincatur. Præter quam quod hoc argumentum eisdem subjacet instantiis, quibus plerūmque obnoxia sunt argumenta calculatoria: quatuor rationes retrahunt me ab assentiendo ejusmodi argumentationi.

4 Phys.  
text. 72.

110. Prima est. Quando decrescente uno crescit alterum, &

F f 2

ita

ita decrescit illud unum usque ad non esse, & non gradum sui ipsius, ut propterea deficiat *infinita* virtus, & perfectio, opus est, quod crescat hoc alterum supra omnem gradum virtutis. Quoniam juxta calculationem hanc tantumdem perfectionis addendum est huic alteri, quantum illi uni detrahitur: ergo si illi uni virtus, & perfectio *infinita* detrahatur; virtus, & perfectio infinita addenda est huic alteri. Cæterum, si decrescente uno, ita crescit alterum, ut licet illud unum minuatur usque ad non gradum sui, non propterea deficiat virtus *infinita*; necesse non est, quod hoc alterum usque ad infinitudinem exurgat: quia huic alteri ea sola perfectionis mensura addenda est, qua orbatur illud unum; at illud unum dumtaxat orbatur perfectio, & virtute in mensura finita, ut ponimus: ergo huic alteri dumtaxat addenda est mensura finita perfectionis. Hoc impreſtentiarum. Crescat virtus agentis, decrescente potentia passiva: decrescat insuper potentia hæc usque ad non gradum sui ipsius; attamen non ita decrescit, ut deficiat virtus, & perfectio *infinita* supplenda per virtutem agentis: nam solummodo deficit virtus, atque perfectio potentia passiva, quæ procul dubio est finita, & limitata: ergo necesse non est, quod virtus agentis usque ad infinitatis culmen assurgat.

*P. Oviedo*  
*contr. 13.*  
*Physic. p. 4*  
*caus. 6.*

His consonat P. Oviedo.

111. Secunda ratio est: aliud est, quod diminuto uno crescat aliud *anivocè*, ac intra eamdem speciem formæ, & intensionis; aliud autem, quod crescat *æquivocè*, ac incremento extrahente hoc aliud ad speciem aliam superiorem. Permitto nunc, quod si diminuto uno, crescat aliud univocè intra eandem speciem formæ, ac intensionis, crescat hoc aliud supra omnem gradum, si illud unum minueretur usque ad non gradum sui ipsius; at vero si diminuto uno, crescat aliud, non univocè intra eandem speciem; sed *æquivocè*, atque in alia, quatenus videlicet hoc aliud collocari oporteat in alia nobilio-re specie; nego, quod si unum minuitur usque ad non gradum, alterum augeri debeat supra omnem gradum simpliciter infinite: quia illud alterum esse in specie superiore, non est augeri simpliciter infinite, & supra omnem mensuram, ut per se patet. Ad rem presentem. Permitto, quod; decrescente potentia passiva, crescit virtus agentis; aut non crescit *anivocè* intra eandem speciem formæ, perfectionis, aut intensionis potentia passiva: quoniam virtus illa dispar valde est potentia huic, neque proportionantur inter se arithmeticè, sicut numeri ad numerum, extensio ad extensionem &c. ergo quod summè, & usque ad non gradum minuatur potentia passiva, non arguit virtutem

tem agentis esse simpliciter infinitam, sed infert dumtaxat, virtutem agentis altioris esse ordinis, atque speciei, quod sanè verum est. Ita P. Vasquez: lege, si vacat, aliam non satis expeditam solutionem, apud P. Albertinum.

Vasquez  
ubi sup.  
P. Alber-  
tinus q. 17  
Coroll. 17.

112. Tertia ratio est. Nihil intimè connexum, vel saltem compatibile cum eo, quodd absolutè deficiat à rebus virtus agentis, importat per se præcisè, quodd virtus hæc usque ad infinitudinem evehatur; at quodd decrescente potentia passiva crescat virtus agentis, & quodd potentia passiva decrescat usque ad non gradum sui, potest esse intimè connexum, vel saltem compatibile cum eo, quodd absolutè, & simpliciter deficiat virtus agentis: ergo quodd de crescente potentia passiva crescat virtus agentis, & quodd potentia passiva decrescat usque ad non gradum sui, non importat per se præcisè, quodd virtus agentis usque ad infinitudinem evehatur. Probo minorem. Eo ipso, quodd virtus agentis connexa sit cum potentia passiva, decrescente hac usque ad non gradum sui ipsius, hoc est, deficiente hac, deficit illa (repugnat namque perseverare fundamentum metaphysicæ connexionis, amoto termino) at fieri potest, quodd virtus agentis sit intimè connexa cum potentia passiva, ut constat in actibus vitalibus, qui, cùm immanentes sint, recipiuntur in principio eodem, à quo nascuntur, proindeque virtus activa eorum est logicè connexa cum eorumdem potentia passiva: ergo quodd decrescente potentia passiva, crescat virtus activa, & quodd decrescat virtus passiva usque ad non gradum sui ipsius, potest esse connexum, vel saltem compatibile cum eo, quodd virtus activa simpliciter deficiat à rebus. Expli- catur. Decrescente in Petro, potentia passiva intellectionis, & amoris, crescit in eodem virtus activa harum operationum: nam quo magis elongatur ab ambobus actibus ob ingentes, quæ ingruunt, difficultates, eo magis robur desideratur in illo ad ambos eos eliciendos actus: ergo si potentia passiva minuatur in Petro usque ad non gradum sui ipsius, idest si absolutè deficiat; potentia, sive virtus activa esset infinita? Minimè, nam tunc deficiet quoque virtus hæc, utpotè identificata, vel saltem connexa cum ea potentia passiva: ergo regula ista non est universaliter vera. Neque exemplum adducendum ex Philosopho rem promovet. Nam, ut prænotavit P. Vasquez, non loquitur ibi Aristoteles absolutè, atque ex propria sententia; sed juxta opinionem illorum, qui putabant, unicam causam successionis motus localis esse corpulentiam medii: si enim unica causa hujus successionis ab hac corpulentia penderet, bene sequitur, quodd

quod deficiente hac corpulentia, proindeque existente loco vacuo, motus localis non esset successivus, sed instantaneus, subindeque velocissimus.

113. Quod exemplum, ut rei praesenti subserviret, sic aptandum erat. Unica causa incrementi virtutis activarum est decrementum potentiarum passivarum, seu elongatio, quam habet ab actu: ergo si non datur hoc decrementum, aut elongatio, non crescit virtus activa. Sic autem aptatum, quo pacto rem praesentem promovere potest? Quod si rationem absolutam, ob quam motus localis est successivus, & non instantaneus, sisciteris: ecce illam. Nequit contingere naturaliter, quod eadem res divisibilis simul sit tota in multis locis, nec quod unae partes corporis cum aliis penetrantur; at utrumque eveniret, si motus corporis divisibilis esset instantaneus: ergo nequit contingere naturaliter, quod instantaneus sit: ergo debet esse successivus. Probo minorem quoad primam partem. Vel totum istud corpus in eodem instanti esset in omnibus partibus loci, per quem transcurret, vel non, sed in uno instanti esset in unis, & in alio esset in aliis? Si primum; ergo res divisibilis esset tota simul in multis locis. Si secundum: ergo daretur successio in motu: ergo si non daretur successio, sed motus ponitur instantaneus, fatendum est, corpus illud simul, & in eodem punto temporis esse in multis partibus loci. Probo eamdem minorem quoad secundam partem; vel omnes, vel unae solae partes totius corporis, crasitatem, ac profunditatem habentis, moverentur instantaneè? Si omnes; constat per nuperimum argumentum, quod omnes essent simul in omnibus partibus loci: ergo omnes essent simul in punto A. v. g. loci: ergo omnes penetrantur inter se. Si secundum; ergo unae discontinuarentur ab alteris, corporusque dispergetur: stat ergo motum corporum non posse instantaneum esse, independenter quidem a resistentia corporum occupantium locum extrinsecum: nam licet haec tantisper conduceat successioni, at nequit esse primaria causa, nedium unica.

114. Quarta ratio est. Aliud est virtus agentis correlativa potentiarum passivarum, & in hac operatura: aliudque virtus agentis disparata respectu potentiarum passivarum, & in ea neutiquam operatura: transeat, quod diminuita potentia passiva, elongataque magis ab actu, crescat virtus agentis correlativa potentiarum passivarum, & consequenter crescat virtuseductiva; at cur crescere debet virtus disparata respectu potentiarum passivarum, eo quod neutiquam operatura sit in illa, aut ex illa? Sed virtus creativa est prorsus disparata respectu potentiarum passivarum, siqui-

Si quidem non operatur in illa, aut ex illa: ergo tametsi potentia passiva decrescat usque ad non gradum sui, non est cur virtus creativa super omnem gradum crescat. Jam ad confirmationem Cajetani, permissa majore, nego minorem; quamvis enim virtus creativa ex se, atque ceteris paribus, superet virtutem eductivam, fieri tamen potest, ut haec eis attributis ornetur, ut longè superet illam: sic actio immanens perfectior est ex genere suo actione transeunte; & tamen sensatio materialis, vermis, quæ est actio immanens, non est perfectior creatione animæ rationalis, quæ actio transiens est: sic incorruptibile perfectius est genere suo, quam corruptibile; & tamen materia prima, quam incorruptibilis est, non assequitur perfectionem hominis, qui corruptibilis est. 2. Nego majorem confirmationis, & suppositum probationis. Quoniam calculatio ista, & gradatio solidum habet locum in rebus commensurabilibus; secus in rebus nullam habentibus commensurationem, aut proportionem. Fac simile argumentum: esto hominem superare equum quatuor gradibus perfectionis: sanè possibile est Brutum duplo perfectius equo: ergo ne brutum hoc possibile, esset aequalis perfectione homini? Mala consequentia. Igitur quemadmodum nullum est possibile brutum, quod humanam æquat perfectionem, quin propterea haec sit simpliciter infinita: ita ex eo, quod nulla virtus eductiva par esset virtuti creative, male argueretur virtutem creativam esse simpliciter infinitam, sed dum taxat secundum quid.

115. Octavum argumentum est Ægydii. Omnis motus præ-supponit subiectum mobile: sed omnis actio creata est motus. Probatum: omnis actio admixta potentie est motus; sed omnis actio crea-ta est admixta potentie, quoniam esse debet proportionata modo essendi sui agentis, & modus essendi omnis agentis creati est admix-tus potentialitati: ergo. Viderat Ægydius impugnationes, quibus Scotus rejicit hanc ratiocinationem, quare confirmat 1. Intentum, præcipuum. Sicut res se habet ad esse, ita se habet ad agere; at om-nis creatura habet esse per aliud: ergo omnis creatura agit per aliud; sed agere per aliud est agere, ut mota, & applicata per aliud: ergo omnis creatura agit ut mota, & applicata ab alio, tamquam instru-mentum illius. Sed agere, ut applicata ab alio est præsupponere subiectum ex quo, & in quo operetur: ergo omnis creatura præ-supponit subiectum in quo operetur; sed hoc ipso nequit creare: ergo nulla creatura potest creare. 2. Inter agens, & effectum debet esse proportionem: ergo sicut omne agens creatum supponit agens in-crea-

*Ægyd.  
Quodlib. I.  
quest. I.*

creatum, à quo explicetur; ita etiam effectus agentis creati presupponere debet effectum divinum, in quo recipiatur. Ad argumentum négo minorem, cuius probatio concedenda est de actione admixta potentiae per receptionem, quatenus nimis recipiatur physicè aliqui, verum tamen neganda de actione admixta potentiae per identitatem, quia videlicet identificetur cum aliqua potentialitate: quoniam Angelus, anima rationalis, & materia prima utpote entia ab alio, commixtionem habent potentialitatis, quin presupponant subjectum: ergo ex eo, quod omnis actio creaturæ intrinsecè, atque essentialiter admixta sit potentialitati, hoc est, imperfectioni, non sequitur, illam prærequirere subjectum: ergo neque sequitur, esse motum presse acceptum, si de hujus conceptu fuerit prærequirere subjectum. Ad primā confirmationem do integrum syllogismum, & distinguo subsumptam minorem: agere per aliud est agere ut applicata per aliud instar physici, ac materialis instrumenti; nego: instar rei dependentis ab alio in esse, conservari, & operari; concedo, & similiter explicatis reliquis, nego penultimam consequentiam. Omnis creatura est Divinitatis instrumentum, non quidem ad modum, quo serra est instrumentum fabri, aut pennicillus pictoris (vasta namque esset apprehensio hoc) sed solum, quia omnis creatura intimè dependet à Deo in esse, conservari, & operari; cum impotens sit quidquam sacre, nisi Deo simultaneè concurrente, & volente, vel saltē permitente operationem. Hoc autem qua de causa est metaphysicè conexum cum eo, quod creatura operetur dependenter à subjecto præsupposito? Ad secundam respondeo, inter agens, & effectum debere esse proportionem, non quidem positivam, & adæquatam consistentem in eo, quod effectui convenientia omnia, & singula prædicata specifica, quæ agenti competunt (alioquin expungendæ essent è Catalogo philosophico causæ & equivocæ) sed negativam præcisè, atque præcontinentiam, quatenus effectus nequit perfectior esse entitatè suo agente, ac in eo præcontineri debet: unde verò probatur, effectum non dependentem ab effectu pure divino, id est à subjecto producendo per solum Deum, aut esse perfectiorem suo agente, aut in agente creato non præcontineri? Sanè de hoc est quæstio.

### §. I I.

Echalaz  
trat. 3. Phy 116.  
disput. 24.  
cap. 4. n. 40

**N** Onum argumentum objecit Illustrissimus Echalaz. Si creatura aliquid crearet, ageret eadem met actione creativa,

tiva, qua ageret Deus (omne namque maximè subordinatum alii in  
operando, agit per eandem actionem , per quam ille alius , & omnis  
creatura est maximè subordinata Deo in operando ) sed hoc repu-  
gnat. Patet:actio creativa Dei est ejus volitio, atque ita idem est for-  
maliter in recto creare aliquem effectum, ac velle formaliter, quod il-  
le existat, ut fusè probaverat ; sed repugnat , creaturam velle forma-  
liter per divinam volitionem, ut jure supponit: ergo. Confirmat: mo-  
dus aliquis operandi adeo proprius Dei admitti oportet , ut nulli  
creature etiam divinitus aptari possit , quemadmodum modus ali-  
quis cognoscendi adeo proprius debet esse Dei, ut in nullum intelle-  
ctum creatum cadere possit ; sed talis modus operandi non potest  
esse alius, quam creatio : ergo hæc à solo Deo poni potest . Ad argu-  
mentum nego minorem, & probationis majorem, quoniam neque  
existit, neque est possibilis volitio divina, quæ sit formalis, & imme-  
diata creatio Angeli v. g. tum quia per te volitio divina non ali-  
ter potest esse creatio Angeli , nisi quatenus est volitio de eo , quod  
Angelus producatur independenter à subjecto ; sed hoc non sufficit,  
ut ipsa sit formalis, & immediata creatio: alioquin volitio de eo , quod  
ignis v. g. producatur dependenter à subjecto, esset formalis, & im-  
mediata eductio. Nam dicet alius impunè, conceptum quidditatium  
educationis solummodo poscere , quod suus terminus à subjecto de-  
pendeat; non verò, quod ipsa eductio dependeat : discrimenque inter  
creationem atque educationem esse dependentiam , atque indepen-  
dentiam , non quidem sui ipsarum, sed suorum terminorum : ergo.  
Tum quia volitio divina de eo , quod objecti subeat aliquam deno-  
minationem , non est forma immediatè constitutiva illius denomi-  
nationis, sed quid connexum cum ea forma. Sic volitio de eo, quod  
subjectum sit album, non est albedo , sed quid connexum cum albe-  
dine : ergo volitio de eo, quod terminus producatur independenter à  
subjecto , seu de eo, quod terminus creetur, non est creatio , sed quid  
cum creatione connexum .

117. Et ratio est . Nihil impotens egredi physicè à divina Om-  
nipotentia potest esse unica, formalis , & immediata productio An-  
geli ; at omnis divina volitio possibilis est impotens egredi physicè  
à divina omnipotentia : ergo nulla divina volitio potest esse unica ,  
formalis , & immediata creatio Angeli . Probo majorem: repugnat,  
Angelum existere , quin physicè producatur ab omnipotentia Dei  
(de conceptu quippe omnis creature est physicè nasci , dum existit,  
ab omnipotentia , sicut effectus à sua causa) sed Angelum physicè

producit ab omnipotentia, est, suam productionem, sive illa sive  
creatio, sive eductio, physicè egredi ab omnipotentia. Unicus enim  
modus, quo causa producit physicè effectum, est quatenus physicè  
ponit actionem productivam illius: & prorsus repugnat, effectum  
producit physicè ab ea causa, à qua neutquam egreditur physicè po-  
sitio, seu productio effectus: ergo repugnat, Angelum existere, quin  
sua productio physicè egrediatur ab omnipotentia: ergo productio  
formalis, & immediata Angeli debet egredi physicè ab omnipoten-  
tia: ergo nihil impotens egredi physicè ab hac, potest esse formalis,  
& immediata creatio Angeli. Confirmatur. Nihil per se ab intrinse-  
co inferens aliam creationem Angeli est per se sufficiens, & totalis  
creatio illius immediata, & formalis: at omnis volitio de eo, quod  
Angelus existat independenter à subjecto, per se ab intrinseco infert  
aliam creationem Angeli. Patet: omnis volitio efficax de eo, quod  
Angelus producatur per divinam omnipotentiam, per se ab intrin-  
seco infert aliam productionem Angeli; illa namque productio  
oriunda ab omnipotentia, utpote actio ad extra, distinguitur realiter  
à volitione divina. At omnis volitio efficax de eo, quod Angelus exi-  
stat independenter à subjecto, est volitio efficax de eo, quod Angelus  
producatur physicè per divinam omnipotentiam. Nam chymæra est,  
ullam creaturam existere absolutè, & simpliciter, quin physicè pro-  
ducatur per omnipotentiam Dei: subindeque divina volitio de eo,  
quod creatura existat in rebus, aut est imperium intentionale im-  
positum omnipotentiaz, ut eam producat creaturam, aut intrinsecè  
supponit tale imperium ad talem productionem: ergo omnis divina  
volitio efficax de eo, quod Angelus existat independenter à subjecto,  
per se ab intrinseco infert aliam creationem Angeli. Sed nihil per se  
ab intrinseco inferens aliam &c.

118. Neque dicas 1. volitionem divinam fore creationem par-  
tialem Angeli; quia solum possunt dari creationes inadæquatæ, ac  
partiales, quando terminus est divisibilis, produciturque per partes;  
at natura Angelica est substantia indivisibilis: ergo incapax creatio-  
nis partialis. Neque dicas 2. omne accidens suapè natura recipi in-  
subjecto præsupposito, & consequenter creationem ipsam recipien-  
dam fore, si esset accidens distinctum à divina volitione. Id ne dixe-  
ris; quoniam cum creatio præ cæteris omnibus accidentibus, sit  
actualis, formalis, & immediata independentia termini à præsupposi-  
to subjecto, habet specialem titulum inter cætera omnia accidentia,  
ne ipsa recipiatur in subjecto, qua inquam recipiatur alia. Jam ad con-  
fir.

firmationem scriptam num. 116. nego minorem; quoniam per se etissimus operandi modus, soli Deo conveniens, & neque ex illo communicabilis creaturæ, est operari independenter ab alio, tum in actu primo, quatenus à nullo alio accipiat virtutem operatricem: tum in actu secundo, quatenus sine ullo aliis concursu producere possit quemlibet effectum: independenter insuper independentia universalitatis, fundata in eo, quod semper ac operetur creatura, operetur etiam Deus, non è converso; sed hic modus operandi prescindit à creatione, ac eductione: ergo modus operandi assignabilis est, tam proprius Dei, ut nulli creaturæ sit communicabilis, distinctus ab eo, quem assignat hic Author.

119. Decimum argumentum meditatus fuit P. Albertinus. *A. p. Alber.*  
 substantia per se subjectiva non potest egredi actio, quæ non sit exigitive subjecti: sed omnis substantia creata est per se subjectiva, cùm corol. 17. *Princip. 25.*  
 omnis illa sit immersa potentialitate: ergo à nulla substantia creata, q. 17. n. 25.  
 potest egredi actio, quæ non sit exigitive subjecti; at creatio est actio non exigitive subjecti: ergo à nulla substantia creata potest egredi actio, quæ sit creatio. Major probatur: Ideo à priori operatio immanens substantiæ per se subjectivæ, est exigitive subjecti, quia nascitur à substantia per se subjectiva etenim solus titulus immanentia non sufficit, ut actio exigat subjectum receptionis: quippe actiones internæ Dei sunt immanentes, & non poscunt hujusmodi subjectum) at operatio transiens substantiæ per se subjectivæ nascitur quoque à substantia per se subjectiva: ergo operatio transiens hujus substantiæ etiam est exigitive subjecti; alias non egredieretur cum imperfectione, quam habet suum principium: ergo à substantia per se subjectiva non potest egredi actio, quæ non sit exigitive subjecti. Confirmatur 1. Nulla actio potest egredi modo perfectiore, quam sit causa in suo genere: ergo omnis actio notari debet eisdem imperfectionibus, qua formaliter, qua proportionaliter, quibus notatur sua causa. Tunc sic: omnis substantia creata geminam habet imperfectionem, prima est immersio in potentialitate: secunda, esse subjectivam, quippe nulla excogitabilis est substantia creata, quæ non possit esse subjectum alicujus accidentis: ergo omnis actio egrediens à quacumque causa creata, utraque imperfectionem habere debet: ergo omnis hæc actio esse debet, aut subjectiva, aut exigitive subjecti; sed non semper est subjectiva, siquidem non semper operatio transiens est subjectum aliud actionis: ergo omnis hæc actio est exigitive subjecti: ergo nulla est creatio. 2. Si per impossibile actio

actio transiens remaneret in principio, à quo procedit, reciparetur in illo: ergo omnis actio transiens, quæ procedit à substantia subjectiva, sapit naturam, & coconditionem sui principii, & consequenter procedit cum imperfectione exigendi subjectum: ergo nulla potest esse creatio. 3. Ideo apud S. Thomam actio transiens Dei, qualis est creatio, non exigit subjectum, quia actio immanens Dei est hujus ipsius substantia: ergo à contrario, si actio immanens creature non est hujus substantia, benè arguitur, actionem transeuntem hujus exigere subjectum, in quo recipiatur: ergo omnis actio creature transiens exigit subjectum: ergo nulla potest esse creatio. Confirmatur

*P. Arria-* 4. ab aliis, quorum meminit P. Arriaga. Virtus creativa arguit  
*ga disp. II* actionem immanentem identificatam cum suo principio: ergo virtus creativa repugnat creature. Si enim hæc identificaretur cum sua  
*Physic. m.* 94. actione immanente emersa esset ab omni potentialitate, quo circa esset actus purus. Probatur antecedens. Si actio immanens virtutis creativæ esset distincta ab illa, reciparetur in illa; sed hoc repugnat: ergo repugnat, quod distincta sit: ergo necessariò cum illa identificatur. Probatur minor: si actio immanens reciparetur in virtute creativa, hæc perfectiùs operaretur foris, quām intus: foris namque operaretur per creationem, intus autem per eductionem, & perfectior est creatio, quām eductio; at repugnat, virtutem ullam perfectiùs operari extra se, quām in se ipsa: ergo repugnat, quod actio immanens virtutis creativæ recipiatur in hac: ergo etiam repugnat, quod distincta sit ab hac.

120. Ad argumentum, nego majorem, & majorem quoque probationis: ratio enim à priori, ob quam actio immanens, propria substantiæ creatæ exigit subjectum, in quo recipiatur, non est, quia substantia ipsa creata sit subjectiva. Cum enim præsens controversia ad hoc punctum devolvatur, an de conceptu actionis oriundæ à creature, seu quod idem est, à substantia subjectiva, sit exigere subjectum receptionis: & tu affirmes, nos verò negemus, non licet tibi partem affirmativam supponere: ergo ratio à priori, ob quam actio immanens creature est subjecti exigitiva, non est, quia procedit à substantia subjectiva: quānam igitur est? Hæc. Actio immanens ex conceptu suo, atque ex usu vocis hujus, est illa sola, quæ vel identificatur realiter cum suo principio (& hæc vocatur immanentia logica, estque propria actuum divinorum) vel in eo recipitur verè, ac propriè, & hæc vocatur immanentia physica: ergo omnis actio immanens propria creature, vel identificatur cum creature ipsa,

quesit. 3. do.  
potent. ar.  
4.

ipsa, vel in ea verè recipitur. At per te non identificatur cum creatura, ob istas emersiones, & immersions in potentialitatibus, quæ familiares valde sunt huic Authori, & quas mera terminorum explicazione profligat P. Arsiaga: ergo omnis actio immanens propriæ creature verè recipitur in ea. Quo circa substantiam creatam esse subjectivam, est conditio, sine qua non, ad hoc ut actio immanens in ea recipiatur: verumtamen non est ratio positiva, & à priori. Ad primam confirmationem duo respondeo. Primum est, illam probare, actionem dimanantem à substantia Angelica v. g. non tam esse subjecti exigitivam, quam subjectivam, receptivamque aliorum accidentium; quoniam actio hæc dimanare debet cum ejusdem imperfectionibus, quæ deprimunt suam causam. At imperfectio substantia Angelicæ non est esse exigitivam subjecti, quandoquidem substantia hæc non recipitur in subjecto; sed esse subjectivam, & capacem recipiendi accidentia: ergo actio hæc, non tam debet esse exigitiva subjecti, quam subjectiva.

121. Item imperfectio naturæ Angelicæ est intelligere, & velle dependenter à concursu alieno, nempe Dei: item capacitas peccandi, & hujusmodi alia. Ergo nè omnis actio ab ea natura oriunda habet has omnes imperfectiones? Quod si latibula quæras proportionalitatum, atque impropositonalitatum facile extrahēris. Actio quippe non proportionatur in omnibus, & per omnia suæ causæ, ut planum est: ergo tantum in aliquibus, & non in aliis. Restat modò arbitaria taxatio, præscribens proportionem in unis prædicatis, & non in aliis: aut certè hujus disparitatis danda est ratio. Imbecillia ergo plerumque sunt argumenta ista proportionibus, & impropotionibus insistentia. Hinc, concessso antecedenti, neganda est prima consequentia: licet enim actio non habeat easdem imperfectiones, neque alias similes eis, quibus causa scatet; potest habere alias multò majores, quo fiet, ut actio absolutè, ac simpliciter, omnibusque pensatis, sit imperfectior, quam sua causa. Respondeo secundò transmissis enthimemate, & propositione subsumpta, distinguo consequens. Omnis actio, à quacumque substantia creata egrediens, debet habere utramque imperfectionem, aut aliam maiorem; conc. consequentiam: utramque determinatam; nego. Quamquam actio procedens à substantia creata, neque subjectiva sit, neque subjecti exigitiva, est nihilominus accidens, & quidem relativum, infuscandum, eo quod virtutem non habeat effectum producentrum, quos sua causa producit, & alias habet imperfectiones, quibus

quibus plurimū deprimitur infra perfectionem suæ causæ. Ad secundam confirmationem nego consequentiam, quia ratio, ob quam actio transiens recipetur in suo principio, si per impossibile maneret in illo, non est quia suapte natura subjectum exigat, sed quia si maneret in suo principio, haberet definitionem actionis immanentis: sed definitio hujus est identificari cum suo principio, aut physicè recipi in illo: ergo si actio transiens maneret in suo principio; identificaretur cum eo, aut in eo recipetur: sed non identificaretur cum eo, nisi forte addideris hypothesis aliam chymæricam: ergo si actio transiens maneret in suo principio, per terminos ipsos intrinsecos suppositionis, independenter ab eo, quod sit exigitiva, vel non sit exigitiva subjecti, haberet recipi in suo principio.

122. Ad tertiam respondeo, S. Magistrum non docuisse rationem istam, ut universalem, adæquatam, positivam, & à priori; stat namque, omnem actionem immanentem Dei esse substantiam ipsius, & tamen actionem aliquam transeuntem nimirū eductionem, poscere subjectum receptionis: ergo inversum istud consequens non infertur. Scholasticam igitur rationem adæquatam, & à priori, propter quam creatio non indigua est subjecto, conceptus ipse creationis suggerit: *nempè actio productiva rei ex nihilo*, idest à nullo præsupposito subjecto dependens. Quartam confirmationem multifariam refellit P. Arriaga ubi supra. Ego autem nego antecedens, & minorem probationis, in hujus probatione, major, & minor deficiunt. Major quidem, nam licet agens operaretur extrà se per creationem, & in se ipso per eductionem, non illico sequeretur, perfectius operaturum foris, quam intus. Tamen quippe creatio ex genere suo perfectior sit eductione, fieri tamen potest, quod hæc eductio individua perfectior sit creatione. Patet. Gratia, & cætera dona supernaturalia producuntur per eductionem, quia recipiuntur physicè in anima. Rursus punctum materiæ primæ producitur per creationem; & tamen eductio gratiæ, unionis hypostaticæ, & aliorum charismatum est multò perfectior creatione unius puncti materiæ, ut ex terminis ipsis constare videtur, cum actiones illæ sint supernaturales, & plerumque spirituales: quis enim, nisi contumax intellectus, affirmet, creationem materiæ primæ, quæ adeo extenuatur à multis, ut propè nihil credatur esse, vincere perfectione entitativa nobilissimas eas actiones? Ergo eductio potest esse perfectior, omnibus pensatis, quam creatio: ergo ex eo, quod agens foris operetur per creationem; intus autem per eductionem, non sequitur perfectius

Etius operari extra se , quām intra se . Minor quoque est falsa . Nam minima sensatio , atque nutritio equi est operatio immanens : generatio autem , qua alium equum gignit , est transiens ; atqui hac secunda actio perfectior est , quām illa prima : ergo non repugnat , quodd agens aliquando perfectius operetur extra , quām intra se .

## CAPUT DUODECIMUM.

*Argumenta S.Thomæ aperiuntur.*

123.



Rimum Argumentum doctus videtur hic S. Magister ab Alberto Magno suo Magistro , qui illo quoque utitur , & unicè placet P. Molina : nam aliis rejectis , hoc mirificè amplificat : quod potentia passiva magis distaverit ab actu , et major esse debet potentia activa , potens producere aliquid ex ea potentia passiva : ergo si potentia passiva distet simpliciter infinitè ab actu , potentia activa debet esse simpliciter infinita : at quantumcumque distet ab actu potentia passiva , propter impedimenta , quæ habet , semper manebit magis distans ab actu illud , quod producitur ex nihilo : eo quod producatur nulla re præsupposita , de cuius potentia educatur : ergo si desideratur virtus activa simpliciter infinita ad producendum actum , quando potentia passiva simpliciter infinitè distet ab actu , potiose jure desideratur , quando actus ex nihilo producendus est . Sed ex nihilo produci est creari : ergo virtus simpliciter infinita desideratur ad creandum . At repugnat creatura , cui connaturalis sit virtus simpliciter infinita : ergo repugnat creatura , cui connaturalis sit virtus creativa . Cætera supponuntur , ut certa , & primum antecedens explicatione terminorum probatur . Esto passum quatuor gradibus distare ab actu caloris , propterea , quod quatuor informetur gradibus frigoris . Si ad producendum in eo passo calorem desideratur virtus activa , ut quatuor , desiderabitur virtus activa , ut octo ad producendum calorem in passo distante octo gradibus ab actu habendi calorem , eo quod octo informetur gradibus frigoris : ergo quod potentia passiva magis distaverit ab actu , & major esse debet potentia activa potens educere actum ex ea potentia passiva . Quod est dicere terminis expressioribus . Major virtus est necessaria ad vincendum majorem resistentiam , quām ad vincendum minorem : quod si quækeris , quodnam sit hæc distantia , remotio , atque elongatio potentiarum ab

*Albertus*  
in 2. dis. 1  
art. 7.  
*S.Thom. 1*  
p. qu. 45.  
art. 5. ad 3  
*P.Molin.*  
1.p. qu. 7.  
ar. 1. & 9.  
45. art. 5.  
dis. 1.

ab actu? Respondeo, juxta ipsum S. Magistrum in responseione ad tertium, nihil aliud esse, quam improportionem potentiarum ab actu, quae impropositio esse potest passiva, vel merè negativa consistens in contrarietate, impedimentisque sufficientibus potentiam passivam; quo circa merito corripit P. Doctor Molina quosdam sinistram interpretationem distantiam hanc, seu remotionem, cui insistit Magister. Confirmat hanc rationem Cajetanus argumento objecto, & rejecto supra num. 109.

*Idem q.  
45. cit.*

124. Quinque reddunt arduam evidentiam hujus discursus. Primum: generales instantias contra istas suppositiones, argumentaque purè calculatoria. Pari namque forma arguere poteramus sic: quo celsius est objectum, eo celsior, & melior est possessio illius; at Deus est objectum simpliciter infinitè excelsum: ergo possessio ipsius est simpliciter infinitè magna, & excelsa. Eamdem suggerunt redargutionem actus charitatis Theologicæ, & obsequia omnia exhibita Deo: item malitia peccati; nam etiam quod dignior est persona, eo pejus est supernere ipsam: at Deus est simpliciter infinitè densus: ergo malitia offendæ in Deum est simpliciter infinitè mala. Ob hæc P. Hurtado negat primum antecedens. P. Lynce concedit illud de proportione geometrica; negat de arithmeticæ: Ego censeo, calculationem istam, si in sensu universalis fiat, defectuosam esse, non modò propter instantias nuper attackatas; verum etiam, quia stat bene, potentiam A. esse magis remotam, seu elongatam ab actu, quam potentiam B., & tamen virtutem activam eamdein, quæ sufficit reducendo ad actum hanc potentiam, sufficere quoque reducendo illam. Pone duos homines æquid liberos ad actum temperantia, quoad principia physicæ effectiva hujus actus. Addatur Petro habitus viciosus intemperantia intensus, ut quatuor, quo Joannes careat. In hoc casu, ratione hujus habitus retrahentis à temperantia, elongatur quatuor gradibus ab actu potentia passiva Petri; secus potentiam Joannis; & tamen eadem virtus activa, quæ in Joanne sufficit ad prædictum actum eliciendum, sufficit quoque in Petro. Probatur: libertas, qua hic fungitur, sufficit ad se temperandum, alioquin libertas non esset: sed libertas, qua hic fungitur, est prorsus equalis activitate libertati, quam habet Joannes, ut ponimus: ergo libertas prorsus æqualis activitate libertati Joannis par est producendo actum temperantia in Petro: ergo stat bene, duas potentias inæqualiter elongari ab actu; & eamdem activitatem, quæ sufficit actuando unam, sufficere quoque actuando alteram.

125. Cę-

125. Ceterum juxta principia latè stabilita Disputatione de axiomaticis calculatoriis, distingui oportet supputatio ista. Quod magis distat potentia passiva ab actu, eo per se loquendo, major requiritur potentia activa, si cætera omnia, quæ conducunt positivè, atque negativè ad operandum fuerint paria; secus si fuerint imparia. Probo primam partem. Quoties major adest difficultas in operando, majore vi opus est ad vincendum illam per se loquendo, & supposito, quod reliqua omnia paria sint; at quoties potentia passiva magis elongata, seu remota est ab actu, major est, cæteris paribus, difficultas in operando eum actum, siquidem remotio ipsa, seu improprio potentiæ passivæ est difficultas aliqua, ne producatur actus ille; ergo quoties potentia passiva magis elongata est ab actu, majore vi opus est, per se loquendo, ac dato, quod cætera sint paria, ad operandum. Major certa videtur; nam difficultas ex se impedit, aut retardat saltem operationem, aut vires aliunde debiles superare posse grandes difficultates; sed probo illam. Quoties majus fuerit illud, cui par debet esse vis operativa, major esse debet vis operativa; si enim A. est par rei B. & hæc crescit, illam quoque crescere necesse est, ut paritatem conservet; at quoties major est difficultas in operando, majus est illud, cui par esse debet vis operativa; quoniam hæc, ut difficultatem sternat, par saltem illi esse debet, quia si impar, minorque fuerit, succumbet difficultati, & tam longè aberit à victoria, ut potius ipsa vinceretur: ergo quoties major est difficultas in operando, major esse debet vis operativa, cæteris paribus. Neque dicas, his adversari exemplum, quod numero superiore protulimus. Aliud namque est, requiri majorem virtutem activam, quando potentia passiva est magis elongata ab actu, majorem inquam illâ, quæ per se sufficit, quando hæc potentia est minus elongata: aliud autem majorem illâ, quæ hic, & nunc datur, quando potentia passiva est minus elongata, quæ sanè potest esse plusquam sufficiens. Discursus modò elaboratus probat primum, non secundum; exemplum autem suadet secundum, non primum: ergo discursus non adversatur exemplo.

129. Probo secundam partem; stat benè, potentiam passivam A. esse magis distantem ab actu, quam potentiam passivam B. & tamen, quod ratione disparitatum aliunde ingruentium, minor, aut saltem eadem virtus activa, quæ sufficit reducendo ad actum potentiam B., sufficiat reducendo etiam potentiam A. ergo ut subsista, majorem virtutem activam opus esse ad actuandum potentiam passivam magis distantem, seu elongatam ab actu, necesse est, quod

aliunde non ingruat disparitas: ergo necesse est, quod cætera sint paria. Probo antecedens. Finge potentiam passivam A. tribus punctis loci distare ab agente calido A., potentiam vero passivam B. nullo distare à calido B., verumtamen addito calidum B. multis circumdatum esse contrariis, nullis autem calidum A. item illud impendere suam virtutem conservationi aliorum graduum caloris, secus A. Tunc sic. In hoc casu potentia passiva A. magis remota est ab actu habendi calorem, quam potentia passiva B., & tamen, ut calidum A. reducat illam ad actum, non desideratur habere maiorem virtutem, quam calidum B., siquidem inæqualitas illa ex parte potentiarum passivarum enervatur per inæqualitatem aliam ex parte ipsorum agentium: ergo stat bene, unam potentiam passivam esse magis remotam ab actu, quam aliam, & tamen quod ob alias disparitates, non sit major virtus illa, quæ reducit ad actum unam potentiam, quam virtus, quæ ad actum reducit alteram; & ratio est, quam sapè repetivimus: nempe ad justam, & rationalem duorum comparationem non sufficere unum tantum, vel duo sola perpendere; sed omnia pensanda esse; at fieri potest, ut licet inspectis solis potentiis passivis major requiratur virtus activa in uno casu, quam in alio; omnibus tamen pensatis non requiratur: ergo fieri potest, quod absolute loquendo non requiratur major virtus ad actuandum potentiam passivam magis elongatam, quam minus elongatam ab actu, propterea quod cætera sint disparia. Juxta hunc discursum negare potes antecedens superioris argumenti, aut distinguere illud terminis nuper datis, neconon illius probationem.

127. Secundum, quod ægrè admodum capio in hoc arguento B. Thomæ, est consecutionis rectitudo. Desideretur profectò major virtus ad movendum potentiam passivam, quod hæc fuerit magis elongata ab actu, seu quod magis improportionata sit: ergone, si fuerit infinitè distans ab actu, seu nullam cum eo proportionem habuerit, requiriatur infinita virtus ad moyendam illam? Absit: quoniam ad illud, quod est chymæra, nec requiritur, nec sufficit virtus infinita; omnipotens namque virtus non est ad conjungenda duo contradictionia ut talia: at fieri potest, quod sit chymæra, potentiam passivam reduci ad actum, si infinitè simpliciter distet ab illo, seu nullam cum illo habuerit proportionem; nam fieri potest, ut per se ab intrinseco sit incapax illius actus, qua nulla major excogitari potest elongatio, distantia, atque remotio: & chymæra est reduci ad illum actum id, quod per se ab intrinseco incapax est illius: quemadmodum chy-

chymera est , quodd paries reducatur ad actum loquendi , & ratiocinandi , eo quodd ( utpote rationis expers ) nullam prorsus habet proportionem cum alterutro eo actu : ergo nec sufficit , nec requiritur infinita virtus ad reducendum ad actum potentiam passivam , quæ infinitè simpliciter distat ab eo , cuique nulla cum eo intercedit proportio . Explicatur : ut Essentia divina reducatur ad actum habendi albedinem per receptionem , requiritur ne infinita virtus ? Minime ; quia est summè , totaliter , atque infinitè improportionata , ut sic habeat albedinem : ergo si assumitur potentia passiva distans simpliciter infinitè ab actu , summèque improportionata cum illo , impossibile erit ad actum eum reduci : ergo si rem creari in hoc consistat , vel hoc secum importet , impossibile erit rem creari ; quamobrem dum dicitur , quodd crescente A. crescit B. cavendum est , ne usque adeo crescat A. , ut reddatur impossibile ipsum B: tunc enim non crescat ; sed simpliciter deficiet B: sic crescente propinquitate objecti cum potentia visiva , clariùs conspicitur objectum : adeo tamen crescere potest hæc propinquitas , ut neutiquam objectum discerni valeat : quod experieris , si hos characteres , quos modò legis , summè applicueris oculis ; sic crescente difficultate operis meritorii , crescit meritum ; adeo tamen crescere potest difficultas , ut in impossibilitatem transeat , cùi voluntas cedat , proindeque non modò non crescat meritum , verùm nec simpliciter existat . Hoc impræsentiarum : crescat profectò virtus activa , crescente remotione , distantiaque ab actu potentiae passivæ : at tantum crescere potest hæc elongatio , seu remotio , ut non modò non crescat virtus activa , verùm neque possibilis sit : ergo si ponis potentiae passivæ elongationem crescere simpliciter infinitè , non crescit ; sed est omnino impossibilis virtus activa , quæ illam reducat ad actum . Præterquamquod , ex eo , quodd crescente distantia potentiae passivæ ab actu , crescat virtus activa , solummodò infertur , quodd illa distantia infinitè crescente continget unum de duobus , nimirum , aut virtutem operativam in illa potentia esse simpliciter infinitam , aut aliam nobisorem subrogandam virtutem , quæ in minore quantitate potens sit ad eundem effectum præstandum . Juxta hanc philosophiam , neganda est prima consequentia argumenti initio capitis scripti .

128. Tertium , quod difficile reddit præsumptum argumentum , est transitus à virtute eductiva ad creativam : largiamur , infinitam desiderari virtutem eductivam ad operandum in potentia passiva , & ex potentia passiva infinitè elongata ab actu ; nego tamen requiri

infinitam virtutem creativam. Tum quia haec non operatur in potentia passiva sic infinitè elongata, sed *in nulla*, & *ex nulla potentia passiva*; nulla autem potentia passiva impropriissimè dicetur esse potentia passiva infinitè sic elongata. Tum quia, cum potentia creativa sit longè excellentior, quam illa, potest in mensura minore agere, quod illa nequit, nisi plurimum crescat: sic quia ignis longè superat perfectione frigus, potest in minore quantitate alterare subiectum usque ad eum gradum, ad quem usque nequit frigus alterare, nisi valde crescat. Hinc autem solum habebis, virtutem creatricem esse infinitam secundum quid, quæ infinitudinis species non dissentit creaturæ. Juxta hanc doctrinam distinguendum est primum consequens prædicti argumenti, & concedendum de virtute activa eductrice; negandum autem de creatrice. Quartum est paritas inter potentiam infinitè elongatam positivè ab actu, & nullam potentiam passivam ejusdem. Potentia passiva infinitè elongata positivè resistit infinitè actu, quoniam elongatio ipsa est impedimentum, vel impedimentorum cumulus actu obstantes: sed ad superandum resistentiam infinitam requiritur infinita virtus, prout supra ostensum est: ergo ad actuandum eam potentiam requiritur infinita virtus. At purum nihil non resistit infinitè actu; nam, vel sermo est de puro nihilo ipsius actus, id est de carentia ipsius? Et haec quamquam summè opponatur illi, non est dicenda resistere illi infinitè; quoniam etiam ante primam generationem formæ, datur hujus carentia, & tamen haec non resistit infinitè generationi, nisi dixeris ad generandum requiri quoque infinitam virtutem. Vel sermo est de puro nihilo potentias passivas, id est de carentia omnis passivæ potentiae: & haec, qua de causa resistere debet simpliciter infinitè productioni actus suæ naturæ creabilis, qualis est rationalis animus? Juxta hanc rationem, cæteris omissis, neganda est minor subsumpta argumentum illius.

129. Quintum, quod mihi reddit arduam memorati argumenti evidentiam, est. Aliud est, creationis terminum fieri ex nihilo, seu ex nulla potentia passiva *in sensu positivo*; quatenus detur ex parte rerum aliquid, quod in se ipso sit nihilum, aut sit nulla potentia, & per actionem dependentem ab hoc nihilo producatur terminus, ad modum, quo forma ignis educitur ex materia, quatenus ex parte rerum datur entitas quedam, quæ vocatur *materia*, dependenter à qua producitur, conservatur, & operatur forma ignis. Aliudque longè diversum, terminum creationis fieri ex nihilo, seu ex nulla poten-

**p**otentia passiva in sensu merè negativo, nimirum quatenus productio termini à nullo subiecto dependeat, ad modum, quo hęc papyrus non dependet in suo fieri à cucurbita. Si esset verum illud primum; permitterem, necessariam esse infinitam virtutem ad transcurrentem, ingentem distantiam, atque improportionem, quę disiungit nihilum, & aliquid; nullam potentiam, & aliquam potentiam; non ens, & ens: proindeque permitterem, necessariam esse virtutem infinitam ad producendum rem ex nihilo, seu ex nullo presupposito subiecto. Verumtamen illud primum non est verum, sed manifestè falsum: tantum ergo relinquitur, verum esse secundum, scilicet terminum creationis suapte natura habere, non produci dependenter à subiecto. Produc ergo independenter à subiecto id, quod ex sua natura habet sic produci, cur infert infinitam virtutem in producente?

130. Et ratio est. Rem produci ex nihilo sui ipsius, non arguit in agente virtutem infinitam: ergo nec produci ex nihilo subiecti, seu independenter ab omni subiecto. Probat consequentiam Tertullianus inquiens. *Quo enim interest ex nihilo, quia proferri, an ex aliquo, dum quod non fuit, fiat, quando etiam non fuisse, nihil sit fuisse?* Ubi docet, vix aliquid interesse, si ex subiecto, aut sine illo aliquid producatur, dummodo absolutè, & simpliciter producatur de novo illud idem, quod ut tale ante non erat in rebus. Probo antecedens. Formam ignis, ut talem præcisè (non loquor de toto composito, sed de sola forma) de novo generari, non arguit infinitam virtutem in agente: at formam ignis de novo generari, est produci ex nihilo sui ipsius, ut talis præcipuè: siquidem huic generationi, neque præcessit ipsa forma, ut talis (alioquin de novo generaretur id ipsum, quod jam erat generatum, & existens in rebus) neque præcessit aliqua pars constitutiva ipsius: Materia enim non constituit formam, sed compositum solummodo: ergo. Neque dicas, formam produci ex aliquo sui ipsius, quatenus productur ex materia, quę est aliquid formæ, cùm sit subiectum ipsius: tum quia reddit argumentum idem. Rem produci ex nihilo sui ipsius, quod sit ipsa res, aut ipsius constitutum intrinsecum, non arguit infinitam virtutem in agente: hoc enim evenit, quoties forma de novo generatur: ergo neque arguit hanc infinitam virtutem, rem produci ex nihilo sui ipsius, quod sit subiectum ipsius. *Quo enim refert &c.* ut ponderat Tertullianus. Tum quia impropria videtur ista terminorum acceptio: nam sicut dicas, materiam esse aliquid formæ ignis, quatenus est subiectum, in quo hęc recipitur, licentiā eadē dicet aliis, materiam esse quoque ali-

Tertullia-  
nus lib. de  
resurrect.  
carnis.

aliquid formæ rationalis, quandoquidem est subjectum; cui hæc intrinsecè unitur ex natura sua, & sine quo est violenta, & cujus reunionem exigit, si ab ea separetur ob mortem hominis. Quam doctrinam à S. Magistro docemur, sic ajente. *Ad sextum dicendum: quod secundum se convenit animæ corpori uniri, sicut secundum se convenit corpori levi esse sursum, & sicut corpus leve manet quidem leve, cum à loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen, & inclinatione ad proprium locum. Ita anima humana manet in suo esse, cum fuerit à corpore separata, habens aptitudinem, & inclinationem naturalem ad corporis unionem; & merito sanè: nam sicut materia, quia est entitas incompleta, naturaliter appetit unionem cum forma: ita anima rationalis appetit unionem cum altera comparte, quia etiam est entitas incompleta.*

131. Sed instaurabis aliter argumentum. Ideo ex potentia passiva infinitè elongata ab actu, nequit actus educi, nisi virtute infinita, quia potentia ea nullam habet proportionem cum actu, seu quia est illi valde improportionata: at nulla potentia passiva, seu carentia potius omnis potentie passivæ nullam habet proportionem cum actu, & est illi summopere improportionata: ergo si ad producendum actum, quando potentia est infinitè elongata ab illo, desideratur virtus infinita; desiderabitur quoque, quando nulla dabitur potentia passiva. Confirmatur à P. Doctore Molina ratione adducta, & repulsa num. 99. Respondeo 1. distinguendo majorem, nisi virtute infinita secundum quid; permitto: nisi virtute infinita simpliciter; nego suppositum: quoniam, licet potentia passiva infinitè distet ab actu habendi calorem v. g. eo quod habeat frigus infinitè intensem, infinitèque propterea resistens calori, nihilominus per calorem infinitè intensem reduci potest ad actum habendi calorem: at calor infinitè intensus est virtus secundum quid tantummodo infinita: ergo, licet potentia passiva infinitè distet ab actu, potest per virtutem secundum quid tantummodo infinitam reduci ad actum. Hinc dumtaxat concludes, requiri virtutem secundum quid infinitam, ad producendum actum absque omni potentia passiva. Respondeo 2. distinguendo aliter majorem, præcisè quia potentia ea nullam utcumque habet proportionem cum actu; nego: quia non habet proportionem, & ulterius actus ex sua natura recipitur, vel recipiendus supponitur in ea; concedo. Quid enim refert potentiam nullam omnino habere proportionem cum actu, si hic non est recipiendus in illa, seu ex illa educendus? Atqui actus natura sua creabilis

bilis non est educendus ex potentia ista infinitè elongata ab actu : Quid ergo interest , quod potentia sit , vel non sit infinitè elongata ? E distinguo minorem : carentia omnis potentiae nullam habet proportionem cum actu , & hic educendus est ex tali carentia , vel ex potentia aliqua ; nego : & non est educendus ; concedo .

132. Secundum argumentum S. P. Thomæ est . Eo modo <sup>Quæst. 3 de potentiis. art. 4.</sup> Factum agitur , quo Faciens facit : ergo illud , quod fit totum in actu , solummodo fieri potest ab eo , qui est totus in actu : at illud , quod per creationem fit , totum fit in actu , cùm nihil ipsius praextiterit , alioquin non fieret ex nihilo : ergo illud , quod fit per creationem , solummodo potest fieri ab eo , qui est totus in actu ; sed solus Deus est totus in actu , quia est actus purus se toto agens : ergo illud , quod per creationem fit , solummodo potest fieri à Deo . Tacitam præteriens solutionem P. Albertini , distinguo antecedens . Eo modo <sup>P. Albert.</sup> se habente ex parte actionis Factum agitur , quo Faciens facit ; conce-  
<sup>sup.</sup> do(nam si agens operatur per creationem , Factum agitur per creationem , si agens facit per educationem , Factum agitur per educationem , & sic in ceteris ) eo modo se habente ex parte ipsius Facti , vel ipsius Facientis ; nego . Quoniam neque est necesse reperiri in Facto omnem modum Facientis , neque in Faciente omnem modum Facti , ut innumeris exemplis cuique obujis perspicuum videtur : & nego primam consequentiam , quia modus , quem connotat consequens istud , se habet ex parte ipsius , quod fit , quo circa consequens non infertur ex antecedenti concessio . Respondeo secundò , permiso antecedenti , distinguo primum consequens : solidum potest fieri ab eo , qui est totus in actu entitativo , & existendi ; concedo consequentiam (ast cùm non solus Deus ; sed creatura etiam possit totaliter , ac secundùm omnes ipsius creature partes existere , non habemus , quod necessarium erat ad concludendum , illud , quod est totum in actu , à solo Deo fieri posse) ab eo , qui est totus in actu excludente omnem potentialitatem , sive imperfectionem ; nego consequentiam , quia ipsum , quod fit per creationem , licet sit totum in actu existendi , nihilominus , utpote finitum , immersum est , atque admixtum potentialitatibus , seu imperfectionibus : ergo fieri potest ab eo , quod immersum quoque est in potentialitate . Igitur quod fit per creationem , totum est in actu existendi ; non verò in actu excludente omnem imperfectionem , quatinobrem solum poscit oriri ab eo , quod fit in actu existendi , non verò ab illo , quod fit in actu reiciente omnem potentialitatem : sii autem eatenus præcisè dicatur totus in actu terminus creationis , qua-

quatenus nil ipsius præcesserit suæ productioni , etiam causa creata , v.g. Angelus, potest esse totus in actu , in eo sensu , in quo terminus creationis est totus in actu: ergo ex hoc capite non impeditur, quomodo nus possit aliquid creare .

133. Tertium argumentum est . In creatione ens fit per se: ergo agens debet esse per se ; sed solus actus purus est per se : ergo à solo actu puro fieri potest ens per creationem : ergo à solo Deo . Antecedens probatur: illud fit per se , quod prius non erat secundum ullam partem sui ; nam si prius esset secundum aliquam partem sui , non fieret per se , sed per accidens . At per creationem fit ens , quod prius non erat secundum ullam partem sui , namque fit ex nihilo ens: ergo per creationem fit ens per se . Jam suadetur etiam prima consequentia . Effectus proportionaliter reducuntur in suas causas : sic effectus in actu tribuitur causa in actu , effectus in potentia causa in potentia &c. : ergo effectus per se , causa per se . Omitto quoque solutionem P. Albertini , & respondeo . Aliud est , quodd fiat per se ens in creatione , per seitate independentiæ ab alio , (& hoc est fulsum ; omnis namque creatura ex suis intimis prædicatis dependet ab alto : omne autem , quod fit per creationem est creatura) aliud , quodd fiat per se , tum per seitate propria substantiæ , tum per seitate propria sua causa , stante in eo , quodd habeat inclinationem in actu primo proximo respectu sui effectus , tum per seitate consistente in eo , quodd nulla sui ipsius pars antecesserit suam productionem , & omnia hæc possunt esse vera . At aliquod distinctum à puro actu potest esse agens per se , his tribus per seitatis speciebus . Quandoquidem Angelus est substantia , & habet in actu primo proximo inclinationem innatam , vel elicitam respectu alicujus effectus , & producitur ita , ut nulla sua pars antecesserit sui productionem : ergo aliquid distinctum à puro actu potest esse agens per se , per seitate propria entis facti per creationem : ergo hoc ens potest habere proportionem cum causa creata . Prima insuper consequentia S. Magistri difficultis apparet ; nam è contrario in generatione ens fit per accidens : ergone agens debet esse per accidens ? Rursus per productionem ignis B. fit ens per se , ipsa nimirum substantia formæ ignis B. ergo ne virtus immediate productiva illius debet esse ens per se , contra doctrinam ipsius S. Doctoris agentis , talem virtutem esse entitativè accidentariam ? Item per lumen gloriae fit expressa , & formalis cognitio Dei : ergo ne ipsum lumen est expressa , & formalis cognitio Dei ? Quamobrem ista regula proportionis effectus cum causa , non

2. contra  
Genes. cap.  
21.

non ita intelligi debet , ut causa cunctis eis gaudet attributis , quæ in effectu detegimus ; sed ita , ut effectus non superet entitativam perfectionem suæ causæ adæquate , quin potius in hac contineatur formaliter , vel eminenter .

134. Quartum Argumentum est . Prima actionum debet esse *Ibidem.* causæ primæ solius ; sed creatio est prima actionum , quia nullam aliam presupponit : ergo debet esse causæ primæ solius . Resp. Prima actionum primatu temporis est solius causæ primæ : quoniam ante actionem id generis nulla existit creatura , à qua procedere possit ; at vero prima actionum primatu puræ perfectionis physicæ , vel primatu , non absoluto , sed respectivo ad hunc terminum individuum , quatenus nullam aliam presupponat actionem ad hunc terminum terminatam ; non apparet , quam ob causam debeat esse solius causæ primæ . Si enim nobilissima actio producendi visionem beatificant non est Dei solius , sed lumina etiam gloriæ : & nobilissima actio prorumpendi in fervidum actum charitatis Theologicæ non est solius Dei physicæ , sed etiam liberi arbitrii preventi , adjuti , & confortati per interiorem gratiam Dei , cur prima actionum primatu solius perfectionis puræ physicæ , atque materialis debet esse solius causæ primæ ? Atqui creatio non est prima actionum primatu temporis , sed primatu perfectionis puræ physicæ : non est prima primatu absoluto , sed tantum respectivo ad eum terminum individuum , qui creatur : ergo non est , cur sit actio solius causæ primæ . Si manvis , nega minorem , distingueque probationem : creatio nullam aliam actionem productivam sui termini presupponit ; concede : ( & in hoc maxime differt à generatione compositi , quæ sicut presupponit aliam actionem , videlicet creationem materię primæ ) productivam allus rei , nempe suæ causæ ; nega .

## C A P U T X I I I .

### Primarium Argumentum S. Thomæ .

135.  Niversaliter effectus in universiores , & priores <sup>1.p. qn. 45.</sup> causas reducendus est : at ipsum esse universaliss. <sup>art. 5.</sup> Scotus in mun est inter omnes effectus : ergo reducendus <sup>4. diff. 1.</sup> in primam , & universalissimam causam , quæ est <sup>Caes. 1.p.</sup> Deus : sed terminus creationis est esse absolute , <sup>q. 45. art. 5.</sup> non in quantum est hoc , vel tale esse : ergo terminus creationis in <sup>P. Molina</sup> <sup>ibid.</sup>

**P. Suarez.** Deum reducendus est: ergo creatio est propria actio ipsius Dei. **Con-**  
**disput.** 20. **Met. scilicet 2.** firmat auctoritate decerpta ex libro de causis, ubi dicitur. Quid  
 nec intelligentia, nec anima nobilis das esse, nisi in quantum operatur  
**P. Vafq. 1.** operatione divina: ergo hoc, quod est dare esse absolute, & simplici-  
**p. disp. 176.** ter, est operatio propria Dei; sed creare est dare esse absolute, ac sim-  
**P. Lynce s.** pliciter: ergo creare, est operatio propria Dei: ergo nulli creature  
**Phys. tract.** 2. cap. 5. n. competere potest. Multa subtiliter contra hunc discursum subtilis  
 49. Doctor congettus. Insultat Cajetanus quasi refellenti, quod non  
**P. Oviedo** omnino percalluit; sed videbimus, quo jure triumphum de Scoto sibi  
**controv. 13.** Cajetanus gratuletur. Nostri frequentes non fidunt huic rationi,  
**Phys. p. 4.** num. 3. quam solvunt PP. Molina, Suarez, Vasquez, Lynce, Oviedo,  
**P. Hurt.** Hurtado, Arriaga, irid & Albertinus ipse addictissimus, vel cortici  
**disput. 12.** verborum S. Thomae. Quæ quidem ratio, inquit, multas patitur in  
**Phys. scilicet 7.** plantias ex Scoto, & alii, quibus adde Illustrissimum Echaz.  
**P. Arria-**  
**ga disp. 11.** 136. Tria non assequor in hoc discursu S. Thomæ; aut in ma-  
**Phys. n. 85** jore loquitur de reductione positiva, consistente in eo, quod univer-  
**P. Albert.** salissima causa concurrere debeat ad universalissimum effectum: aut  
 q. 17. Theo- logica co-  
**roll. 17. ex** ejusmodi causa, & ipsa sola concurrere debeat ad universalissimum  
 primo prin-  
**cip. n. 24.** effectum? Si primum; verum est: ceterum conclusionem non ostendit, nec quæstiōni satisfacit. Non enim querimus: an Deus con-  
**Echaz.** currere debeat ad creationem, nec S. Magister hanc sibi probandam  
**disput. 24.** assumit conclusionem, Deus creat; sed hanc, solus Deus creare potest.  
**4. n. 37.** En verba. Respondeo dicendum, quod satis appareat in primo aspectu  
 secundum præmissa, quod creare non potest esse propria actio, nisi solus  
 Deus. At ex eo præcisè, quod Deus concurrere debeat ad creare, non  
 sequitur, solum Deum creare: quemadmodum ex eo, quod generare,  
 quando detur in rebus, necessariò debeat procedere à Deo, non se-  
 quitur, Deum solum operari per generationem: ergo si major illa  
 primum reddiderit sensum, vera est, sed insufficiens conclusioni pro-  
 bandæ. Si secundum; bene infertur conclusio: at de hoc est quæstio,  
 an scilicet solus Deus creare possit? & præterea major falsa erit. Quo-  
 niam esse per creationem (& non loquor de composito, cuius aliqua  
 pars præcessit, materia nimirum, sed de sola forma, cuius nulla  
 pars generationem anteit) non est effectus minus amplius, quam  
 esse per creationem, sed fortè universalior: plura namque genera-  
 tione, quam creatione producuntur; & tamen esse per generationem  
 non reducitur in solam causam priorem, & universalissimam, quan-  
 doquidem causæ secundæ etiam generant multos effectus per virtu-  
 tem

## *Primarium Argumentum S.Thomæ.* 339

tem sibi innatam : ergo, si in ea maiore fuerit sermo de reductione, positivâ , atque negativa, falsa est . In forma distinguenda est major : seducendus est positivè; concedo: positivè, & negativè; nego majorem.

137. Secundum est prima illa minor . Vel enim dicitur universalissimum inter omnes effectus ipsum esse , prout complectitur esse per essentiam , & esse per participationem? (& sic est falsa, quoniam esse per essentiam nullius causæ potest esse effectus) Vel ipsum esse , prout determinatè est esse per essentiam? Et sic clarius innotescit ejusdem minoris falsitas ? Vel ipsum esse , prout determinatè est esse per participationem : & sic rogo ulterius . Vel est ipsum esse per participationem genericè sumptum , prout abstrahit ab esse educibili , & creabili ; vel esse per participationem , quod determinatè sit educibile , vel quod determinatè sit creabile ? Si primum, aut secundum; vera est minor , at parum idonea conclusionem probando , quia falsificat majorem: siquidem non sola causa prima est universalissima; sed etiam causæ secundæ concurrunt per propriam virtutem Deo subordinatam ad esse educibile , & consequenter ad esse inclusum in esse universalissimo complectente educibile , atque creabile . Si tertium ; falsa est minor , ut proximè dicebamus : latius enim patet esse generabile , quam esse creabile : ergo immerito dicere videbimus esse creabile universalissimum esse inter omnes effectus . Solutio huic doctrinæ consentanea est distinguere minorem , omissa majore : esse determinatè per creationem est universalissimum inter omnes effectus; nego ; esse , prout abstrahit à generabili , & creabili; concedo: & dissimilata prima consequentia , distinguo minorem subsumptam . Terminus creationis est esse absolute , prout præscindit à generabili , & creabili ; nego : quia terminus creationis datur à parte rei ; illas autem præcisiones, atque universalitates sunt opus solius intellectus: prout determinatè est esse creabile ; concedo minorem , & nego sequentia .

138. Tertium, quod ægrè percipitur, est minor illa subsumpta : Terminus creationis est ens absolute , non in quantum est hoc , vel tale . Etenim , vel significat terminum creationis esse ens genericè sumptum , ac prout præscindit à suis speciebus , ut suspicantur PP. Hurtado , & Arriaga ; vel significat esse ens , quatenus per creationem producitur tota essentia entis , quia illa hujus pars præcesserit , quod dicitur non evenire generationi: siquidem pars aliqua compositi generati , nempe materia prima , præsupponitur generationi ( quam expositionem docent PP. Molina , & Albertinus ubi supra ) vel si-

gnificat, rationem universalissimam entis esse objectum formale creationis; ut explicat P. Suarez; aut rationem *sub quo*, ut loquitur P. Lynce: vel demum significat virtutem, à qua nascitur creatio, non circumscribi terminis ullis, sed ad omne expandi ens? Ad modum quo S. idem Magister dicere solet, causam primam solum concurrere ad rationem communem entis, secus ad rationes particulares, non quia rationes hæc peculiares divinum subterfugiant concursum; sed quia Omnipotentia non coarctatur illis (sicut causæ secundæ dumtaxat potentes producere hanc, vel illam determinatam speciem entis) quin potius omnem omnino entis finiti speciem producere potest. Sic impræsentiarum. Dici valet terminus creationis esse ens, in quantum ens: non verè in quantum hoc, vel tale ens; quatenus videlicet creativa virtus non obligatur ullis terminis, sed producere potest rationem entis ubicumque hæc fuerit: quam expositionem tradit P. Oviedo. Si primum; major est falsa, quia ut spicenter monuit Philosophus. *Actiones, generationesque omnes in singularibus versantur, & medicus non curat hominem, sed Socratem, aut Callionem:* ergo per creationem non producitur esse genericè sumptum, & ut præscindens à suis speciebus; sed hoc individuum, ac determinatum ens: sic per creationem Angelii non producitur ens, ut sic, sed hoc tale ens, quod est Angelus. Rationem vel ipsi Logici norunt. Omne, quod verè, ac physicè producitur per creationem, verè, ac physicè existit à parte rei: ergo omne, quod non existit à parte rei, non producitur per creationem. At ens genericè sumptum, ut à suis speciebus abstrahens, non existit à parte rei, nisi communiscaris cum Platone naturas à parte rei universales: ergo ens genericè sumptum non producitur verè per creationem: ergo non est terminus illius: ergo falsa est ea minor, si significet hoc.

*P. Vazq. ubi sup.* 139. Si secundum; vera est minor; sed non venit ad rem, ut bēnè præmonuit P. Vazq. contra Cajetanum, & Ferrariensem. Tum quia, ex eo, quod per creationem producatur tota essentia termini, quia de causa sequitur solum Deum creare posse? Hæc consequitio asseritur semper, & probatur nunquam. Tum quia etiam generatur forma ipsa ignis, producitur tota essentia ipsius, & non una tantum pars; & tamen non dicimus, terminum generationis esse ens, in quantum ens; & non in quantum tale ens: ergo ex eo, quod per creationem producatur tota essentia termini, non infertur, terminum creationis esse ens, in quantum ens absolute; & non in quantum tale ens. Probo majorē. Non tantum generatur compositum, qua

## Prīmarium Argumentum S.Thomæ. 341

qua tale; verū etiam forma ipsius, ut talis, atque ut distincta realiter inadæquatè à composito: at quamquā generationi compōsiti præcedat aliqua pars intrinseca illius, materia scilicet; generationi tamen formæ non procedit, strictè, ac scholasticè loquendo, ulla pars essentialis ipsius formæ. Tum quia, licet præcedat materia, hæc non est pars intrinseca formæ (quæ sanè distinguitur adæquatè à materia) sed solius compositi; & alioquin dicere debueras, subiectum album non modò esse partem essentialēm hujus concreti *Album*; sed etiam albedinis, & sic scholastica confundere vocabula permiscendo abstracta concretis. Tum quia, demus, aliquam partem formæ ignis præcedere; certum tamen est, non præcedere omnes omnino partes: nam aliæ agentia naturalia nihil agerent, cùm omnia facta, & producta invenirent (intelligere verò phrasim illam, *eductio formæ ex materia*, ad modum, quo panes educuntur ex arca, vel pecuniae ex marsupio, inculta prorsus, & vasta videtur barbaries) in illa ergo parte, quæ de novo fit, instauratur argumentum. Nulla pars essentialis illius partis præcessit: ergo per generationem tota producitur essentia illius partis: ergo terminus generationis potest esse tota essentia termini producti: ergo non est proprium creationis in quarto modo, quod per ipsam producatur tota essentia termini: ergo si hoc solummodo significet ista minor, nihil habebimus: ergo in isto sensu est præter mentem S. Doctoris.

140. Si demum significet tertium, aut quartum; haberemus sānè, virtutem creatricem posse producere omnem rationem entis finiti, cùmque tam ampla activitas soli Deo convenire possit, concluderetur, Deum solum posse creare. At unde probatur, specificatum, objectum formale, & rationem *sub qua* creationis esse ens in tota ista amplitudine? Quid ni est etiam objectum formale, & ratio *sub qua* generationis? Si enim amplissima ratio entis est objectum formale, & ratio *sub qua* creationis, propterea quod reperiatur in omni termino creato, & talis sit, ut si non reperiatur in eo termino, non crearetur ille terminus: quia, quod nihil est, non creatur: ob eamdem rationem debet esse objectum formale, & ratio *sub qua* generationis; quoniam invenitur in omni termino genito, ita ut, si in eo non inveniatur, ille non gigneretur, quia etiam omne genitum debet indisponibiliter esse ens reale. Unde patet, tam malam esse consequentiam hanc, *Hoc subiectum potest creare unum: ergo omnia: quam hanc: Hoc subiectum potest generare unum: ergo omnia.* Ad propositionem illam, *P. Suarez* quam ex libro de causis colligit B. Magister respondeo cum P. Suarez *num. 26.* ibi

ibi solummodo dici, causam secundam tantum posse agere per virtutem acceptam à Prima, & dependere in suis operationibus ab actuali operatione Dei; sed hoc non impedit, causam secundam creare aliquid per virtutem acceptam à Prima, & dependentem in operando ab hujus operatione: ergo illa propositio, cùjuscumque fuerit, non impedit, creaturam posse creare. Probo minorem: etiam creatura, dum generat, operatur per virtutem acceptam, & dependentem à Deo; & tamen virtute sibi innata generat: ergo quod creatura, si crearet, operari deberet per virtutem acceptam, & dependentem à Deo, non impedit, quod creare posset.

141. Respondebis 1. Aliud est, creationem esse actionem creature: aliud, esse actionem propriam creature: D. Thomas non negavit primum, sed secundum, ut constat ex Concusione citata num. 136. quam sibi proponit. Rationes autem hucusque objectæ probant primum, non secundum: ergo illibata substat ratio Angelici D. Contra. Quid esset, creationem esse actionem propriam creature? Procedere ne ab illa independenter à concursu, & beneplacito Dei? Virtutem creatricem non subordinari Omnipotentiae? Apag. Quis Catholicorum potest de hoc ambigere? Disputatur igitur inter scholasticos, num creatura possit virtute propria creare? In eodem sensu, in quo statuitur vulgo à Philosophis, unam creaturam posse virtute propria generare, aliam, hoc est virtute sibi congenita, sibi innata, sed summè dependente à Deo, in esse, conservari, & operari. Hoc posito, sciscitor: S. Magister respondit, vel non respondit huic questioni? Si secundum; teneris deglutire, tantum Virum non satisfecisse questioni, quam resolvendam sibi ipse proposuit, videlicet, utrum solius Dei sit creare. Si primum: ergo superiorem adduxit rationem, probatur, creaturam non posse creare virtute sibi congenita, & connaturali, tametsi Deo subordinata. Sed tres solutiones supra exhibitæ occurrunt illi rationi: ergo solutiones occurrunt rationi, in eo sensu, in quo ratio profertur ad probandum intentum. Complector hæc unico dilemmate. Vel ratio philosophica, & purè naturalis evincit repugnantiam creature, quæ virtute sibi per naturam inditâ, licet Deo subordinatâ, creet; vel non? Si hoc habeo intentum, videlicet, stando rationi merè naturali, non repugnare creaturam, quæ propriis viribus creet, quemadmodum non repugnat creatura, quæ viribus propriis generet. Si primum; quænam est ista ratio? Effectus ne universaliores reducendos esse in causam universaliorum? Jam hunc nodum haud insufficenter solvimus. Contra 2. Dum ait, S. Thomam præcisè docuisse creationem esse actionem

pro-

## Primarium Argumentum S.Thome. 343

propriam solius Dei ; vel intelligis, solum Deum esse necessariò universalem creatorem; vel intelligis, Deo semper, ac necessariò convenire virtutem creatricem; vel intelligis, creaturam nequire per virtutem sibi innatam creare quidquam. Si primum, aut secundum; non venit ad rem: quia de ipsis duobus soli Pagani dubitarunt, Catholici utrumque sine hesitatione fatemur. Si tertium; de hoc sanè est quaestio scholastica. Sed quamnam profert peremptoriam rationem, excepta PP. authoritate?

142. Respōdebis 2. cum Cajetano Gravis hic Theologus, ut Scotti impetum retunderet, duo excogitavit. 1. Magnum esse discrimen inter effectum esse, & esse per se primò. Hac duo inquit, esse fit, & esse per se primò fit, distant plus quam Cælum, & terra. Porro immensa hæc distantia, aliis omissis, stat in eo, quod ex hoc antecedenti esse fit non sequitur: ergo immediate ante hoc non erat ens; sequitur verò ex hoc alio antecedenti esse per se primò fit. 2. Essere fieri non infert agens proprium; esse autem per se primò fieri infert agens proprium, & per se primò. 3. Ex eo, quod esse fiat à causa A. v. g. non infertur fieri ab eadem in omni habente esse; ex eo autem, quod esse per se primò fiat ab A., sequitur fieri ab eadem causa semper, & in quounque detur tale esse. Quoniam oportet, inquit, universaliter ab eo fieri, à quo per se primò fit. Subjungit in praesata ratione S. Thomæ sermonem non esse de effectibus, ut quomodolibet fiunt, sed ut per se primò fiunt; unde concludit, praefatam rationem malè intelletam fuisse a Scoto, eo quod prætermiserit tò per se primò. Hæc Cajetanus; sed ut Scotti iustum declinaret, S. Magistri authoritati non nihil derogasse videtur. Ratio Sancti Magistri est, quod effectus universalissimus, qualis est ipsum esse, reducendus sit in causam universalissimam, qualis est Deus. Sed per te reduci in Deum, est, quod per se primò fiat à Deo: ergo juxta interpretationem Cajetani, ratio S. Magistri consistit in eo, quod esse per se primò fiat à Deo. Sed per te, esse per se primò fieri à Deo, stat in eo, quod Deus sit causa propria talis esse; stat in eo, quod producat totum esse; stat in eo, quod producat esse limitatum ubicumque illud fuerit: ergo juxta Cajetani interpretationem, ratio S. Thomæ unicè consistit in eo, quod Deus sit causa propria esse limitati, producat totum illud, & omne. Sed hoc non venit ad rem, neque de hoc est quaestio inter Catholicos: sicut neque est quaestio; an Deus producat totum, & omne esse generabile; sed solum, an creatura possit simul cum Deo concurrere ad creationem, sicut simul cum Deo concurrit ad generationem:

ergo

ergo si Cajetani interpretatione fidendum esset, ratio S. Magistri non veniret ad rem. Ecce scopulum, ad quem offendit, ut à Scoto fugiat.

143. Contra 2. Per te, *eſſe reduci in Deum*, est, quodd per se primò fiat à Deo. Et rursus per se primò fieri à Deo, est, quodd Deus totum esse producat, quin, vel ipsum esse, vel pars ipsius præcesserit. Nunc quero; vel est, quodd *solus* Deus producat totum esse, & nemo aliis: vel est, quodd Deus simul cum alio producat, aut producere possit totum illud esse. Si primum; de hoc est quæſtio: ergo juxta Cajetanum assumit S. Thomas, quæſtionem resoluturus, illud idem, de quo est quæſtio. Si secundum; clarior est processus totus, verū non sequitur conclusio, quæ statuit, nullum alium à Deo posſe operari per creationem, ut per se patet: ergo Cajetani interpretatio non est bona. 3. Aliud est, creaturam operari per creationem: aliud operari per se primò per creationem. Si hoc secundum sit apud Cajetanum habere virtutem universalem ad producendum *eſſe* in omnibus, & singulis, in quibus fuerit *eſſe*; nemo dicet, creaturam operari per se primò per creationem, sed tantum dicent Durandistæ, creaturam posse simpliciter operari per creationem: quemadmodum, si operari per se primò per generationem sit habere virtutem universalem ad generandum *eſſe* ubicumque illud fuerit per generationem, nemo dicet, creaturam posse per se primò generare; sed solum posse simpliciter generare per virtutem sibi con naturalem: ergo Cajetani interpretatio argumentum S. Patris detorquet ad probandum, quod Catholicorum nemo diffitetur. Ex quibus colligo perdocti hujus viri solutionem non satis infregisse imperum Scoticæ rationis: ita enim unum obſtruit hiatum, ut alios aperiat.

144. Secundum, quod ibidem docet, est: *eſſe* est proprius effectus causæ universalissimæ, quæ est Deus; id est *eſſe* est per se primò effectus Dei; hoc enim significat *by* proprius, & non significat idem, quod *solum*, seu tantum, ut arguens intellexit, imponens Authori, quodd *eſſe* est effectus solius Dei, hoc enim numquam somniarimus. Bene: ergo *eſſe* non est effectus solius Dei: ergo etiam potest effectus esse creature: sed juxta D. Thomam, *Inter omnes effectus universalissimum est ipsum eſſe*: ergo universalissimus inter omnes effectus potest esse effectus creature hoc, vel illo modo: ergo vel non reducitur in causam universalis, & priorem (quod dissentit majori assumptione à S. Thoma) vel non in illam *solum*: & sic hebetatur discursus, nam solum probat, *Deum creare*, de quo non est quæſtio; minimè autem, *Deum solum crea-*

## *Primarium Argumentum S.Thomæ.* 345

**creare** posse, de quo sane est quæstio: vel tantum concludit, Deum solum creare per se primò: quod in phrasí hujus Authoris negat nemo.  
2. Per te esse non est effectus solius Dei; sed esse est terminus creationis per S. Doct. ibidem clamantem: *Producere esse absolute, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis*: ergo terminus creationis non est effectus solius Dei: ergo potest esse effectus creaturæ: ergo creatura operari valet per creationem.

145.- Instabis ex eodem ibidem. Respicere per se primò esse est operatio propria primæ causæ; sed creare est respicere per se primò esse: ergo creare est propria operatio causæ primæ. Duo respondeo. Primum, respicere per se primò esse, producendo primum esse creatum, vel habendo pro objecto formalí totam amplitudinem esse limitati, est quidem operatio propria causæ primæ; secus autem respicere per se primò esse, producendo totum esse; quoniam, dum causa secunda producit formam ignis, producit etiam de novo congenitam virtutem totum esse, non quidem compositi, sed formæ ipsius, siquidem nulla pars intrinsecè constitutiva hujus præcessit: ergo respicere per se primò esse in hac acceptione, non est operatio propria solius causæ primæ. Jam creare est respicere per se primò esse, producendo totum terminum, non autem producendo primum esse creatum. (Siquidem Deus creat hodie multas animas rationales; & tamen non producit hodie primum esse creatum) vel habendo pro objecto formalí totam amplitudinem esse limitati, sicut nec generate est habere pro objecto formalí totam amplitudinem esse generabilis; quo circa discrimen generationem inter, & creationem non stat in eo, quod per creationem producatur primò totum esse, secus per generationem, nam etiam per generationem formæ ignis producitur denudatum esse (si non compositi, at saltem ipsius formæ ignis) sed in eo, quod per creationem producatur terminus independenter à presupposito subjecto, quatenus creatio ipsa non sit intimè connexa cum illo; ast per generationem producatur terminus dependenter à presupposito subjecto, quia generatio, seu educatio ipsa est intrinsecè, & essentialiter connexa cum illo, tamquam cum termino, cui essentialiter unitur. Dices: ergo absolute contra S. Thomam defendimus, possibilem esse creaturam, quæ virtute polleat creatrice. Negro consequentiam: tum quia jam diximus, eam impossibilem esse stando authoritati; cùmque authoritas hujus S. Doctoris, tanti habenda sit, sequitur, illam creaturam, absolute loquendo, esse impossibilem: tum quia ipsius argumenta, nec solvere, nec refutare

K k

tare

tare conati sumis, ( absit ) sed proponere difficultates, quibus obnoxia sunt, quas aliis solvere facile potest.

## C A P U T X I V.

*An, & qua ratione ad præteritum non datur potentia.*

*Epi. ad  
Eusebium  
qua ep. 22.  
P. Molina  
na 1.p.qn.  
25. art. 2.*

*& in con-  
cordia pag.*

**146.**  *Udenter loquor ( scripsit ad quamdam S. Hieronymus ) cum omnia possit Deus, suscitare Virginem nos potest post ruinam : non quod violatum claustrum redintegrare nequeat ; sed quia facere nequit, ut corruptum non fuerit, postquam corruptum fue-*

*rit. Hinc præfixum axioma altè mortalium mentibus insedit. Eoque*

*316. Arist. PP. frequentes utuntur, legendi apud D. Molina, magnumque ha-*

*6. Eth. c. 2. bet fundamentum ab Aristotele hoc Agathonis testimonium profe-*

*Gilbert. rente. Hoc etiam ipse Deus, solumque carere videtur. Infectum, ut faciat,*

*super Bo. etium de quod factum est, atque peractum. Cæteram divisi sunt Magistri: Theo-*

*Trinit. logorum pars negant absolutè hoc principium: sic Gilbertus, Altis-*

*Altisodo. siodorensis, Gregorius, & quidam alii Angli, quorum rationes lege*

*summi c. 6. apud P. Molina citatum; pars autem constanter tacentur illud. Ve-*

*trat. de rumtamen si utrorumq; verba perpendantur similius vero est, unum*

*Pot. Dei Theologorum ordinem non refragari alteri, ut bene prænotavit P.*

*Greg. in 1. Vasquez; Gregorius namque, & Angli ajentes, Deum habere poten-*

*art. 2. tiam ad præteritum, loquuntur de præterito specificativè, ac secun-*

*P. Vasq; dum se præcisè inspecto; non de præterito reduplicativè, ut tali, &*

*1. p. disput. in sensu composito præteritionis, quasi Deus posset facere, ut non sit*

*105. cap. 2. præteritum etiam ex hypothesi, quod præteritum sit. S. autem*

*Thomas, & reliqui AA. loquuntur de præterito, reduplicativè, ut*

*S. Thom. 1. tali, atque in sensu composito præteritionis, ut constat ex rationi-*

*p. q. 25. 4r. bus, quas producunt: ergo uni loquuntur in uno sensu, & alii in-*

*4. alio: ergo non sibi contradicunt.*

**147.** Igitur trifariam considerari potest Præteritum: aliud namque est purè præteritum, nempe quod fuit, sed non est: aliud *sæ* purè præteritum, nempe quod fuit, & etiam est: aliud præteritum præcivit, illud nimirum, de quo ita enunciat propositio *præteritum esse*, ut ex suo modo tendendi, neque affirmet, neque neget, illud modò existere. Præterea dupliciter intelligi valet præteritum. 1.

*specificativè, ac in sensu diviso, sive præcivit à præteritione. 2. re-*

*duplicativè, in sensuque composito præteritionis. Hic autem sensus*

*com.*

compositus geminus est, aliis enim componit præteritionem cum sola potentia ad non præteritionem; aliis vero apprehendi potest, componentes præteritionem cum non præteritione, & utriusque diversitatem diversitas appellationum innuet. Rursus Præteritum, aliud est dependens ab exercitio libero nunc præsenti, vel futuro, ut divina revelatio jam præterita prædicens peccatum præsens, aut futurum hominis; aliud autem omnino independens ab ejusmodi exercitio. Bipartitè insuper accipi potest potentia ad præteritum: potest namque esse potentia antecedens, vel consequens: & utraque esse potest ad præteritum faciendum, vel ad præteritum impediendum. Ambas item esse possunt ad præteritum faciendum, vel impediendum, in bac præsenti duratione; vel ad præteritum impediendum vel faciendum in ea duratione præterita. Prolixa sunt hæc distinctiones, sed ex illarum omissione involucra emergunt, atque sophismata.

148. Dico 1. Si sermo sit de potentia Divina, nunc de præsenti datur potentia ad præteritum causativa illius; & impeditiva illius in præsenti hac duratione, & ad conservandum illud, neconon reproducendum. Probo primam partem. Modò habet Deus potentiam adæquatam creandi Adamum; sed hic est præteritus: ergo modò habet Deus potentiam adæquatam ad præteritum, causativam illius. Probo majorem. Aliquando habuit Deus eam potentiam, ut est certum: ergo & modò. Probo consequentiam. Omne adæquate divinum semel existens, semper existit: quia apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: sed ea potentia adæquata, est quid adæquate divinum; quandoquidem Deus per se solum potest quemlibet effectum absolutum producere: ergo si aliquando habuit Deus eam potentiam, modò etiam gaudet illà. Quod si dicas, potentiam divinam proximam, & adæquatam constitui per ipsius effectus possibilitatem adæquate distinctam à Deo, nihil refert: hæc namque possilitas semel existens suo modo, semper etiam existit. Probo secundam. In hac præsenti duratione impedit Deus Adamum præteritum; sed hæc impeditio est libera Deo: ergo in hac præsenti duratione habet Deus potentiam ad impediendum Adamum in hac duratione: ergo de præsenti datur in Deo potentia ad præteritum impediendum in duratione præsenti. Probo tertiam. Deus modò conservat hominem, qui heri extitit, quique est præteritus non purè: item suscitat hominem mortuum: ergo habet potentiam ad utrumque: ergo habet potentiam ad præteritum conservandam in præsenti

senti duratione; necnon reproducendum. De his non videtur esse quæstio.

149. Dico 2. Si sermo sit de potentia creata; ad præteritum datur potentia, tum impeditiva, tum determinativa pro ea duratione præterita, quando præteritum dependet ab exercitio libero creaturæ, ratione intimæ, & reciprocæ connexionis cum eo. Datur, inquam, hæc potentia in sensu composito præteritionis; sed non ad impedieñdum præteritum in duratione præterita conjunctim cum eo, quod in ea duratione extiterit tale præteritum, neque ad determinandum præteritum in duratione præterita conjunctim cum eo, quod in ea duratione non extiterit. Cæterum habet potentiam ad impediendum præteritum in præsenti duratione, conjunctim cum eo, quod extiterit in præterita, & ad determinandum præteritum in præsenti duratione conjunctim cum eo, quod in aliqua præterità non extiterit. Rursus habet potentiam ad præteritum conservandum in præsenti duratione. Probo primam partem: eo ipso, quod creatura in duratione præsente eliciat suum exercitium liberum, dabitur in duratione præterita illud objectum præteritum. Item eo ipso, quod in præsente duratione non eliciat tale exercitium, non existet in duratione præterita objectum illud præteritum; ponimus namque connexionem versari reciprocam inter hoc exercitium, & illud objectum præteritum pro duratione præterita. Sed creatura libertate fungitur ad eliciendum, & non eliciendum in præsente duratione tale exercitium, utpote sibi liberum: ergo libertate fungitur ad faciendum, quod illud præteritum extiterit in duratione præterita, & libertate ad faciendum, quod in ea duratione non extiterit: ergo quando præteritum ob reciprocam connexionem metaphysicam summè dependet ab exercitio libero creaturæ, hæc gaudet libertate, tum impeditiva, tum determinativa illius præteriti pro ea duratione præterita. Explicatur. Esto veras esse duas has præmissas. *Eo ipso, quod subvertam fundamenta hujus domus, hæc collabetur: & eo ipso, quod fundamenta non subvertam illius, illa stabit.* Sed babeo plenam, proximam, atque expeditam libertatem constitutam per speciale auxilium Dei ad subvertendum fundamenta hujus domus. Quis igitur negabit hanc consequiam: ergo babeo sufficientem libertatem constitutam per dictum auxilium ad faciendum, ut hæc domus stet, aut collabatur? Idem est argumentum superius.

150. Probo secundam partem, videlicet in sensu composito præteritionis dari hujusmodi libertatem. Omne, quod non opponitur me-

metaphysicè cum hac libertate, est id, in cuius sensu composito potest dari hæc libertas: sed ea præteritio non opponitur metaphysicè cum hac libertate. Probatur. Omne possibile dumtaxat opponitur metaphysicè cum suo contradictorio, & cum omni eo, quod metaphysicè connectitur cum eo contradictorio. Prima oppositio est formalis, & immediata; secunda quasi mediata, & indirecta: & præter has duas, nullam aliam objicies metaphysicam oppositionem: ergo ea præteritio non opponitur metaphysicè cum eo, quod neque est suum contradictorium immediatum, neque metaphysicè connectitur cum eo contradictorio. Sed libertas indifferentæ ad non præteritionem, neque est contradictorium immediatum præteritionis, neque connectitur metaphysicè cum eo contradictorio, ut liquidè constat: ergo ea præteritio non opponitur metaphysicè cum libertate ad non præteritionem: ergo in sensu composito illius præteritionis dari potest hæc libertas. Tertia pars probatione non indiget, quia ex terminis constat, creaturam non habere potentiam ad conjungenda duo contradictoria; sed impedit præteritum in duratione præterita conjunctim cum eo, quod in ea duratione extiterit illud præteritum. Item determinare præteritum in duratione præterita conjunctim cum eo, quod in ea duratione non extiterit, esset conjungere duo contradictoria: ergo. Probo subsequentia. Creatura potest libertate frui ad impediendum suum exercitium liberum in hoc instanti, etiam ex suppositione, quod illud prius elicuerit (conservatio namque, ut talis, solet esse libera) item ad determinandum, seu conservandum suum exercitium liberum, adhuc ex hypothesi, quod in aliquo tempore antecedenti illud non elicuerit: ergo habet potentiam ad impediendum præteritum in duratione præsenti conjunctim cum eo, quod extiterit illud in duratione præterita, necnon ad determinandum objectum præteritum conjunctim cum eo, quod illud non extiterit in aliqua duratione præterita. Dico aliquam, quia creatura non habet potestatem ad reproducendum quidquam, seu ad faciendum, quod iterum existat in hoc instanti illud idem individuum, quod extitit, & postea evanuit.

151. Dico 3. in genere loquens. Datur potentia ad præteritum specificativè sumptum, atque in sensu diviso à præteritione: item ad præteritum reduplicativè, ut tale, ac in sensu composito præteritionis cum potentia ad non præteritionem; secus ad præteritum in sensu composito præteritionis cum non præteritione: idest. Habet Deus modò in hoc instanti potentiam, ne fuerit Adamus, item ex hypo-

hypothesi adhuc , quod ille præterierit , retinet Deus potentiam , ne ille præterierit , quoniam hypothesis ea extrinseca , & accessoria non adimit Deo suam libertatem . At verò neque modò , neque unquam habuit Deus , aut habebit potentiam ad faciendum , quod Adamus non præterierit conjunctim cum eo , quod præterierit . Explicatur nostræ libertatis de præsenti operantis exemplo . Dum voluntas liberè amat , gaudet libertate ad omissionem amoris specificativè , ac secundum se sumpti , rursus ad omissionem in sensu composito , non quidem cum amore ( is quippe sensus compositus est chymæra , utpote contradicitorum complexio ) sed cum ipsa potestate tum amandi , tum non amandi . Quamobrem verè sunt hæc duæ propositiones . Quando voluntas amat liberè , habet potestatem ad non amandum , ex hypothesi , quod voluntas amet ; ac conjunctim cum hac hypothesi retinet , potestatem ad non amandum . Verumtamen hæc est falsa . Voluntas , dum amat liberè , habet potestatem ad non amandum conjunctim , atque in sensu composito amoris ; hæc namque potestas est impossibilis , quia est ad terminum intrinsecè repugnantem . Similiter impræsentiarum , loquentes de re præterita , hæc duæ propositiones sunt verae . Deus habet potestatem , ne unquam fuerit illud ipsum , quod re ipsa fuit . Ex hypothesi , quod res fuerit , ac in sensu composito ejusdem suppositionis conservat Deus potentiam , ne res illa unquam fuerit . Sed est falsa hæc , atque implicatoria in terminis . Deus habet potestatem , ne res fuerit conjunctim cum eo , quod re ipsa fuerit : quorum diversitatem appellacionum diversitas gignit ; in secunda enim propositione dum taxat affirmatur conjunctio præteritionis , & potentia ad non præteritionem , quæ conjunctio possibilis est ; in tertia verò affirmatur conjunctio præteritionis cum non præteritione , quæ conjunctio impossibilis est .

152. Probo jam primam conclusionis partem . Deum habere modò potentiam ad præteritum specificativè sumptum , atque in sensu diviso à præteritione , consistit in eo , quod potentia divina ad faciendum , ne unquam extiterit Adamus v. g. modò de præsenti existat ; atqui modò de præsenti existit hujusmodi potentia divina . Probatur . Omne divinum semel existens , semper , & in omni mensura temporis existit ; alias Deus mutaretur , neque sua adæquatè intrinseca essent æterna , sed vel inciperent , vel deficerent in tempore : at potentia divina ad faciendum , ne unquam Adamus extiterit , semel extitit in Deo , quandoquidem liberrimè produxit Adamum , & consequenter cum plena potestate a non producendum eum , proindeque ad faciendum , ne unquam ille extiterit .

terit: ergo potentia divina ad faciendum, ne unquam fuerit Adamus, modò de præsenti existit. Neque prodest solutio P. Izquierdo <sup>P.Izqu.  
dis.8Pba.  
ri nu.64.</sup> ajençis, nullam quidem potentiam Dei ipsi adæquatè intrinsecam posse sucessu temporis variari, secus illam, quæ partim est extrinseca; proximam autem Dei potentiam ad producendum creaturam, in instanti A; esse Deo partim extrinsecam, quoniam completur per ipsum instans A. Deo adæquatè extrinsecum: unde concludit, hanc potentiam proximam posse variari absque labe mutabilitatis. Contra i. & loquamus non quidem de potentia proxima ad faciendum, ne unquam fuerit Adamus, sed de potentia proxima ad suum actum internum volendi, ne unquam Adamus fuerit, seu volendi, quod nunquam fuerit, quæ profectò potentia proxima est Deo adæquatè intrinseca, præsertim apud hunc Authorem acriter insectantem Connotatores. Omne adæquatè divinum semel existens, semper existit; at proxima potentia Dei ad volendum, quod nunquam fuerit Adamus, est adæquatè divina, & semel extitit, nempe quando Deus liberè produxit Adamum: ergo semper existit ejusmodi potentia proxima: ergo modò in hoc instanti habet Deus potentiam proximam, atque expeditam volendi efficaciter, quod Adamus nunquam fuerit; sed potentia proxima Volendi efficaciter, quod Adamus nunquam fuerit, est potentia proxima, & expedita faciendi, ne unquam fuerit Adamus: ergo modò de præsenti habet Deus proximam potentiam faciendi, ne unquam fuerit Adamus. Prima pars minoris primæ videtur certa. Omne namque constitutum unicè per voluntatem divinam, scientiamque necessariam possibilitatis Adami, & per scientiam contingentem operum, quæ elicit, & non elicit ille, si ex nihilo extrahatur, est adæquatè quid divinum: at proxima, & expedita potentia ad volendum, quod Adamus nunquam extiterit, unicè constituitur per divinam voluntatem, & eas scientias: quodiam eo præcisè, quod intelligatur, Deum habere voluntatem, illustraque illis scientiis, intelligitur proximè potens ad volendum, & nolendum, quod Adamus unquam existat: ergo præfata potentia proxima est adæquatè divina: ergo invariabilis: ergo si aliquando extitit, ut re ipsa extitit; necesse est, quod modò quoque existat. Parco aliis.

153. Probo secundam partem conclusionis. Dati potentiam ad præteritum in sensu compósito præteritionis, sensu inquam compósito præteritionis, & potentiae, ne unquam extiterit illud, quod præteritum, est consistit in eo, quod præteritio Adami y. g. coexistere valeat

leat divinæ potentiaæ impeditivæ præteritionis ipsius; at præteritio coexistere potest potentiaæ divinæ impeditivæ ipsius præteritionis: quemadmodum licet noster amor liber nequeat coexistere sui ipsius impeditioni, potest tamen potentiaæ impeditivæ sui ipsius; alioquin periret libertas ob sui exercitii adventum: ergo datur potentia ad præteritum reduplicativè, ut tale, atque in sensu composito præteritionis, sensu inquam componente præteritionem cum potentia im-impeditiva præteritionis. Probo tertiam partem, juxta quam decernunt, non dari potentiam ad præteritum S. Thomas, Cajetanus,

*S.Thom.1.* PP. Præpositus, Carleton, Vasquez, & reliqui vulgo. Dari poten-  
*p.q.25.ar.* tentiam ad præteritum reduplicativè, ut tale, atque in sensu com-  
4. posito præteritionis cum non præteritione, staret in eo, quod Deus  
*Cajet.ibid* posset conjungere non præteritionem cum præteritione; sed Deus ne-  
*P. Pr.c�.* quit ambo hęc conjungere, quia utpote contradictoria sunt metaphy-  
*ibidem.* sice opposita, subindeque, nec divinitus conjungibilia: ergo non datur  
*P. Carle-* *tun tom.1.* potentia ad præteritum, ut tale, ac in sensu composito præteritionis,  
*Theolog.* sensu inquam componente præteritionem cum non præteritione.  
*disput.47.*  
*scđ.1.n.11* Hanc tetigit rationem S. Thomas, & est pellucida; & est legitimus  
*P.Vasq.1.* sensus hujus axiomatis.

*p.disp.105* 154. Hęc doctrina sensus compositi, & divisi (faciendi non qui-  
*cap. 2.* dem ab alio extraneo, sed ab illa eadem libertate, cui liberum est  
præteritum) extirpat argumenta fieri solita ad probandum, Deum ha-

*S.Thom.* S. Magister.  
*ubi sup.* 1. Magis est impossibile id, quod est impossibile per se, quām id quod  
est impossibile per accidens; sed Deus potest facere id, quod est im-  
possibile per se, ut mortuum suscitare: ergo & illud, quod est im-  
possibile per accidens. Sed præterita non fuisse est impossibile per ac-  
cidens: ergo Deus potest facere, quod præterita non fuerint. 2.

Deus potest modò quidquid potuit, cùm ejus potentia non minua-  
tur; sed Deus potuit facere antequam sortes curreret, quod non cur-  
reret; ergo postquam cucurrit, potest facere, quod non cucurreret.

4. Charitas est major virtus, quām Virginitas; sed Deus potest re-  
parare charitatem amissam: ergo & virginitatem: ergo potest facere,  
quod quæ corrupta fuit, non fuerit corrupta. 4. Addit P. Molina

*ubi supra.* Si Deus non potest facere, quod præterita non fuerint,  
non potest facere, ut in se non fuerit scientia futurorum conting-  
tium, quorum ab æterno habuit scientiam: ergo neque potest facere,  
quod futura non sint futura. Quoniam data in Deo ipsorum scien-  
tiæ metaphysicè connexa cum illis, necessæ est, illa esse futura; sed  
con-

consequens hoc est planè absurdum : ergo & antecedens. 5. Multa ex illis , quæ à Deo fuerunt revelata potuerunt non esse in rebus adhuc post revelationem : sic prædictit Deus , Christum moriturum ; & tamen post hanc revelationem potuit Christus non mori , ut ipse apud Joannem testatur imminente , jam morte . *Nema tollit eam Ioan. 10. à me , sed ego pono eam à me ipso.* Sic etiam Petrus , postquam à Christo audivit fatale illud vaticinium : *Ter me negabis :* potuit Christum non negare ; alias negatio non fuisset peccaminola : ergo Deus post factam revelationem efficere potest , quod revelatio non fuerit , quia aliter revelatio falsificaretur . 6. Augustinus docet , tam non possunt futura non fieri , quād non fuisse facta præterita ; sed constat , Deum efficere posse , ut quod futurum est , non sit futurum : ergo efficere similiter potest , ut quod præteritum fuit , præteritum non fuerit . In his , & similibus argumentis magnam ingerit difficultatem apprehensioni vox illa . *Postquam , jam , ex suppositione , & similes ; quoniam innuunt sensu compositum non præteritionis , & præteritionis , qui est impossibilis , & ad quem neque datur , neque dabilis est libertas indifferentiae .*

155. Ad 1. dissimulata majore , distinguo minorem : Deus potest facere illud , quod est impossibile per se , in sensu diviso , & præcisivo ab hac impossibilitate ; concedo : in sensu composito ejusdem ; subdivinguo : quando impossibilitas est merè naturalis ; ( ut est quæ ibi adducitur ) concedo : quando est metaphysica ; nego minorem , & distinguo consequens : potest facere id , quod est impossibile per accidens , factioне dividenda ab ea impossibilitate ; concedo : componenda ; subdivinguo : quando impossibilitas fuerit merè naturalis ; concedo : quando metaphysica ; nego consequentiam : & distinguo tandem minorem subscriptam : præterita non fuisse conjunctim , ac in sensu composito de eo , quod fuerint , est impossibile per accidens ; nego : ( nam binarium contradicitoriorum non est impossibile per accidens , sed per se ; at præterita non fuisse conjunctim cum eo , quod fuerint , est contradicitoriorum binarium ; nam est , illa fuisse , & simul non fuisse : ergo . ) præterita non fuisse divisim , ac præcisiōē ab eo , quod fuerint est impossibile per accidens ; permitto minorem , & ejusdem terminis explicō consequens . Ad 2. distinguo minorem : antequam sortes curreret , potuit Deus facere , quod non curreret conjunctim cum eo , quod curreret ; nego : divisim ab eo , quod curreret ; concedo minorem , & distinguo consequens : postquam cucurrit potest facere , quod non cucurrerit , conjunctim cum eo , quod cucurrerit ; nego : divisim

visim; concedo. Idem, quod Deus potuit ab æterno, potest modò i & quod modò non potest, neque ab æterno potuit. Antequam fortes curreret, potuit Deus facere, quod non curreret, non cursu divi- dendo à cursu. Idem potest modò, quoniam cursus resistit quidem non cursus, sed non resistit potentia ad non cursum. Postquam ille cucurrit, nequit Deus facere, quod non cucurrerit non cursu conjungendo cum cursu; sed neque ab æterno potuit hoc. Si arcta nimis videatur tibi hec via; ingredere cum P. Doctore Molina ubi supra, per aliam; antequam fortes curreret, potuit Deus facere, ne curreret; secus postquam cucurrit. Non quia potentia Dei minatur, sed quis terminus potentiae variatur. Nam terminus potentiae divinitat, quem enunciat prima propositio, est carentia cursus, & nil aliud: terminus vero, quem secunda profert, est carentia cursus conjunctim cum cursu, id enim connotat illud syncategorema, Postquam, juxta frequentem acceptionem illius: ergo terminus, quem profert secunda propositio, est complexum ex non cursu, & cursu; at sola carentia cursus non est complexum ex non cursu, & cursu: ergo terminus, quem enun- ciat prima propositio, non est, quem enunciat secunda: ergo ambo possunt esse veræ citra dispendium divinitat potentiae.

156. Ad 3. Respondeo, Deum posse in uno sensu reparare charitatem, & virginitatem amissam, & in altero neutrām. Potest Deus reparare amissam charitatem, infundendo scilicet iterum habitum illius animæ peccatri. Hoc modo reparare etiam potest pristinam virginitatem, corroborando videlicet, & redintegrando claustrum violatum. Rursus nequit Deus reparare amissam virginitatem, qua- tenus nequit facere, ut in sensu composito intemperantia præterita, talis intemperantia non fuerit: ast in hoc sensu, neque priorem cha- ritatem reparare potest, quia nequit facere, ut in sensu composito jacturæ factæ, jactura charitatis facta non fuerit. Responderi quo- que potest, Deum charitatem pristinam; non vero pristinam virginitiatem reparare posse ob diversum sensum, quem reddunt hæc propo- sitiones; Deum namque reparare amissam charitatem, est iterum infundere eam animæ, quæ peccavit; reparare autem amissam vir- ginitatem, staret pressè loquendo in eo, quod Deus faceret, ne un- quam anima illa ullam admiserit maculam pudoris (in carentia enim omnis criminis contra castitatem consistit virginitas) at quam- quam Deus faceret, animam habere modò habitum charitatis, adhuc ex suppositione, quod illum antea abjecerit; facere nequit, quod dumquam admiserit maculam pudoris, ex suppositione, quod illum ali.

## *Ad præteritum non datur Potentia.* 355

aliquando admiserit: ergo quamquam reparare valeat charitate nr non potest virginitatem, strictè loquendo. Ad 4. dico. Deum semel habentem scientiam absolutam alicujus futuri contingentis non posse facere, ut in se non fuerit ab ~~externo~~ ea Scientia ex hypothesis, quod semel fuerit: cùmque Scientia ea intimè connectatur cum eo, quod futurum sit futurum; palam conficitur, Deum non posse impedire futurum esse futurum impeditioe conjungenda cum prædicta Scientia.

157. Hoc tam longè abest, ut sit absurdum, ut potius sit veritas omnino necessaria. Ceterum arbitrium in creatum, & creatum illibata perseverant; quoniam ambo possunt proportionaliter evitare, illud futurum in sensu diviso ab ea Scientia; efficiendo nimis, quod talis Scientia numquam fuerit; quo circa, sicut non detur potestas in coelo, aut in terra ad impediendum eam Scientiam, ex hypothesis, quod semel fuerit; attamen adhuc conjunctum cum hypothesis, quod semel fuerit, datur potestas in Deo, ac in creature ad impediendum, quod unquam fuerit Scientia illa. Ad 5. Resp: Aliud est, quod revelationes istæ præteritæ conjungi possint cum potestate in Deo ad faciendum, ne ipse unquam fuerint, & cum potestate (quæ vocant antecedentem) in creature ad determinandum contradictorium objecti revelati; aliud autem, posse conjungi, aut cum suo ipsorum contradictorio, aut cum contradictorio objecti revelati, prout revelati. Primum est verum, & bene probatur per argumentum contrarium; at nobis non nocet, cùm potius asseveremus, præteritum posse suo modo conjungi cum potestate antecedente sui impeditiva, alioquin libertas desiceret. Secundum est falsum; verumtamen à nobis non asseritur. Ad 6. Resp. libenter assentiens Augustino. Presè loquendo paria sunt præterita, & futura in ordine ad potentiam sui ipsorum impeditivam, neutra possunt impeditri conjunctum cum suppositione, quod talia sint, & utraque evitari valent scorsim, atque præscindendo ab ea suppositione.

Quamobrem exponendus est syllogismus terminis sèpè datis.



## C A P U T X V.

*Replica contra banc Doctrinam.*

P. Molina 158.  
1.p. qu. 25.  
art. 4.



Erdm contra hanc doctrinam sensus compositi, & divisi insurgunt PP. Molina, Izquierdo, & Arriaga. P. Molina sic. Si Deus efficaret modò, Adamum non præterisse, aut esset influendo aliquid realiter, & positivè; aut habendo se negativè? Non

primum, ut bene probat: non secundum: ergo Deus nequit efficere, modò Adamum non præterisse. Probatur secunda pars. Deus modò se habet negativè circa fuisse Adami: cùm modò nít reale, neque ut fuerit, neque ut non fuerit Adamus, influat; & tamen modò non efficit, ut Adamus non fuerit, quandoquidem re ipsa fuit: ergo habere se negativè, modò non sufficit ad hoc, ut Adamus non fuerit. Hanc quoque rationem amplificat num. 28. P. Arriaga infra citandus. Conformat 1. Non minùs implicat contradictionem, attingere immediatè id, quod distat secundùm durationem, quàm id, quod distat secundùm spatiū; sed hoc secundum contradictionem implicat, ut fusè probaverat, cùm Scriptura probet, præsentiam Dei secundùm substantiam in omnibus rebus ex immediata ipsius operatione; quæ probatio, ut efficax sit, indiget connexione operationis immediatæ cum præsentia: ergo implicat contradictionem, attingere immediatè id, quod distat secundùm durationem. At præteritum distat secundùm durationem ab hoc puncto temporis præsente: ergo implicat, Deum in hoc puncto temporis attingere, & inverttere illa, quæ præcesserunt, efficiendo, ut quod fuit, non fuerit, aut quod fuerit illud, quod non fuit. 2. Faciat Deus modò, ut Adam non fuerit. Peto, vel postquam id fecit, scit se fecisse; vel non? Si hoc: ergo Deus non est omniscius. Si illud: ergo postquam fecit, scit se fecisse, ut Adam, qui erat, non fuerit (hoc namque est, quod fecit:) ergo postquam fecit, ut Adam non fuerit; scit, Adam fuisse, antequam Deus ficeret, ut non fuerit: ergo postquam factum est, ut non fuerit, verum est illum fuisse. 3. Paulus sic scribit; ut per duas res immobiles (jusjurandum scilicet, & promissionem divinam) quibus impossibile est, mentiri Deum, firmissimum solatum habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ.

*Ad Ha.  
breos 6.*

Unde hoc conficitur argumentum. Paulus certissimam habet, hanc con-

consecutionem . Deus non potest mentiri ; ergo quod revelavit , & promisit futurum , non potest non evenire; at si esset potentia ad præteritum , consecutio hæc nulla esset ; quandoquidem sine ullo mendacio efficere posset Deus , ut illud non eveniret , efficiendo nimirum , quod neque revelaverit , neque promiserit id , quod revelavit , promisit , aut juravit eventurum : ergo ad præteritum nulla datur potentia .

159. Argumentum cum suis confirmationibus probat , libertatem activam de præsenti operantem everti per suum exercitium . Quoniam , vel Deus habet modù libertatem , ne unquam extiterit decretum efficax executivum Adami ; vel ejusmodi libertatem modò in hoc punto temporis non habet ? Si detur hoc secundum ; argumentor sic . Deus pro priori ad dictum decretum habuit dictam libertatem , siquidem potuit Deus omittere purè , vel per actum positivum contrarium , tale decretum ; sed per te modò in hoc tempore non habet dictam libertatem : ergo modò non habet libertatem eam , qua aliquando gavisus est : ergo suo exercitio perdidit illam ; nam aliud non appetet , cuius adventu illa evanuerit . Si propterea dederas illud primum . Contra . Si Deus efficeret modò , ne unquam extiterit tale decretum efficax , aut esset influendo aliquid realiter & positivè (quamquam purè virtualiter ) aut se habendo purè negativè : & utrumque impugnat argumentum tuum . Respondeo igitur . Deus potest efficere modò , Adam non præteriisse , in sensu diviso à præteritione , tum per influxum positivum ( non quidem in hoc , quod est , Adam præteriisse , aut in hoc , quod est , Adamum non præteriisse ; sed in nolitionem efficacem de eo , quod unquam fuerit Adam ) tum etiam per influxum negativum , seu habendo se purè negativè respectu volitionis efficacis de eo , quod fuerit Adamus . Actiones , & objecta externa , qualia sunt Adam fuisse , Adam non fuisse , non sunt Deo immediatè libera , sed mediatè dumtaxat ratione actuum internorum : ergo ex libertate ad hos colligenda est libertas divina ad illa . Tunc sic . Deus aliquando gavisus fuit plena , atque expedita libertate ad faciendum , ne unquam Adamus fuerit , faciendum inquam tum per influxum positivum , virtualem sanc in positivam nolitionem de eo , quod unquam fuerit Adamus ; tum per influxum merè negativum in omissionem omnis efficacis volitionis de eo , quod aliquando fuerit Adamus . Videtur certum ; alioquin Deus ex necessitate naturæ produxisset Adamum : ergo modò de præsenti retinet hanc eamdem libertatem , cùm libertas hæc proxima sit adæquate

quate divina : si enim constitueretur intrinsecè per quipiam creatum , hoc creatum extisset ab æterno , siquidem ab æterno fuit verè , ac physicè in Deo ea libertas activa proxima , & immediata : ergo modò habet potentiam ad faciendum modò , & per influxum positivum , & per influxum merè negativum , ne unquam fuerit homo ille , licet non conjunctim , ac in sensu composito de eo , quod fuerit . Hinc secundæ partis probatio irrita est ; nam si Deus modò se haberet purè negativè circa hoc , quod est , Adamum fuisse ; non haberet modò positivam , & efficacem volitionem de eo , quod ille fuerit : sed eam habet modò , quoniam eam habuit : ergo non se habet purè negativè circa hoc , quod est , Adamum fuisse . Sin dixeris , tantummodò Deum se habere negativè circa illud , quatenus nullum influxum immediatum in illud ponit . Sit ita . Cæterum Deum modò efficere , ne unquam fuerit Adamus , non consistet in ullo influxu immediato circa hoc , quod est , Adamum non fuisse ; sed in influxu mediato circa hoc , & immediato circa nolitionem efficacem de eo , quod Adamus fuerit , vel circa omissionem puram omnis volitionis efficacis ejusdem objecti .

160. Ad 1. confirmationem respondeo : Phrasis ista : *Attingere immediate id , quod distat secundum durationem , ambiguæ est significatio*nis . Aliud namque est , attingere immediatè negativè id , quod distat secundum durationem ; aliud attingere immediatè positivè manente illo distante secundum durationem ; aliud tandem immediatè positivè non manente in ea distantia . Do , secundum esse impossibile , eo quod repugnet , terminum non existere in eodem instanti , in quo existit sua physica productio . Primum autem , & tertium non sunt impossibilia . Non primum ; quoniam attingere immediatè negativè id , quod distat secundum durationem , est impedire modò in hoc instanti existentiam illius , quod modò non existit , sed extitit . Atqui hoc non repugnat , imò contingit , quoties homo v. g. moritur : quandoquidem in instanti B. destruit Deus existentiam hominis , qui tunc non existit physicè , ac præsentialiter , sed dumtaxat extitit in instanti immediatè antecedenti : ergo non repugnat , attingere immediatè negativè id , quod distat secundum durationem . Non repugnat tertium : quoniam attingere immediatè positivè id , quod distat secundum durationem , non manente hac distantia , est , quod Deus producat physicè in hoc instanti illud , quod extitit ante hoc instans , subindeque ab hoc instanti distavit ; sed hoc non repugnat , ut per se patet : ergo non repugnat illud tertium divisionis membrum .

brum. Dico igitur, Deum impedire Adamum esse præteritum, est; attingere modò *negativè* dumtaxat illud, quod distat secundùm durationem: ergo non repugnat, Deum impedire modò, quod Adamus præterierit, non quidem in sensu composito præteritionis, sed in sensu diviso; nimirum faciendo modò per suam efficacem nolitionem, quod numquam extiterit homo ille in rerum natura. Expeditius solves eandem primam confirmationem, concedendo illam totam, ut potè innoxie transcutem: non enim dicimus, Deum posse invertere illa, quæ præcesserunt, efficiendo, quod non fuerint ea, quæ fuerunt, conjunctim, ac in sensu composito de eo, quod non fuerint; sed tantum in sensu diviso, aut præcisivo: quemadmodum nequit Deus facere, hanc papyrum albam non esse albam conjunctim cum eo, quod alba sit; potest tamen efficere, ut non sit alba papyrus hæc, quæ alba est. Secunda, & tertia confirmatio unicè quoque probant, Deum non posse impedire, Adamum fuisse conjunctim cum eo, quod fuerit: & suum juramentum, promissionemque in sensu composito, quod juraverit, aut promiserit; neutquam autem evincunt, Deum non posse hæc impedire in sensu diviso, atque præcisivo ab hac suppositione, ut constabit eas legenti.

161. P. Izquierdo premens vestigia P. Arriaga objicit sic. Si præfati axiomatis sensus esset, non dari potentiam ad præteritum, reduplicativè, ut tale, atque in sensu composito præteritionis, pariter philosophandum esset de futuris, & præsentibus, atque de præteritis (sicut enim nulla datur potentia ad hoc, ut res non sit præterita conjunctim cum eo, quod præterita sit; ita nulla est potentia ad hoc, ut res non sit futura conjunctim cum eo, quod futura sit; aut ad hoc, ut non sit præsens conjunctim cum eo, quod præsens sit) sed hoc est falsum; quandoquidem omnium mentibus altè insedit, non dari potentiam ad præteritum, & non insedit, non dari potentiam ad præsens, aut futurum: ergo aliquod speciale militat pro præteritis, quod non pro futuris, aut præsentibus: ergo expositio sensus compositi, & divisi non assequitur sensum germanum hujus axiomatis. Ea propter discriminem uterque affectat inter præterita ex una parte, atque præsentia; & futura ex alia, cuius discriminis beneficio subsistat, non dari potentiam ad præteritum, dari tamen ad præsentia, atque futura. Ajunt ergo, potentia ad ponendum in instanti A. v.g. actum, sive positivum, sive negativum, indispensabiliter debet existere in ipso instanti A. vel quia hæc potentia, ut talis compleatur per ipsum instantis A. ut docet P. Izquierd. num. 64. vel quia imper.

P. Izquierdo  
dis. 8 Pba-  
ri nu. 58.  
P. Arria-  
ga 1. p. dis.  
40. / itt. 4.

perceptibile videtur, potentiam operari in eo tempore, in quo non existit, ut loquitur P. Arriaga num. 26. At repugnat, quod transacto instanti A. potentia praesens existat in eo instanti, eo quod instantiae sint essentialiter successiva; unde provenit, nequire regredi tempus semel elapsum) non verò repugnat, potentiam presentem existere in tempore praesenti, aut futuro: ergo repugnat, potentiam praesentem, ut talem, operari in tempore praeterito; postquam praeteritum est, non verò in praesenti, aut futuro: ergo datur specialis ratio, ob quam non detur potentia ad praeteritum; detur tamen ad praesens, vel futurum. Quam obrem praedicti axiomatis sensus est, juxta Izquierd. num. 59. nullam dari de praesenti potentiam, quae de praesenti talis sit proximè, vel remotè ad conjungendum suum actum, seu positivum, seu negativum cum tempore praeterito, idque etiam præscindendo ab eo, quod talis actus sit, aut non sit praeteritus; cum tamen detur de praesenti potentia, quae de praesenti talis sit proximè, vel remotè ad conjungendum suum actum, seu positivum, seu negativum cum tempore praesenti, vel futuro, præscindendo ab eo, quod actus sit, vel non sit in tali tempore.

162. Ad replicam dico, strictè loquendo, paria sunt in hoc puncto praeterita, praesentia, & futura. Tam enim non possunt futura nos fieri, quam non fuisse facta praeterita, ut nuper docuit nos Augustinus. Absolutè verò loquendo, dicimus, non dari potentiam ad praeteritum; dari tamen ad praesens, atque futurum: quippe vox hæc Praeteritum ratam, firmam, & securam supponit existentiam rei: quod innuunt quoque syncategoremata adjungi solita, ut, jam, postquam, supposito, & alia id generis: unde audientes ad praeteritum dari potentiam, protinus apprehendimus, potentiam ad conjungendum, quod res non fuerit, cum eo, quod fuerit; cumque hoc sit impossibile: idcirco absolutè, & simpliciter dicimus, non dari potentiam ad praeteritum. At verò hi termini *Præsens*, *Futurum* non faciunt in communione sensum compositum existentiae rei: cumque detur potentia ad rem impediendam nou in sensu composito ipsius rei; propterea non dicimus, absolutè deficere potentiam ad impediendum praesens, aut futurum. Quod si haec voces, *Præsens*, *Futurum*, ratam etiam, firmam, & securam supponant existentiam rei, eamque reduplicent; dico idem, quod de Praeterito. Hic simplicior videtur sensus horum terminorum, qui si displicerit, adhæreo Augustino, dicoque, rigorosè, ac scholasticè loquendo, æquè dari, & non dari potentiam ad praesens, & futurum; atque ad praeteritum. Cæterum horum A. expli-

cationi non assentior. Tum quia aliud est (saltem ratione nostra) non dari potentiam *ad rem præteritam*: aliud non dari potentiam ad operandum sive positivè, sive negativè in tempore præterito; Axioma dicit primum, explicatio secundum: ergo explicatio non aptatur axiomati. Tum quia similis, aut eadem impotentia, quæ datur, aut non datur *ad præteritum*, datur, aut non datur ad operandum *in tempore præterito* nequeunte retrogredi ad tempus præsens: ergo eadem difficultas est in uno, quæ in altero: ergo unum non bene explicatur per alterum: ergo dum non explicatis, quæ, & quomodo sit impotentia ad operandum *in tempore præterito*; non explicatis, quæ, & quomodo sit impotentia *ad præteritum*. Probo antecedens: sicut in sensu composito præteritionis Adæ retinet Deus potentiam ad impedendum præteritionem, impeditio divisa ab ipsa præteritione: ita in sensu composito præteritionis instantis A. retinet Deus potentiam antecedentem ad operandum in instanti A., operatione divisa ab hujus instantis præteritione: insuper quemadmodum, neque in sensu composito, neque in sensu diviso præteritionis Adæ, neque in ullo alio casu possibili, habet Deus potentiam *ad impedendum præteritionem in sensu composito præteritionis*: ita neque in sensu composito, neque in sensu diviso præteritionis instantis A., habet Deus potentiam ad operandum de præsenti in eo instanti coniunctim cum eo, quod præterierit: ergo parem potentiam, & impotentiam habet ad unum, atque ad aliud: ergo eadem difficultas est in utrolibet: ergo alterum non est legitima explicatio alterius.

163. Tum quia explicatio ista infert, nec dari potentiam ad præsens, vel futurum; nam ideo præcisè per vos non datur potentia ad præteritum, quia non datur potentia proxima ad operandum præteritum *in tempore præterito*; at neque datur potentia ad operandum rem præsentem, aut futuram *in tempore præterito*, cùm hoc regredi nequeat: ergo eodem modo dabitur, & non dabitur potentia ad præsens, & futurum, atque ad præteritum: quod vobis displicet. Tum quia quæstio est, an de præsenti adsit potentia *ad objectum ipsum præteritum*, ut condistinctum à tempore præterito; sed respondetis, non dari potentiam ad operandum *in tempore ipso præterito*: ergo quæstionem declinatis. Tum quia, si potentia ad præteritum unicè salvatur per potentiam ad operandum, vel impediendum *in tempore præterito*; potentia quoque determinativa, vel impeditiva rei æternæ importaret potentiam determinandi, aut impediendi rem illam in æternitate à parte ante: ergo qui modò non habuerit potentiam determinandi,

M m

aut

Aut impediendi in æternitate à parte ante (scientiam visionis v. g. de actu libero creaturæ) modò non habebit potentiam determinativam, aut impeditivam rei à parte ante æternæ: at creatura modò non habet potentiam determinandi, aut impediendi in æternitate à parte ante: ergo non habet modò potentiam determinandi, aut impediendi tem æternam à parte ante: ergo non habet modò potentiam impediendi scientiam visionis sive liberæ operationis: ergo hæc scientia non pendet ab arbitrio creato: ergo cum sit metaphysicè connexa operationi creaturæ, hujus libertatem perdet. Probo minorem. Ideo per vos nullus habet potentiam modò ad operandum in tempore præterito, quia hoc retrogredi non potest; sed neque potest retrogredi æternitas à parte ante: ergo nullus potest jam operari in ea æternitate.

164. Tum quia, si potentia ad operandum in A. completur per ipsum instans A. quoties hoc instans fuerit absens, non dabitur potentia proxima ad operandum in eo; sed modò in instanti præsenti non solum abest instans præteritum; verum etiam instans futurum: ergo modò non solum non datur potentia ad operandum in instanti præterito, sed neque ad operandum in instanti futuro. Sed quia modò non datur potentia ad operandum in instanti præterito, dicitis, non dari potentiam ad præteritum: ergo quia modò non datur potentia ad operandum in instanti futuro, debueratis dicere, non dari potentiam ad futurum. Disparitas, quam ambo hi AA. objiciunt (videlicet, instans præteritum, neque esse præsens, neque jam posse præsens esse; futurum vero, tametsi modò non sit præsens, potest tamen esse præsens postea) probat quidem posse dari postea potentiam ad futurum; neutiquam verò suadet, dari modò potentiam ad futurum: ergo subsistit aquæ non posse dari nunc de præsenti potentiam ad futurum, atque ad præteritum. Tum quia, quamquam hæc doctrina sustineri posset circa operationes externas, & transentes divinæ potentiae, non tamen circa aëtus purè internos, atque immanentes; nam potentia divina proxima, immediata, atque expedita ad hos non constituitur per tempus: siquidem Deus non concipit in tempore hos actus, sed ab æterno; & tamen quemadmodum non datur potentia ad hoc, ut non fuerit in A. objectum, quod fuit in eo instanti: ita neque datur potentia, ut non fuerit ab æterno decretum divinum, quod re ipsa tunc fuit; ergo aliqua impotentia ad præteritum respectu nostri non est explicanda per impotentiam ad operandum in tempore præterito: ergo explicatio ista præfati axiomatis non est universalis.

CA-

## C A P U T X V I .

### *Concordia Præscientiæ divinæ cum nostra Libertate.*

165.



X dictis infertur, æternam veritatem, scientiam; atque decretum hujus mei præsentis, aut futuri exercitii liberij, non prosternere meam libertatem, quin obstet axioma hoc *Ad præteritum non datur potentia*. Ratio est facilis. Nil, quod est impedibile per libertatem creatam, eam destruit; at scientia visionis actus liberi Petri, quamquam sit ab æterno, est impedibilis ab æterno per hujus libertatem; impedibilis inquam, non quidem *positivè*, sed *negativè*, quatenus libertas creata ad loquendum v.g. potest facere, ne unquam fuerit in Deo individua illa scientia, qua seit Deus, & ab æterno scivit, libertatem illam exerceri modò per locutionem; ergo illam non destruit. Major videtur certa: nulla quippe necessitas, aut impossibilitas purè consequens ad libertatem creatam, hanc destruit (quoniam sola necessitas, aut impossibilitas purè, & simpliciter antecedens inimica est libertati indifferentiæ.) At omne impedibile per libertatem creatam, si fuerit necessitas alicujus exercitii, est necessitas purè consequens, nec non si fuerit impossibilitas, est quoque purè consequens; nam cùm impedibile supponatur per libertatem, ideo existit, quia libertas hæc, cùm possit illud impedire, & ab eo se explicare, non vult: ergo nil, quod impedibile fuerit per creatam libertatem, eam destruit. Probo jam minorem prioris syllogismi. Omnis actus divinus impedibilis in instanti A. v.g. per libertatem Petri, est impedibilis ab æterno, per eamdem libertatem (cùm enim actus divini non sint nostrorum instar, qui tertio quovis temporis momento variantur; sed sint essentialiter æterni; planè consequitur, eos, ab æterno fuisse impeditos, idest, eos non fuisse ab æterno, si in instanti A. impedianter, & ab æterno fuisse determinatos, atque existentes, si in instanti A. existant) At scientia visionis actus liberi Petri pro instanti A. quamquam supponatur existens ab æterno, est impedibilis antecedenter in eo instanti per libertatem Petri.

166. Probatur. Hæc libertas verè potest antecedenter impedire suum actum in eo instanti, alioquin is actus liber non esset: ergo potest antecedenter impedire scientiam divinam illius actus; nam cùm

M m 2

hæc

hæc scientia ratione sua certitudinis, tum infallibilitatis, tum indubitabilitatis, sit metaphysicè connexa cum actu eo libero, necessariò deficeret deficiente actu eo: ergo si Petrus facere potest, suum actum liberum non esse in A., potest quoque facere sive mediatè, sive immediatè, sive directè, sive indirectè, quod in eo instanti nō detur scientia visionis illius actus: ergo etiam quod non detur ab æterno. Confirmatur: eo ipso, quod Petrus non eliciat suum actum loquendi in instanti A., non daretur in eo instanti scientia divina absolutè exprimens eum actum pro eo instanti (aliàs posset Deus habere notitiam falsam:) ergo eo ipso non daretur talis scientia ab æterno: chymæra namque est, Deum habere ab æterno scientiam, qua caret in instanti A., alioquin actus divinus temporis decursu evanesceret. Item eo ipso, quod Petrus eliciat suum actum liberum in A. dabitur in eo instanti scientia divina absoluta illius actus, quoniam nil fugere potest perspicaciam infinitam mentis divinæ: ergo eo ipso data fuit ab æterno scientia divina absoluta ejusdem actus, aliàs divina scientia inciperet in tempore. Sed Petrus in instanti A. habet plenam, expeditamque potestatem ponendi, & non ponendi suum actum liberum in instanti A.: quia Deus vult illum fungi hac libertate: ergo Petrus habet in instanti A. plenam potestatem, tum ut scientia ea fuerit ab æterno, tum ut non fuerit: ergo scientia ea est ab æterno impedibilis, atque determinabilis per libertatem Petri ex mera voluntate divina existente in tempore: ergo ad illam, tametsi respectu nostri præteritam, datur potentia antecedens.

167. Explicatur. Hoc est bonum argumentum: eo ipso, quod admoveam facem pulveri nitrato, exardescet ignis: eo ipso, quod non admoveam illam, non exardescet hic; sed à meo arbitrio dependet admoveare, vel non admoveare facem: ergo à meo quoque arbitrio pendet, quod ignis exardescat, vel non exardescat. Cur ergo illegitimum est hoc simile argumentum: eo ipso, quod Petrus loquatur in instanti A. Deus prævidit ab æterno illum locuturum, & eo ipso, quod non loquatur, Deus non prævidit ab æterno illum, locuturum? sed in arbitrio Petri est positum per Deum, quod in instanti A. loquatur, vel non loquatur; ergo in arbitrio ejusdem est possum, quod Deus ab æterno præviderit, vel non præviderit eum locuturum in instanti A. Explicatur 2. Scientiam hanc esse ab æterno impedibilem, atque determinabilem per libertatem Petri, non stat in eo, quod hic ab æterno fungatur potestate impeditiva, vel determinativa illius scientiæ, sed unicè consistit in eo, quod adveniente tempore ha-

habeat potestatem ad faciendum aliquid summè connexum cum eo ; quod scientia hæc extiterit ab æterno , & potestatem ad faciendum aliud summè oppositum cum eo , quod scientia hæc ab æterno extiterit : at quamquam neque Petrus , neque sua libertas fuerint ab æterno , nihilominus tempore adveniente habebit Petrus à Deo ambas illas potestates , quandoquidem non habuisse illas ab æterno , minimè impedit habere eas in tempore .

168. Et cursus , quamquam ab æterno extiterit alterutra ex illis scientiis , hoc non tollit , alterutram potestatem in Petro : siquidem scientia expressiva actus , licet opponatur cum carentia hujus , non opponitur potestati ad carentiam hujus , eo quod potestas hæc neque identificetur , neque metaphysicè connectatur cum dicta carentia : & similiter scientia negativa actus , tametsi repugnet illi , non tamen potestati determinativa illius , eo quod potestas hæc neque identificetur , neque intimè connectatur cum illo : ergo quamquam Petrus neutrām potestatem dictam habuerit ab æterno , & quamquam ab æterno extiterit altera ex duabus insinuatis scientiis , utraque nihilominus est impedibilis , atque determinabilis ab æterno per libertatem temporalem Petri . Brevius . Scientia visionis consensus liberi Petri non opponitur cum libertate hujus , quia neque opponitur cum potestate determinativa consensus , ut patet : neque cum potestate impeditiva ejusdem . Nam licet opponatur impeditio actuali consensus titulo suæ infallibilitatis ; attamen cum potestas ad actualem impeditiōnem non sit ulla tenus connexa cum impeditione , non appet ratio , ob quam opponatur cum hac potestate : ex eo namque , quod A. opponatur metaphysicè cum B. tunc præcisè concluditur opponi etiam cum C. quando C. fuerit logicè , aut metaphysicè connexum cum B. ut fūsè ostendetur suo loco : ergo hæc scientia visionis est conjungibilis cum ambo bus libertatis constitutivis : ergo est conjungibilis cum libertate ipsa : ergo adhuc ex hypothesi , quod ab æterno , & de præsenti fuerit hæc scientia , & in sensu composito illius , datur libertas indifferentia ad consensum : ergo axioma illud , ad præteritum non datur potentia , hic non subsistit , quoniam præteritum hoc sum. mè dependet ab exercitio libero præsenti .

169. Dices 1. Hunc modum discurrendi idoneum esse probando quoque physicam Prædeterminationem non perdere libertatem indifferentiæ , quod nos putamus falsum ; nam prædeterminatio ad amorem v. g. non opponitur potestati amandi , ut constat : deinde non opponitur potestati omittendi amorem : ergo neutri potestati , in

in quarum complexo consistit libertas, opponitur Prædeterminatio: Probatur minor. Prædeterminatio ad amorem tantum opponitur carentia amoris: atqui potestas ad hanc carentiam, neque identificatur, neque metaphysicè connectitur cum carentia ipsa: ergo non apparet ratio ulla, ob quam Prædeterminatio physica opponatur potestate omissionis amoris. Respondeo, physicam Prædeterminationem ad amorem opponi cum potestate ad omissionem amoris ob duas rationes. 1. Creaturam prædeterminatam ad amorem posse omittere amorem, importat secum per identitatem adæquatam, vel saltem inadæquatam, creaturam ipsam posse excutere à se, atque impedire Prædeterminationem; (omnis namque vera, & realis potentia ad impediendum terminum connexionis metaphysicæ est vera, & realis potentia impediendi fundamentum, nisi hoc presupponatur jam aliunde impeditum, ut disputatione de connexionibus, & oppositionibus cap. 10. sanciemus:) ergo omne oppositum cum eo, quod creatura prædeterminata possit impedire Prædeterminationem, est oppositum cum eo, quod possit impedire amorem; at Prædeterminatio ipsa, juxta suos patronos, est opposita cum eo, quod creatura ipsam impedire queat, cum sit omnino inimpedibilis à creatura: ergo Prædeterminatio physica ad amandum opponitur essentialiter potestate ad omittendum amorem.

170. Quod non evenit scientiæ visionis consensus liberi Petri; nam cum scientia hæc sit impeditibilis ab arbitrio Petri, non opponitur potestati sui ipsius impeditivæ: ergo non est cur opponatur potestati impeditivæ consensus. 2. Ratio: Carentia omnis necessitatis simpliciter antecedentis constituit libertatem indifferentiæ; at Prædeterminatio physica est aliqua necessitas simpliciter antecedens: ergo carentia Prædeterminationis physicæ constituit libertatem indifferentiæ; sed Prædeterminatio ipsa opponitur suæ carentiæ: ergo opponitur libertati. Major, & minor longiores poscunt, & obtinent tractatus: modò breviter suadeo majorem: tum quia, ut doctè dicit ingeniosus Doctor P. Ribadeneyra, antecedens indifferentia ad utrumvis contradictorium importat constitutivè carentiam antecedentis determinationis ad unum: atqui libertas est antecedens indifferentia ad utrumvis contradictorium; necessitasque simpliciter antecedens est antecedens determinatio ad unum: ergo libertas importat constitutivè carentiam antecedentis necessitatis. Major perspicua videtur. Quemadmodum enim æquilibrium stateræ non solidum dicil constitutivè pondus inesse utriusque bilanci; sed multò expressius cat-

P. Ribadeneyra, antecedens indifferentia ad utrumvis contradictorium importat constitutivè carentiam antecedentis determinationis ad unum: atqui libertas est antecedens indifferentia ad utrumvis contradictorium; necessitasque simpliciter antecedens est antecedens determinatio ad unum: ergo libertas importat constitutivè carentiam antecedentis necessitatis. Major perspicua videtur. Quemadmodum enim æquilibrium stateræ non solidum dicil constitutivè pondus inesse utriusque bilanci; sed multò expressius cat-

ren-

rentiam majoris ponderis in una, quām in altera bilance: ita indiferentia dominii, & libertatis ex propriis terminis importat constitutive carentiam antecedentis, & ineluctabilis determinationis ad unum extremum determinatè. Quoniam, esse voluntatem indifferente, est formaliter, saltem inadæquatè, non esse determinatam; sicut esse antecedenter necessitatam, est formaliter, non esse indifferente.

171. Tum quia: omne oppositum libertati est oppositum alicui, vel omnibus constitutivis libertatis ( si enim nulli opponatur, conjungi potest cum omnibus, & singulis libertatis constitutivis, cumque his omnibus existentibus necessum sit existere libertatem; palam fiet, fundamentum oppositum libertati, eidem coexistere posse: quod, loquendo de oppositione metaphysica, est chymæra, ) sed omnis necessitas antecedens est opposita libertati: ergo omnis necessitas antecedens est opposita alicui constitutivo libertatis; sed non alii, nisi sūx carentiæ: ergo quia sua carentia est constitutivum libertatis. Probo minorem. Cætera constitutiva libertatis ad amorem naturalem v. g. sunt voluntas, una cogitatio invitans ad amandum, quatenus proponit bonitatem objectivam, altera, vel si malueris, eadem retrahens ab amando, quatenus, vel proponit aliquam malitiam in objecto, vel non proponit infinitam simpliciter bonitatem objectivam ( quarum cogitationum binarium est, quod vocatur Judicium indifferens) & demum Omnipotentia prompta tum ad producendum amorem, tum ad non producendum illum, necnon decretum determinativum quoad individuum. Sed nulli ex his opponitur necessitas simpliciter antecedens ad amandum; quoniam, his omnibus existentibus, potest Deus, ut Supremus Dominus, super imponere aliquid simpliciter antecedenter necessitans voluntatem ad amandum: ergo si necessitas simpliciter antecedens opponitur alicui constitutivo libertatis, non restat aliud, cui certius opponatur, quām sua carentia. Sedulò tamen advertendum est, inter necessitates simpliciter antecedentes ad unum exercitorum libertatis, sunt unæ, quæ persuam intentionalem tendentiam feruntur immediate, atque directè contra libertatem ipsam, ut nolitio efficax divina largiendi Petro instanti A. ullum auxilium ad amandum, quæ nolitio reddens Petro antecedenter impossibilem amorem pro eo instanti, eo ipso reddit ipsi antecedenter necessariam amoris omissionem; alia verò immediate, & directè feruntur in exercitium ipsum, ad quod determinant. Hujusmodi censemus physicam Prædeterminationem. Quando

do dicimus, libertatem constitui per carentiam omnis necessitatis simpliciter antecedentis ad unum extremum determinatè; loquimur de hac secunda necessitate, non de prima. Nam clare appetit constitutivum libertatis, cui opponatur memorata nolitio, ab hujus carentia distinctum, nempe auxilium ad amandum; ast quando necessitas est secundi generis, nullum aliud constitutivum libertatis appetit distinctum à carentia ipsius antecedentis necessitatis, cui p̄fata necessitas metaphysicè opponatur.

### §. I I.

172. **P**robo jam succinctis terminis (quoniam hoc alibi, ut patet, disputatur) physicam Prædeterminationem ad amandum esse necessitatem simpliciter antecedentem amoris, quæ est minor primi syllogismi secundæ rationis scripti num. 169. Ista Prædetermination in primis est aliqua irresistibilis, atque ineluctabilis necessitas ponendi amorem: quandoquidem neque in Cœlo, neque in terra datur potestas ad frustrandum eam amore, sive ad impediendum hunc urgente Prædeterminatione; est enim metaphysicè connexum amore, & nulla datur potestas ad faciendum, ut, existente fundamento connexionis metaphysicæ, deficiat terminus ea ratione, quæ connexionem terminat. Deinde Prædetermination est simpliciter antecedens respectu creaturæ. Probatur. Omne, quod ita existit in rebus, ut non dependeat ab arbitrio creato, sed potius extiturum sit velit nolit creature, est simpliciter antecedens respectu arbitrii creati, quamvis non respectu arbitrii divini; at physica Prædetermination est ejusmodi per suos Patronos: ergo est simpliciter antecedens respectu arbitrii creati, quamvis non respectu arbitrii divini, quod utique idoneum est probando, illam non opponi cum arbitrio divino, sed non sufficit probando, illam cohaerere cum creato: quamvis enim illud sit radix hujus, non est radix per modum naturæ; sed est radix libera; alias essent libera creaturæ quotquot sunt libera Deo. Perconator. Qualitas hæc dependet absolutè, & simpliciter à libertate creatæ, ita ut huic sit imputabilis, vel non? Si primum: ergo non est absolutè inimpedibilis, atque indeterminabilis per arbitrium creatum. Si secundum; hoc voco esse simpliciter antecedens. Fatalis namque necessitas, quam Ethnici aliqui comminiscabantur, quamque SS.PP.acriter refutarunt, non aliter erat simpliciter antecedens, quam subterfugiendo vires arbitrii creati, quatenus neutquam dependebat

bat ab aliis. Neque prodest dicere, Prædeterminationem esse consequentem ad divinam libertatem, in qua tamquam in radice præcontinetur libertas creata; hoc enim probabit, Prædeterminationem non destruere libertatem divinam; at cum Deus ad infinita objecta habeat libertatem, quæ nobis sunt antecedenter impossibilia, aut necessaria, perperam colligitur, manere in nobis libertatem posita Prædeterminatione ex eo, quod in Deo libertas perseveret. Solutio contraria sic instrui debuerat. Eo ipso, quod perseveret libertas in Deo, perseverat in homine; sed posita Prædeterminatione perseverat libertas in Deo, quoniam Prædeterminatione est necessitas purè consequens ad divinam libertatem, quæ radix est nostræ: ergo etiam perseverat in homine.

173. Ceterum majorem unde probas? Num quia divina libertas est radix nostræ, eo ipso, quod Deus habeat libertatem ad evertendos caelestes orbes, nos quoque ad id libertatem habemus? 2. Quando inquis, Prædeterminationem non esse necessitatem simpliciter antecedentem eo, quod sit consequens ad libertatem divinam, quæ est radix nostræ libertatis, vel loqueris in sensu formalí, vel in sensu pure materiali? Si primum; dicens, Prædeterminationem non esse necessitatem simpliciter antecedentem, quia per illam tuetur Deus, & conservat libertatem: ergo dicens, idem illam non opponi cum libertate, quia non opponitur cum libertate, quod est petitio principii. Si secundum; illud impar est liberando Prædeterminationem à conceptu necessitatis simpliciter antecedentis, nam etiam infantia, phrenesia, somnus, & carentia judicii indifferentis, possunt esse consequentia ad libertatem divinam, quæ in sensu reali, & materiali est radix nostræ libertatis; & tamen hæc omnia, & singula libertatem nostram prosterunt. Quam ob rem aliud est, libertatem divinam esse radicem necessariam nostræ libertatis, ut nuper dicebam, & cum hac intimè connexam; aliud autem esse radicem liberam contingenter, & prout suo largientem, & conservantem libertatem nostram. Si foret verum illud primum; assequutus fuisses rem: ast est manifestè falsum, nam libertas divina liberrimè confert nobis libertatem nostram potens eam denegare: ergo secundum est verum: at secundum est omnino insufficiens ad probandum, manere in nobis libertatem posita Prædeterminatione. Probatur. Quod libertas ipsa indifferentiæ sit radix, & causa suorum effectuum insufficiens est ad probandum, hos perseverare, quoties perseveraverit ipsa libertas: quoniam ipsa perseverante potest non perseverare locutio, v.g. quia ipsa

N a

per;

perseverans potest filere ; sed hujus insufficientia nulla alia est ratio, nisi quia libertas illa non est radix, & causa eorum effectuum per metaphysicam connexionem cum illis : ergo si libertas divina non est radix nostræ libertatis metaphysicè connexa cum hac ; sed liberè, ac contingenter ipsam producens, insufficiens argumentum sumitur ad probandum perseverantiam nostræ libertatis ex eo, quod Divina perseverat.

174. Neque prodest 2. dicere, Prædeterminationem non esse ad amorem utcumque, sed ad amorem, ut liberum, ad amorem cum modo libertatis ; nam hoc est aperte implicatio in terminis, seu petitio principii. Quid tibi videretur de illo, qui diceret, necessitatem physicam antecedentem non evertere libertatem, quoniam simpliciter antecedenter necessitat ad actum non utcumque ponendum, sed cum modo libertatis physicæ? Qui diceret, necessitatem morsalem non destruere libertatem moralem, quia tantum necessitat ad ponendum liberè moraliter actum? Unionem hypostaticam reddere Christum Dominum impeccabilem liberè? Quæ, & alia bñd urget P. Ribade-  
*P. Ribad.  
disput. cit.  
num. 17.* neyra. Profectò his irrideres, utpote utentibus terminis sibi invicem repugnantibus. Dico igitur, solutionem istam, aut esse implicationem in terminis, aut principium petere ; nam cum præsens quaestio sit, an Prædeterminatio destruat libertatem, ne quis respondere scholasticè, Prædeterminationem esse ad actum, ut liberum; quo usque certò probaveris, illam non esse libertatis inimicam. Impugnatio autem scholastica hæc est. Repugnat, Deum velle actum, ut liberum, sive cum modo libertatis per medium illud, quod libertatem destruit ; sed physica Prædeterminatio libertatem destruit : ergo repugnat, Deum velle actum, ut liberum, sive cum modo libertatis per medium Prædeterminationis. Consequentia est legitima, major evidens, & ad probandum minorem redeunt omnia argumenta à Nostris fieri solita. Ecce post solutionem istam perseverant arguments in suo robore : ergo solutio non est bona. Neque prodest 3. dicere, Prædeterminationem non esse simpliciter antecedentem adhuc respectu arbitrii creati, quoniam non constituit actum primum proximum ; sed est applicatio hujus ad actum secundum operandi, mediatque inter ambos actus, primum scilicet, & secundum.

175. Hoc inquam non prodest. 1. Quia causa, ut proximè potens ad operandum intrinsecè constituitur per applicationem physicam, vel intentionalem, prout fuerit causa conditio : alioquin ignis hic existens esset modò proximè potens comburere passum existens  
Pe-

Pequini, & homo carens omni cognitione expressiva bonitatis in objecto A. esset proximè potens amare illud objectum; sed per te. Prædeterminationis est applicatio voluntatis ad actum secundum: ergo voluntas, ut proximè potens elicere actum secundum, intrinsecè constituitur per Prædeterminationem: ergo hæc non mediat inter actum primum proximum, & secundum, sed est constitutivum illius. Quia hæc mediatio, aut est purè verbalis, aut assert secum, Prædeterminationem esse verè, ac rigorosè effectum actus primi creaturæ. Probatur. Omne mediare inter A. & B. dicit essentialiter, quod in eo genere, in quo est mediatio, sit post A; & ante B; ut jugi inductione constabit: ergo mediare inter A; & B; in genere causalitatis, aut determinationis, est causari, aut determinari, per A; & causare, vel determinare rem B. Sic Pater mediat in genere causalitatis inter Avum, & Nepotem, quia est causa hujus, & causatur ab illo; sed per te Prædeterminationis physica mediat inter actum primum, & secundum: ergo cum hæc mediatio non sit localis, neque temporalis; sed in genere causalitatis, vel determinationis; consequitur, Prædeterminationem causari, aut determinari ab actu primo creaturæ, & causare, vel determinare actum secundum, vel mediationem istam esse merè verbalem: ergo Prædeterminationis physica est dependens ab arbitrio creato. Demum est res mira dicere, Prædeterminationem non evertere actum primum proximum indifferentia, quia illum non constituit. Quando unquam fuit necessarium, quod destruivum rei ipsam constitueret? Dici poterat similiter carentiam Petri non destruere Petrum, quia ipsum non constituit: ergo, quod Prædeterminationis non constitueret illum actum primum, est medium insufficiens ad solvendum, illam non opponi cum illo. Destruit igitur illum, quia destruit suam carentiam, quæ, ut dicebam, est constitutivum illius actus primi indifferentis.

### §. I I I.

176. **D**ices 2. contra concordiam Præscientiæ divinæ, & libertatis creatarum. Jam Deus prævidit ab æterno, Antichristum peccatum: ergo jam est impossibile, quod non peccet, alioquin, vel illa prævisio falsificaretur, vel deficeret prævisio divina, quæ ab æterno fuit, & utrumque peius: ergo supposita Prævisione hæc, est necessarium, quod iniquus ille peccet: ergo supposita hac Prævisione non habebit libertatem ad non peccandum. Confirmatur 1. si sup-

tem posse rem impossibilem : quoniam hic sensus divisus , & est possibilis ex se , & voluntas habet potestatem ad eum faciendum . Ad secundam confirmationem respondeo, quod s<sup>e</sup>pe respondi . In sensu composito præscientiæ absolutę retinet homo ille plenam proximam, atque absolutam potestatem omittendi peccatum ; & nequit omittere illud, data suppositione de eo , quod præscientia illa ab æterno fuerit : nam primus sensus compositus , quippe qui dumtaxat est coexistentia extremitum non repugnantium invicem , est possibilis ; secundus verò est impossibilis , quia est coexistentia extremitum reciprocā habentium oppositionem : ergo ex primo sensu composito perperā arguitur ad secundum .

179. Sic in sensu composito amoris conservat homo plenam , proximamque potestatem ad carentiam amoris; at nequit eam determinare existente amore : nam hic significatur complexio contradictoriorum, ibi consortium rerum non oppositarum, & ex uno sinistre inseritur ad alterum; quamobrem illa propositio. *Omittat peccatum, ut potest;* neganda est, si procedat de omissione, ut conjungenda cum Præscientia . Porro si tunc omitteret homo peccatum, neque tunc, neque ab eterno fuisset præscientia; ideo enim à priori præscivit Deus, hominem peccatum in eo tempore , quia ille ex mera sua determinazione in eo tempore peccatus erat . Ad 3. Respondeo divinam præscientiam esse quidem aliquam necessitatem peccandi ; esse insuper antecedentem antecedentiā temporis realis , vel imaginarii , seu antecedentiā *in quo* ; nego verò esse purè , ac simpliciter antecedentem, quia hac phrasī intelligimus id , quod neutquam pendet ab arbitrio humano : id quod nullatenus est impedibile per libertatem creatam ; at quamquam Præscientia divina totā æternitate præcurrebit peccato , & libertati; pendet nihilominus à peccato , & est impedibilis per humanam libertatem : quandoquidem non ideo homo peccat , quia hoc præcognovit Deus; sed potius viceversa, ideo Deus præcognovit hoc , quia homo peccatus erat : ergo . Hæc autem doctrina detinueri nequit in favorem Prædeterminationis; quoniam sensus divisus ab hac non pendet à libertate creata , sensus verò divisus ab illa præscientia pendet à libertate humana , ut s<sup>e</sup>pe dictum , ex hypothesi , quod Deus illam conservare velit .



**C A P U T XVII.***Occurrit ultima Instantia.*

180.



Nstabis contra hactenus dicta. Est disparitas inter libertatem collatam cum suo exercitio libero, & ipsam cum æterna Præscientia divina comparatam. Nam exercitium liberum est modò voluntati præsens, & adhuc ex hypothesi, quod semel fuerit, potest desinere esse, & non continuari; at verò divinam Præscientiam fuisse ab æterno, non est quid voluntati modò præsens; sed præteritum: & rursus ex hypothesi, quod Præscientia divina semel fuerit nequit sistere, sed ultra progredi debet per subsequentem totam æternitatem: ergo ex eo, quod voluntas impedit queat suum exercitium liberum, tenuerunt argumentum sumitur ad probandum, illam posse quoque impedit æternam Præscientiam Dei. Confirmatur: est à Petrum heri projecisse consultò breviarium in mare. Tunc sic; vel hodie habet libertatem plenam, proximam, atque expeditam ad legendum officium, vel non? Primum est falsum, quoniam caret prærequisito ad officium (breviario nimirum,) & potestate illud nanciscendi, ut supponimus: ergo dicendum est secundum: ergo qui heri projecit breviarium in mare, non modò caret libertate recitandi in sensu composito projectionis; verùm etiam in sensu composito projectionis caret libertate ad recitandum in sensu diviso, nempe quia semel facta projectione, extincta est libertas projiciendi, & non projiciendi, necnon libertas legendi, & non legendi officium: ergo similiter supposita semel divina Præscientia peccati hodierni v. g. non modò abest omnis libertas ad carentiam peccati in sensu composito ejus Præscientiæ; sed insuper ad carentiam peccati in sensu diviso, quoniam semel existente ea Præscientia, extincta fuit libertas ad eam vitandam tum ab æterno, tum in tempore. Confirmatur 2. Doctrina hactenus data fundatur in eo, quod divina Præscientia absoluta rerum non sit causa ipsarum; sed hoc est falsum: tum quia si aliqui PP. docent non ideo rem esse, quia Deus hoc agnoscit; sed ideo Deum agnoscere, rem esse, quia illa est, quorum syllabum invenies apud PP. Ruiz, Izquierdo, & Fasolum, & apud alios: etiam alii <sup>P. Ruiz</sup> PP. Augustinus scilicet, & Gregorius citati per PP. Ribadeneyra, & <sup>disp. 33. de scientia.</sup> Herrera docent oppositum. Tum quia, si eatenus est verum, ideo <sup>P. Iequi:</sup> Deum

*disp. 37. de Deum præscivisse peccatum, quia illud futurum erat, quatenus si  
Deo nūm. peccatum non foret, Deus, non prævidisset illud; cùm etiam sit ve-  
112.  
P. Fasol. rum, quod, si Deus non prævidisset illud, peccatum non foret; seque-  
1. p. q. 14. tur etiam esse verum dicere, ideo erit peccatum, quia Deus præ-  
art. 8. dub. vidit illud: tum quia non explicatur congruè hæc prioritas, & poste-  
3. rioritas.*

*P. Ribad. 181. Ad instantiam respondeo, oblatam disparitatem esse purè  
de scient. materialem. Vel enim loqueris de exercitio præsenti reduplicativè,  
n. 11. ut tali, ac supposito illud modò existere: vel de illo specificativè  
P. Herre- sumpto præscindendo objectivè ab illius præsentanea existentia? Si  
ra q. 11. p. q. de primum; tam impossibile est exercitium liberum omitti conjunctim,  
sest. 5. de scientia. ac in sensu composito de eo, quod præsens sit, quām divinam præ-  
scientiam modò impediri in sensu composito de eo, quod ab æterno  
fuerit. Nam sicut necesse omnino est absque ulla mixtura contin-  
gentiae, quodvis fuisse ex hypothesi, quod fuerit; ita necesse prorsus  
est, unumquodque esse de præsenti ex suppositione, quod de præsenti  
sit. Si secundum; quemadmodum adest libertas ad faciendum, ne sit  
præsens exercitium illud, quod hic, & nunc contingenter est præ-  
sens; ita libertas inest peccatori ad faciendum, ne fuerit ab æterno  
Præscientia illa, quæ contingenter fuit ab æterno. Quippe eo ipso,  
quod hodie peccet homo, extitisset Præscientia peccati ab æterno, &  
eo ipso, quod non peccet, non extitisset Præscientia ab æterno; sed  
homo fruitur hodie plena, atque expedita libertate ad peccandum,  
& non peccandum: ergo fruitur quoque plena, atque expedita li-  
bertate ad faciendum, & non faciendum, Præscientiam extitisse ab  
æterno: ergo in ordine ad rem præsentem pares sunt Præscientia  
æterna, & exercitium liberum præsens: ergo disparitas objecta est  
purè materialis. Ne autem quæstionem de voce ineamus, adverto,  
me contentum esse libertate ad faciendum indirectè, O quasi media-  
zè, ne Præscientia fuerit ab æterno: quia libertas peccans in instan-  
ti A. constituitur per expeditam, & promptam potestatem omitten-  
di peccatum in ipso instanti A. ergo impediendi Præscientiam in ipso  
instanti A. Cùmque impeditio Præscientie in instanti A. infallibiliter  
afferat secum impeditiōm æternam ejusdem (eo quod repugnet de-  
ficere in tempore actum divinum, qui non deficit ab æterno) inde-  
est, quod hæc impeditio Præscientie pro instanti A. quasi retrotrahi-  
tur ad totam æternitatem à parte ante, gaudetque consequenter li-  
bertate homo ad impediendum indirectè, & quasi mediatae Præscien-  
tiam ab æterno.*

182. Ad

182. Ad primam confirmationem respondeo, vastum esse discrimen inter projectionem Breviarii jam factam, & Præscientiam peccati hodierni ab æterno existentem, vi cuius discriminis facta projectione non perseverat hodie libertas ad officium legendum hodie, neque in sensu composito, neque in sensu diviso à projectione; præcedente verò ab æterno Præscientia hodierni peccati, subsistit hodie libertas ad non peccandum in sensu diviso à Præscientia: libertas proxima, & absoluta ad recitandum in sensu diviso à projectione importat constitutivè libertatem ad omittendum projectionem ( si enim tantum esset potestas ad recitandum pro casu, quo aliis quispiam projectionem impeditet; tantum esset libertas conditionata, similis ei, quam habet incarceratus ad excundum à reclusione pro casu, quo aliis jam aperiat: quæ libertatis species impar est merendo, & demerendo, quo usque purificetur conditio ) ergo omnis, qui libertate caret ad omittendum projectionem, libertate caret ad recitandum in sensu diviso à projectione; at omnis, qui unicum, quod habebat Breviarium, projectit heri, libertate caret hodie ad omittendum projectionem. Probatur: omnis, qui caret proxima, & expedita libertate ad projectionem, caret proxima, & expedita libertate ad omittendum immediatè, & formaliter projectionem; unaquæque namque libertas proxima, & immediata est ad duo contradictoria; at omnis, qui modo dicto jam projectit Breviarium hodie caret proxima, & expedita libertate ad projectionem. Probatur: omnis, qui caret prærequisito ad projectionem, & potestate nanciscendi illud, caret proxima, & expedita potestate ad projectionem; at omnis, qui modo dicto projectit Breviarium, caret prærequisito ad projectionem, & potestate nanciscendi illud: ergo omnis, qui modo dicto projectit Breviarium, caret proxima, & expedita potestate ad projectionem. Discursus est legitimus. Minor certa juxta suppositionem factam, ad projiciendum namque hlc, & nunc Breviarium, indispensabiliter requiritur habere, seu possidere illud: quis namque est proximè potens modò projicere in mare diadema Darii Regis? Sed qui projectit illud, jam non habet illud, neque potestatem illud recuperandi, ut supponimus; alioquin haberet absolute libertatem legendi officium, contra intentum arguentis: ergo projectione facta, caret homo ille prærequisito quodam ad projiciendum, & potestate comparandi illud.

183. Major insuper syllogismi ultimi perspicua videtur: quis enim terminorum conscius dicere audebit, hominem privatum proxima fungi, atque immediata libertate ad cogendum generale Con-

Oo

ciliū,

ciliū , vel ad indicendum conventus universales Regni ? Nemo sanè ; alioquin mihi ducetur laudi , vel vituperio , quodd non habeantur comitia universalia Regni , vel Ecclesiæ : & sanè non ab aliā rationem , nisi quia ad cogendum generale Concilium desideratur suprema Ecclesiæ authoritas , quam non habeo , neque est in mea manu ipsam adipisci . Et rursus ad conventus generales Regni indicendos opus est suprema recipi autoritate , quam pariter non habeo , neque est in mea positum libertate illam aquirere : & patet à posteriori . Carere namque prærequisito ad aliquid , & omni potestate acquirendi illud , est legitima , & irredarguibilis excusatio contra quemcumque objicientem omissionem illius alicujus . Sic exprobranti , cur Concilium generale non indiceres , abundè satisfaceres sic . *Sum ne ego supremus Pontifex ?* Et exprobranti , cur Regni calamitatibus non prospiceres , irrideres meritò dicens : *sum ne ego Rex ?* Nempe quia ad primum requiritur Pontificium arbitrium , ad secundum authoritas Regis , & neutrum habes , neque potestatem alterutrum comparandi : ergo quia carere prærequisito ad aliquid , & potestate acquirendi tale prærequisitum est carere proxima , & expedita potestate ad illud aliquid . Et ecce unam ex cardinalibus rationibus Prædeterminationem physicam , & quodcumque aliud similibus attributis notatum refutantibus . Homo namque prædeterminatus ad carentiam amoris caret prærequisito essentiali ad amandum , nimirum Prædeterminatione amoris , & omni vera potestate acquirendi illud : ergo legitimam , & irredargibilem habet excusationem contra quemcumque improprietatem illum , propterea quod non amet : ergo caret proxima , & expedita libertate ad amandum .

184. Putat unus , vel alter ex junioribus argumentum hoc in nos retorqueri . Homo namque dissentiens caret auxilio efficaci , ut patet , necnon potestate acquirendi illud : quoniam Dei solius est largiri , vel non largiri hominibus auxilia efficacia , ut etiam patet , in quocumque stet illorum efficacia : atqui auxilium efficax est prærequisitum quoddam ad conversionem : ergo homo dissentiens caret prærequisito ad conversionem , necnon potestate comparandi illud : & tamen neque caret proxima potestate se convertendi , neque excusatione nulla legitima se tueri potest : ergo . In sententia Scientiæ Medie solvitur facile hoc argumentum ( cæteri sibi consulunt , ) quoniam vel loquimini de auxilio specificative materialiter , atque entitative sumpto : aut de efficacia auxilii , auxiliove reduplicative , ut efficace ? De auctor verificatur in nostris principijs , quæ modò non disputo , simul-

simultas eorum duorum attributorum, nempe deficere, & esse simpli-  
citer inacquiribile: ergo nulla in nos est retorsio. Probo antecedens.  
Ad comparandum auxilium specificativè sumptum non habet pecca-  
tor potestatem, verumtamen tale auxilium non abest illi, sed adest.

*Aperi mibi foror mea: & alibi. Ecce sto ad ostium, & pulso, & Deus  
illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in nostris prin-  
cipiis. Quid si auxilium non adest, neque peccator haberet pro-  
ximam, & expeditam potestatem se convertendi, neque reprehen-  
sione dignus foret ob conversionis supernaturalis omissionem. Ru-  
sus efficaciam auxilii, seu auxilium reduplicativè, ut efficax, non  
habet peccator; plena tamen, atque expedita fungitur potestate  
nanciscendi illam: quoniam juxta hæc principia efficacia auxilii con-  
sistit in conversione illi adjungenda, sive in Scientia media; sed am-  
bo hæc sunt plenariè assequibilia per arbitrium creatum adjutum, &  
confortatum, & præventum interiore gratia Dei. Licet enim illud  
facere nequeat, Deum conferre auxilium potius, quod prævidet effi-  
cax, quam quod prævidet inefficax; attamen facere potest juxta prin-  
cipia dicta, quid auxilium jam existens potius prævideatur efficax,  
quam inefficax. Quid nihil aliud est, quam posse converti potius,  
quam indu rari posito auxilio Dei, sine quo libertas non datur ad  
conversionem salutarem: ergo ex nostris principiis bene intellectis  
non depromitur quidquam, quod cum sit prærequisitum, absit li-  
bertati, & simul sit inacquiribile.*

185. Doctrinâ hucusque prolatâ cave ne abutaris probaturus  
contra caput immediatè antecedens, quid suppositâ æternâ Dei Præ-  
scientiâ deficeret libertas impediendi peccatum hodiernum: quo-  
niam libertas hæc neque constituitur per Præscientiam peccati, alias  
constitueretur per fundamentum connexum metaphysicè cum pec-  
cato: neque constituitur per Præscientiam omissionis peccati, alias  
constitueretur per fundamentum metaphysicè oppositum peccato;  
& utrumque pejus. Neque peccanti hodie deficit prærequisitum ad  
omissionem peccati, & simul potestas obtinendi illud; nam licet de-  
ficiat absoluta prævisio hujus omissionis, hæc prævisio non est præ-  
requisita, sed requisita solummodo, quia non se habet pro priori, sed  
pro posteriori ad omissionem peccati, & in hoc differt prærequisitum à  
requisito, quid cum ambo terminent connexionem effectus, prære-  
quisitum præcedit ordine causalitatis effectui, requisitum subsequi-  
tur. Tum ulterius, quia etiam si absoluta omissionis pec-  
cati prærequisita foret ad omissionem, cum nihilominus homo ha-

*Cant. 5.  
Apoc. 3.  
Joan. 1.*

posita hac Prævisione posset ille nequam abstinere se à peccando, præculdubio falsificaret Prævisionem eam: quoniam eam falsificari consistit formaliter, & immediatè in eo, quod, ea existente, non detur peccatum in duratione illa, pro qua enunciatur: ergo si ea existente posset omittere peccatum, posset facere id, in quo stat formaliter, & immediatè falsitas Præscientiæ, subindeque posset illam falsicare; sed hoc repugnat: ergo dicendum, quod nequam ille, licet haberet libertatem deficiente divina Præscientia; hac tamen existente, libertatem non habebit. Confirmatur 2: per nos existente dicta Præscientia absoluta, habebit Antichristus plenam, proximam, atque expeditam libertatem ad omittendum peccatum. Omittat ergo illud, ut potest. Quid tunc eveniet? Præscientiam abs dubio falsificari, aut ab æterno non extitisse; sed utrumque est impossibile ex hypothesi, quod Præscientia illa fuerit ab æterno: ergo data hac hypothesi, sequetur aliquid impossibile, si nequam ille omitteret peccatum: ergo data hac hypothesi, nullam habet potentiam ad omittendum peccatum: ergo hæc hypothesis adimit illi libertatem. 3. Divina prævisio peccati est aliqua necessitas peccandi: siquidem ratione suæ infallibilitatis essentialis est essentialiter connexa cum peccato: deinde est antecedens, cum omne æternum sit antecedens respectu illius, quod existit in tempore: ergo ea Prævisio est necessitas antecedens respectu peccati; sed omnis antecedens necessitas infesta est libertati indifferentiæ: ergo.

177. Vera miscet falsis argumentum, & mutando terminorum appellationes, captiones giguit. Instantur ergo omnia hæc exemplo libertatis, quæ in sensu composito amoris est potentia ad omissionem illius, licet non ad omissionem illius in sensu composito amoris. Quod circa hæc duo sunt plurimum diversa. *Ex hypothesi prævisionis peccati conjunctim, ac in sensu composito bujus prævisionis datur libertas ad omittendum peccatum.* Item: *datur libertas ad omittendum peccatum conjunctim, ac in sensu composito bujus prævisionis.* Sicut etiam hæc duo valde differunt. *In sensu composito amoris datur libertas ad omissionem amoris.* *Datur libertas ad omissionem amoris in sensu composito amoris:* & hæc duo. Petrus albus est Monachus. Petrus est Monachus albus. Illud primum est verum, quoniam dumtaxat enunciat sensum compositum Prævisionis peccati, & libertatis ad non peccandum: qui sensus compositus possibilis est; nam per superioriis dicta Prævisio divina nulli constitutivo libertatis opponitur. Secundum autem, quod innuitur vocula illa, jam, est falsum: enunciat enim sensum compositum

tum carentia peccati cum divina prævisione peccati, qui sensus compitus repugnat omnino. Ad argumentum igitur, concessio antecedenti, distinguo primum consequens: est impossibile impossibilitate consequenti, quod non peccet, seu quod in idem recidit, est impossibile, quod non peccet in sensu composito illius prævisionis; concedo ob absurdum, quod infert arguens: est impossibile impossibilitate antecedente, quod non peccet, seu est impossibile, quod non peccet in sensu diviso ab ea prævisione; nego consequentiam: & pariter explicato secundo consequenti, distinguo tertium: supposita prævisione illa, non habebit libertatem ad non peccandum in sensu composito prævisionis; concedo; nam hæc esset libertas ad terminum impossibilem: ad non peccandum in sensu diviso ab ea prævisione, quem sensum divisum facere potest; nego consequentiam. Licet enim nequeat facere hunc sensum divisum conjunctim cum eo, quod prævisio data fuerit, quia tamen potest facere, quod illa numquam extiterit; idcirco absolutè, & simpliciter potest facere illum sensum divisum in alio reflexo sensu diviso à præcedentia Prævisionis divinæ. Ad modum, quo, posito amore, impossibile est dari hujus omissionem, & necesse est amorem existere. Hoc autem unicè probat, quod, posito amore, non datur libertas ad omissionem conjungendam cum amore; non autem probat, quod, posito amore, non detur libertas ad omissionem, ut dividendam ab amore; licet namque is sensus divisus conjunctim cum eo, quod amor sit, omnino repugnet; est tamen absolutè, & simpliciter possibilis, eo quod libertas absolutè possit facere, ut amor non sit in hoc instanti.

178. Ad primam confirmationem respondeo, nequam illum falsificaturum divinam Præscientiam, si in sensu composito hujus posset abstinere se à peccando abstinentià conjungendà cum Præscientia, nam in hoc staret falsitas illius; secus autem, si in sensu composito præscientiæ posset, seu haberet libertatem, ut abstineat se à peccato abstinentià dividendà à Præscientia; ( quoniam hæc divisio importaret secum defectum illius individuæ præscientiæ: ergo importaret incapacitatem, ut præscientia esset falsa. ) At non accidet primum, sed secundum: ergo etiam in sensu composito Præscientiæ habet homo ille libertatem ad omittendum peccatum omissione dividenda à præscientia. Quemadmodum, si in sensu composito amoris, posset voluntas omittere illum, omissione conjungenda cum amore posset rem impossibilem; cæterum ex eo, quod in sensu composito amoris possit eum omittere omissione dividenda ab amore, non sequitur, volunt-

tem

beat libertatem comparandi prævisionem eam, idest faciendi, & non faciendi illud, quo facto, fuisset ab æterno illa Præscientia, & quo non facto, illa non fuisset ab æterno, numquam probatur deficere homini prærequisitum ad non peccandum, & potestatem nancisci illud. Ad secundam confirmationem scriptam num. 178. nego minorem ob duas rationes. Prima est. Si Prævisio absolute consensus v. g. seu Scientia visionis esset causa illius, esset aut causa immediata, aut causa mediata, quatenus influeret in decretum divinum intentivum, vel exequitivum consensus; sed neutrum dici potest. Probatur. Non primum, quia si Scientia visionis, ut talis, ac secundum terminationem contingentem, esset causa immediata nostri consensus constitueret intrinsecè libertatem proximam consentiendi. (Hæc namque libertas, cum sit plena sufficientia, & expedita, coalescit ex omnibus principiis necessariis, ac immediatè prærequisitis ad consensum; non enim datur plena sufficientia, ubi deficit quod indispensabiliter immediatè præquiritur.) Sed prædicta Scientia visionis, ut talis, ac secundum terminationem contingentem est metaphysicè connexa cum nostro consensu: ergo aliquid metaphysicè connexum cum consensu constitueret libertatem consentiendi. Quo ergo jure libertas dicetur plena indifferentia ad utrumvis contradictionis membrum, si involvit quiddam intimè connexum cum uno determinatè? Plerique etiam ex Adversariis annuunt, atque idcirco Prædeterminationem collocant extra actum primum proximum, quem fatentur debere esse prorsus indifferentem ad extremum, quod eligere maluerit. Non secundum; ob eamdem rationem, quippe visio ea constitueret divinam libertatem ad decretum divinum: ergo hæc divina libertas non esset libertas indifferentiæ, utpote constituta per fundamentum metaphysicè connexum cum uno extremo determinatè. Secunda ratio est, quia si visio consensus se haberet priori ad hunc, & ad decretum divinum intentivum, vel exequitivum hujus; hoc decretum stulticiæ convinceretur; nemo enim, nisi stolidus potest serio, & efficaciter conari existentiam illius rei, quam evidenter præcognoscit jam existere. Vide quæ subtiliter agglomerat P. Junius hac super re.

P. Junius  
tom. de  
præd. scil.  
4. cap. 5. d.  
num. 6.

186. Neque S. Thomas, quem hic appellant RR. item dirimit. Tum quia, ubi S. Magister docet, Scientiam divinam esse causam rerum, indubie loquitur; non de Scientia absolute visionis, ut tali, ac secundum formalitatem, & terminationem contingentem; sed de Scientia simplicis intelligentiæ, vel etiam de Scientia visionis materiali.

rialiter accepta, quatenus cum Deo identificatur. Hoc efficaciter evincunt rationes, quas nuper laudatus P. Junius producit. Sæpe inculcat B. Doctor, Scientiam Divinam operativam, esse indifferentem, ut constat ex locis notatis per illum Authorem; sed Scientia absoluta visionis, ut talis, ac secundum terminationem contingentem non est indifferens ad suum objectum, sed determinatè connexa cum illo, quia illud absolutè enunciat, & est Scientia essentialiter vera: ergo Scientia, quæ juxta S. Thomam est operativa, non est Scientia absoluta visionis, ut talis; sed sola Scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus novit quomodo res fieri oporteat. 2. Scientiam divinam, quam idem S. Magister docet, esse causam rerum, comparat Scientiæ practicæ artificis; at Scientia hæc practica, neque est consequens ad artefactum, & qua agnoscatur jam factum, sed antecedens, & qua agnoscatur, ut factibile: item non est connexa cum illo, sed indifferens, quoisque accedat imperium voluntatis jubens effectionem operis, prout per Scientiam cognoscitur effici oportere: ergo Scientia, quam docet S. Thomas esse causam rerum, non est consequens, qua videatur res jam facta, sed antecedens, qua præcognoscatur quomodo facienda sit, neque est connexa cum re, sed indifferens. Atque Scientia absoluta visionis, ut talis, non est antecedens, qua cognoescatur modus, quo rem fieri oporteat, sed consequens, qua res videtur clare, atque evidenter, ut jam facta: item non est indifferens ad hoc, ut res fiat, vel non fiat, sed determinatè connexa cum eo, quod fiat: ergo Scientia, quam docet præclarus hic Doctor esse causam rerum, non est scientia absoluta visionis. Tum etiam, quia, ut multis retrò diebus animadverterunt Nostrates quinques produxit Sanctus Thomas hanc questionem. *An scientia Dei sit causa rerum.* Ter affirmat, bis negat. Nunc sciscitor. Vel loquitur semper de Scientia eadem, vel non? Si primum; ergo non sibi constat Magister Sanctus, cum de eadem scientia jam affirmet, jam neget idem prædicatum. Quod prudens nemo dicere audebit. Si secundum; quæro iterum: vel quando affirmat; affirmit de scientia simplicis intelligentiæ: & quando negat; negat de scientia visionis, (& hoc idem est, quod nos affirmamus, atque negamus,) vel è converso quando affirmat; affirmit de scientia visionis, ut tali: & quando negat; negat de simplici intelligentia. Et hoc esset falsitatis notam impugnare doctrinæ tanti Doctoris, quandoquidem constat esse falsum Scientiam simplicis intelligentiæ aperientem voluntati divine naturam, conditionem, & proprietates rei, modumque reum

1.p. q. 14:  
art. 8. qu.  
2.de verit.  
art. 14.  
2. contra  
Gentes. cap  
24.  
In 1. diff.  
38. art. 1.  
In traff.  
de pref. &  
pref. c. 3

Etum ipsam efficiendi , non esse causam rei . Igitur aut dicendum est tibi S. Magistrum Thomam sibi ipsi non constitisse, aut idem, quod nos, tradidisse , aut falsam doctrinam scripsisse . Non primum , neque tertium: ergo secundum

187. Ad primam probationem minoris secundæ confirmationis scriptæ num. 178. Respondeo Augustinum , & Gregorium loqui de Scientia simplicis intelligentiæ . Tum quia alias sibi ipsis adversarentur, ut constat ex locis, quos affatim adducit P. Montoya, tum quia si de scientia absoluta visionis, secundum terminationem contingentem

*P. Montoya disp. 33. de scien* accepta differerent, sequeretur PP. eos docere nostræ libertatis ruinam, & decretorum divinorum stultitiam; (quod nefas dictu), quæ duo absurdæ proximè eliciimus ex causalitate Scientiæ absolutæ visionis.

Neque obstat S. Gregorium uti verbo *videndi*. Nam, ut ex S. Thoma observat P. Junius, omnis scientia Dei potest dici visio . Si malueris

*P. Anto. nius Perez 6. de in-* dico, cum P. Antonio Perezio, hos PP. loqui etiam de scientia visionis secundum perfectionem entitativam, necessariam, atque inconvenientem, non de terminatione libera, de qua nos. Dici quoque potest, cum 19. Doctore Herrera, SS. Augustinum, & Gregorium solummodo negantur.

*P. Herre. 9. 11. scilicet 5.* re objecta creata physicè producere per se , vel per suas species visiones divinam, quod nobis non incommodat . Ad secundam probatio-

nem nego majorem; ratio enim, propter quam peccatum hodiernum v.g. se habet pro priori in genere objectivo ad sui ipsius æternam Præscientiam, estque subinde vera hæc propositio. Ideò à priori Deus agnoscit peccatum hodie extitum, quia peccatum hodie extitum erat , non est quia, utcumque hæc conditionalis est vera . Si peccatum non extitum esset, Deus non prævidisset hoc ab æterno . Nam ut bene subiungit arguens etiam est vera hæc . Si Deus non prævidisset peccatum hodie extitum, illud non existaret hodie: quin propterea prævisio divina sit causa peccati. Ratio igitur illius prioritatis est . Quamquam divinus intellectus sit per se ab intrinseco determinatus conditionate ad cognoscendum peccatum hodiernum , eo ipso , quod hodie peccatum existat; attamen est per se indifferens absolutè ad cognoscendum, vel non cognoscendum absolutè existere hoc peccatum: quoniam existere potest cognoscens absolutè peccatum , & etiam existere potest, quin absolutè agnoscat peccatum ; nempe quia hoc non existat: ergo assignare oportet rationem aliquam à priori immediatam , ob quam potius agnoscat, quam non agnoscat absolutè hoc peccatum; sed hæc ratio à priori nequit esse intellectus ipse divinus , quia neque est per se connexus cum una scientia potius , quam cum altera , neque per se.

modum libertatis activæ est potius electivus unius, quam alterius scientiæ: neque est scientia ipsa peccati, quia nil contingens potest esse ratio à priori immediata suæ existentiæ: neque est divina libertas: nam actus intellectus nulli sunt immediatè liberi; sed vel omnino necessarii, vel mediatae dumtaxat ratione actus voluntatis liberi.

188. Neque decretum ullum divinum. Tum quia ob nostra generalia principia tale decretum prosterneret libertatem indifferentiæ, in qua Deus misericorditer condidit hominem. Tum quia tale decretum, etiamsi amicum libertatis esset, tantum poterat determinare scientiam absolutam peccati, quatenus peccatum ipsum determinaret, quo circa non esset ratio à priori immediata, sed ad summum mediata illius scientiæ: deinde non restat aliud præter peccatum ipsum, quod immediatè, expresse, ac formaliter attingitur per eam scientiam: ergo peccatum est ratio à priori immediata dictæ scientiæ: ergo peccatum se habet pro priori ad dictam scientiam; sed non prioritate temporis seu in quo, non prioritate naturæ, sive physicæ causalitatis, non prioritate universalitatis, & in subsistendi consequentia, seu prioritate dependentiæ non mutuæ, non demum prioritate originis. Sola ergo restat prioritas in genere objectivo, quæ formaliter, & immediatè consistit in eo, quod peccatum existat eo modo, quo per scientiam enunciatur. Sicut quando tu ex fenestra intueris hominem transeuntem per viam, coexistunt intuitio tua, & transitus illius; ast non ideo transit ille, quia tu intueris; sed ideo à priori intueris illum transeuntem, quia ille transit. Profecto licet Abimelech per totam æternitatem fuisse affixus suæ fenestræ non vidisset Isaac, & Rebecam jocantes, nisi illi vellent jocari: neque jocabantur, quia videbantur, sed è converso.

189. Objicies. Prævisio divina non determinatur à peccato tamquam à priori, quando peccatum non determinat divinam Prævisionem; sed peccatum non determinat ab æterno divinam Prævisionem. Probatur. Peccatum determinare divinam Prævisionem, est dari determinationem physicæ activam divinæ Prævisionis; sed non datur ab æterno, hæc determinatio; nam peccatum ipsum est ejusmodi determinatio, & peccatum non datur ab æterno: ergo. Tacitam præteriens subtilem solutionem, quam exhibet P. Junius; nengo minorem, & majorem probationis. Quemadmodum namque <sup>P. Junius</sup> <sub>lett. 4. de Præd c.</sub> Petrus est prior tempore Joanne, quando Joannes non est posterior tempore Petri (esto Petrum incipere in instanti A; & Joannem in B. <sup>4. a num. 6.</sup> in instanti A. est Petrus prior tempore Joanne; hic autem, cùm in illo

illo instanti non existat, nequit in illo eodem instanti esse posterior tempore respectu Petri,) & quemadmodum causa est prior effectu in eo signo, in quo effectus non est posterior causa, siquidem haec in signo sui ipsius est prior effectu, & hic utpote non existens in eo signo, nequit in signo eo esse posterior sua causâ, (quæ duo exempla opportunè præbet idem Author) ita æterna præscientia peccati potest ab æterno determinari, quamquam non detur physicè, verè; & propriè ab æterno peccatum ipsum, aut activa determinatio hujus. Ratio convellens æquivocationis radicem est. Ad causandum physicè quippiam indispensabiliter requiritur præsentanea existentia rei causantis (ut alibi probo contra nonnullos ajentes sufficere, quod virtus causativa existat in instanti immediatè antecedenti; non vero desiderari, quod existat physicè in instanti ipso, in quo physicè operatur.) Cæterum ad determinandum, verificandum, terminandum, & alia id generis Divinam Præscientiam minimè desideratur existere physicè ab æterno illud, quod ab æterno determinat, verificat, seu terminat illam. Quia hoc determinare, verificate, terminareque Divinam Præscientiam unicè consistit in eo, quod *Præscientia ab æterno edicit peccatum extitum bodie*, & in eo, quod *peccatum bodie existat*; his namque duobus solis intellectis, intelligitur peccatum ab æterno verificare, terminare, atque determinare scientiam. At quamquam peccatum non sit physicè, & realiter ab æterno; nihilominus ab æterno determinat, verificat, & terminat dictam Præscientiam. Non tamen negabo hoc præstare quasi indirectè, & mediata, quatenus peccatum immediatè, & directè determinat scientiam sui ipsius existentem in instanti, in quo peccatum ipsum existit; cæterum quia Divina Scientia nequit existere tunc, quin ab æterno existat; idcirco dici potest peccatum mediatè, arque indirectè ratione conditionis, & naturæ ipsius scientiæ, determinate hanc ab æterno. Et reddit exemplum idem: tametsi Isaac, & Rebecca non erant physicè in fenestra Abimeleci; verumtamen ex loco, in quo erant determinabant, seu veram faciebant intuitionem illam. Nempe intuitio illa non exprimebat duos illos conjuges, *jocantes in fenestra*; sed in fenestra exprimebat illos *jocantes in agro v. g.* Idem in præsenti. Æterna Dei Præscientia non exprimit hominem peccantem v.g. ab æterno; sed ab æterno exprimit hominem peccantem in tempore: ergo sufficit, quod hic peccet in tempore, ut sit illa præscientia vera ab æterno. Subtile vitium mutandi terminorum appellations non Logicos solos perturbare solet.

CA.

## C A P U T X V I I I .

### *Reliqua proloquia de Actu, & Potentia.*

190.



Rimum est : *Actus est, qui distinguit* : docetur ab Aristotele sic ajente : *Veluti duplum ipsum ex duobus dimidiis Potentia constat*. *Actus enim nimirum separat*. Monfortius id intelligit, quia actus in. *Monsoro.* trinsecus, seu forma est, quod potissimum distin- *pag. 43.*

guit ; materia vero minus praecipue, & quasi per accidens ; in his autem, quae non constant materia, & formam, distinctio fit per actum metaphysicum, aut per formas, quas respiciunt. P. Hurtado ter of. *P. Hurt.* fendens ad hunc lapidem, scribit tandem, hoc adagium de solis sub- *disput. 12.* *metaph.* lunaribus esse verum. P. Suarez vero largius accipit illud. 1. *scit. 3.* de actu metaphysico, quatenus utraque res per suam differentiam *P. Suarez* specifcam differt ab aliis speciebus. 2. De actu entitativo, quatenus quodlibet per suam existentiam (quae supponitur identificata cum essentia) distinguitur ab alio. 3. De actu formalis. Nam vel sermo est de composito ipso substantiali ? Et hoc ratione suae formae distinguitur ab aliis compositis. Vel de materia ipsa ? Et haec distinguitur ab aliis ratione formarum, ad quas dicit ordinem. Dico ergo. Omne possibile ex vi sui actus metaphysici distinguitur specificè, aut genericè ab aliis speciebus, seu generibus, non autem ab aliis individuis suae speciei. Probo primam partem. Omne possibile distinguitur ab aliis specificè, aut genericè ex vi illius, quod in sua essentia metaphysica claudit, & repugnat aliis ; sed actus metaphysicus, seu differentia specifica clauditur intra essentiam metaphysicam cuiusvis possibilis (quodvis namque possibile est definibile, subindeque genere, & differentia possibilibus constat : quod addiderim propter quosdam juniores, qui terminis abutentes, negant actum metaphysicum materiam primam, quasi haec incapax foret, quae definitur, vel definitio Scholastica posset proferri absque genere, & differentia.) Deinde actus metaphysicus cujuscumque possibilis repugnat aliis distinctis specificè, vel genericè ; quoniam si illis aliis convenire posset, jam non foret actus, seu differentia, sed praedicatum quoddam genericum ; ergo. Probo secundam partem. Nihil differt formaliter ab alio ex vi illius praedictati, quod convenit ambobus ; sed actus metaphysicus convenit omnibus individuis illius speciei, cuius

P p

est

est actus, ut patet in Rationali convenienti omnibus Hominibus, & Hinnibili convenienti omnibus equis &c. ergo nullum possibile differt formaliter ab alio ejusdem speciei ratione actus metaphysici. Sin verò per actum metaphysicum, differentiam intellexeris individualem, quæ est ratione nostrâ complementum essentia metaphysicæ, hujusque ultimum determinativum ad hoc individuum; non gravatè feram.

191. Dico 2. Existentia, seu, quod idem est, Actus entitativus distinguit in sensu reali unamquamque rem numericè, specificè, aut genericè ab illis omnibus, à quibus illa numericè, specificè, aut genericè distinguitur. Probatur. Omne, quod ab alio distinguitur numericè, specificè, aut genericè per solam suam essentiam, immediatè, ac primariò distinguitur ab illo; distingui namque unam rem ab alia non est instar vestis, quam jam exuit, jam induit; sed prædicatum intimum prolsus, atque essentiale rei, quæ sic distinguitur; alioquin res per se ab intrinseco, & secundùm solam suam essentiam inspecta indifferens esset, ut distingueretur, aut non distingueretur ab eis, à quibus semel distinguitur, & consequenter indifferens, ut gauderet hac essentiâ, vel illâ, sicut hac veste, vel illa. Atqui existentia cuiusque rei est sua essentia, ut postea suadebimus: ergo insensu reali, ex vi quoque suæ existentiae, vel sui actus entitativi distinguitur ab illis, à quibus distinguitur. Dico 3. quando res, de qua fuerit sermo, sit compacta ex materia, & forma substantialibus, tametsi sola forma sit, quæ in sensu formalis discriminat illam, specificit ab aliis; (non verò individualiter, cùm alia quoque individua suæ speciei simili formâ fungantur) attamen in sensu reali tam differt illud compositum ab aliis per materiam, quām per formam, proindeque licet in sensu formalis solus actus informativus sit, qui distinguit; in sensu autem reali, & actus, & materia. Probo primam partem. Solam formam distinguere in sensu formalis unum compositum ab alio distinctæ speciei, consistit in eo, quod sola forma; non autem materia sit medium idoneum, monstrando unum compositum distingui ab alio: sed hoc ita contingit; siquidem probaturi hominem v. g. distingui ab equo, stultè recurremus ad materiam primam (cùm equus etiam sit particeps hujus,) & solam formam rationalem appellamus, quæ convenit homini, & repugnat equo: ergo in sensu formalis sola forma est, quæ distinguit, proindeque solus actus informativus. Id intelligito, quando terminus distinctionis particeps fuerit materia; quod si illius expers fuerit, comodè

modè possumus uti illa ad suadendum distinctionem , quapropter in hoc casu etiam materia distinguit formaliter . Sic quamquàm ex materia prima elicias perperàm distinctionem hominis ab equo ; benè tamen distinctionem hominis ab Angelo . Quoniam ex eo , quodd homo suâpte essentiâ materiam importet , & Angelus suâpte quoque essentiâ materiam repellat , efficaciter argues hominem distinctum esse ab Angelo .

192. Probo secundam partem . Omne , quod ut tale distinguitur ab alio , per se ut tale distinguitur ab illo , ut nuper philosophabamur ; at quod distinguitur ab equo non est sola forma hominis , sed totus ipse homo : ergo in sensu reali non per solam formam ; sed per se totum distinguitur homo ab equo : ergo in sensu reali tam distinguitur per materiam , quam per formam ; quia verò plerùmque auscultamus sensum formalem , & qui idoneus sit argumentationibus ; idcirco frequentior vox est , solam formam discernere unum compositum ab alio , & in hoc sensu accipiendi sunt Authores , qui Philosophi vestigia secuti , docuerunt , solam formam esse quidditatem , & essentiam compositi , non quia materia extranea sit essentiae compositi , ut talis ( vasta quippe , & stupida esset ejusmodi intelligentia , cùm homo v.g. intrinsecè , & ex vi suæ essentiae sit quoddam ens corporeum ex corpore coalitum , & animâ , ) sed quia sola forma , & ea , quæ derivantur ex forma , copiosam subministrant segetem argumentacionum ad probandum distinctionem compositi , reliquasque ipsius proprietates . Hinc repellendus est P. Hurtado coarctans primum Proloquium ad res sublunares ; cùm enim intelligentiae quoque suos habeant actus metaphysicos , & entitativos , inde est , quodd actus etiam dividat , & separat inter intelligentias .

### §. I I.

193. Secundum est . *Pura potentia nullum habet actu* . Ecce Adagium , quod Aliqui invexerunt in Scholas , tamquam primum , & ultimum resolutivum totius Metaphysicæ . Fundamentum , quodd habere potest à Philosopho , sunt hæc verba . *Intus existens , probibet extraneum , quasi ad hoc , ut potentia aliquem actu recipiat sibi extraneum , & à se distinctum , opus sit , illam esse puram , atque deundatam omni actu , admodum , quo pupilla oculi omni caret colore , ut colores percipiat . Dico hoc Adagium esse falsum .*

1. Si procedat de actu metaphysico . 2. Si de actu entitativo . 3. Si

P p 2

scilicet 5.8.9.  
3. de Ani-  
ma test. 4.

de actu informativo , & carentia unionis ad illum . Quamobrem solummodo est verum , quatenus pura potentia , neque identificatur , neque metaphysicè , aut physicè connectitur determinatè cum hoc potius actu informativo , quam cum illo . Probo primam partem . Materia prima est pura potentia ; & tamen habet actum metaphysicum , ut paulò ante dicebamus : Siquidem is actus nihil aliud est , quam ea differentia , seu illud prædicatum , per quod materia definitur , & specificè differt à forma v. g. Quod prædicatum , nisi terminis abuti velimus , admitti oportet , semel admisso , quodd detur in rebus materia prima , scholasticèque definiatur : ergo . His immorari pudet . Probo secundam partem : eadem materia prima propriam habet existentiam ; sed hæc vocatur actus entitativus : ergo materia prima habet actum entitativum : ergo falsum est , puram potentiam nullum habere actum entitativum . Probo majorem . Materia existit in rebus ( ut suppono contra Paradoxon illorum , qui vel aperte negant hujusmodi entitatem , vel materialiter valdè , & juxta solam corticem verborum apprehendentes rem scholasticam proximi sunt illis ) sed non existit per existentiam formæ : ergo per propriam .

194. Probo minorem . Nihil physicè existens in rebus pro priori ad formam , existit per existentiam formæ ; nam pro priori ad hanc datur existentia illius , quod existit pro priori ad formam ; pro priori autem ad hanc nequit dari sua existentia ; atqui materia prima verè , ac simpliciter existit in rebus pro priori proximo ad formam . Probatur . Omne , quod pro priori proximo ad formam ( quemcumque illa fuerit ) physicè recipit , substentat , & patitur aliquod physicum , pro priori proximo ad formam physicè existit in rebus . Egredì admodum percipitur , rem physicè recipere in se ipsa aliquod physicum in eo signo , tempore , loco , aut circumstantiis , ubi ipsa non existit physicè ; alias vas purè possibile , posset dum purè possibile est , physicè recipere aliquid , putam aquam ; atqui materia prima pro priori proximo ad formam quemcumque , tametsi non esset extra causam , quæ dicitur formalis physicè , recipit in se ipsa aliquid physicum , proximas videlicet dispositiones ad eam formam : ergo pro priori proximo ad formam physicè existit , tametsi pro illo priori non esset extra causam , quæ dicitur formalis . Respondebis 1. Illam existere per existentiam aliis formæ præexistentis . Sed contra 1. Quid dicemus , quando nulla præexistit forma in materia , eo quod in primo instanti suæ creationis disponitur ad formam , & suscipit ipsam ? 2. Omne existens in signo proxime priori ad formam est naturaliter conjungibile cum forma : nam

nam causa physica, & physica prærequisita coexistere possunt cum effectu ; sed per te existentia formæ prioris existit in signo proximo ad formam denuò advenientem, cum existat in eo signo, in quo per ipsam formaliter existit materia: ergo existentia formæ prioris est naturaliter conjungibilis cum existentia formæ posterioris. Quod asperum videtur . Respondebis 2. Qui fieri potest, ut ex duobus entibus in actu resultet unum per se ? Quod adagium assunt primo . Respondeo . Ex duobus entibus in actu utroque informativo , id est ex duabus formis substantialibus , quarum una sit integrum compositum, & altera sit forma constitutiva entis naturalis (quod addiderim propter subsistentiam) nequit resultare unum per se, potest tamen ex his duobus entibus in actu entitativo, quorum unum sit suâpte naturâ ordinatum ad alterum, & hoc alterum sit forma substantialis? Tam longè abest, ut id absurdum sit: quin potius sit necessarium .

195. Respondebis 3. Si purus actus nullam habet potentialitatem, qualiter potentialitas pura donanda est aliquo actu ? Multum probat quæstio , nam retorquo illam . Si purus actus nullam habet potentialitatem , adhuc per unionem , aut receptionem ; quare pura potentialitas dicenda est habere aliquem actum saltem per unionem , aut receptionem? Debiles ambæ quæstiones dissolvuntur facile . Non repugnat existere in rebus entitatem, adeo excelsam, & sublimem, ut omnis omnino immunis sit imperfectionis: & hic est purus actus sine ulla potentialitate . Repugnat tamen existere in rebus entitatem usque adeo subjectam, & imperfectam, ut existentiæ etiam careat . Et hæc est pura potentialitas absque omni actu entitativo . Respondebis 4. juxta nostram rationem , materia prima existit etiam pro priori ad Animam rationalem; siquidem pro priori ad hanc recipit dispositiones , quas hæc prærequit : ergo est causa mediata saltem illius . Concedo totum, ex quo minimè infertur, materiam primam recipere , aut substantiare formam ipsam rationalem , sed dispositiones ad ipsam . Parco aliis levioribus .

196. Tertium est. *Ex níbilo níbil fit.* Tribuitur Aristoteli, necnon Platonii , ut constat ex priscis illis Theologis , quos citat P. Suarez. Aliqui tamen magno conatu excusant Philosophum , asseverantes quasi ex certa Scientia , eum in quodum opusculo non satis noto retractasse hanc propositionem. Idem P. Suarez aliter docet, Aristotelem problematicè fuisse locutum . Proprius vero videtur mihi , Philosopherum hoc axioma non protulisse ; solum namque scribit loquens de quadam opinione Anaxagoræ. Quod Physicorum communem positionem, text. 33.

P. Suarez  
1. de Anim.

cap. 1. n. 2.

C. disp. 20.

Met. scilicet 1.

n. 23.

Aristoteles

1. Physic.

**P. Bechen** ex eo, quod non est, nihil fieri, vanam esse existimaret. P. Bechen distinguuit inter Creaturas, & Deum, concedit propositionem de illis; negat de hoc. Suffragor ego. Nam ex nihilo nil fieri à Deo, consideret in eo, quod Deus non crearet rem ullam, ut constat; at Deus multa creat, ut docetur ab Ecclesia clamante, atque dicente: *Deus ab initio temporis utramque ex nihilo condidit Creaturam*: ergo falsa est illa propositione negativa, si comprehendat Deum ipsum; si vero de solis procedeat creaturis; vera est, stando Authoritati Patrum; falsa vero, attendendo solis rationibus naturalibus huc usque productis, quia licet attendat PP. auctoritate repugnet Creaturæ vis creatrix, ut fancivimus supra cap. 9. non tamen repugnat, attentis solis rationibus scholasticis, quas haec tenus Magistri excogitarunt, ut ostendimus, eas omnes, dissolventes capitibus sequentibus.

197. Quartum est: *Ab indifferenti, ut indifferenti non potest oriiri determinatio*. Tota est schola Dominicana in principio hoc stabiliendo, ut Prædeterminatio firma, & inconcussa consistat. Tota est è regione schola Jesuitica, cui suppetias fert bona pars Scholæ Subtilis in hoc axiomate subvertendo, seu potius explicando juxta Sacros Canones SS. PP. & præcipue juxta regulam Sacrosancti Concilii Tridentini. quod Spiritus S. seculo coegerit præterito adversus nefarios illos homines boreales, qui ex Septemptrionis antris, & angulis erumpentes, humanam libertatem adorti sunt, ut eò liberius in vicia ruerent, quod longius à libertate distabant.

198. Igitur P. Suarez rem totam jugi Studio, ac contemplatione perscrutatus Augustini, Prosperi, atque Anselmi Sententiis perpensis cum tridentinisque canonibus collatis, ultimam Jesuiticæ doctrinæ imposuit manum, & germanam tradidit istius Proloquii explicacionem. Summa est. Aliud est indifferens indifferentiæ arbitrii, libertatis, atque electionis requisitatæ ad merendum, ac demerendum: aliud longè diversum indifferens indifferentiæ incompletionis, seu inconnectionis, seu aliâ quacumque, ut voles. Ab hoc secundo non potest oriiri determinatio, quia neque ratione appetitus innati, quem supponimus non detorquere ad unum potius, quam ad aliud; neque ratione appetitus elicit liberi, quo etiam supponimus carere. Ab illo primo indifferenti potest, ac debet oriiri determinatio: tum quia ex terminis suis id non repugnat, cum Deus plenissime indifferens ad suas operationes liberas à se solo determinetur in unum extremum præ alio. Fugere autem ad independentiam divinam, & subordinationem Creaturæ, est confugere ad duas verissimas res; sed Prædeterminationem

nem firmando impares. Quoniam, vel ex solis terminis, & genere suo, atque universaliter loquendo, repugnat, quod ab indifferenti indifferenti libertatis nascatur determinatio, sicut universaliter repugnat *rem simul esse, & non esse*: vel non repugnat? Si primum: ergo neque Deus potest se ipsum liberè determinare, sed querendus erit nobis Præmotor aliis, qui Deum prædeterminet. Si secundum: ergo ex hoc solo capite indifferentia, nisi aliis soveatur; nullum desumitur argumentum ad ostendendum, creaturam indiguam esse Prædeterminatione. Tum quia nec laudi, nec virtutis tibi verti potest illud, quod feceris determinatus per alium determinatione ineluctabili. Si enim illud fuit reprehensione dignum legitimam hac te proteges excusatione. *Subactus fuis determinatione illa, à qua me expedire neutiquam valui.* Quod si bonum fuerit opus illud; quivis alias tibi exprobabit. *Quidam Thyrsum, quod hoc feceris, cùm non peperderit ex tua voluntate omittere tom. I. disp. 36. scilicet 11. num. 91.*

*boc opus conjunctim cum ea determinatione, & eam excusare à te nequivis.* Tum demum ob illas omnes rationes, quibus refutari solet physica Prædeterminatione: lege si vacat P. Thyrsum hac super re disputantem. Neque refert, indifferentiam libertatis non habere in se ipsa determinationem, vel quod eam à suis prædicatis repellat. Quoniam id solum probat, non esse causam univocam physicè; sed æquivocam, quæ non quidem formaliter; sed eminenter continere debet effectum. Denique cùm de ratione principii scholastici, sit, esse evidens, & innegabile, atque indubitate prudenter, sensus evidens istius axiomatis, si nomine Principii dignum est, hic esto. *Indifferens, ut indifferens ad duo v.g. per se præcisè non connectitur cum uno potius, quam cum altero: & consequenter non fundat per se præcisè judicium unius potius, quam alterius: & sic comprehendit etiam indifferentiam libertatis.*

### §. III.

199. **Q**uintum est: *Intelligens in actu est intellectum in actu. Mirum est, in ullius mentem rationalis, tam crassam cecidisse hebitudinem, ut credere potuerit, Adagium hoc in toto rigore capiendum esse, itaut nobilissima hominis portio, quæ est intellectus re ipsa sine ulla metaphora, atque allegoria sit lapis, dum intelligit lapidem: sit Asinus, quando Asinum cognoscit!* Sed cecidit re vera. Scriptit Philosophus: *Animam esse quodammodo omnia intelligibilia: & rursus, intellectus, & res intellecta idem sunt,* *ma ten. 20 & quidam citè credens, verborum tinnitu deceptus, illicè sibi persuasit* *& 37.*

fit generosæ illi Aristotelis menti tam inconditam subrepere potuisse barbariem , ut inanem hunc doceret barbarismum ! Explicat dicitur,  
*Godoy to.* ut solet , hunc aphorismum Illustrissimus P. Godoy . Eminentissimus  
*s. in s.p.a.* noster Toledo , citatus per Monfortium , explicat illum de identitate  
*pag. 546.* accidentalí inter intelligentem , & rem intellectam , quantum ad  
*Monfort.* operationem videlicet ; sed explicatiū non nihil addit ipse Monfor-  
*pag. 344-* tius : intellectum , & rem intellectam non esse idem realiter *in gene-*  
*re entis* , sive *in ratione essendi* ; sed *in genere intelligibili* , *ratione*  
*nimirum specierum intelligibilium* , quæ vice fungantur objecti .  
*Huic Authori subscrivo* , & dico : hunc aphorismum non esse intel-  
*ligendum ad litteram* , crassè , ac materialiter , quasi intellectus iden-  
*titates variet cum objectis* , non secus , ac cognitiones mutat , ita ut  
*modd verè* , ac citra omnem improprietatem sit bellua , quia modd  
*belluam cognoscit* , & postea fidus agnoscens , desinat esse verè , ac  
*propriè bellua* , ac de repente identitatem strictam , atque propriam  
*inducat cum fidere* . Absit tam inulta barbaries à scholis . Acci-  
*piendus ergo est* , quatenus intellectus habet in se imaginem inten-  
*tionalem verè* , ac propriè exprimentem , atque representantem ob-  
*jectum cognitum* , quia habet cognitionem illius , quæ est vitalis que-  
*dam imago objecti* .

*S. Dyonis.* 200. Sextum est : *Bonum est diffusivum sui* . Magnum habet fun-  
*cap. 4. de* damentum apud S. Dyonisium hæc scribentem : *Ipsum ergo bonum*  
*div. Nom.* *P Arria.* lumine quovis excelsius lucem intelligibile nuncupatur , tamquam fontana  
*in 3. p.a.* lux , & exuberans profusio luminis , intellectum omnem super-munda-  
*di p. 21.* num , circum-mundanum , inter-mundanum suā illuminans plenitudine .  
*seti 2.* Sic juxta versionem , qua utor , Marsili Ficini . Latè tractat hoc  
*P. Præp.* ibid qu 5. principium P. Arriaga , necnon P. Præpositus . S. Magister explicat  
*art. 1.* illud , quatenus Bonum dicitur diffusivum sui esse , eo modd , quo finis  
*S. Thom. I.* dicitur movere . P. Bechanus admovens illud Deo , triplicem dat sen-  
*p. q. 5. ar.* sum . 1. In genere causæ efficientis , quia Deus effectivè producit  
*4. ad 2.* P. Bechā. omnem bonitatem creatam . 2. In genere causæ exemplaris , quia  
*6. 4. sum.* Deus est quædam idea , seu exemplar totius bonitatis creatæ . 3. In  
genere causæ finalis , quia , cùm sit summum bonum , allicit nos ad  
sui amorem , atque desiderium . Dico igitur , præter hos tres modos  
à Bechano recensitos , Bonum est diffusivum sui ipsius , quatenus intra  
seipsum habet inclinationem , seu rationem allientem ad se com-  
municandum . Probatur . Bonitas est ratio alliens , seu inclinans  
bonum rationale , ut aliis beneficiat ; inclinat enim ad id , quod est  
bonum .

bonum per se absolutè, & aliis benefacere, bonum est per se absolutè, & non tantùm cōditionatè, sicut etiam est bonum punire peccatum; atqui bonum rationale intra se habet bonitatem, cùm nemo sit bonus formaliter, & immediatè per illud, quod est extra se: ergo bonum rationale intra se habet inclinationem ad beneficiendum aliis; sed aliis benefacere est se diffundere, seque communicare (hæc namque phrases non ita vastè intelligendæ sunt, ut bonum exuat se aliqua parte suæ bonitatis, & largiatur aliis illam ipsam bonitatem formalem, quam præcontinebat) ergo bonum rationale habet intra se inclinationem ad se communicandum. Unde meritò commendabat se Salomon ex hoc titulo; *Quam sine fictione didici, & sine invidia comunico.*

Sapien. 7.

201. Hinc cave, ne inferas premi Deum infinita inclinationes in actu secundo, ut se communicet ad extra; quoniam vel haberet parem inclinationem, ad partem contrariam, vel non? Si primum; duo sequerentur, unum est premi Deum inclinationibus ipsi persuam naturam insitis oppositis, ex perireturque in centro ipso pacis, & tranquillitatis, luctas Medea secum ipsa, *Video meliora proboque. Deteriora sequor.* quasque miseri experimur homunciones. Secundum est, illum &quæ fore communicativum, quām negativum sui ipsius; siquidem parem haberet inclinationem ad se communicandum, ac ad se negandum. Si propterea dixeris secundum; sequitur deturbandum esse Deum à culmine perfectissimæ libertatis, quia hæc non datur, ubi non datur perfectissima indifferentia; sed ubi non datur perfectissimum actualium inclinationum æquilibrium, non datur perfectissima indifferentia, cùm magis vergat animus in unam bilancem, quām in alteram: ergo ubi non datur perfectissimum inclinationum æquilibrium, non datur perfectissima libertas indifferentia. Sed ubi datur inæqualitas inclinationum, seu ponderum voluntatis, non datur perfectissimum inclinationum æquilibrium: ergo si daretur in Deo præfata inæqualitas inclinationum, exturbandus ille esset ab apice perfectissimæ libertatis.

202. Nec te moveat, Deum objici nobis son rard in Sacro Codice cum affectuum inæqualitate. Evolve Interpretres, & nominati Venerabilem nostrum Sancium, & disces Deum hominibus loquentem, atque, ut ab hominibus utcumque intelligetur, Sermocinantem, humanos affectus induere, humanisque phrasibus. uti: Quapropter, dum Deus dicitur habere inclinationem infinitam ad se communicandum, id intelligendum est primo de communica-

Sanc. in c.  
1. Isai. v. 5.  
2. in cap.  
3. &c seq. n.  
33. &c in  
13. Isiae  
2. Esdra  
cap. J. n. 7.

Q q

*Et in s. picatione ad intra , secundò de inclinatione non quidem in actu secundo urgente , propellente , atque premente ; sed in actu primo , tamen nemp̄e quatenus in sua infinita bonitate habet rationem sufficien- quinquag. tem , qua , si velleret , adduci posset ad se communicandum infinitè singularis creaturis juxta earumdem capacitatem , itaut , si rationem ro- 1. can. 33. S. Hieron. garetur ejusmodi communicationis , hanc posset reddere . Quia bona in 28. Hic- sum . Locutus fui nominatim de bono rationali : quippe in bono ra- remia .*

*tione capto nullam specialem detego inclinationem ad se communi- candum potius , quam in malo ; ambo enim , aut solo instinctu , aut sola ingenita inclinatione operantur : ergo operantur , seu se com- municant in quantum possunt , & circumstanties permittunt : ergo sequè bonum , atque malum rationis expertis , se diffundunt , aut communicant .*

## §. I V.

*Aristot. 8. 203. Phys. sex. S. Thom. 1. 34. C. 40. P. Molin. ibidem. P. Vafq. 1. p. q. 2. ar. 3. cap. 4. P. Lessius lib. de au- xil. pag. 210. P. Mazio. ta quist. 1. P. Fassol. 1. p. q. 2. ar. 3. n. 32.*

*S*eptimum est . Omne , quod moveatur , ab alio moveatur . Et basim alias prædeterminationis ; Est Aristotelis expressa propositionis . Probatur namque causæ primæ existentiam assumit illam . Necesse est , inquit , omne , quod moveatur ab alio moveri . Et rursum . Impossibile est ipsum movens , penitus movere se ipsum . Consonat B. Thomas , qui assumptum idem ratione probat eadem , articuli corpus claudens his verbis . Impossibile est ergo , quodd secundum idem , & eodem modo aliquid sit movens , & motum , vel quodd moveat se ipsum : omne enim , quod moveatur , oportet ab alio moveri . Acriter tueruntur hoc axioma PP. Maziotta , & Fasolus DD. verò Molina , Vasquez , & Lessius simplicius , & verius exposuerunt maximam hanc utrinque Magistri . Nimirum quatenus omne , quod producitur , necesse est , quodd ab alio producatur , cum impossibile sit , rem ullam producere se ipsum ; & hinc ambo filii argumentantur Magistri , concedendum esse unum primum mobile , seu unam causam primam , à qua cetera omnia originem trahunt , seu moveantur : hic namque terminus accipitur in hac materia pro eductione , seu productione , ut conceptis verbis advertit ibidem Magister S. Movere enim , scribit , nihil aliud est , quam educere aliquid de potentia in actum . Hinc verò quodnam venamus commodum Prædeterminationis ? Num quemadmodum impossibile prorsus est , quodd res aliqua producat primò se ipsum , cum necessariò intercedere debeat distinctio realis ( etiam in divinis ) intet producentem , & productum : ita impossibile est universaliter , quodd

quodd res aliqua se ipsam liberè determinet ( hoc est immediate concipiatur amorem cum potestate ad oppositum , & sine superna , inevitabili sibi , ac irresistibili determinatione , ) eò quodd necessariò intercedere debeat semper distinctio inter determinantem , & determinatum?

204. Absit : alias querendus nobis esset aliquis , qui Deum determinaret ad sua libera exercitia : sicut adest alius distinctus à Filio , qui hunc physicè producat . Immerito igitur tam severè corripit Massotta præclarum Arriaga , quodd hoc principium non sequatur ad litteram . Meminisse debuerat in propositionibus etiam sacratoriis litteram non raro occidere ; Spiritum autem vivificare . Quidnī contingit idem propositioni merè naturali , & cujus primus Author natus fuit non Spiritus Sanctus , ut talis , sed Spiritus Aristotelicus ? Igitur praesata propositio aristotelica dumtaxat est vera , quatenus omne , quod producitur absque ulla limitatione , debet produci ab alio distincto , sive in sola persona , sive in persona simul , & naturā ; altè namque omnium insedit animis mortaliū , esse de conceptu Principii Physici distingui realiter à termino , quem primū producit ( quod propter P. Suarez addo docentem , causam posse per secundam actionem se ipsam producere , & hac doctrinā explicantem , dari in conversione Eucharistica , actionem novam terminatam ad substantiam Corporis Christi Domini ) sic traditur à S. Thoma . Ad tertium S.Thom. i. dicendum , quodd potentia significat principium , principium autem distinctionem importat ab eo , cuius est principium . Ubi multa , & bona ag. 4. ad 3. Cajet. ibidem .

205. Est autem falsa eadem propositio . si significet , omnem operantem movendum esse ab alio ad suam operationem , prædeterminandumque ; quia alioquin structura tota libertatis , quam nobis Deus misericorditer largitur , rueret , ut valide illæ suadent rationes , quas nostra Schola profert . Neque alterutes ex his duobus Magistris illam prouinciarunt in hoc sensu ; sed in illo primo . Tum quia oppositionum non constat , & de eo est quæstio ; sedum autem vitium est , id supponere , de quo est prudens dubium : tñm quia hæc propositio in illo sensu priore est universaliter vera sine ulla hactenus excogita- ta limitatione adhuc in Divinis ; in hoc autem posteriore claudicat , siquidem aliquis , nempe Deus , operatur , quin ab alio prædeterminetur : ergo in illo sensu priore idonea est magis argumentationi Thomæ , & Aristotelis , quam in hoc secundo posteriore . Tum quia in illo sensu priore sufficit ad conclusionem demonstrandam , quam hñ duo Magistri sibi proposuerunt , ut per se liquet : ergo nihil cogit ,

ut dicamus, illos locutos fuisse in hoc sensu posteriore; ut quid ergo hæc jacitur propositio instar lapidis angularis?

206. Octavum est. *Infimum supremi est supremum infimi*. Non significat identitatem inter utrumque; sed nihil inferius, quantumcumque crescat in perfectione sui ordinis, posse accedere ad perfectio-

*P. Penafiel.* nem ordinis superioris, ut explicat P. Penafiel: sic quantumcum*visione disp.* que ingeminentur peccata venialia, numquam pertingent gravitate*num. 62.* tem lethalis: sic quantumcumque multiplicentur obsequia puræ creature, afflagent numquam ad condignam satisfactionem pro noxa gravi. Sed temperanda est hujusmodi expositio. Velenim significat res ordinis inferioris numquam posse afflgere ad ordinem superiorem formaliter; vel numquam posse afflgere æquivalenter? Si pri-*num.* ; cum similiter res ordinis superioris numquam possint esse formaliter ordinis inferioris, quia numquam possunt sua essentia spoliari, eadem veritate dicemus. *Supremum Supremi esse infimum infimi*, qua dicimus, *infimum Supremi esse Supremum infimi*. Si secundum; est falsum: quoniam argentei sunt in ordine inferiori ad aurum; & tamen argentei usque adeo possunt congeri, ut aurum sequent, imo, & æquivalentes superent: cuius ratio est, quam sèpe dedimus, scilicet, rem uno attributo inferiorem respectu altus rei, ac ccretione aliarum posse illam aliam rem superare. Quapropter hoc Axioma solidum est verum, ut in plurimum, ac ceteris paribus.

*P. Suarez.* 207. Nonum est. *Species sunt sicut numeri, in quibus non repertiriuntur duo æquales*. Testatur P. Suarez, Philosophum ansam premet. *dispar. 29.* buisse huic proloquo. Verumtamen PP. Oviedo, & Ripalda consell. *n. 16* stanter asseverant, duas species adæquatè distinctas posse esse per-*Arist. 10.* Etione pares. Censeo, hoc proloquium esse verum, quatenus inter *met. ten. 5.* species distinctas inæqualitatem similitudinis, idest dissimilitudinem *P. Ovied.* concedere oportet; si enim duo non fuerint inter se notabiliter dis-*controv. 1.* distin-*de Anim.* milia, erunt similia in tota sua essentia metaphysica: ergo ejusdem puncti. 8. erunt speciei: ergo si non fuerint speciei ejusdem, necesse est, quod num. 36. aliquo prædicato essentiali different; ergo & quod in illo dissimilia *P. Ripalda.* *dispar. 37.* sint. Cæterum, cum dissimilitudo non sit inimica inæqualitati perfe-*de ente su-* ctionis, ut contingit in Divinis, ubi personæ sunt dissimiles, & super*pern. scit. 5* mulæquales; idcirco in sententiam eo horum Authorum, cujus-*tiones ab illis querere potes.*

208. Ultimum proloquium erat. *Individualio sumitur à materia*. Sed quia de hoc agunt Nostrates frequenter cum Scotistis, & in *Philosophia*, & in tractatu de Angelis; ideo breviter dico, Individualio

tio intrinseca materialium ab ipsa materia sumitur formaliter , atque immediatè , quia , ut infra dicam , unaquæque res per se ipsam formaliter , atque immediatè distinguitur ab eis , à quibus distinguitur . Individuatio verò animarum v. g. non sumitur intrinsecè , constitutivè à materia ; imò neque ab illa tamquam à termino extrinseco . Sola igitur individuatio materialis , sensibilis , & quoad nos dependet à materia . Probo primam partem : tunc quia , si intrinseca , atque entitativa distinctio individualis duarum Animarum constitueretur intrinsecè per materiam ; deficiente hac , vel unione cum hac , duæ Animæ non distinguerentur individualiter : ergo si Deus annichilaret materias Petri , & Pauli , ut potest , & simul eorumdem conservaret Animas , ut etiam potest ; hæ duæ Animæ non distinguerentur individualiter . Quid ergo tunc eveniret , identificantur ne de repente ; aut distinguerentur specificè ? Absit barbarismus . Tum à priori , quia hæc Anima per solam suam essentiam distinguitur ab illa : ergo hæc distinctio inadæquata non constituitur per quipiam extraneum , qualis est materia . Probo antecedens . Hæc individua anima secundum solam suam essentiam physicam , & realem inspecta , vel identificatur cum illa altera , vel distinguitur , vel ab utroque repugnat , vel ad utrumque est realiter indifferens ? Si primum : ergo chymæra est quod per aliquid sibi extraneum distinguitur ab illa altera : quemadmodum chymæra est , hominem per aliquid sibi accessorium distingui realiter ab animali , eo quia per solam suam essentiam cum illo identificatur . Si secundum : ergo sua essentia est sua individuatio : ergo non materia prima . Si tertium : ergo per nihil aliud superveniens potest distingui ab illa altera anima ; siquidem per solam suam repugnat tam à distinctione , quam ab identitate . Si quartum : ergo hoc , quod est , res identificari realiter , vel realiter distingui , videtur tibi esse accidens aliquod , ad quod res secundum suam intimam essentiam , est omnino indifferens , ita ut jam identitatem , jam distinctionem subeat , non secus , ac jam est calida , jam est frigida .

209. Probo secundam partem . Individuationem sumi à materia , tamquam à termino extrinseco , staret in eo , quod ideo formaliter , ac immediatè una anima v. g. distingueretur ab alia , quia illa ex sua essentia respiceret materiam A. v. g. determinatè , & hæc materiam B. determinatè ; sed hoc est falsum . Probatur . Si hoc esset verum , illa anima non posset respicere materiam B , seu non posset ipsam informare ; sed potest . Tum quia per se ab intrinseco non petit magis unam materiam , quam aliam . Tum quia illa anima informare po.

potest materiam ; quæ informari potest per illam ; atqui materia B. ut potè indifferens ad omnes animas , potest informari per illam : ergo illa potest hanc informare . Probo tertiam partem , in qua sola confitit verus sensus illius Axiomatis . Ut nos sensu percipiamus unum individuum distingui ab alio , itaut hujus distinctionis maneamus certi ( non tantum speculativè , sed practicè etiam ) opus est , quod in uno experiamur sensibiles aliquas notas , sensibiliaque accidentia , quæ non deprehendimus in altero ; alioquin unum confundemus cum altero , ut suadet ovorum experientia , atque ponorum , quæ prorsus æqualia sint , ac similia ; atqui , ut dentur hujusmodi accidentia sensibilia , requiritur materia : ergo , ut nos percipiamus , practi- cè que noverimus , unum individuum distingui ab altero , opus est materia prima : ergo distinctio individuorum sen- sibilis , & quoad nos dependet à materia . Cæ- tera dabo disput . 4. logice cap . de quantitate .

*Finis Disputationis Quartæ .*

399

# DISPUTATIO QUINTA.

## DE RERUM CONNEXIONIBUS, ATQUE OPPOSITIONIBUS.

Hactenus de Scholarum Aphorismis, Proverbiis, Axiomatibus, & Adagiis. Rem abstrusam magis, & magis firmam aggredimur modo: nimirum, principia circa connexiones omnes, atque oppositiones. Etenim simul ac Distinctio virtualis, aut formalis ex natura rei in res creatas invecta est, tota Aristotelis ars syllogistica, vel collapsa est, vel nutare cepit; sensu tamen, quem explicamus disp. 1. Logicæ cap. 2. A quibusvis enim syllogismis quantumvis ad normam Aristotelicam perfectè fabricatis, ingentimentis securitate sese expedire solent Aliqui, ad notum con fugientes asylum distinctionis virtualis, aut formalis. Quamobrem validissima, quæ supersunt, argumenta, donec aliis quispiam hæc etiam subvertat, è rerum connexionibus, & oppositionibus depromenda sunt. Et hac de causa perstrictis in Dialectica formis, ac modis Aristotelicis, diutius moratus fui in aliis fontibus argumentationum notandis, & aperiendis, puta consequentias, definitiones, divisiones, conversiones &c. Accedit, plenam, atque exactam gravissimarum quæstionum Theologicarum enodationem ex solerti harum proprietatum entis introspectio ne pendere. Igitur sexdecim capitibus distinctam Disputationem dabimus, in quibus præcipuas, non tamen omnes omnino, proprietates, & connexionum, & oppositionum, aperiemus.

Caput I. *Termini explicantur.* Num. 1.

Caput II. *Objectiones.* Num. 19.

Caput III. *Duo consiliaria de connexione morali.* Nu mer. 25.

Caput

- Caput IV.** *De connexione, & oppositione conditionalibus.*  
Num. 47.
- Caput V.** *Ambē conferuntur cum Copulativa.* Num. 68.
- Caput VI.** *Ambē conferuntur cum Disjunctiva.* Num. 68.
- Caput VII.** *Resolvuntur ex dictis tredecim questiones.*  
Num. 107.
- Caput VIII.** *Conferuntur invicem cognitiones fundamenti,  
ac termini, cum connexionis, cum oppositionis.* Num. 128.
- Caput IX.** *Comparantur invicem connexiones, & oppositiones  
fundamenti, ac termini connexionis,  
& oppositionis.* Num. 143.
- Caput X.** *De libertatibus, tum ad fundamentum, tum  
ad terminum, & connexionis, & oppositionis.* Num. 166.
- Caput XI.** *Solutiones, atque soppismata.* Num. 182.
- Caput XII.** *Solvitur precedens soppisma.* Num. 202.
- Caput XIII.** *Cæcera buc spectantia.* Num. 222.
- Caput XIV.** *Explicato illo principio: Omne connexum,  
& inevitabile, multæ solvuntur difficultates  
Theologicae.* Num. 235.
- Caput XV.** *Conferuntur mutuò determinationes, volitiones,  
ac nolitiones fundamenti, & termini.*  
Num. 284.
- Caput XVI.** *Argumenta aliorum Doctorum.* Num. 304.



# CAPUT PRIMUM.

## *Termini explicantur.*

1. Res voces passim occurrent in hac disputatione. Prima est *Fundamentum*, qua res sive subjectum connectum, vel oppositum significatur. Secunda est *Terminus*, qua res illa, quæ cum altera connectitur, vel opponitur denotatur. Tertia est *Connexio*, quæ abstractè considerata, vinculum, seu ligamen unius cum alio, seu vim, quasi magneticam, qua unum trahit secum aliud, significat. Igitur connexio in genere bisariam sumi potest: tum in actu secundo (quando scilicet unum re ipsa obligatum est alteri: sic catenæ circuli dicuntur mutuæ connexi, eo quod reciprocè uniantur:) tum in actu primo, ut plerumque accipitur, & est. *Inseparabilitas unius ab alio*; seu determinatio ad non existendum sine illo.

2. *Prima divisio.* Connexio est quadruplex: alia moralis, alia physica, alia metaphysica, alia logica. Connexio moralis accipi valet, tunc Theologicè, tunc Philosophicè. Accipitur Theologicè pro eo vineculo, seu ligamine, quo conscientia ad rei præceptæ executionem obliget. Accepta philosophicè, est illa rerum peristasis, seu circumstantiarum concursus, in quo fundamentum etiam si absque contradictione, & miraculo possit à termino dividi; non tamen juxta virorum prudentium judicium. Id circa maternitas suevit dici connexio moralis cura dilectione filii; nam licet mater sine miraculo, & contradictione possit filium non amare, cùm semper aut fere semper, aut plerumque filios suos matres diligant, nemo prudens, nisi specialis ratio occurrat, crebet, matrem non diligere filium suum. Connexio Physica est Propenso, seu inclinatio rebus per naturam indita, qua bonum exigunt, & quæ sine violentia carere nequeunt: sic aqua connectitur cum frigiditate, materia prima cum forma, & quodvis accidens etiam supernaturale cum subjecto inhalationis. Id generis connexio convertitur cum appetitu innato. Connexio metaphysica est ea vis, seu determinatio, ut fundamentum existat cum suo termino, ut nec Divinæ Omnipotentiae viribus ab illo separari patiatur: sic singulæ, & binæ personæ Trinitatis cum singulis, & binis ejusdem Trinitatis personis connectuntur: sic unio cum extremis: sic penetratio physica duorum cum ambo bus. Connexio logica plerumque accipitur pro reali duorum P. Ribad.  
qu. 19. be  
impossibilit  
cap. 5.

R. r

idea.

identitate : aliquando usurpatur pro obligatione ex Logicæ præscriptis oriunda, qua mens constringitur, admisso fundamento, admittere quoque, vel saltem non reiicere terminum . In hac acceptione agit de illa P. Ribadeneira .

3. Secunda divisio. Quodvis ex his quatuor membris dividentibus potest subdividi . Nam connexionis moralis est triplex , ut bene notat

P. Izq. Alia infima, alia media, alia suprema. Datur gradus supremus  
disput. 19. connexionis moralis , quando fundamentum *semper* affert secum ter-  
Pbar. qu. minum, licet, rerum natura inspecta, possit absolute , & sine miraculo  
2. n. 25. orbari illo: sic quoniam Reges semper coluntur à suis fidelibus civi-  
bus, majestas est in supremo gradu connexionis moralis , urgenter ci-  
ves ad obsequium præstandum Regibus. Datur gradus medius, quan-  
do fundamentum non semper, sed ferè semper affert suum terminum:  
sic maternitas est connexionis moralis in gradu medio cum amore filio-  
rum, quia matres ferè semper amant filios suos. Datur gradus infimus,  
quando fundamentum neque semper, neque ferè semper, sed plerūm-  
que comitatur terminus . Sic preces filiorum sunt connexiones mora-  
liter in gradu infimo cum indulgentia matris , quoniam licet non  
semper, nec ferè semper, et plerūmque obtinent à matre, quod poscunt.  
Rursus connexionis physica alia est irresistibilis à tota natura (ut conne-  
xio ignis cum calore, si quidem nullum deprehendit agens natura-  
le adeo robustum , ut ignem valeat nativo calore spoliare) alia resisti-  
bilis , ut connexionis aquæ cum frigideitate, quam possunt illi adiungere  
agentia naturalia. Item: Connexionis logica convertibilis cum reali iden-  
titate omnibus illis subjacet divisionibus , quas identitatis conceptus  
admittit ; accepta vero pro obligatione , quam præcepta Dialectica  
imponunt , est etiam multiplex juxta multiplicitatē modorum ar-  
guendi infallibiliter .

4. Tertia divisio . Connexionis metaphysica (idem proportione ser-  
vata dicendum de ceteris) potest esse mediata , vel immediata . Erit im-  
mediata , si inter fundamentum , & terminum aliquid mediet terminans  
essentialē connexionem illius, & metaphysicē connexionem cum  
hoc: sic efficax divina volitio producendi Petrum connectitur media-  
tē cum hoc, quia per se immediate connectitur cum Petri productio-  
ne ; & hæc productio connectitur cum Petro, proindeque inter voli-  
tionem illam, & Petrum mediat productio terminans connexionem  
illius volitionis, & connexa cum Petro: ubi advertere oportet, si illud,  
quod inter fundamentum, & terminum mediat, aut non connectatur  
cum hoc termino , aut licet cum hoc connectatur , attamen non ter-  
mi-

minat illius fundamenti connexionem , neutquam reddit mediata<sup>m</sup> connexionem fundamenti cum termino : quemadmodum licet inter causam efficientem , & effectum semper mediet actio productiva ; nihilominus causa efficiens non semper causat mediata suum effectum , scilicet quia actio illa non est causa producens hunc terminum ; sed causalitas .

5. Porro hæc connexio metaphysica mediata potest esse in dupl. ci differentia: altera *pura* , ne mpe quando fundamentum connectitur cum illo intermedio , & hoc intermedium cum termino eadem specie connexionis : sic connexio , qua reperitur inter physicam productiōnem Petri , & scientiam , qua Deus videt Petrum existere , est connexio mediata pura ; nam ea productio metaphysicè connectitur cum Petro , & Petrus metaphysicè quoque connectitur cum ea scientia divina . Altera potest esse *mixta* , quando nimirum fundamentum connectitur cū intermedio una specie connexionis , & intermedium connectitur cum termino alia specie connexionis : sic connexio mediata , que datur inter decretum efficax productivum ignis , & calorem , est mixta : quoniam illud decretum metaphysicè connectitur cum igne ; hic verò non metaphysicè , sed physicè connectitur cum calore . Sic aqua physicè connectitur cum frigiditate , frigiditas autem non physicè , sed metaphysicè connectitur cum decreto efficaci sui ipsius . Quod si regulam quæsieris dimensurus connexionis gradum fundamenti cum termino , quando diversæ species connexionum intercedunt ? Respondeo , non majorem , sed minorem connexionem obligare fundamentum cum termino remoto : quo circa tametsi decretum efficax divinum elevandi Petrum ad dignitatem regiam , cum hac connectatur metaphysicè , quia tamen hæc moraliter solùm connectitur cum obsequio civium , idcirco illud decretum connectitur cum obsequio ille moraliter dumtaxat : & similiter in similibus .

6. *Quarta divisio* . Connexio potest esse tum mutua , tum non mutua . Non mutua datur , quando fundamentum connectitur , quidem cum termino ; non tamen terminus cum fundamento : sic unio duorum connectitur cum ambobus ; non tamen semper connectuntur ambo cum unione . Mutua datur , quando fundamentum connectitur eum termino , & is cum fundamento : sic Petrus connectitur cum sui visione divina , & hæc cum Petro . Hæc connexio mutua bifariam esse potest . In eodem , vel in diverso genere . In eodem , si terminus connectatur cum fundamento eadem specie connexionis , qua fundamento connectitur cum termino , ut in exemplo nuper allato constat;

& in igne co<sup>n</sup>n<sup>e</sup>x<sup>o</sup> physicè cum calore ut octo , qui etiā physicè connectitur cum igne . In diverso , ut si terminus connectatur quidem cum fundamento, verūm diversa specie connexionis: sic formæ sequinæeductio cum ea connectitur metaphysicè ; illa autem non metaphysicè, sed solūm physicè connectitur cum hac eductione ; nam siue illa contradictione potest existere absque illa, si nimirum creetur .

7. Quinta divisio. Connexio quadrifariam esse potest. 1. *subjectivæ, & terminativæ absoluta* nempe illa, quæ re ipsa exercetur in rebus , atque independenter ab hypothesi extranea secum assert terminum ; talis est connexionio unionis modò existentis cum meo corpore, & anima ; namque physicè à parte rei existit hæc connexionio, & per se solam assert secum meum corpus. 2. *Subjectivæ, & terminativæ conditionata*: scilicet, quæ non existit , sed existeret, si daretur quædam conditio , & non trahit, sed traheret terminum sub conditione sibi extrinseca : talis est connexionio inter decretum reprobatum Deiparae , & hujus absolutam damnationem: quoniam hæc connexionio non datur modò, sed datur sub hypothesi , quod Deipara indigna fuisset , ut donaretur beatitudine: rursus non trahit secum illius æternam damnationem, sed illum traheret sub hypothesi etiam extranea , quod Deipara gravi peccato infecta decederet ex hac vita. 3. *Subjectivæ absoluta, & terminativæ conditionata*, ea nimirum , quæ etiam si verè existat , non assert, sed assertret secum suum terminum , si certa quædam daretur conditio . Id generis connexionio versatur inter infallibilem promissionem, divinam donandi homine gloriam, & hanc gloriam: quandoquidem ea connexionio verè existit in rebus , ast non assert secum omnium hominum beatitudinem, sed assertret, si illi homines absolute perseverarent in gratia. 4. *Subjectivæ conditionata, & terminativæ absoluta*. Illa videbitur , quæ modo non existit , sed existeret , si certa quædam daretur conditio : verumtamen independenter ab alia distincta conditione assertret secum terminum . Hanc connexionem habet decretum efficax beatificandi Judam, cum hujus salute, quia modò non existit in rebus talis connexionio ; existeret tamen, si Judas decessisset in gratia , & tunc independenter ab alia conditione extranea , assertret secum Judæ beatitudinem .

8. Circa primum hujus divisionis membrum nota . Connexio non desinit esse terminativæ absoluta , eo quod assertat terminum sub hypothesi, aut indistincta ab ipsa connexione, aut distincta quidem . sed cum qua connectatur connexionio ipsa : solūm igitur censenda est connexionio terminativæ conditionata illa , quæ assert terminum sub hy-

hypothesi distincta , & quacum nullam habet connexionem , qualis est connexionis promissionis Divinæ largiendi gloriam ; nam ea connexionio affert secum gloriam sub hypothesi , quod homo decedat in gratia , qui decessus realiter distinguitur ab illa promissione , & minimè terminet illius connexioniem : sic contractus merè civilis , sive etiam matrimonialis , non dicitur conditionatus , nisi quando fertur insuum objectum sub conditione prorsus extranea , & sine qua absolute potest subsistere contractus ; & ratio est : quia alias nulla connexionio foret terminativè absoluta ; siquidem unio physica v. g. quæ censetur absolutè connexa cum extremis , solùm affert illa sub hypothesi , quod unio ipsa existat in rebus ( si tamen ipsa non extiterit , permittit extrema deficere , ) & tamen connexionio unionis cum extremis censetur ab omnibus terminativè absoluta . Alias connexionum species , quæ inter se distinguunt ratione terminorum , quos resipiunt , tacitas prætereo , utpotè cuivis pervias .

### §. I I.

9. **J**AM circa has species connexionum . Dico 1. non est de ratione connexionis in genere , adæquatè identificari cum suo subjecto adæquato . Est contra P. Izquierdo . Probatur : connexionio moralis philosophica , est aliqua connexionio ; sed hæc non semper identificatur adæ-

quatè cum suo subjecto adæquato . Probatur : per te ibidem num. 36 . P. legi  
disput. 14.  
Phar. q. 2.  
num. 34. connexionio moralis aliquando consistit immediatè , & formaliter in necessitudine , seu propinquitate , quæ fundamento intervenit cum termino ; sed hæc necessitudo , & propinquitas non semper identificatur adæquatè cum suo fundamento adæquato ; nam maternitas v. g. quæ est necessitudo , seu connexionio moralis hujus fœminæ cum dilectione filii , adæquatè distinguitur ab hac fœmina ( potuit namque esse hæc fœmina , quin gigneret hunc filium , ) quæ est fundamentum adæquatum , quod denominatur connexionum cum dilectione filii : ergo connexionio moralis non semper identificatur adæquatè cum suo fundamento adæquato : ergo non est de ratione connexionis in genere &c. Quamobrem locutiones , quæ hic ultrò , citròque versantur hac super re , una propositione explanatas dabo . Connexionio moralis sumpta in actu primo , aliquando distinguitur adæquatè à suo fundamento adæquato , ut nuper vidimus : aliquando autem identificatur cum fundamento , quod dicitur moraliter connexionum . Connexionio verò logica , sive accipiatur in actu primo , sive accipiatur in actu se-  
cun.

undo semper identificatur adæquatè cum suo fundamento. Rursus Connexiones Phisica, & Metaphysica acceptæ in actu primo semper identificantur cum suo fundamento: acceptæ vero in actu secundo sunt semiextrinsicæ; sumptæ denique connotativæ, adæquatè distinguantur à suis fundamentis.

10. Probo primam partem: cogitatio vehementer inclinans in aliquod objectum est moraliter connexa cum executione, vel saltem cupiditate illius objecti; sed hæc connexio adæquatè identificatur cum ipsa cogitatione. Probatur: claritas, qua hæc cognitio representat sui objecti jucunditatem, adæquatè identificatur cum ipsa cogitatione, ut communior sententia docet, tametsi oppositum non sit prorsus improbabile: at totus ardor, totaque vehementia praedita cognitionis est claritas, qua objecti sui jucunditatem exprimit: ergo &c. Probo secundam partem: nimirum, connexionem logicam tum in actu primo, tum in actu secundo, adæquatè identificari cum suo fundamento. Actualis identitas objectiva A. cum B. necnon determinatio formalis, & immediate, ut quotiescumque existat in rebus ipsum A. sit identificatum cum B; adæquatè identificatur cum ipso A. nam quæcumque verè, & propriè identificantur, per se solas immediate, & formaliter identificantur, ut sèpè inculcatum est: at connexio logica duorum sumpta in actu secundo stat in actuali eorumdem identitate, ut supra dictum est; sumpta autem in actu primo, est determinatio, ut, quoties in rebus exercetur, fundamentaliter sit cum termino identificatum; ergo connexio logica, sive sumata in actu primo, sive in actu secundo, adæquatè identificatur cum suo fundamento.

11. Probo tertiam partem: scilicet connexiones Physicam, & Metaphysicam, sumptas subjectivæ, seu in actu primo, adæquatè identificari cum suis fundamentis. Appetitus innatus, seu exigentia, qua res creata propendet in suum complementum, in suam proprietatem, in suum subjectum &c. adæquatè identificatur cum ipsa res creata. Tum quia hæc videtur mens omnium Philosophorum, vorantium hanc inclinationem appetitum innatum. Tum præcipue, quia nullum urget fundamentum, ut distinguamus res creatas à suis exigentiis, quibus trahunt secum suas proprietates, complementa &c. alias ignis v. g. secundum sola sua intrinsicæ inspectus, permitteret carere omni calore; sed connexio physica A. cum B., accepta subjectivæ, seu in actu primo, stat formaliter immediatè in hac vi, seu appetitu innato, ut constat ex definitione supra data; ergo Connexio phy-

Physica accepta subjectivè , seu in actu primo, adæquatè identificatur cum suo subiecto . Neque te moveat fore , ut , si connexio physica adæquatè identificetur cum suo subiecto , sit ulterius connexio essentialis ; nam quamvis hæc phrasis connexio essentialis plerūmque significet solam connexionem metaphysicam , atque logicam ; immeritò excludetur à classe connexionum essentialium connexio physica , utpote quæ summè est intima , & essentialis suo fundamento . Vastum nihilominus inter utramque datur discrimen ; quippe connexionem metaphysicam , atque logicam nulla vis , sive creata , sive increata violare potest , & in hac acceptione vocantur ambæ connexiones essentiales præ connexione physica , quoniam hanc Deus saltem orbare potest suo termino .

12. Jam quodd Connexio Metaphysica accepta subjectivè , & in actu primo adæquatè identificetur cum suo subiecto in eo sensu , in quo est connexio metaphysica , ostenditur inductione : etenim unio per sola sua intrinseca , & essentialia est inseparabilis ab utroque extremo , quod nequit : Aetio physicè productiva Petri per solam suam essentiam est inseparabilis à Petro : Quævis creatura per solam suam essentiam est metaphysicè connexa cum Deo , quamquam reclamat P. Ribadeneira impugnandus disputatione de rerum possibilitate . cap. 2. ergo omnis connexio metaphysica sumpta subjectivè , sive in actu primo pro determinatione inviolabili , ut quoties detur fundamentum , detur quoque terminus , adæquatè identificatur cum fundamento .

*Ribade-  
neyra lib.  
de Necessi-  
tario q. 37  
cap. 1.*

13. Probo has connexiones acceptas in actu secundo esse suis fundamentis semiextrinsecas . Actualis conjunctio fundamenti cum termino distincto est semiextrinseca fundamento ; namque præter hoc , claudit etiam terminum , vel hujus productionem , vel unionem . At ambæ hæ connexiones sumptæ in actu secundo sunt actuales conjunctio fundamenti cum termino distincto , ut constat ex numero 1. ergo hæ connexiones sumptæ in actu secundo sunt semiextrinsecæ suis fundamentis . Quid vero hæ connexiones acceptæ connotativè , adæquatè distinguantur à suis fundamentis , facile probatur . Actualis carentia , vel omnis potentia , vel potentia naturalis ad frustrandas has connexiones est prorsus distincta à fundamentis harum connexionum : sed connexio metaphysica sumpta connotativè consistit in eo , quod nulla prorsus detur potentia , sive creata , sive increata ad frustrandum connexionem metaphysicam ; nam hoc est , quod connotat illa connexio : item connexio naturalis , seu physica conno-

connotativè accepta , stat in eo , quod nullum detur agens naturale , quod ipsam possit violare citra violentiam , ut colligitur ex definitiōnibus datis num. 2. ergo .

14. Dico 2. ex eisdem quatuor speciebus connexionis supra datis sola connexio metaphysica est incapax augmenti , atque decrementi , secus ceterā . Explicatur . Inter connexiones morales , aliæ sunt majores , aliæ minores : idem dicendum de connexionibus physicis ; & logicis ; Connexiones autem metaphysicæ tamē si subjectivè in se , & ratione materiæ impares sint formaliter ; at in conceptu

*P. Lynce lib 4. Pbyf tract 2 c 5* connexionis metaphysicæ omnes sunt æquales : contra quod non nulli censent cum P. Lynce , & Izquierdo . Probatur de connexione

*P. Izqu. disput. 10. Pbar. q 4* morali : omnis connexio , quæ cùm sit physicæ , ac metaphysicæ se parabilis à suo termino , semper tamen , aut ferè semper affert illum ;

major est in linea connexionis moralis , quām , quæ non semper , sed tantū plerūmque conjungitur cum suo termino : at inter connexiones morales dantur aliquæ afferentes secum semper , aut ferè semper suum terminum (ut majestas affert cultum fidelium subditorum ) aliquæ autem non semper , sed plerūmque tantū , ut supra dicebamus , ubi tres gradus infimum , medium , ac supremum connexionis moralis distinximus : ergo inter connexiones morales aliæ sunt majores aliis .

15. Probo idem evenire connexionibus physicis . Omnis ea determinatio , seu appetitus innatus , qui nullius agentis naturalis impetu violari potest ; major est intra sphēram connexionis physicæ , quām illi , quæ alicujus agentis naturalis impetu violari potest : at inter connexiones physicæ sunt aliquæ primi generis ( ut connexionis ignis cum suo calore , in materiæ primæ cum aliqua forma , ) & aliquæ secundi ( ut connexionis aquæ cum frigiditate , qua per impulsum agentium naturalium privari potest : ) ergo inter connexiones physicæ unæ sunt majores aliis . Idem ostenditur facile de connexione logica accepta pro obligatione , quam regulæ Dialecticæ imponunt intellectui , ne admisso antecedenti , consequens respuat : siquidem præmissæ dispositiæ in Barbara fortius propellunt intellectum in conclusionem , quām præmissæ in secunda , aut tertia figura , ut per se patet .

16. Quod autem inter connexiones logicas acceptas pro reali identitate , dentur etiam aliæ majores aliis ; probatur . Omnis realis , & objectiva duorum identitas , quæ nihil patitur convenire à parte rei uni extremo , quod non conveniat alteri , major dicenda est ceteris

teris paribus, quām illa, quæ aliquid consentit convenire uni à parte rei, quod non convenit alteri; sed inter identitates reales, sunt aliquæ primi generis, nempe omnes illæ, quæ sunt puræ, nullique admiscentur distinctioni virtuali, aut formalí ex natura rei, necnon sunt aliæ secundi generis, nempe illæ, quæ probabiliter dicuntur admixta distinctioni virtuali, vel formalí ex natura rei: ergo. Major videtur perspicua: quoniam plūs convenientiunt illa, quæ in omnibus convenientiunt, quām illa, quæ in aliquo discrepant; proindeque major est in linea convenientiæ, seu identitatis, ea, quæ nil prorsus consentit convenire uni extremo, quod non conveniat alteri, quām illa, quæ aliquid permittit convenire uni, quod alteri non conveniat; & explicatur exemplo distinctionis: quoniam plūs distinguuntur, quæ genericè, quām quæ specificè dumtaxat distinguuntur; & plūs, quæ specificè, quām quæ numericè tantum: si ergo distinctiones sunt aliæ majores aliis: cur non identitates?

17. Dices: ergo Petrus strictius, & rigorosius est homo, quām Pater Æternus est Deus. Probatur sequela absurdæ. Per te omnis identitas duorum, quæ nihil omnino patitur convenire uni, quod non conveniat alteri, strictior est, quām illa, quæ aliquid patitur convenire uni, quod alteri non conveniat: sed identitas Petri cum homine est primi generis; identitas vero Patris Æterni cum Deo est secundi generis, siquidem Deus identificatur cum filio, secus Pater: ergo. Nego sequelam, distingoque probationis majorem: strictior est cæteris paribus; concedo majorem. (& hoc tantum distinguimus in probatione majoris) strictior est cæteris imparibus; nego majorem, & permissa minore, nego consequentiam. Quemadmodum, etiam si prædicatum incorruptibilitatis sit ex se maius intra sphæram perfectionis naturalis, quām prædicatum corruptibilitatis; attamen potest esse minus illo, si cætera non sint paria, ut accidit materiæ primæ cum homine collatae, quæ tametsi incorruptibilis; est nihilominus imperfectior homine corruptibili, quia videlicet cætera non sunt paria, hoc est, exornant hominem alia attributa longè perfectiora eis, quæ competunt materiæ primæ. Ita impræsentiarum: Identitas inter Patrem, & Deum talis est ex suo conceptu, ut semper, ac necessariò nequit absolutè unum cum altero, nempe, quia ex se, ac per se habet, quodd Pater semper in omni casu possibili sit absolutè, ac simpliciter Deus: Identitas vero Petri cum homine cùm sit absolutè defectibilis, quia creatura est, non nequit semper absolutè unum cum altero; quapropter cætera non sunt paria, licet prima identitas patiatur

tiatur aliquid convenire uni , quod non conveniat alteri , secus secundam : ergo non probatur , secundam strictiorem esse , quam primam .

18. Probo iam inter connexiones metaphysicas non dari unas majores aliis , sed omnes esse aequales in sphæra connexionis metaphysicæ . Conceptus connexionis metaphysicæ stat in eo , quod fundamentaliter adeo irresistibiliter trahat terminum , ut per nullam prorsus potentiam in nullo casu possibili separari valeat ab illo ; at in hoc omnes omnino connexiones metaphysicas sunt aequales : siquidem nullam ostendes , quaer per aliquam potentiam in aliquo casu possibili separari possit a suo termino , ut tali : ergo omnes connexiones metaphysicas sunt aequales in conceptu , & in ratione connexionis metaphysicæ . Ubi , resecandi ergo equivocationes , adverte , me non negare , inter connexiones metaphysicas posse unam esse maiorem aliâ subjectivâ , seu in perfectione ( perspicuum quippe est , quacumque connexionem naturæ Angelicæ maiorem esse perfectione quacumque connexione metaphysica formicæ , siquidem identificatur cum subjecto longè perfectiore ) rursus neque nego majoritatem objectivam : quia certum est , quod ex duabus connexionibus metaphysicis potest una clarius apparere intellectui , quam altera : sic clarius apparet nobis connexionis Dei cum repugnantia sui mendacii , quam cum possibilitate possibilium . Cæterum sicut nulla est potentia in nullo casu possibili ad impedientum repugnantiam mendacii Dei ; ita posito , Deum connecti metaphysicè cum possibilitate possibilium , nulla est potentia in casu ullo possibili ad faciendum , quod , existente Deo , possibile convertatur in impossibile . Ulterius non nego majoritatem extensivam , cum fieri possit , ut connexionis A. plures terminos , & pro pluribus casibus afferat secum , quam connexionis B. Præterea non nego majoritatem quoad modum : quia una connexionis metaphysica potest esse absoluta , & altera merè conditio- nata : una determinata , & altera disiunctiva . Solùm igitur rejicio majoritatem intensivam in ratione connexionis , stante in eo , quod , vel una sit magis intrinseca , & essentialis , quam altera : vel in eo , quod magis irresistibiliter afferat secum terminum , quam altera .



**CAPUT SECUNDUM.***Objectiones.*

19.



Bijicies omnis connexio, quæ indisponsabiliter afferit secum existentiam sui termini, major est intensivè, & in ratione connexionis, quam illa, quæ compatibilis est cum defectu sui termini; at inter connexiones metaphysicas sunt nonnullæ, quæ indisponsabiliter afferunt secum sui termini existentiam absolutam, ut connexionio decreti divini efficacis, scientiæ visionis &c. Aliæque compatibilis cum defectu sui termini, ut connexiones terminativè conditionatae: ergo. Confirmatur 1. causa immediata magis rigorosè producit effectum, quam causa mediata: ergo connexionio immediata magis rigorosè est connexionio, quam connexionio mediata; at inter connexiones metaphysicas datur una, & altera: ergo. Confirmatur 2. Connexionio, quæ non solum trahit existentiam sui termini; verum etiam, quod is terminus existat in eodem tempore, loco, subiectoque, in quo existit fundamentum, major connexionio est, quam illa, quæ contenta est solè existentiæ termini; at inter connexiones metaphysicas aliæ sunt primi generis, aliæ secundi, ergo 3. Connexionio simpliciter antecedens, atque ab omni hypothesi contingenti independens major est connexione simpliciter consequenter at utraque potest esse metaphysica: ergo.

20. Ad objectionem nego majorem: nam quod una connexionio afferat secum existentiam sui termini, & altera sit compatibilis cum defectu illius, non probat esse majorem alteram; sed unam esse connexionem terminativè absolutam; alteram vero esse connexionem terminativam conditionatam. Igitur sicut per nullam potentiam, in nullo casu possibili fieri potest, ut existente volitione efficaci divina de existentia Petri, non existat Petrus; ita per nullam potentiam in nullo casu possibili fieri potest, ut existente hac Scientia Divina v.g. *Si Petrus vocaretur auxilio A. converteretur*, deficiat conditionate conversio sub eo auxilio: quocirca tam stricta est una connexionio cum suo termino, quam altera cum suo. Ad primam confirmationem, concessio antecedenti cum Patribus Suarez, Vasquez, Hurtado, & Lynce, nego consequentiam. Disparitas est: causa mediata non participat verè, & propriè conceptum causæ respectu effe-

*Lynce 4.  
physic. tra.  
1. cap. 2.*

Etus remoti , siquidem illum non producit : ast connexio mediata strictissimè participat connexionis metaphysicæ conceptum . Hic enim consistit in eo , quod fundamental per nullam potentiam existere valeat sine termino : ast si res A. connectitur metaphysicè cum B; & res B. cum C. res A. per nullam potentiam existere valet sine C; ut postea dicetur : ergo paritas nulla .

21. Ad secundam confirmationem respondeo existis duobus connexionibus , unam esse majorem altera extensivè quatenus plures terminos afferret secum , quam altera non verò intensivè , ac in ratione connexionis : quoniam sicut per nullam potentiam potest una dividiri à suis terminis , ita per nullam potentiam potest altera separari à suo . Ad 3. Respondeo similiter connexionem antecedentem esse majorem extensivè connexione simpliciter consequente , quatenus illa pro pluribus casibus afferret secum suum terminum , quam hæc ; non tamen esse majorem intensivè ob rationem sepius prolatam .

*P. Izquierdo.* 22. Objicies secundò cum P. Izquierdo . Extenus inter connexiones metaphysicas nequirit una esse major alia , quatenus omnis connexionio metaphysica excludit potentiam omnem ad oppositum ; sed hæc ratio nulla est: cum quia quævis etiam necessitas moralis excludit omnem potentiam moralem ad oppositum , & tamen inter connexiones morales , una est major , quam alia ; quævis itidem connexionio physica excludit omnem potentiam naturalem ad oppositum ; & tamen inter connexiones physicas una est major , quam alia . Tum quia sæpe fit , ut formæ ejusdem generis valde inter se inæquales sint , & nihilominus in excludendis formis contrariis prorsus conspirent : sic quævis gratia habitualis omne peccatum mortale arcet à subiecto , cui inest ; & tamen inter gratias habituales aliæ sunt intensiores aliis : ergo licet omnes connexiones metaphysicæ convenient in exclusione omnis potentiaz ad oppositum , fieri nihilominus potest , ut unæ sint majores aliis . Hinc infert necessitatem , quam Deus habet in essendo , esse infinitè majorem necessitate , quam habent cætera cuncta in essendo id , quod sunt quidditativè . Quoniam necessitas in essendo est perfectio quædam rerum possibilium : ergo personæ majorem , aut minorem perfectionem earum , major , aut minor earundem necessitas in essendo quidditativè taxanda est . Nam quod perfectius esse habuerit res , perfectiori modo , atque adeo magis necessariò illud habet ; atqui Deus est infinitè perfectior reliquis omnibus ; ergo accessitas , quam habet Deus in essendo , est infinitè magis

for quacumque alia necessitate ; & tamen omnes haec necessitates , seu connexiones sunt metaphysicæ : ergo inter has possunt unæ esse maiores aliis ,

23. Ad objectionem nego minorem cum prima probatione , quoniam cum connexio moralis habeat tres gradus latitudinis , infimum videlicet , medium , atque supremum ; gratis dicitur , omnem connexionem moralem excludere omnem potentiam moralem ad oppositum ; cur coire nequeunt duæ connexiones oppositæ ambæ morales , & in gradu medio : sicut in aqua tepida coeunt frigus , & calor in gradibus mediis ? In hoc casu dabitur aliqua necessitas moralis simul cum aliqua potentia morali ad oppositum ; & similiter connexionis naturalis coexistere valet potentia naturali ad oppositum , ut patet in aqua , quæ licet sit naturaliter connexa cum frigiditate ; attamen ignis potentiam habet naturalem , ut orbet illam frigiditate . Ad secundam respondeo : quando conceptus formalis , & quidditativus formarum non consistit in exclusione suarum oppositarum , bene possunt conspirare in exclusione illarum , tametsi formæ sint inter se inæquales : & quia conceptus quidditativus gratiæ non consistit adæquatè in exclusione peccati mortalis ; id circa gratiæ habituales sunt inæqualiter intensæ , etsi æquales sint in hoc , quod est excludere peccatum ; ceterum quando conceptus quidditativus formarum consistit adæquatè in excludendo oppositum ; repugnat omnino , quod æquales sint in hac exclusione , & tamen sint dispare intensivæ , seu in sua ratione formalí : atqui conceptus quidditativus connexionis metaphysicæ consistit formaliter , & immediatè in eo , quod ita trahat suum terminum , ut nulla sit possibilis potentia in casu ullo possibili ad privandum eam suo termino : ergo si in hoc sunt æquales connexiones omnes metaphysicæ (ut re ipsa æquales sunt ) repugnat , quod sint inæquales intensivæ , seu in sua formalí ratione .

24. Ob hanc rationem displicet illatio , quam adjungit hic Author . Verum est , connexionem , atque necessitatem Divinam in essendo infinitis titulis esse altiorem omnibus , ac singulis connexionibus creatis etiam metaphysicis ; ast non est major intensivæ , ac in ratione connexionis metaphysicæ : nam quemadmodum nulla est potentia possibilis in casu ullo possibili ad faciendum , ut Deus non existat ; ita nulla est potentia possibilis in casu ullo possibili ad impediriendum , quod existant v. g. extrema , quando existit quoad entitatem , & denominationem physicam ipsorum unio . Hinc distinguendum est consequens argumenti contrarii : pœnes majorem , aut minorem

Nomen perfectionem taxanda est major, aut minor necessitas intensiva, ac in ratione formali necessitatis; nego consequentiam: major, ac minor necessitas extensiva, aut objectiva, aut subjectiva; permicere consequens.

## C A P U T   T E R T I U M .

### *Duo consecutaria de connexione morali.*

In Pbar.  
disput. 14. 25.  
quest. 4.



In Pbar.  
disput. 19. 7.  
2. n. 36.

X mutua præcedentium collatione divisionum plurima, eaque utilissima consecutaria procedunt. Igne ferè omnia illa, quæ affatim producit P. Izquierdo, omitendo, ut potè quæ apud eundem legi possuntalia proferimus. Consecutarium primum. Connexionis moralis numquam potest adeo prævalere, ut per se solam excludat physicam formidinem, vel suspicionem carentiæ sui termini, contra P. Izq; Probatur: connexionis physica, & hujus evidenter validior est ex genere suo quavis connexione purè morali, & tamen connexionis physica evidenter cognita est compatibilis, non modò cum physica; verùm etiam cum prudenti formidine de opposito, imò & cum certitudine indubitabili, & infallibili carentiæ sui termini, ut patet in Eucharestia, ubi evidenter noscimus physicam connexionem accidentium cum substantia panis, & nihilominus certò credimus, & prudenter, ibi non esse substantiam panis: cur ergo connexionis purè moralis quantumcumque excrescat, modò sphæram hujus connexionis non deserat, nequibit compati cum physica suspicione carentiæ sui termini? Et quemadmodum datur aliquid vires suasivas connexionis physicæ evidenter cognitæ enervans, quo jure negatur enervari posse vires suasivas connexionis purè moralis?

26. Neque obstat, connexionem moralem quandoque prævalere adversus connexionem physicam, ut patet in casu, quo viginti viri cordati, & veraces testificarentur, se vidisse ignem passo disposito applicatum, quin ipsum combureret, in quo casu testimonium eorum hominum purè moraliter connexum esset cum carentia combustionis, & nihilominus à quovis prudenti extorqueret assensum, eti ignis applicatio non tantum moraliter, sed etiam physicè connexa fuisset cum combustione: neque inquam id obstat: nam, eti connexionis physica aliquando vincatur per moralem, negari nequit, eam ex genere suo robustiore esse, quam hanc: ergo si per hanc vincit potest:

cus

eur hæc, minor cùm sit, per aliam vinci nequibit? Nempe: adesse potest alia omnino par in contrarium, v. g. alii viginti similes homines oppositum testantes.

27. Probatur 2. supremus gradus connexionis moralis purè talis est conjungibilis cum physica formidine de opposito: ergo multò melius cæteri gradus. Probatur antecedens. Quoties fundamentum ita se habet ad terminum, ut physicè, ac metaphysicè dividi possit ab illo, datur locus, ut intellectus sic dubitet. An fundamentum hic, & nunc separandum sit ab illo termino: namque physicè, & aliquando prudenter suspicari potest intellectus, decrevisse Deum ob speciale motivum non annuere exigentia illius fundamenti: aut fortè præsentem esse aliquam causam naturalem contrariam ei fundamento, & eo fortiorum: sed quoties datur supremus gradus connexionis purè moralis, fundamentum ita se habet ad terminum, ut physicè, & metaphysicè dividi possit ab illo, ut tu ipse fateris num. 35. & meritò; quia alias non esset connexio purè, & præcisè moralis, sed altioris ordinis: ergo. Et ratio est, quia sola connexionis metaphysica, & hujus metaphysica evidens ineluctabiliter cogunt intellectum, ne, admisso fundamento, terminum neget, aut de eo ambigat.

28. Conlectarium secundum. Connexio, & necessitas moralis (idem proportione servata de impossibilitate, atque contingentia morali) quandoque datur ex parte rerum, hoc est independenter à frequenti experientia, ex arbitrio humano, aut divino originem trahente: quandoque autem in sola frequentia eventuum consistit, tandem resolvendà in arbitrium humanum, aut divinum, juxta conditionem earum rerum, de quibus fuerit sermo. Prima pars est contra PP. Quiros, & Alderete, qui primi videntur materiam hanc excusisse, quiique omnem moralem necessitatem, & connexionem rebus admununt (timore forsan percussi, ne divinum dominium ullatenus laceretur) ajentes: id circa nostrum intellectum firmissimè judicare, ignem v. g. hic, & nunc combustum manum sibi admotam; non quoniam ex parte ipsius ignis adsit ulla connexio, Deum urgens, ut cum ipso concurrat ad comburendum; sed quoniam semper experimus, Deum concurrens cum igne ad comburendum passum applicatum, & dispositum (quod deinde resolvitur in decretum divinum, cuius decreti notitiam frequens experientia nobis indidit.)

29. D'splicet tamen hæc cogitatio: etenim aliud est connexio, seu necessitas moralis proxima, & prout est fundamentum in actu secundo ad aliquid judicandum; aliud verò connexio moralis in actu pri-

P. Quirros  
10.2. in p.  
part. tract  
de præder.  
q.4. scilicet 4.  
P. Aldrete  
te to. 1. de  
incar. disp  
2. scilicet 2.

primo , prout præcisè est inclinatio movens tum Deum , tum creaturam ad quidquam efficiendum . Illam primam fatemur aliquomodo pendere ab experientia , vel saltem à carentia experimenti contrarii ; si enim experti fuissimus ignem hucusque non combussisse (quia Deus noluerit) materiam sibi applicatam , ne requiremus prudenter judicare , combusturum illam in hoc casu præsenti prorsus simili casibus anterioribus , imò prudenter judicaremus , non combusturum illam in hoc casu juxta regulam , *Inspicimus* , juris in 6. ergo connexio moralis sumpta , prout in actu secundo est fundamentum judicii prudentis , non est præscindibilis saltem à carentia experimenti contrarii : si quidem eo præcisè , quòd deficiat hæc carentia , deficeret fundamentum judicii prudentis .

30. Cæterùm connexio moralis sumpta secundo modo , hoc est , prout convertitur cum inclinatione movente tum Deum , tum creaturam ad aliquid efficiendum , aliquando est pœnitus inde pendens ab experientia , consistitque formaliter , & immediatè in rebus ipsis . Probatur (omissa ratione qua utitur P. Herrera , postea discutienda )

1. quia vanus videtur timor , ne supremum Dei dominium minuantur , qui hos *AA.* perculit . Tum quia , licet passim dentur , ut res ipsa dantur ardentissimi appetitus eliciti , nec minimum lœditur dominium Dei v. g. *usquequid tu luges Saul* , cùm ego projecerim eum : ergo licet ex parte rerum detur connexio , sive moralis , sive physica cum aliquo termino , nulla ruina imminet dominio Dei . Tum quia aliud est , res ipsas creatas independenter ab experientia habere connexiones physicas , vel morales cum aliquibus terminis ; aliudque longè diversum , has connexiones esse inviolabiles à Deo , aut absolute , aut saltem aliqua difficultate . Primum est , quod dicimus dari ex parte rerum , & ex conceptibus ipsis rerum creatarum plerūque deprehendimus : sic ex conceptu quantitatis molis novimus , ipsum insidere physicam connexionem cum eo , quòd alia quantitas non occupet idem spatium , quod ipsa occupat , & in eodem puncto temporis :

*P. Quiros stratt.* 8. unde ipse P. Quiros censet , effectum formalem quantitatis

*metaph. scilicet 4. nu.* 8. molis esse impenetrabilitatem . Secundum minueret quidem dominium Dei ; at falsum est : nam eadem prorsus facilitate , qua Deus

13. his connexionibus , tum physicis , tum moralibus , tum innatis , tum elicitis indulget , resistere potest . Quemadmodum tametsi Deus quando terras obruit diluvio , habuerit cogitationem vehementer retrahentem ab illa strage , ut non leviter innuunt verba illa Genesios :

*Genes. 6.* *tactus dolore cordis intrinsecus , delebo , inquit , hominem : nihilominus liberrim-*

berrimè absque ullo difficultatis gradu immisit diluvium, ut exposuit ad tractatum de voluntate Dei: ita quamvis materia prima v.g. enixè poscat formam, hoc est, suaptè natura connectatur cum illa; absque ullo negotio eam exigentiam, connexionemque Deus violare potest: eo quod tota hæc connexio plenissimè submittatur arbitrio divino. Quocirca oportet non confundere hæc duo. Connexio cum aliquo termino: actualis consequentia illius termini. Primum datur ex parte rerum independenter ab experientia, ut tam Prisci, quam moderni Philosophi censuerunt. Secundum noscimus ex frequenti experientia resolvenda utique in arbitrium Dei.

31. Extratio à priori est: vehementissima inclinatio in aliquem terminum conjuncta cum carentia ponderis in partem oppositam, est moralis necessitas in voluntate humana, ut exequatur illum terminum (alioquin non plus mereretur, qui gravissimam intensionem superaret, quam qui lœvissimam; siquidem unica ratio, ob quam ille plus præmii adipiscitur, est, quia morali necessitati reluctatur) sed ex parte rerum independenter à frequenti experientia dari potest in voluntate humana vehementissima inclinatio in aliquem terminum simul cum carentia inclinationis in partem contrariam. Probatur in primo homine, qui prima gravissima tentatione pulsaretur simul cum tenuissima cognitione retrahente. Hic absdubio habebat vehementem inclinationem, equidem independenter à frequenti experientia; namque antecedenter ad primam intentionem non dabatur experientia succumbendi temptationi: ergo vehemens inclinatio in aliquem terminum cum carentia æqualis inclinationis in partem oppositam, potest dari independenter ab experientia. Neque dicas complexum ex ea acri temptatione, & carentia æqualis inclinationis oppositæ esse, & cognosci conjungibile per libertatem illius hominis cum vitatoria temptationis, & consequenter non esse moralem necessitatem ad cedendum ponderi inclinationis. Etenim connexio, sed necessitas moralis non distinguitur à physica, & à metaphysica ex eo, quod physicè, ac metaphysicè conjungibilis sit cum carentia sui termini, imò per hanc conjungibilitatem seceratur à necessitate physica, & metaphysica; sed ex eo, quod sit prudens fundamentum iudicandi, quod non conjungatur cum carentia termini.



## §. I I.

**T. Herrera** 32. **S**ecunda pars consecutarii est contra P. Herrera, qui multus est  
*qu. 3. me-  
sap. sec. 3.* in eliminando connexiones morales soli frequentiae eventu-  
 um innixas. Probatur in sortibus, quarum ipse meminit: ex hy-  
 pothesi, quod duabus continuis vicibus obtigerint senarii est magis  
 moraliter impossibile, quod tertio, & quartu obtingant idem nu-  
 meri, quam si non obtigissent; sed haec major impossibilitas mors-  
 lis in nullo consistere potest, quam in frequenti experientia, qua no-  
 vimus res contingentes, neque semper uniformiter, neque semper  
 dissimiliter evenire: ergo aliqua impossibilitas moralis unicè consi-  
 stit in experientia tandem resolvenda in aliquod arbitrium, sive crea-  
 tum, sive increatum; sed haec impossibilitas moralis alicuius termi-  
 ni est moralis necessitas, seu connexio cum contradictorio: ergo  
 aliqua necessitas moralis unicè consistit in frequenti experientia.  
 Major hujus discursus videtur certa; nam magis mirabuntur viri  
 prudentes, si tertio, & quartu successivè cadant idem numeri, seclusa  
 fraude, quam si semel tantum: ergo quis hoc magis incredibile est:  
 ergo quis magis moraliter impossibile.

33. Respondet Auctor citatus, hanc impossibilitatem moralem  
 unicè consistere in pluralitate combinationum, seu modorum, qui  
 bus excludi potest haec continua successio seniorum. Summa  
 Doctrinae hujus Magistri haec est: eo ipso, quod plura sunt exclusiva  
 sortis A. v.g. quam determinativa ejusdem; & illa sunt aquæ contingentia,  
 atque haec, difficilior est sors A; que difficultas exurgere  
 potest usque ad moralem impossibilitatem; sed plura sunt exclusiva  
 seniorum (nimirum omnes, & singuli alii numeri) quam eorum  
 determinativa (imò seniorum unicum est determinativum),  
 quia unico solo modo obtingere possunt, scilicet quod simul cadant  
 & ulterius exclusiva illa sunt aquæ contingentia, atque hoc determina-  
 tivum: ergo quod senarii sunt moraliter impossibles, unicè consi-  
 stit in multitudine aliorum numerorum; at multitudo haec est inde-  
 pendens ab experientia: ergo Similiter explicat alias necessitates, im-  
 possibilitatesque morales.

34. Contra i. non loquor in superiori arguento de impossibi-  
 litate morali, ut cumque, sortis A; sed de maiore impossibilitate, ut  
 tertio, & quartu successivè extrahatur ex hypothesi, quod duabus  
 continuis vicibus extracta fuerit; unde sic instauro argumentum.

Ma-

Magis impossibile moraliter est, quod tertio, & quarto extrahatur A. ex hypothesi, quod duabus continuis vicibus extracta fuerit, quam quod primò extrahatur; sed hæc major impossibilitas moralis non consistit formaliter, & præcisè in multitudine exclusivorum hujus sortis. Probatur: tot exclusiva, neque plura, neque pauciora dabantur ante primam extractionem, quot dantur post primam, & secundam ante tertiam (nam hæc exclusiva sortis A. sunt ceteræ sortes, quas ponimus, neque augeri, neque minui ante tertiam extractionem) & tamen ante primam extractionem nō dabatur hæc major impossibilitas moralis: quandoquidem non est tam impossibile moraliter, seu tam incredibile, quod primò extrahatur sors A. nempe duo senarii, quam quod ex hypothesi, quod duabus vicibus extracta fuerit, iterum, & iterum extrahatur: ergo hæc major impossibilitas moralis non consistit formaliter, & præcisè in sola multitudine exclusivorum: ergo tantummodo debet consistere in experientia. Hæc major impossibilitas moralis est aliqua moralis necessitas: ergo.

35. Contra 2. Nil, quod præcisè, ut tale, potest conjungi cum morali necessitate extrahendi sortem A. est præcisè, ut tale, moralis impossibilitas illam extrahendi; at pluralitas ista exclusivorum præcisè, ut talis, potest conjungi cum morali necessitate extrahendi sortem A. Probatur. Esto ex quadraginta sortibus simul existentibus in amphora, septuagies continuè extractam fuisse sortem A. tunc casus est moraliter necessarium, quod si iterum immittas manum, iterum extrahas sortem A. nam ob antecedentem, & non interruptam experientiam id sibi persuaderent prudentes ( siquidem prudentissime, certò sibi persuadent omnes, futurum hic, & nunc, quod in omnibus casibus anterioribus huic prorsus similibus contigisse viderant, ut experientia constaret ex regula juris supra adducta ) at tunc casus dabatur pluralitas ista exclusivorum: ergo. Contra 3. si impossibilitas moralis extrahendi sortem A. unicè consisteret in multitudine exclusivorum, quoties cresceret hæc moralis impossibilitas, cresceret quoque multitudo ista: & quoties ista non cresceret, nec illa cresceret; at utrumque est falsum; nam post primam, & secundam extractionem sortis A. non crescunt exclusiva, ut constat, & tamen crescit moralis impossibilitas extrahendi sortem A. quoniam magis impossibile moraliter, magisque incredibile est, quod extracta semel, & iterum sorte A. rursus extrahatur; quam quod prima vice educatur: ergo.

36. Contra 4. Nil, quod unicè determinandum est per libertatem;

tem ; cui omnia possibilia , & pro omni casu possibili sunt æquè facilia , est , absolutè loquendo , facilius in uno casu , aut difficilior . Nam omnino repugnat iste excessus pro circumstantiis , pro quibus datur aequalitas : sed quod ex hypothesi primæ , & secundæ extractionis sortis A. tertio extrahatur eadem sortes , unicè pendet à libertate , cui omnia possibilia in omni casu possibili sunt æquè facilia . Probatur unicè pendet , ac determinandum est à libertate divina : tum juxta illud Proverb. *sortes mittuntur in finem , sed à Domino temperantur* . Tum quia , omne contingens ea ratione , qua contingens fuerit absolutum , ab aliqua libertate pendet ; sed extractio sortis A. sive prima , sive quarta vice est contingens : ergo ab aliqua libertate pendet . Non à libertate humana , seclusis fallaciis ergo à divina : atqui libertati divinæ omnia possibilia pro omni casu possibili sunt æquè facilia : ergo prædicta extractio non est difficilior in uno casu , quam in altero : ergo impossibilitas moralis prædictæ extractiois pro tertia vice non consistit in eo , quod in uno casu sit difficilior , quam in altero . Explicatur . Hi termini *Facilius* , *Difficilius* sunt respectivi ad aliquam potentiam ; sed extractio sortis A. præsentibus multis exclusivis sui ipsius , non est difficilior respectu voluntatis creare , quia ab ea neutiquam determinatur , seclusa fraude : non respectu voluntatis divinæ , quia huic omnia sua opera sunt æquè facilia : ergo extractio sortis A. non est difficilior ex parte objecti pro tertia vice , quam pro prima : ergo si impossibilitas moralis hujus extractionis consistit per te in hac maiore difficultate ex parte objecti cum non detur talis difficultas , non dabitur ista impossibilitas . Dicendum ergo , istam maiorem difficultatem esse in credendo , & resolvi in experientiam contraria .

37. Respondebis 2. licet tam facile sit Deo determinare sortem A. præsentibus multis , quam præsentibus paucis exclusivis ; nihilominus Deus se attemperat naturis rerum ; at longè connaturalius est rebus , non extrahi sortem A. præsentibus multis exclusivis illius , quam præsentibus paucioribus : si quidem facilius expectamus extrahendam sortem A. si alia tantum sit in urna , quam si ducentæ forent : ergo moralis impossibilitas extrahendi sortem A. unicè debet consistere in multitudine aliorum sortium . Contra 1. Fatemur , Deum exigentius rerum attendere . Sed cur quæsto ad naturam , & exigentiam cæterorum sortium spectat , quod A. non educatur tertio , & quartio ex hypothesi , quod duabus continuis vicibus educta sit ? Quam violentiam physicam , aut intentionalem in hoc patientur cæteræ sortes ? Nullam

pro-

profecto. Contra 2. Non dubitamus, credibilius fore non extrahi, quām  
extrahi sortem A: de hoc non est quæstio. Apex difficultatis stat in as-  
signando illud, in quo formaliter, ac immediatè consistit hæc major  
connaturalitas, seu credibilitas. Tu inquis, illam consistere in sola mul-  
titudine exclusivorum; nos verò, cùm agnoscamus istam credibilita-  
tem posse crescere, quin exclusivorum multitudine crescat, opinamur,  
illam non consistere in hac multitudine, sed unicè in experientia  
(quam habemus de eo, quod istud raro, vel numquam eveniat) demum  
resolvendā in arbitrium divinum, à quo provenit, quod res contin-  
gentes, & à libertate creata non oriundæ, neque semper uniformiter  
cadant, neque semper dissimiliter.

38. Respondebis 3. Etiam datà frequentiâ experientiæ alicujus  
eventus, est Deo æquè facile illud impedire, ac non datà frequentiâ;  
& tamen moralis necessitas de eo, quod h̄is, & nunc contingat, quod  
hucusque contigit, consistit per nos in frequenti experientia: ergo,  
quod tam facile sit Deo determinare sortem A. datis pluribus, quām  
datis paucioribus exclusivis illius, non probat, moralem necessitatem,  
non consistere in multitudine exclusivorum. Respondeo, nostrum  
argumentum non probare immediatè, ac directè; sed tantùm indire-  
ctè, istam impossibilitatem moralem non consistere in multitudine  
exclusivorum; quatenus nostra ratio subvertere conatur fundamen-  
tum istius doctrinæ. Etenim ideo dicitis, hanc moralem impossibilita-  
tem consistere in multitudine exclusivorum, quatenus bæc multitudo  
reddit difficiliorē sortem A. difficiliorem inquam ex parte objecti, hoc  
impugnamus: videlicet, quia, cùm sors A. unicè determinanda sit  
per arbitrium divinum, cui omnia possibilia pro omni casu possibili  
sunt æquè facilia, nequit redi in uno casu difficilior, quām in altero;  
quamobrem indirectè, ac negativè concludimus, istam moralem im-  
possibilitatem non consistere in multitudine exclusivorum.

39. Respondebis 4. Rationem, ob quam non extrahitur tertio ea-  
dem sors ex hypothesi, quod duabus continuis vicibus educta fuerit,  
non esse experientiam resolvendam in arbitrium divinum, sed quia  
variantur circumstantiæ motis manuum, sicuti sortium, & aliæ, quæ  
si non variarentur, sed omnino exdem perseverarent abs dubio edu-  
ceretur eadem sors. Sed contra: quia in isto circumstantiarum concursu  
recrudescit argumentum. Cur pro tertia vice non perseverat idem  
omnino circumstantiarum congressus? Quæ causa creata illum per-  
turbat? Unde sic argumentor: est moraliter necessarium, quod pro  
tertia vice mutetur circumstantiarum peristhasis, quæ semel, & iterum

existit: atque hæc moralis necessitas non potest consistere in multicandine exclusivorum illius concursus circumstantiarum; nam tam respectu Dei, quām respectu creature, est & quē facile conservare istum concursum ad conspectum plurium, ac ad conspectum pauciorum exclusivorum ipsius: ergo hæc moralis necessitas unicè debet ponī in frequenti experientia, qua novimus res contingentes facilimè mutari, nec semper constantes perseverare; & hanc mutationem, maximè, quando actiones non sunt immediate liberae, resolvendam esse in decretum divinum.

40. Objicies rationem à priori, quam adversus PP. Aldrete, & Quirós instruit P. Herrera. Ex antecedenti non magis connexo, quām inconnexo cum eventu, nequit prudenter inferri potius eventus ipse, quām ipsius carentia: ergo ut prudenter inferamus, potius eventum ipsum, quām eventus carentiam, oportet dari ex parte rerum connexionem cum eventu: ergo sola experientia independenter à connexione rebus ipsis insita, insufficiens est prudenter iudicando potius non educendam, quām educendam fortem A. Retor queo argumentum: ex connexione & quē frustrabili, quām instruibile in actu secundo, nequit prudenter inferri potius terminus, quām termini carentia. Quid enim refert connexionem quantumcumque valida, si eadem facilitate, qua Deus illi annuit, renuere potest? Perinde sanè est in ordine ad illationem, ac si talis connexionio non esset. At quantumcumque connexionem moralem, imò & physicam ponas ex parte rerum; ambæ nihilominus sunt & quē frustrabiles, quām instruibile in actu secundo, & eadem facilitate, jucunditateque, qua Deus indulget illis, resistere potest: ergo quantumcumque connexionem moralem ponas ex parte rerum, nequibit ex illa prudenter inferri eventus, quām eventus carentia.

41. Igitur respondeo. Si antecedens neque est connexionum cum effectu, neque semper, aut ferè semper, aut saltem plerūque trahit secum effectum, nequit intellectus inferre prudenter ex illo potius effectum, quām effectus carentiam. At si antecedens, quamquam non sit connexionum, nihilominus semper, aut ferè semper, aut saltem plerūque affert secum effectum, prudenter possumus judicare, licet non infallibiliter, quod posito hic, & nunc eo antecedenti, dabitur quoque effectus; nam prudenter censemus hic, & nunc futurum, quod in casibus antecedentibus, & huic omnino similibus contigisse experti sumus: sic quia experti sumus, Deum semper, aut ferè semper annuisse exigentia ignis ad comburendum, prudenter judi-

judicamus, fore ut h̄c, & nunc etiam annuat, quin detur quasi reflexa connexio Deum obligans, ut annuat. Quapropter, licet in casu prædicto sortium, nulla detur ex parte rerum connexio cum eo, quod non educatur tertio sors A; nihilominus, quia ferè semper continuit, quod non detur ea continua extractio, prudenter judicamus, illam h̄c, & nunc non dandam.

42. Doctrinā hucusque productā celebriores enodantur necessitates morales. Nam 1. necessitas moralis diū non vivendi absque noxa veniali stare potest in eo, quod longè plures, & faciliores sint modi patrandi aliquod veniale in aliquo instanti, quam vitandi omne veniale in omni instanti; nam cū vires voluntatis humanæ diuturnā resistentiā atterantur (tamē si non prorsus extinguantur) ingens multitudo combinationum patrandi aliquod veniale, & ingens difficultas abstinenti ab omni, per se præcisè multò faciliorem reddit lapsum, quam victoriam, proindeque illa facilitas exurgere valet usque ad moralem necessitatem. 2. Necessitas moralis alicujus verbi otiosi proferendi ab aliquo ex mille hominibus deambulantibus in foro, & æquali indifferentia fungentibus tum ad loquendum, tum ad tacendum, stat in sola experientia; quamobrem immediatum fundamentum, ex quo prudenter movemur ad judicandum ex illis mille hominibus aliquem otiosè loquutur esse, frequens est experientia tum de eo, quod plurimè libertates rarissimè gaudent pari equilibrio, & advertentia, & propensionis respectu ejusdem exercitii; tum etiam experientia de eo, quod Deus raro largitur ingenti multitudini hominum simul morantium libertates uniformiter operaturas.

43. 3. Necessitas moralis de eo, quod inter infinitas libertates ejusdem hominis prorsus æquales, ac merè possibles, multæ uniformiter operarentur si existent, multæ dissimiliter, unicè quoque consistit in frequenti experimento, quo deprehendimus, magnum numerum libertatum etiam æqualium non conspirare in eandem operationum speciem; itaut omnes conveniant in uniformitate, aut in dissimilitate, cūm potius experiamur, unas uniformiter, alias dissimiliter se exercere, quoties plures libertates coeunt. Quia ergo id experimur ferè semper in libertatibus existentibus, idem prudenter credimus de possibilibus, modò nulla circumstantia mutetur; cūm enim numerus libertatum possibilium adeo amplius sit, ut limitatione careat; prudenter judicamus, multas uniformiter, multas dissimiliter operaturas, si existent. Quid si rationem à priori hujus uniformitatis, vel dissimilitatis conditiones sciscitteris; respon-

spondeo, eam esse actuum immediate liberorum naturam, ut propterea excludant omnem sui ipsorum rationem à priori strictè talem: namque, ut validis rationibus tota nostra defendit schola, actus immediate liber libertate à necessitate, ut talis, essentialiter opponitur cum eo, quod sibi præcedat quidquam metaphysicè connexum cum tali actu libero, & à libertate hujus nullo modo dependens.

44. Igitur sicut unica ratio, propter quam Petrus absolute peccat, est, *quia vult*, non quidem reflexè, ac signatè per novam volitionem, quia in infinitum abiremus; sed exercitè, ac immediate: adeout sit pro ratione voluntas. Ita unica ratio, propter quam ex infinitis libertatibus possibilibus multæ sunt conditionatè uniformes; multæ vero conditionatè difformes, est, quia multæ, si existent, vellent eandem speciem operationis: multæ autem vellent diversas operationes: utræque vero id vellent, quia vellent, & esset pro ratione voluntas. Per hoc autem non excludimus motivum, ex quo prudenter moverentur prædictæ libertates, si existerent, sed dumtaxat rationem à priori strictè talem, nempe connexam, & profus antecedentem. Sic assensus probabilis, ut merè probabilis excludit rationem penitus certam: & obscurus, ut obscurus rationem evidentem.

45. Porro simultas prædicta uniformitatis v. g. conditionatæ à nullo arbitrio determinatur directè, & per se; attamen arguitivè, materialiter, & quasi per accidens determinatur, seu determinaretur ab illis eisdem libertatibus uniformiter operaturis, si existerent. Ratio primæ partis est: ea simultas non determinatur ab arbitrio divino, siquidem ab hoc non pendet, eo quia non vult flectere irresistibiliter voluntatem in unum potius, quam in alterum, ex hypothesi, quod velit conservare libertatem indifferentiam. Rursus ea simultas uniformitatis conditionatæ duarum liberautum v.g. merè possibilium non determinatur directè, formaliter, & per se ab alterutra ex illis: quippe quilibet esset sui Juris, & neutra alteri dominaretur, hoc est neutra haberet in sua manu, quod altera, si existeret, exerceretur eademi specie operationis, qua ipsa exerceretur: cùmque simultas uniformitatis conditionatæ essentialiter dicat utriusque libertatis operationes; idcirco neutra determinat directè, formaliter, & per se simultatem hanc conditionatam. Sicut quod duo homines, quorum alter Matriti, alter Constantinopoli degit, absolute loquantur simul, & in eodem punto temporis, à neutrius arbitrio directè, per se, ac formaliter pendet.

46. Ratio secundæ partis est. Simultas præfata uniformitatis conditionatæ in eo unicè consistit, quod libertas *A.* v. g. si existeret, exerceretur per operationem hujus determinatæ speciei, & libertas *B.* etiam exerceretur per eamdem speciem, si existeret; at illud primum dumtaxat determinatur à libertate *A.* ut operaturà, nemine cogente; hoc autem secundum à libertate *B.* operaturà quoque sponte: ergo simultas præfata uniformitatis conditionatæ ab ambabus illis libertatibus simul sumptis determinaretur: verum indirectè quidem, materialiter, arguitivè, & quasi per accidens, eo quod neutra sibi conscientia esset de alterius operatione, neutraque ad similem, seu dissimilem operationem libertatem sociam impelleret.

## C A P U T Q U A R T U M.

### *De connexione, & oppositione conditionalibus.*

47.  X terminis hujus Connexionis, atque Oppositionis multa exurgunt, tum sophismata, tum argumenta evidentia philosophica, & theologica. Quamobrem illa sedulò evolvere oportet: quod septem propositionibus præstabilimus. Sit prima propositio. Strictè, proprièque loquendo, non omne conditionatè connexum cum eo, quod existente *A.* existat quoque *B.* est per se præcisè, atque absolute connexum pro casu existentiæ rei *A.* cum eo, quod existat *B.* Explicatur æquivocatio, quæ in modo loquendi potest hic latere. Aliud est fundamentum metaphysicè connexum cum eo, quod si existat *A.* existat quoque *B.* esse per se præcisè connexum cum conditionato pro casu conditionis: aliudque longè diversum, quod pro casu conditionis sit per se præcisè connexum absolute cum conditionato, quæ diversitas in appellationum diversitate consistit: illud primum non negamus, quippe quod unicè consistit in eo, quod fundamentum conditionatè connexum sit per se præcisè conditionatè connexum. Secundum est, quod negamus ajentes contra ingeniosos quosdam DD. Complutenses, quod quando fundamentum aliquod est conditionatè connexum cum *B.* sub hypothesi rei *A.* connexionio absolute, quæ datur cum *B.* existente conditione, non consistit unicè, & præcisè in fundamento conditionatè conexo, sed in aggregato ex eo, & ex conditiōne objectiva.

48. Arguo i. ab absurdo. Si fundamentum conditionatè con-

V u

hexum , est pro casu conditionis per se præcisè absolutè connexum cum conditionato ; eodem jure poterat alius dicere , tendentias conditionales , tum intellectus , tum voluntatis , esse pro casu conditionis per se præcisè tendentias absolutes ; quoniam tam essentialis , & intima est rebus connexio metaphysica , quām modus tendendi est essentialis aetibus intellectus , & voluntatis ; at nihilominus per te fundamentum connexum cum eo , quod si existat A. existat etiam B. pro casu conditionis , est per se præcisè absolutè connexum cum existentia conditionati : quin idcirco essentiam mutet , eo quod ab initio habuerit esse connexionem absolutam pro eo casu , ut dicas : cur ergo non dicet alius cognitionem affirmantem conditionatè extitum B. si existat A. per se solam pro casu conditionis , affirmare absolutè existentiam conditionati ; quin propterea essentiam suam , quæ in modo affirmandi consistit , amittat ? Unde Scientia Media pro casu libertatis , quam assumit pro hypothesis , erit Scientia absoluta visionis : quo via sternitur , ut à Deo possit impediri , atque determinari , contra principia Societatis , quæ hi sequuntur : imo cur nequibit alius dicere , eandem cognitionem cretam , quæ hīc & nunc assumat Petrum currere : pro statu quietis Petri , affirmare absolutè Petrum quiescere : & pro casu , quo Petrus rideat , affirmare Petrum ridere ? quin ex hoc arguatur talem cognitionem amittere suam essentiam , videlicet , quia ab initio habuerit per solam suam essentiam hæc significare pro variatione casuum .

49. Respondebis implicare , quod actus intellectus habuerit ab initio talem essentiam ; & meritò sanè . Sed idem iudicium proferatur à nobis de ista connexione conditionata , scilicet implicare , quod res aliqua ab initio habuerit per suam essentiam esse per se solam connexionem absolutam pro uno casu , & non pro altero : sicut implicat , quod res ulla habeat per suam essentiam esse hominem pro uno casu , & equum pro altero : quippe tam intimum est prædicatum connexionis metaphysicæ , tum absolutæ , tum conditionatæ illi fundamento , in quo reperitur ; quām prædicatum hominis illi , qui est homo : ergo sicut implicat , rem aliquam habere talem essentiam , ut pro uno casu sit homo , & pro alio casu ipsa perseverans in rerum natura non sit homo ; ita implicat fundamentum aliquod connexionis habere talem essentiam , ut pro uno casu per solam suam essentiam sit connexum absolutè , & pro alio casu ipsum fundamentum perseverans in rerum natura non sit absolutè connexum .

50. 2. Eisdem principiis innixi dicere poteramus, contra omnes philosophos Aristotelicos, solam formam v. g. esse totam essentiam, physicam hominis, dicendo nimirum, dari posse formam, quia detur homo; attamen pro casu unionis formæ cum materia, solam formam esse hominem, eo quod forma ab initio, & semper habuerit per solam suam essentiam esse absolute, atque adæquate hominem non pro omni casu; sed pro solo casu unionis sui ipsius cum materia, quin hoc, quod est, esse absolute hominem, ulla tenus per materiam, aut per unionem constituatur; sed has duas entitates esse connotatum, vel conditionem necessariam, ut forma sit totus homo: & sic eludere cuncta argumenta evidenter concludentia, essentiam physicam hominis præter formam intrinsecè claudere materiam, & unionem. Alia sexcenta id generis absurdia videntur sequi ex modo contrario ratiocinandi v. g. parietem per sola sua intrinseca esse adæquate album, non quidem pro omni casu, sed solum pro casu unionis sui ipsius cum albedine &c. Jam ratio mithi à priori est. Implicat, quod res ulla sit talis naturæ, ac essentiaz, ut pro uno casu habeat unum prædicatum essentiale, & pro alio casu, eadem perseverans, non habeat tale prædicatum essentiale (sic implicat, quod subjectum ullum pro uno casu sit homo, & pro alio sit bellua) sed hoc, quod est esse per se præcisè absolute connexum metaphysicæ, est prædicatum essentiale: ergo implicat, quod res talis sit naturæ, atque essentiaz, ut pro uno casu sit per se præcisè absolute connexa metaphysicæ, & in altero casu non sit per se præcisè absolute connexa. Sed fundamentum conditionatè connexum in casu carentiaz conditionis non est per se præcisè absolute connexum: ergo neque in casu existentiaz conditionis; alia dabo infra.

51. Hinc obyiam itur exemplis, quibus contrarii suam mitigant opinionem. Dicunt prius, Decretum Divinum efficaciter statuens producere Petrum pro instanti A. non esse absolute connexum cum Petro, nisi pro instanti A; hoc autem adveniente, per se solum esse tale decretum connexum absolute cum Petro, quin hæc connexio adhuc partialiter constituantur per instans A. Secundò: Bonitas finis non allicit animum ad mediorum positionem independenter à cognitione ipsius bonitatis, data vero ea cognitione, bonitas finis, per se solum moveat ad sui executionem quin hæc virtus motiva ulla tenus constituantur per cognitionem. Tertiò: Divina revelatio de Mysterio Trinitatis non movet mentem humanam ad præstandum affersum illi Mysterio, nisi supposita propositione Ecclesiæ, & præsuppositis

sitis argumentis credibilitatis : cæterum, utroque jam dato, revelatio per se solam mouet ad assentiendum, quin assensus adhuc partialiter moveatur ex eadem propositione, aut argumentis credibilitatis; alias assensus non evaderet supernaturalis purè, sed, vel naturalis, vel mixtus : ergo licet fundamentum metaphysicè connexum cum eo, quod si datur conditio, detur conditionatum, non connectatur cum existentia absoluta conditionati, nisi pro casu existentia conditionis; attamen, dato eo casu, per se solum connectitur absolutè cum conditionato, quin hæc connexio absoluta ullo modo constituantur per existentiam conditionis.

52. Ad primum respondeo : vastum est discrimen inter istud decretum, & rem præsentem; quoniam decretum, quo Deus vult resolutè producere Petrum pro instanti A. non modò connectitur cum Petro pro instanti A; verùm etiam cum ipso instanti A. Quod autem ita ex suis intrinsecis connectitur cum termino pro aliquo casu, ut ulterius ex suis intrinsecis connectatur cum illo casu, ex solis suis intrinsecis est connexum absolutè cum illo termino, ut diximus supra. Cæterum fundamentum metaphysicè connexum cum eo, quod si detur conditio, detur conditionatum, non semper connectitur metaphysicè cum eo, quod detur conditio, ut est certum, & postea ostendetur : ergo est disparitas. Quod si dixeris, decretum istud non esse per se metaphysicè connexum cum eo, quod detur instans A. Addemus, neque esse per se solum connexum *absolutè* in ullo casu possibili cum existentia absoluta Petri, ob supra expensa.

53. Secundum, & tertium exemplum facile retrorquetur in adversarios; nam licet bonitas finis, & divina revelatio moveant in actu secundo pro uno casu, & non pro alio; omnino repugnat, quod pro uno casu habeant vim remotam ad movendum, & pro alio casu non habeant talem vim; & hoc sanè non ob aliam causam, nisi quia hæc vis remota est ipsis adæquatè intima, & essentialis; at etiam connexio absoluta metaphysica est adæquatè intima, & essentialis per isti fundamento, & minimè constituta per quidpiam aliud: ergo prorsus repugnat, quod illud fundamentum per sola sua intrinseca sit connexum absolutè cum existentia conditionati pro uno casu, & quod pro altero casu non habeat hanc connexionem. Prætereo recursum ad modum tendendi conditionalem, quippe qui ad rem præsentem est omnino inutilis. Hinc fluit disparitas ad ista duo exempla: hoc, quod est acta movere, aut ad positionem mediorum, aut ad assensum fidei, est omnino contingens tum bonitati finis, tum rovela-

velationi: ergo datur locus, ut bonitas finis, & divina revelatio pro uno casu moveant actu, & non pro alio. At verò hoc, quod est ceterum connexum metaphysicè absolute cum termino, non est contingens; sed adæquatè identificatum cum fundamento talis connexionis: ergo implicat, quod tale fundamentum sit pro uno casu per se solum connexum cum termino, secus pro alio.

S. I I.

54. Secunda propositio. Neque omne metaphysicè connexum cum eo, quod si existat conditio, existat quoque conditionatum, est metaphysicè connexum cum existentia absoluta conditionis, aut cum existentia absoluta conditionati: neque cum eo, quod si deficiat conditio, deficiat quoque conditionatum; neque cum eo, quod si existat conditionatum, existat quoque conditio. Attamen omne metaphysicè connexum cum eo, quod si existat conditio, existat conditionatum, est metaphysicè connexum cum eo, quod si deficiat conditionatum, deficiat quoque conditio, limitationibus postea adhibendis. Prima pars est facilis in nostra Schola. Nam i. Testimonium illud Christi Domini *Vba tibi Corozaim &c. quia si in Tyro, & Sidone fuissent virtutes, quæ apud vos fecissent utique paenitentiam.* Hoc inquam testimonium, ut potè infallibile, fuit metaphysicè connexum cum eo quod, si Tyrii, & Sidones vidissent miracula Christi, resipiscerent. Et tamen neque fuit connexum cum eo, quod absolute viderent talia miracula, neque cù eo, quod absolute resipuerint: si quidem neutrum ex his duobus contigit: ergo. Constat eadem veritas ex primo Regum, & ex Ezech Legantur multæ id generis prædictiones divine, quas congerit Eruditissimus P. Montoya, & gravissimus Theologus P. Izquierdo, quarum pleræque etiam si metaphysicè connexæ cù eventu cōditionato futuro; nihilominus neque connexæ fuerunt cum existentia absoluta conditionis, neque cum existentia absoluta conditionati.

55. Et ratio philosophica est, quam præbet Dialectica. Videlicet u/q; ad di-  
veritatem conditionalem præcisè, ut talem, nil ponere in esse: id est spus. 80.  
neque pulcere absolutam existentiam conditionis, neque existentiam P. Izq.  
absolutam conditionati: sed dum taxat, quod, existente illa, existat hoc. tom. 2. de  
Quandoque autem contingit fundamentum connexionis, conditio. Dico tract.  
nax esse per se connexum cum existentia absoluta conditionis, nec 9. dis. p. 18.  
non cum existentia absoluta conditionati: sic quævis creatura ex suig. quæst. 6 a  
num. 111. in-

intrinsecis est essentialiter connexa cum eo, quod si existat Deus, summa fruatur perfectione, & ulterius est connexa cum eo, quod Deus absolutè existat, absolutèque fruatur summa perfectione. Item non nunquam evenit, ut fundamentum connexionis conditionata sit metaphysicè oppositum conditioni. Sic revelatio illa Ezech. *non mitteris*

*Ezech. 3: ad populos ignotæ lingua: & si ab illos mittereris, audirent te.* Ita fuit connexa cum eo, quod Propheta audiretur, si ad illos populos mitteretur, ut ulterius fuerit opposita cum tali missione: conceptis quippe verbis dixit illi Deus *non mitteris ad populos &c.* Item complexum resultans ex scientia conditionata efficaciam auxilii A. & ex nolitione largiendi illud, ita est metaphysicè connexum cum conversione sub auxilio A. ut metaphysicè opponatur tali auxilio. Cæterum hæc omnia sunt præter conceptum connexionis metaphysicæ conditionatae.

56. Probo secundam partem, nimirum non omne metaphysicè connexum cum eo, quod si datur conditio, detur conditionatum, esse metaphysicè connexum cum eo, quod si non datur conditio, non detur conditionatum: aut cum eo, quod si datur conditionatum, detur conditio. 1. Nam unio physica duorum est metaphysicè connexa cum eo, quod si ipsa existat, existant extrema; & tamen neque est connexa cum eo, quod ipsa deficiente, extrema deficiant, neque cum eo, quod existentibus extremis, ipsa quoque existat, ut planum est: ergo non omne &c. Idem videri potest in scientia media de consensu v. g. sub libertate A. Et ratio est: fieri potest, ut sit vera hæc propositio, si datur A. dabitur B. quia sint veræ illæ duæ, si non datur A. non datur B: si dabitur B. dabitur A: ergo non omne metaphysicè connexum cum illa prima veritate est connexum cum alterutra ex his duabus. Probatur antecedens. Quoties duæ propositiones conditionales, & assumunt diversas conditiones, & diversa conditionata, potest una esse vera, & altera falsa, nisi aliunde speciale caput emergat: quod innumeris exemplis ostendi potest. Sed hæc veritas conditionalis, si datur A. datur B. & assumit distinctam conditionem, & distinctum conditionatum, ac assumunt illæ duæ, ut consideranti patebit, & aliunde nullum speciale caput neëtit illam cum altera ex his duabus: ergo illa prima potest esse vera, quia sunt veræ hæc secundæ: ergo non omne &c.

57. Probo tertiam partem difficiliorem; scilicet, omne metaphysicè connexum cum eo, quod si existat conditio, existat conditionatum, esse eo ipso metaphysicè cōnexum (exceptione postea danda) cum eo, quod si deficiat conditionatum, deficiat conditio. Omne metaphysicè oppositū cum eo, quod deficiente conditionato in instanti A. v. g. existat in hoc

hoc eodem instanti conditio, est metaphysicè cōnexum cum eo, quod deficiente conditionato in instanti A. deficiat conditio in eodem instanti (videtur evidens; nam cūm omnis metaphysica oppositio cum uno extremo, sit metaphysica connexio cum contradictorio ipsius, necesse est, dari connexionem cum eo, quod deficiat conditio in , & pro illis circumstantiis, pro quibus datur metaphysica oppositio cum eo, quod existat) sed omne metaphysicè connexum cum eo, quod si datur conditio in A. detur in eodem instanti conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quod deficiente in A. conditionato, existat in A. conditio . Probatur . Omne metaphysicè oppositum cum eo , quod existente in A. conditione , deficiat in A. conditionatum , est metaphysicè oppositum cum eo, quod deficiente in A. conditionato, existat in A. conditio (quia, existente in A. conditione, conditionatum, deficeret, est formaliter, aut illativè, quod deficiente conditionato existat conditio) sed omne metaphysicè connexum cum eo , quod, existente in A. conditione, existat quoque conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo , quod existente conditione, deficiat conditionatum , quippe est metaphysicè oppositum cum exclusivo hujus, quod est ; si in A. existat conditio, existet quoque conditionatum , & abs dubio excluderetur hæc veritas objectiva, si existente in A. conditione, deficeret in A. conditionatum: ergo omne metaphysicè connexum &c.

58. Urgetur 1. Per te aliquid metaphysicè connexum cum eo, quod, data conditione in instanti A. detur conditionatum in eodem instanti non est metaphysicè connexum cum eo , quod deficiente in A. conditionato, deficiat conditio: ergo ex se permittit, quod deficiente conditionato in A. existat conditio in eodem instanti ; sed si deficiente conditionato in A. existeret conditio in eodem instanti , procul dubio esset falsa hæc conditionalis. Si datur conditio in A. dabitur conditionatum in eodem instanti ; quandoquidem falsitas objectiva, atque immediata hujus veritatis stat unicè in eo, quod data conditione in A. deficiat conditionatum in eodem instanti : ergo aliquid metaphysicè connexum cum eo, quod si datur conditio in A. detur in eodem instanti conditionatum, est ex se compatibile cum falsitate hujus conditionalis : Si datur conditio in A. datur in eodem instanti conditionatum : ergo ex se est compatibile cum contradictrio praedictæ conditionalis: qui exploratus est error philosophicus.

59. Urgetur 2. Omne metaphysicè oppositum cum eo , quod in A. conjungantur existentia conditionis , & earentia conditionis, est

est metaphysicè oppositum cum eo , quod deficiente in A. conditionato , detur in eo instanti conditio ( nisi tota hæc oppositio fundetur oppositione privata cum alterutro determinatè ex his duobus ob dicenda cap. 5.) sed omne metaphysicè connexum cum eo , quod data conditione in A. detur in eodem instanti conditionatum , est metaphysicè oppositum cum eo , quod in eodem instanti conjungantur existentia conditionis , & carentia conditionati , quippe est metaphysicè oppositum cum eo , quod in A. conjungantur carentia conditionati cum existentia conditionis : & omnis conjunctione duorum indispensabiliter est mutua , ut bene demonstrat P. Izq. ergo omne metaphysicè connexum cum eo , quod data conditione in A. detur in eodem instanti conditionatum , est metaphysicè oppositum cum eo , quod deficiente conditionato in A. detur tunc conditio : ergo est metaphysicè connexum cum eo , quod deficiente conditionato , deficiat conditio . Major hujus discursus certa videtur ; si namque deficiente in A. conditionato , existeret in eodem instanti conditio , conjugantur existentia conditionis , & carentia conditionati : ergo quidquid fuerit metaphysicè oppositum huic conjunctioni , debet esse , restrictione ibi adjuncta , oppositum cum eo , quod deficiente conditionato , existat conditio . De hoc redibit sermo infra .

P. Izq.  
disp. 14. q.  
4. in Pba.

### §. I I I.

60. **U**t autem doctrina hæc luculentius pateat , tria notare oportet . Primum est . Omne metaphysicè connexum cum eo , quod data conditione , detur conditionatum , esse quidem connexum cum eo , quod deficiente conditionato , deficiat conditio , quando videlicet defectus conditionati non fuerit metaphysicè connexus cum existentia conditionis , (& in hoc sensu intelligenda est nupera Doctrina cum suis probationibus , ) quod si defectus conditionati connexus sit metaphysicè cum existentia conditionis , nil , excepta chymæra , connexum metaphysicè cum eo , quod data conditione , detur conditionatum , potest connecti cum eo , quod deficiente conditionato , deficiat conditio . Ratio est clara . Nil possibile potest metaphysicè connecti cum chymæra : sed esset chymæra , quod deficiente conditionato , deficeret conditio , quando defectus conditionati est metaphysicè connexus cum existentia conditionis : chymæra namque est , quod dato fundamento metaphysicæ connexionis , deficiat terminus e modo ,

modo, quo terminus fuerit: ergo. En rationem, propter quam decretum efficax divinum de eo, quod duo corpora numquam penetrantur, tametsi metaphysicè connectatur cum hac veritate conditionali: *Si cras existant duo corpora hæc, non existet cras eorum penetratio;* nihilominus non connectitur metaphysicè cum eo, quod deficiente conditionato, deficiat conditio: quippe defectus formalis ejus conditionati negativi est amborum corporum penetratio, quæ profectò cum ambobus corporibus, quæ sunt hypothesis objectiva, est metaphysicè connexa. Porro exceptionem aliam dabimus infra.

61. Potes probare, hanc exceptionem non subsistere, eodem argumento, quo nos supra probavimus absolute conclusionem. Sed respondetur. Hoc, quod est, data conditione, deficere conditionatum, est idem, ac, deficiente conditionato, existere conditionem, quando defectus conditionati non est connexus metaphysicè cum existentis conditionis; secus quando est connexus: in hoc quippe casu, quod, deficiente conditionato, detur conditio, est prorsus necessarium; cùm contingens sit, quod, existente conditione, deficiat conditionatum. Urgebis. Ab omni conditionali vera simul cum purificatione conditionis arguitur existentia conditionati: ergo ab omni conditionali vera simul cum negatione conditionati arguitur negatio conditionis. Nego consequentiam, quoniam, si conditionalis est vera, nequit conditio esse opposita cum conditionato; unde fieri potest, ut aggregatum ex ipsa, & conditionali vera, sit metaphysicè connexa cum conditionato. Cæterum fieri potest, conditionalem esse veram, & tamen conditionati defectum esse intimè connexum cum conditione, unde intimè repugnantem conditionis negationi, ut patet in illis conditionalibus sèpè dictis: *Si existit libertas A. non loquitur v. g.: Si existunt duo corpora, non sunt penetrata;* quorum conditionatorum defectus, seu contradictorium intimè connectitur cum existentia conditionum: ergo neque per se, neque per aliud poterit inferre conditionis negationem. Sed replicabis; quid ergo inferunt hæ duæ præmissæ. *Si dantur hæc duo corpora, non sunt penetrata;* sed sunt penetrata? Respondeo, eas inferre utrumque contradictorium, nam cùm veritas minoris sit incomponibilis cum veritate majoris ( siquidem assert secum conjunctionem conditionis cum carentia conditionati) idcirco ex simultanea veritate ambarum, ambo contradictionia eliciuntur.

62. Secundum, quod notare oportet, est. Fundamentum meta-

physicè connexum cum hac veritate conditionali. Si datur A. datā quoque B. quando est connexum cum hac inversa. Si non datur B. non datur A. connectitur cum illa, sumptā hac secunda non in sensu illativo, neque in sensu strictè conditionali, sed in sensu merè conjunctivo, & quem D. Thomas vocat temporalem. Explicatur. Quævis propositio conditionalis triplicem sensum reddere potest: primus est *illativus*; nempe quando particula si significat connexionem hypothesis objectivæ cum conditionato, hujusque illationem ex illa. Secundus strictè *conditionalis*, nimirūm, quando eadem particula significat hypothesis objectivam esse conditionem, prærequisitumque, ut detur conditionatum, aut saltem causam plenè, ac proximè potentem ponere illud, ut est libertas indifferentiæ ad illud. Tertius merè *conjunctivus*, scilicet quando ea particula dumtaxat enunciatur, fore ut, dum existat conditio, existat etiam conditionatum à quovis alio abstrahendo. Dico igitur: omne connexum cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, esse quidem conexū sub exceptione data cum eo, quod si deficit conditionatum, deficiat quoque conditio, non in sensu illativo; namque connexum non est cum eo, quod defectus conditionati sit conæxus cum defectu conditionis; neque in sensu strictè conditionali, quia non est connexum cum eo, quod defectus conditionati sit prærequisitus ad defectum conditionis, aut sit proxima causa illius. Solùm itaque est coanexum cum præfata veritate inversa sumpta in sensu merè conjunctivo, quatenus est connexum præcisè cum eo, quod deficiat conditio in instanti, in quo defecerit conditionatum. Quod si quæsieris, an hic sensus conjunctivus propositionis conditionalis inversæ debeat esse universalis, an particularis, an singularis? Respondebo, conditionalem inversam habituram eamdem quantitatem, quam habet directa attentis regulis conversionum, & contradictiorum.

63. Tertium, quod notare oportet, est Doctrinam hucusque probatam accipiendam esse de sola connexione metaphysica, non de physica; quippe non omne physicè tantum connexum cum eo, quod si datur A. detur quoque B., est physicè connexum cum eo, quod si non datur B. non detur A. Probatur: nullum corpus est physicè connexum cum eo, quod, deficiente carentia penetrationis, seu data penetratione sui ipsius cum alio corpore, ipsum deficiat; sed omne corpus est physicè connexum cum eo, quod, ipso existente, detur suo modo carentia penetrationis sui ipsius cum alio corpore: ergo aliquid physicè connexum cum eo, quod existente corpore detur

detur carentia penetrationis, non est physicè connexum cum eo, quòd, deficiente carentia penetrationis, seu quod idem est, data penetratione, non detur illud corpus. Consequentia est legitima, minor certa, quoniam de conceptu cujusque corporis est ordo intrinsecus ad quantitatem, aut per identitatem, aut per unionem cum illa juxta conceptum, quem dabimus corporis disp. 4. Logicæ, & consequenter physica connexio cum carentia penetrationis sui ipsius, cum alio corpore. Probatur major: nil possibile est physicè connexum cum eo, quòd, dato fundamento connexionis metaphysicæ, absit terminus; sed defectus carentiae penetrationis, sive penetratio ipsa, est metaphysicè connexa cum corpore; ergo nil possibile est physicè connexum cum eo, quòd, deficiente carentia penetrationis, seu data penetratione sui ipsius, ipsum deficiat.

### §. I V.

64. **T**ertia propositio. Neque omne metaphysicè oppositum cum eo, quòd si datur conditio, detur conditionatum, est metaphysicè oppositum cum existentia absoluta conditionis; neque cum existentia absoluta conditionati; neque cum eo, quòd si non datur conditio, non detur conditionatum; neque cum eo, quòd si non detur conditionatum, non detur conditio. At verò omne metaphysicè oppositum cum eo, quòd, data conditione, detur conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quòd, dato conditionato, detur conditio, nisi conditionatum fuerit metaphysicè connexum cum conditione, ut potest esse, ac patet in hac veritate conditionali. Si datur libertas A, se exercebit peccando: cuius conditionatum est intimè connexum cum conditione, nam quævis actio est intimè connexa cum suis causis physicis, & moralibus. Potes eamdem rationem objicere, quam nuper num. 61. Cæteræ partes hujus conclusionis, præter ultimam probantur eisdem fermè rationibus, quibus supra usi sumus. Probo ultimam, in qua oppositio discrepat à connexione: quippe, ut diximus supra, non omne metaphysicè connexum cum eo, quòd, data conditione, detur conditionatum, est connexum cum eo, quòd dato conditionato, detur conditio; ast omne metaphysicè oppositum cum eo, quòd, data conditione, detur conditionatum, est oppositum cum eo, quòd, dato conditionato, detur conditio. Quod sic ostenditur. Primo ab absurdis.

65. Per te aliiquid metaphysicè oppositum cum eo, quòd data-

conditione, detur conditionatum, non est metaphysicè oppositum cum eo, quod, dato conditionato, detur conditio: ergo aliquid metaphysicè oppositum cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, permittit ex suis intrinsecis, quod ad præsentiam sui, dato conditionato, detur conditio, sed quod, dato conditionato, detur conditio, est formaliter, aut illativè aliquis casus, in quo, data conditione, detur conditionatum: ergo aliquid metaphysicè oppositum cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, permittit ex suis intrinsecis aliquem casum ad præsentiam sui, in quo, data conditione, detur conditionatum. Quod apertè est chymora. Secundò à priori. Omne metaphysicè oppositum cum eo, quod in A. v. g. coexistant conditio, & conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, existente in A. conditionato, existat in A. conditio (nisi oppositio cum ea coexistentia nascatur ex privata oppositione cum alterutro determinatè ex illis extremis, ob postea dicenda) si enim, dato conditionato in A. daretur in eodem instanti conditio, proculdubio coxisterent in A. conditio, & conditionatum: sed omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, data conditione in A, detur in eodem instanti conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quod in A. coexistant conditio, & conditionatum. Si enim non esset metaphysicè oppositum huic coexistentiæ, permetteret, quod, data conditione, daretur conditionatum: ergo omne &c.

66. Sin verò oppositio dumtaxat fuerit cum eo, quod, si datur conditio, detur conditionatum, sumpta illa copula Si in sensu illativo, aut strictè conditionali, non continuò erit oppositio cum eo, quod, si datur conditionatum, detur conditio: quomodo cumque accipiatur illa particula Si in hac secunda propositione. Probatur: oppositio cum eo, quod, si datus conditio, detur conditionatum, sumpta copula in sensu illativo, vel strictè conditionali, solum est oppositio cum eo, quod hypothesis objectiva sit connexa cum conditionato, aut prærequisita ad ipsum. At fieri potest, ut detur oppositio cum eo, quod hypothesis objectiva sit connexa, aut prærequisita, quin detur oppositio cum eo, quod ambo coexistant, aut cum eo, quod conditionatum sit connexum cum conditione, vel prærequisitum ad ipsam; nam hæ sunt objectivæ veritates distinctæ mutuo; ergo. Porro hujus propositionis doctrina accipienda est eisdem limitationibus, quibus superior propositio de connexione. Etenim decretum Divinum efficax de eo, quod duo corpora non penetrantur, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, datis eis duobus corporibus, detur ipsa.

ipsum penetratio ; & tamen non est metaphysicè oppositum cum eo , quòd , data eorumdem penetratione , dentur illa corpora ( alioquin foret metaphysicè oppositum cum veritate necessaria ) scilicet quia in hoc casu conditionatum est metaphysicè connexum cum conditione , & quando hoc contingat , non omne metaphysicè oppositum cum eo , quòd , data conditione , detur conditionatum , est metaphysicè oppositum cum eo , quòd , dato conditionato , detur conditio .

67. Adde totam oppositionem , quam habet prædictum efficax decretum cum eo , quòd , datis illis duobus corporibus , detur ipsum penetratio , unicè stare in oppositione privata , & peculiari cum ipsa penetratione ; & quando hoc contingit , necesse non est , ut ulterius sit oppositio cum eo , quòd , data penetratione , dentur duo corpora : siquidem sola penetratio , nec identificatur cum hoc enunciabili objectivo , si datur penetratio duorum corporum , dabuntur hæc , neque hujus terminat metaphysicam connexionem , quamvis cum illa intimè connectatur .

## CAPUT QUINTUM.

*Conferuntur Connexio, & Oppositiō conditionales  
cum Copulativa.*

68.



IT quarta propositio . Omne metaphysicè connexum cum hac veritate conditionali : Si detur conditio A. dabitur in eodem instanti conditionatum B. est metaphysicè connexum cum hac veritate negativa : Non coexistunt bodie v.g. existentia conditionis , & carentia conditionati ; sed non viceversa : idest , non omne metaphysicè connexum cum hac veritate negativa , est eo ipso metaphysicè connexum cum illa conditionali . Probo primam partem : omne metaphysicè oppositum cum eo , quodd conjugantur existentia conditionis , & carentia conditionati , est metaphysicè connexum cum eo , quodd non conjugantur ( eo quodd metaphysica oppositio cum uno extremo est metaphysica connexio cum contradictorio ) sed omne metaphysicè connexum cum eo , quodd si datur conditio , detur conditionatum hodie v. g. est metaphysicè oppositum cum eo , quodd bodie conjugantur absolute existentia conditionis , & carentia conditionati . Probatur . Omne metaphysicè oppositum cum eo , quodd si datur

datur hodie conditio , detur hodie carentia conditionati, est metaphysicè oppositum cum eo , quod hodie coexistant conditio , & carentia conditionati (nam si hodie coexisterent absolutè hæc duo , verificaretur , quod existente conditione hodie , daretur hodie carentia conditionati) sed omne metaphysicè connexum cum eo , quod , si hodie detur conditio , hodie detur conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo , quod , si hodie detur conditio , detur hodie carentia conditionati: ergo . Neque obstat , veritatem conditionalem nil posse esse; quippe hoc dumtaxat est verum , quatenus veritas conditionalis neque connectitur semper cum existentia conditionis , neque cum existentia conditionati non verò quatenus careat etiam connectione à nobis statuta .

69. Dices: ergo hæc veritas conditionalis ; Si Petrus habuerit libertatem A. peccabit , est metaphysicè connexa cum hac absoluta negativa . Non conjungentur libertas A. & carentia peccati : ergo quisquis habuerit libertatem ad hanc secundam negativam , habebit quoque libertatem ad illam conditionalem: nam , ut postea dicetur , libertas ad terminum connexionis metaphysicæ est libertas ad fundamentum ; sed Deus plenam habet libertatem ad hanc veritatem absolutam negativam : quippe liberimè potest facere , ne Petrus habeat libertatem A. & consequenter ne conjungantur libertas A. & carentia peccati : ergo Deus liberrate quoque fungitur ad illam conditionalem: sed hoc aperte refragatur Scientiæ Mediae : quoniam illa conditionalis est actus quidam Scientiæ Mediae: ergo illa veritas conditionalis non est connexa cum hac absoluta negativa . Concessa prima sequela , distingo secundum consequens : qui habuerit libertatem ad hanc absolutam negativam impediendam habebit quoque libertatem ad illam conditionalem; concedo consequentiam: ad hanc absolutè negativam determinandam præcisè , non verò impediendam habebit quoque libertatem ad illam conditionalem; nego consequentiam , & pariter exposita probatione , distingo minorem subjunctionem: Deus habet libertatem ad hanc absolutam negativam determinandam; concedo minorem: impediendam; nego minorem , si cut nec habet libertatem ad currendum , posseendum , & similia , quæ imperfectionem imbibunt: & nego consequentiam .

70. Explicatur . Omnis , qui veram habuerit potestatem impediendi terminum connexionis metaphysicæ , indispensabiliter habet aliquam veram potestatem in aliquo vero sensu ad impediendum fundamentum , nisi hoc præsupponatur impeditum , vel aliounde impedien-

pediendum independenter ab impediōne termini, ut postea fusiūs dicetur. Cæterū non omnis, qui habet potestatē ad ponendum terminum connexionis metaphysicæ, habet eo ipso aliquam potestatē ponendi fundamentum: nam cùm terminus possit existere in rebus sine fundamento connexionis (siquidem non semper connexio est reciproca) non est cur potestas ponendi terminum, sit eo ipso potestas ponendi fundamentum licet non præsuppositum aliunde, quod exemplis cuique obviis declarari potest. Hinc ad rem præsentem: verum est, præfatam veritatem conditionalem esse metaphysicæ connexam cum prædicta veritate absoluta negativa: præterea verum est, Deum habere potestatē ad determinandam veritatem hanc absolutam negativam, ut bene ostendit arguens: cæterū potestatē non habet impediendi eam veritatem absolutam negativam, sicut nec ad cætera, quæ imperfectionem Deoaspergerent, ut curtare, discere, mereri &c.

71. Ratio est. Omnis libertas impediendi prædictam veritatem absolutam negativam, scilicet, *Non coexistent libertas A. & carentia peccati*, aut est libertas ad impediendum illam in sensu composito hujus veritatis: *Si datur libertas A. datur peccatum*; aut in sensu diviso illius? Sed neutram habet Deus. Probatur. Non primam; quoniam unicus modus impediendi illam veritatem negativam est facere, ut coexistant libertas A. & carentia peccati; sed hæc coexistentia est impossibilis in sensu composito veritatis conditionalis: nam cùm hæc sit intimè connexa cum eo, quod, data libertate A; detur peccatum: si ulterius datur libertas A; est consequenter necessarium dari peccatum: ergo est consequenter impossibile dari carentiam peccati: ergo est consequenter impossibilis coexistentia carentiæ peccati, & existentia libertatis A: ergo Deus nullam habet potestatē ad hanc coexistentiam determinandam in sensu composito veritatis conditionalis: ergo nec habet ullam potestatē ad impediendam illam veritatem absolutam negativam in sensu composito prædictæ veritatis conditionalis.

72. Præterea non in sensu diviso: nam vel esset in sensu diviso faciendo ab ipso Deo, vel in sensu diviso faciendo ab alio? Non in sensu diviso faciendo ab ipso Deo: quippe Dei non est impedire hanc veritatem, *si datur tota integra, & sola libertas A. datur peccatum*, ut constat ex nostris principiis suo loco probatis, quia illa conditionalis est actus Scientiæ Mediæ directæ. Deinde non in sensu diviso faciendo per alium, quia id generis potestas ad libertatem non sufficit: alioquin

quin incarceratus haberet libertatem eundi quod voluerit : quandoquidem potest in sensu diviso à captivitate faciendo per alium : ergo de primo ad ultimum Deus nulla fungitur libertate ad impedendum prædictam veritatem absolutam negativam ; proindeque argumentum contrarium deficit. Totum autem hoc fundatur in eo, quod, sicut Deus non habet potestatem ad destruendum hanc chartam destructione conjungenda cum efficace suo decreto conservandi eam ; ita non habet potestatem ad conjungendum , cum libertate indifferente ad duo , irresistibilem , ac inevitabilem determinationem ad unum determinatè . At unicus modus impediendi hanc negativam esset, quatenus Deus posset facere, quod, existente libertate indifferente A. daretur prædeterminatio ad carentiam peccati, quæ prædeterminatio est irresistibilis , ac creaturæ inevitabilis determinatio ad unum: ergo .

73. Secunda pars superioris propositionis , probatur primò . Si hæc veritas absoluta negativa : *Non conjungentur libertas A. v.g. & carentia peccati* ; esset metaphysicè connexa cum hac conditionali , si existat libertas A. existat peccatum , quisquis libertate gaudeat determinandi illam , libertate etiam gaudebit ad determinandum hanc: quippe cum fundamentum connexionis metaphysicè ineluctabiliter afferat secum terminum : qui fuerit in causa , ut existat fundamentum , est quoque in causa , ut terminus existat ; sed Deus plenissimam habet libertatem determinandi illam veritatem absolutam negativam , scilicet non largiendo libertatem A; qui optimus est modulus, ne conjungantur libertas A. & carentia peccati : ergo Deus habet quoque libertatem ad determinandum veritatem conditionalem. Quod nuper diximus esse falsum : ergo . Secundò , Decretum Divinum negandi auxilium A. efficax, in quocumque consistat sua efficacia, est metaphysicè conatum cum hac veritate : *Non coexistent auxilium A; & carentia peccati* , & tamen non est connexum cum hac ; Si daretur auxilium A; daretur peccatum , ut constat . Item carentia Petri utpote metaphysicè opposita Petro , est metaphysicè connexa cum eo , quod non coexistant Petrus , & carentia Joannis : & tamen non est metaphysicè connexa cum eo , quod, existente Petro, existat Joannes : ergo .

74. Et ratio à priori est : eo ipso, quod aliquid metaphysicè connectatur privatim cum eo , quod non detur in rerum natura conditio : aut privatim cum eo , quod non detur carentia conditionata , metaphysicè connectitur cum eo , quod non coexistant in rerum natura

## *Conditionalis cum copulativa.* 441

turā conditio , & carentia conditionati : nam cùm hæc coexistentia intrinsecè imbibat utrumque , quidquid alterutrum excluderit . coexistentiam ipsam excludere necesse est ; sed fieri potest , quod aliquid metaphysicè connectatur privatim cùm eo , quod non detur in rerum natura conditio , quin metaphysicè connectatur conditionate cùm eo , quod si datur conditio , detur conditionatum : ergo fieri potest , quod aliquid metaphysicè connectatur cùm eo , quod non coexistat conditio , & carentia conditionati , quin connectatur cùm eo , quod si datur conditio , detur conditionatum : ergo non omne connexum cùm illo , est connexum cùm hoc . Probo minorem . Quoties unum , neque identificatur , neque metaphysicè connectitur cùm altero , datur locus , ut aliud tertium metaphysicè connectatur cùm hoc uno , quin metaphysicè connectatur cùm illo altero . Ad probandum enim connexionem cùm B . ex connexione cùm A ; duo tantum suppetunt media , nempe identitas A , cùm B ; aut connexion illius cùm hoc . At hoc , quod purè , & præcisè est non dari conditionem , neque identificatur , nec metaphysicè connectitur cùm hac veritate conditionali ; Si datur conditio , datur conditionatum , ut patet : ergo fieri potest , ut aliquid metaphysicè connectatur cùm eo , quod non detur conditio , quin metaphysicè connectatur cùm eo , quod si datur conditio , detur conditionatum : sed eo ipso &c. Non negabo hanc veritatem absolutam negativam ; Non coexistent conditio A , & carentia conditionati B , esse connexam disjunctivè cùm hac conditionali ; Si datur conditio , datur conditionatum , quia connectitur cùm eo , quod vel non detur conditio , vel non detur conditionatum ; vel si detur conditio , detur quoque conditionatum ; nam si haec tria deficerent , deficeret etiam illa veritas aboluta negativa , ut deprehendet quisquis terminos expendat .

### §. I I.

75. Verum contra hanc Doctrinam multa , necnon importuna satis argumenta passim in Philosophia , & Theologia exurgere possunt . Rescindam præcipua . Objicies ergo loquendo de conditione , & conditionato , neque in vicem connexis , neque in vicem oppositis . Omne metaphysicè oppositum falsitati hujus conditionalis : Si existat conditio , existet conditionatum , est metaphysicè connexum cùm objectiva veritate ejusdem conditionalis ; sed non conjungendas esse conditionem , & carentiam conditionati , est metaphy-

Y y

metaphysicè oppositum falsitati illius conditionalis. Probatur: omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, existente conditione, detur carentia conditionati, est metaphysicè oppositum falsitati illius conditionalis (objectiva quippe falsitas illius staret in eo, quod, existente conditione, daretur carentia conditionati) sed non conjungendas esse conditionem, & carentiam conditionati, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, existente conditione, detur carentia conditionati; namque opponitur cum eo, quod, conjungantur, sive coexistant conditio, & carentia conditionati, quæ abs dubio coexisterent, si, existente conditione, daretur carentia conditionati: ergo. Confirmatur 1. Omne metaphysicè oppositum conjunctioni duorum, metaphysicè connectitur cum eo, quod, existente uno, non existat alterum (quoniam, existente uno, existere alterum, est formalissimè eam duq coexistere) sed non conjungendas esse conditionem, & carentiam conditionati, est metaphysicè oppositum coexistentia conditionis, & carentia conditionati: ergo est metaphysicè connexum cum eo, quod, existente conditione, non existat carentia conditionati; sed non existere carentiam conditionati, est re ipsa existere conditionatum: ergo est metaphysicè connexum cum eo, quod, existente conditione, existat conditionatum.

76. Confirmatur 2. Quidquid metaphysicè opponitur cum eo, quod, existente conditione, deficiat conditionatum, metaphysicè connectitur cum eo, quod pro casu existentia conditionis existat conditionatum, nisi hæc extrema sint chymærica (quippe est omnino necessarium quod, existente conditione, aut existat, aut deficiat conditionatum: unde quidquid ex suis intrinsecis non permittit, quod, existente conditione, deficiat conditionatum, ex suis intrinsecis affert, quod, existente conditione, existat conditionatum.) At non conjungendas esse conditionem, & carentiam conditionati, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, existente conditione, deficiat conditionatum, quandoquidem est metaphysicè oppositum cum eo, quod, coexistant conditio, & carentia conditionati, quæ proculdubio coexistant, si, existente conditione, deficiat conditionatum: ergo. Confirmatur. 3. Omne metaphysicè connexum disiunctivè cum eo, quod, deficiat unum, vel alterum, metaphysicè connectitur determinatè cum eo, quod, si non deficiat unum, deficiat alterum: quoniam, si, non deficiente uno, non deficeret alterum, neutrum deficeret, proindeque non subsisteret, quod, deficiat unum, vel alterum. Sed non conjungendas esse conditionem, atque carentiam conditionati,

nati, est metaphysicè connexum cum eo, quod deficiat conditio, vel deficiat carentia conditionati: si enim neque deficeret conditio, neque deficeret carentia conditionati, conjungerentur conditio, & carentia conditionati, quod praefata veritas non patitur: ergo praefata veritas absoluta negativa est metaphysicè connexa cum eo, quod, si non deficiat conditio, deficiat carentia conditionati; sed non deficerere conditionem est existere conditionem, & deficerere carentiam, conditionati est existere conditionatum: ergo de primo ad ultimum praedicta veritas absoluta negativa est metaphysicè connexa cum eo, quod, existente conditione, existat conditionatum.

77. Speciosæ arguendi formæ; verum superioris doctrinam propositionis non subvertunt, imò doctrinæ non spernendæ occasioem præbent. Probat 1. argumentum cum suis confirmatoribus, Deum posse determinare hanc veritatem conditionalem, quæ est Scientia Media directa; si Petrus haberet libertatem A. convertetur contra alibi stabilita societatis principia: nam cùm possit determinare hanc; Nunquam coexistens libertas A. & carentia conversionis (eo quod plenariè possit nunquam largiri libertatem A.) si hæc foret connexa cum illa, posset quoque illam determinare. Probat 2. Decretum Divinum numquam conferendi auxilium A., quod ponamus esse ex genere inefficacium, sive intrinsecè, sive extrinsecè, esse metaphysicè connexum cum hac veritate; si existaret auxilium A. existaret conversio: nam tale decretum utpotè metaphysicè oppositum existentia hujus auxilii, est etiam metaphysicè oppositum coexistentia hujus auxilii, & carentia conversionis, quo circa juxta argumenta superiora erit oppositum cum eo, quod, existente auxilio A., detur carentia conversionis: ergo connexum cum eo, quod, existente Auxilio A., detur conversio. Probat 3. Decretum Divinum destructivum solius Petri, esse metaphysicè connexum cum hac veritate conditionali disparata: Si Petrus existet, gallus cantat: nam est metaphysicè connexum cum eo, quod Petrus non existat: ergo est metaphysicè connexum cum eo, quod non detur coexistentia Petri, & carentia cantus Galli: ergo cum eo, quod, si detur existentia Petri, non detur carentia cantus: ergo cum eo, quod, si detur existentia Petri, detur cantus.

78. Quo circa fateor, omne metaphysicè oppositum falsitati unicæ illius, & cuiusvis propositionis conditionalis, connecti metaphysicè cum ejusdem veritate (nam quidquid ex suis intrinsecis removet unicum impedimentum cuiuspiam rei, ex suis intrinsecis tra-

hit secum mediata, vel immediata eamdem rem) ast non omne, quod  
opponitur alicui falsitati, seu alicui modo, ut falsa sit propositio, con-  
nectitur metaphysicè cum veritate ejusdem: namque fieri potest, ut  
amoto uno impedimento veritatis, perseveret aliud, & consequenter  
fieri potest, ut existente illa re, quæ unum impedimentum veritatis  
removet, deficiat nihilominus veritas: sic decretum efficax divinum  
statuens, ne existant simul, aut seorsim Petrus, & Paulus, est impe-  
dimentum metaphysicè pugnans cum existentia Petri: rursus volitio  
efficax existentia Pauli opponitur ei decreto; & tamen hæc volitio  
non connectitur metaphysicè cum Petro, & sanè non ob aliam cau-  
sam, nisi quia, licet volitio hæc opponatur cum eo decreto, & illud  
decretum sit impedimentum existentia Petri, attamen non est uni-  
cum impedimentum: quia per decretum aliis tendentia potest Deus  
de medio tollere Petrum.

79. Hoc in præsenti. Ista veritas absoluta negativa; non con-  
jungentur absolute conditio, & carentia conditionati; metaphysicè op-  
ponitur cum eo, quod, existente absolute conditione, detur carentia  
conditionati. Cæterum quod, existente absolute conditione, detur  
absolute carentia conditionati, non est unica falsitas, seu unicus mo-  
dus, ut falsa sit hæc conditionalis: si existeret conditio A, existeret  
conditionatum B, quia poterat hæc esse falsa, et si non accideret un-  
quam, quod, existente absolute conditione, daretur carentia condi-  
tionati, ut constat ex auxilio inefficace numquam extituro, de quo  
sive intrinsecè, sive extrinsecè inefficace falsificatur hæc conditiona-  
lis: si existeret tale auxilium, existeret conversio; & tamen numquam  
continget, quod, existente absolute hoc auxilio, detur absolute ca-  
rentia conversionis, videlicet quia numquam continget, exister-  
absolute tale auxilium, ut ponimus; ex quibus prompta est solutio  
in forma.

80. Quod si dixeris, hanc absolutam veritatem negativam, non  
conjugentur conditio, & carentia conditionati, non modò opponi-  
cum eo, quod utcumque coexistant conditio, & carentia condi-  
tionati; verum ulterius cum eo, quod, detur carentia conditionati  
casu, quo existat conditio: imò unicum modum, quo hæc duo coexi-  
stere possunt, esse, si existente absolute conditione, detur absolute  
carentia conditionati. Si inquam id dixeris, respondebo. Hanc pro-  
positionem negativam geminum sensum habere posse, alterum pure,  
& præcisè absolutum, nempe non coexistent absolute conditio, & care-  
ntia conditionati; alterum indirectè, seu tacite conditionatum, scilicet,  
et si

## *Conditionalis cum copulativa.*

445

*et si existeret conditio , non daretur carentia conditionati ( quas explana-  
tiones esse plurimum diversas , tametsi diversæ non apparet , evin-  
cit exemplum toties allegatum auxilii inefficacis numquam extitu-  
ri : siquidem de eo verè enunciatur non coextitum carentia conver-  
sionis , & falso affirmatur sic : si existeret id auxilium , non daretur care-  
ntia conversionis ; quin imò , si existeret tale auxilium , daretur care-  
ntia conversionis . Igitur si præfata veritas absoluta negativa accipia-  
tur in primo sensu ( prout à nobis in præsentiarum accipitur ) con-  
nexa est cum eo , quòd non existat conditio , item cum eo , quòd  
non existat carentia conditionati , quia utrolibet ex his posito , verum  
est non conjungi conditionem , & carentiam conditionati : fieri au-  
tem potest , quòd non existat conditio , quin verificetur , quòd , si  
conditio existeret , carentia conditionati deficeret ; sūn verò præ-  
dicta veritas absoluta negativa accipiatur in secundo sensu , fateor,  
illam opponi cum eo , quòd , si existat conditio , detur carentia con-  
ditionati .*

### §. III.

81. **R**espondeo 2. ad objectionem , permissa majore , negando mi-  
norem , ad hujus probationem , nego quoque minorem :  
ad junctæ rationi occurrens dicendo , hoc , quod est , *non conjungen-  
das esse conditionem , & carentiam conditionati* , aliquando opponi coe-  
xistentiæ ambarum oppositione privata , & peculiari cum sola exi-  
stentia conditionis : aliquando autem oppositione terminativè con-  
ditionali cum carentia conditionati sub hypothesi existentiæ condi-  
tionis . Quas species oppositionis esse valde diversas , jam dixi , &  
iterum dico : etenim nolitio efficax divina largiendi auxilium *A.*  
efficax metaphysicè opponitur coexistentiæ illius auxilii , & peccati :  
*sursus Scientia Divina , sive libera , sive necessaria , sive media , qua  
Deus præcognoscit , fore ut , si existeret in Petro illud auxilium , bic non  
peccaret , metaphysicè quoque opponitur coexistentiæ absolutæ ejus-  
dem auxilii , & peccati , sed cum hoc discrimine , quòd illa nolitio  
opponitur præfatæ coexistentiæ præcisè , quatenus privatim oppo-  
nitur soli existentiæ auxilii ; præscindit verò ab eo , quòd , dato tali  
auxilio , detur , vel non detur peccatum ; hæc autem Scientia oppo-  
nitur eidem coexistentiæ , quatenus opponitur peccato sub hypothesi  
quòd detur auxilium ; præscindit tamen ab eo , quòd detur , vel non  
detur auxilium .*

82. Ig-

82. Igitur si hoc, quod est, non conjungendas esse conditionem, utque careatiam conditionem, fundetur in oppositione privata, & peculiariter cum sola existentia conditionis; non continuo erit oppositio cum eo, quod, data conditione, detur carentia conditionati, ut nuper explicui. Neque urgat fore, ut conjungantur conditio, & carentia conditionati, si, data conditione, detur carentia conditionati, cui conjunctioni praedicta veritas negativa ex suis intrinsecis oblistit: neque inquam hoc urget: quoniam licet unus modus, quo duo possunt coexistere, stet in eo, quod, dato uno, detur alterum, & licet etiam praedicta veritas negativa opponatur cum eo, quod conjungantur interum natura conditio, & carentia conditionati; attamen non semper opponitur huic coexistentiæ, oppositione terminativæ conditionata cum carentia conditionati sub hypothesi existentiæ conditionis; sed quandoque opponitur ei coexistentiæ, oppositione terminativæ absoluta, aut cum sola existentia conditionis, aut cum sola carentia conditionati, ut constat exemplis, & ratione sèpè inculcatis, & præ oculis habendis. Cæterum si hoc, quod est, non conjungendas esse conditionem, & carentiam conditionati, fundetur non in oppositione privata, seu terminativæ absoluta cum sola existentia conditionis, aut cum sola carentia conditionati; sed in oppositione terminativæ conditionata cum carentia conditionati sub hypothesi existentiæ conditionis: fatebimur, hoc, quod est non conjungendas esse conditionem, & carentiam conditionati, esse connexum cum eo, quod, si datur conditio, detur quoque conditionatum: verum hoc non semper evenit.

83. Hinc pronus est descensus ad confirmationes. Ad 1. Distinguo majorem. Omne metaphysicè oppositum conjunctioni duorum, oppositione terminativæ absoluta cum alterutro determinatè, connectitur metaphysicè cum eo, quod, existente uno, non existat alterum; nego majorem, ob sèpè dicta: oppositione terminativæ conditionata cum sè pro casu, quo detur alterum; concedo majorem, & distinguo minorem: ea veritas absoluta negativa opponitur conjunctioni conditionis, atque conditionati oppositione semper terminativæ conditionata; nego minorem: oppositione quandoque terminativæ absoluta cum sola existentia conditionis, aut cum sola carentia conditionati; concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem majoris respondeo: verum est, quod, si existente uno, existeret alterum, conjungerentur illa duo; attamen praedicta veritas negativa non semper opponitur huic conjunctioni oppositione terminativæ conditionata: sed aliquando opponitur oppositione solummodo terminativæ absoluta, & ita bene

bene sic opponi dictis conjunctioni, quin opponatur cum eo, quod, dato semel uno, detur etiam alterum. Quemadmodum decretum efficax divinum destruendi Petrum, opponitur absolutè coexistentia Petri, & cantus Galli, quin propterea opponatur cum eo, quod casu, quo Petrus existeret, gallus cantaret. Et ratio pro omnibus est. Non coexistentia absoluta duorum contenta est defectu unius solius: unum verò deficere non assert secum infallibiliter, quod, si illud unum existeret, alterum deficeret: ergo, ut subsistat non coextitram esse conditionem, & carentiam conditionati, sat est non extitram esse conditionem, quin ulterius opus sit veritate hujus, quod est, si existat conditio, deficiat carentia conditionati: nempe quia tota hac oppositio cum illa coexistentia fundari potest in peculiari, priuataque oppositione cum sola existentia conditionis.

84. Ad 2. confirmationem data majore, distinguo minorem: dicta non conjunctio metaphysicè opponitur cum eo, quod, existente conditione, deficiat conditionatum, oppositione semper terminativè conditionato; nego minorem: oppositione aliquando terminativè absoluta, aut cum sola existentia conditionis, aut cum solo defectu conditionati; concedo: & ejsdem terminis explicata subscripta probatione, nego consequentiam. Ad 3. Poterat negari major, quamquam ex terminis ipsis nota videatur: etenim decretum divinum destruendi Petrum, utpote metaphysicè connexum cum defectu bujus, est quoque metaphysicè connexum cum hac disiunctiva veritate, vel deficit Petrus, vel deficit cantus Galli; & tamen non est metaphysicè connexum cum hoc, quod est, si non deficit Petrus, deficiat cantus Galli: ergo non omne metaphysicè connexum cum eo, quod deficiat unum, vel alterum, est metaphysicè connexum cum eo, quod, si non deficiat unum, deficiat alterum. Verum de hoc latius infrà. Modò claritatis gratiâ distinguo illam majorem: omne metaphysicè connexum cum eo, quod deficiat unum, vel alterum connexione privata, & terminativè absoluta cum eo, quod deficiat unum determinatè, est connexum cum eo, quod si non deficiat unum, deficiat alterum; nego majorem: connexione strictè disiunctivâ cum altero defectu illorum, & cum neutro determinatè; concedo majorem, & pariter distincta minore, nego consequentiam. Ad probationem minoris respondeo. Verum est fore, ut, si neque deficeret conditio, neque deficeret carentia conditionati, neuter defectus daretur: ast contingere valet, quod fundamentum metaphysicè connexum cum eo, quod vel deficit unum, vel deficiat alterum, permitat neutrū deficere casu,

casu; quo non deficiat unum: eo quod tota illa connexio, unieè fundetur in connexione peculiari cum eo, quod deficiat unum determinatè: (unde si non deficiat illud unum, deficiet tunc tale connexum cum defectu illius unius; deficiente autem fundamento connexionis parùm refert, quod deficiat terminus aliàs defectibilis) cùmque deficere illud unum determinatè, neque formaliter, neque illative sit hoc, quod est, non deficiente *A*, deficiet alterum: idcirco aliquid metaphysicè connexum cum eo, quod deficiat unum; vel alterum, non est metaphysicè cōnexum cum eo, quod, non deficiente illo uno, deficiat alterum.

85. Instabis 1. Hic est legitimus modus arguendi. Non conjunguntur in hoc instanti existentia conditionis *A*, & carentia conditionati *B*; sed in hoc instanti datur existentia conditionis *A*: ergo in hoc instanti non datur carentia conditionati *B*; tunc sic: ergo illa major absoluta negativa connectitur cum veritate consequentis ex hypothesi, quod sit vera minor: ergo connectitur cum eo, quod, data existentia conditionis *A*, (in quo stat veritas minoris) non detur carentia conditionati *B*, in quo stat veritas consequentis: ergo illa veritas absoluta negativa connectitur cum eo, quod, data existentia conditionis, detur existentia conditionati. Respondeo, eum modum arguendi fore legitimum, modò veritas minoris non evertat fundamentum, cui innititur veritas majoris; secus si illud evertat. Ratio est. Tota necessitas imposta intellectui, ne, admissis præmissis, diffusat consequenti, stat in simultanea veritate præmissarum: ergo, deficiente hac simultanea veritate, ruit ea necessitas, proindeque rectitudo argumentationis: at si veritas unius præmissæ evertat alterius veritatem, deficit simultanea veritas ambarum: ergo si &c. Hoc impræsentiarum. Fieri potest, ut veritas illius minoris positæ in syllogismo copulativo, nimirum existentia conditionis *A*. metaphysicè opponatur fundamento, cui innititur veritas majoris: quoniam fieri potest, ut unica ratio, propter quam res aliqua opponitur coexistentiæ conditionis, & carentiæ conditionati, sit, quia privatim opponitur cum existentia conditionis: ergo fieri potest, ut objectus syllogismus sit illegitimus. In forma distinguo antecedens: hic modus arguendi est legitimus semper, ac in quacumque materia; nego antecedens: aliquando; permitto antecedens, & nego consequentiam.

86. Instabis 2. Omne id, quo deficiente pro aliquo casu, infallibiliter deficeret alterum, est terminus connexionis metaphysicæ illius alterius pro illo casu; at si existente *A* deficiat *B*; infallibiliter cor-

ruet

## *Conditionalis cum copulativa.* 449

ruet hæc veritas absoluta negativa : non coexistentia absolute A, & co-existentia rei B: ergo existentia Rei B. pro casu existentia rei A, est terminus connexionis metaphysicæ prædictæ veritatis negativæ : ergo ea veritas negativa metaphysicè connectitur cum existentia rei B. pro casu existentia rei A. Data majore, distinguo minorem: deficeret ea veritas negativa ob solam existentiam rei A; concedo minorem: ob defectum conditionatum rei B sub hypothesi existentia rei A; nego minorem, & consequentiam. Aliud est nuda, & sola existentia rei A, aliud valde diversum, defectus conditionatus rei B, sub hypothesi, quod existat A, si existente A, deficeret B, deficeret quoque ea veritas negativa : at aliquando id provenire posset ex eo dum taxat, quod A existeret : nam quandoque veritas ea negativa fundatur in extremo metaphysicè opposito soli existentiae rei A; quo circa eo solo titulo, quod hæc existeret, deficeret illud fundamentum, & consequenter veritas illo suffulta: ergo non semper, ac necessariò deficeret ea veritas absoluta negativa ob defectum conditionatum rei B sub hypothesi existentiae rei A: ergo non semper connectitur ea veritas cum existentia rei B sub hypothesi existentiae rei A. Profectò, si existente absolute, & simpliciter auxilio A efficaci, existeret conversio creature, deficeret nolitio efficax divina largiendi illud auxilium, cui absolute opponitur, attamen non deficeret ob existentiam conditionatam conversionis sub hypothesi illius auxilii (cum mera nolitio divina conferendi auxilium, neque efficax, neque inefficax juxta ullam sententiam reddat illud) sed quoniam nolitio ea opponitur ei auxilio, quapropter, hoc existente, nequirit existere nolitio. Idem potest contingere in praefata veritate negativa.

## §. I V.

87. **H**æc doctrina complectitur, & connexiones physicas, & morales. Quippe physicè connexum cum eo, quod, si, datur A, detur B, est physicè connexum cum eo, quod non conjungantur in rebus A, & parentia rei B; sed non viceversa. Ratio primæ partis est. Omne physicè oppositum cum eo, quod conjungantur in rebus A, & parentia rei B; est physicè connexum cum eo, quod non conjungantur (eo quod oppositio cum uno contradictorio est in eodem genere connexionis cum altero) sed omne physicè connexum cum eo, quod, existente A, existat quoque B, est physicè oppositum cum eo, quod conjungantur absolute in rebus A, & parentia rei B. Proba-

tur: omne physicè oppositum cum eo, quòd existente *A*, non existat *B*, est physicè oppositum cum eo, quòd absolute coexistant *A*, & carentia rei *B*; sed omne physicè connexum cum eo, quòd existente *A*, existat *B*, est physicè oppositum cum eo, quòd existente *A*, non existat *B*: ergo. Probatur major. Omne physicè oppositum cum eo, quòd existente *A*, non existat *B*, est physicè oppositum cum eo, quòd infallibiliter assert secum, vel per identitatem, vel per metaphysicam, connexionem hoc, quod est, non existere *B*, existente *A*. (Nam quid quid physicè opponitur termino connexionis metaphysicæ, opponitur etiam physicè fundamento ejus connexionis) sed absolute coexistens rei *A*, & carentia rei *B*, assert secum vel identicè, vel connexione hoc, quod est non existere *B*, existente *A*: ergo.

88. Ratio secundæ partis est. Physica connexionio cum eo, quòd non coexistant absolute *A*, & carentia rei *B*, adimpleri potest, aut sola non existentiæ rei *A*, aut sola existentiæ absolutæ rei *B*, aut sola existentiæ conditionatæ rei *B*, sub hypothesi rei *A*. (namque singuli ex his tribus modis efficaces sunt, ne coexistant in rerum natura *A*, & carentia rei *B*): ergo physica connexionio cum eo, quòd non conjungantur illa duo, non est determinatè connexionio cum eo, quòd, existente *A*, existat *B*: ergo non omne &c. Explicatur: tametsi ignis sit physicè connexus cum eo, quòd non conjungantur absolute in rerum natura lapis, & carentia omnino omnino caloris (connexionem quippe physicam habet cum eo, quòd non detur carentia omnino omnino caloris, consequenterque est physicè connexus cum eo, quòd non conjungantur absolute in rerum natura lapis, & carentia omnino omnino caloris) attamen non nisi abusivè dici potest connexionus physicè cum eo, quòd, si detur carentia omnino caloris, non detur lapis: ergo non omne physicè connexum cum eo, quòd, non existant duo simul, est physicè connexum cum eo, quòd si existat unum, non existat alterum. Videlicet quia solus, & præcisus effectus unius, qui ad non coexistentiam duorum sufficit, nec formaliter, neque illative est alterum desicere sub hypothesi, quòd existat unum. Idem ob easdem, similesve rationes statuendum de connexione morali.

89. Sit quinta propositio. Non omne physicè oppositum conditionatè cum eo, quòd, data conditione, detur conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quòd coexistant conditio, & carentia conditionati; neque cum eo, quòd non coexistant. Cæterum omne metaphysicè oppositum conditionatè cum eo, quòd, data conditione, detur conditionatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quòd

## *Conditionalis cum copulativa.* 45 I

quod ambo coexistant absolutè; sed non è converso: hoc est *omne metaphysicè oppositum* cum eo, quod ambo hæc coexistant, est *metaphysicè oppositum* cum eo, quod, data conditione, detur *conditionalatum*. Probatur prima pars. Hæc Scientia Divina conditionalis: si detur libertas *A.* in Petro, hic non convertetur, est *metaphysicè opposita* titulo suæ infallibilitatis cum eo, quod data libertate *A.*, detur *conversio*, & tamen, neque opponitur cum eo, quod absolutè coexistant libertas *A.*, & *carentia conversionis*, neque cum eo, quod non coexistant, quandoquidem, perseverante in Deo ea scientia, possunt, & coexistere, & non coexistere libertas *A.*, & *carentia conversionis*: ergo non omne &c.

90. Et ratio est: eo ipso, quod unum, neque identificetur cum altero, neque terminet metaphysicam connexionem illius alterius, datur locus, ut aliud tertium metaphysicè opponatur illi uni, quin metaphysicè opponatur huic alteri (ad probandum enim metaphysicam oppositionem cum *A.*, ex metaphysica oppositione cum *B.*, duæ tantum patent viæ; altera est identitas realis utriusque extremi, altera, quod *B.* sit terminus connexionis metaphysicæ rei *A.*; ) at hæc veritas conditionalis, si datur conditio, datur conditionalatum *B.*, neque identificatur cum coexistentia absoluta conditionis, & carentia conditionati, neque cum non coexistentia earumdem, neque hujus coexistentiæ, aut non coexistentiæ terminat metaphysicam connexionem, ut cuique obvium est: ergo datur locus, ut aliud quipiam sit metaphysicè oppositum illi veritati conditionali, quin oppositum sit huic coexistentiæ, seu non coexistentiæ absolutæ: ergo non omne &c.

91. Probo secundam partem. Omne metaphysicè oppositum termino, quocum metaphysicè connectitur absoluta coexistentia conditionis, & conditionati, metaphysicè opponitur huic coexistentiæ (etenim si *A.* ex suis intrinsecis excludit illud, sine quo subsistere nequit *B.*, ex suis quoque intrinsecis excludit saltem indirectè ipsum *B.*; ) sed absoluta coexistentia conditionis, & conditionati est metaphysicè connexa cum hac veritate conditionali sumpta in sensu merè conjunctivo; si datur conditio, datur conditionalatum; si quidem à statu absoluto benè arguitur ad conditionalum, licet non inversim: ergo omne metaphysicè oppositum huic veritati conditionali; si datur conditio, datur conditionalatum, est metaphysicè oppositum cum eo, quod absolutè coexistant conditio, & conditionalatum. Sed omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, data conditione, detur condi-

tionatura, est metaphysicè oppositum prædictæ veritati conditionali sumpta in sensu conjunctivo: ergo omne &c. Si vero oppositio dumtaxat fuerit cum hac veritate conditionali sumpta in sensu illativo, aut strictè conditionali; non eo ipso est oppositio cum absoluta coexistentia conditionis, & conditionati. Nam opponi cum eo, quod hypothesis A sit connexa cum conditionato B, aut prærequisita ad ipsum, non est eo ipso opponi cum absoluta coexistentia conditionis, & conditionati, ut pacet. Sed opponi cum prædicta veritate conditionali sumpta in sensu illativo, aut strictè conditionali præcisè est opponi cum eo, quod objectiva conditio sit connexa cum conditionato, aut prærequisita ad ipsum: ergo.

92. Probo denique, non omne metaphysicè oppositum absolute coexistentiæ conditionis, & conditionati, esse eo ipso oppositum conditionatè cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, ut toties dictum est. Decretum Divinum destructivum Petri, utpote metaphysicè oppositum ipsi Petro, absolute opponitur coexistentiæ Petri, & Galli; & tamen non opponitur cum eo, quod pro causa existentiæ Petri, detur Gallus: ergo non omne &c. Ratio à priori est, eo præcisè quod aliquid metaphysicè opponatur privatim soli conditioni, aut soli conditionato, metaphysicè opponitur absolute coexistentiæ utriusque; quoniam hæc coexistentia dari nequit alterutro deficiente: sed fieri potest, ut aliquod metaphysicè opponatur privatim soli existentiæ conditionis v. g. quin metaphysicè opponatur cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, quandoquidem hæc duo enunciabilia, datur conditio: si datur conditio; datur conditionatum: possunt esse distincta, & penitus inconnexa: ergo. Imò fieri potest, ut fundamentum metaphysicè oppositum cum eo, quod, detur conditio, sit metaphysicè eonnéxum cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, ut probatur ex revelatione Ezechielis cap. 3. Non mitteris ad populos &c.

ergo. Huc adduci possunt argumenta  
supra dissoluta.



## C A P U T S E X T U M .

*Conferuntur Connexio, & Opposito conditionale, atque disiunctive.*

93.



IT sexta propositio. Omne metaphysicè connexum conditionatè cum eo, quod, si datur *A.*, detur *B.*, est metaphysicè connexum disiunctivè cum eo, quod, *vel non detur A; vel detur conditionatum B;* sed non è contra. Probatur prima pars. Omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, neque detur carentia rei *A.*, neque detur existentia rei *B.*, est metaphysicè connexum cum eo, quod, *vel detur carentia rei A, vel detur existentia rei B:* (nam ut sèpè dictum est, & postea monstrabitur, oppositio cum uno contradictrio, aut contrario ex his, quæ non admittunt medium, est in eodem gradu connexio cum altero) at omne metaphysicè connexum cum eo, quod, si datur *A.*, detur *B.*, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, neque detur carentia rei *A.*, neque detur existentia rei *B.* Probatur: omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, data existentia rei *A.*, non detur existentia rei *B.*, est metaphysicè oppositum cum eo, quod neque detur carentia rei *A.*, neque detur existentia rei *B:* (quippe non dari carentiam rei *A.*, est formaliter dari existentiam ejusdem *A.*; proindeque non dati carentiam rei *A.*, neque existentiam rei *B.*, est re ipsa dari existentiam rei *A.*, & non dari existentiam rei *B:* quapropter quidquid metaphysicam gesserit oppositionem cum eo, quod, data existentia rei *A.*, non detur existentia rei *B.*, parem habere debet oppositionem cum eo, quod neque detur carentia rei *A.*, neque existentia rei *B.*)

94. Sed omne metaphysicè connexum cum eo, quod dato *A.*, detur quoque *B.*, est metaphysicè oppositum cum eo, quod dato *A.*, non detur existentia rei *B.* Probatur: omne connexum metaphysicè cum aliquo termino, est oppositum metaphysicè cum omni eo, quod oppositum fuerit metaphysicè illi eidem termino (siquidem existente hoc opposito, necessariò deficiet ille terminus, & consequenter fundamentum metaphysicè connexum cum illo termino) sed dato *A.*, non dari *B.*, est metaphysicè oppositum cum eo, quod dato *A.*, detur *B.*: ergo omne metaphysicè connexum cum eo, quod dato *A.*, detur *B.*, est metaphysicè oppositum cum eo, quod, dato *A.*, non detur

tur *B*; sed dari *A*, & non dari *B*, est formalissimè, neque dari carentiam rei *A*, neque dari existentiam rei *B*: ergo est metaphysicè oppositum cum eo, quòd, neque detur carentia rei *A*, neque detur existentia rei *B*: ergo est metaphysicè connexum cum eo, quòd, vel detur carentia rei *A*, vel detur existentia rei *B*.

95. Urgetur: per te hæc veritas conditionalis; si datur *A*, datur quoque *B*, non est metaphysicè connexa cum hac disiunctiva, vel non datur *A*, vel datur *B*: ergo est conjungibilis cum contradictrio hujus disiunctivæ. Sed contradictorium, aut formale, aut illustrativum est hoc: neque datur carentia rei *A*, neque datur existentia rei *B*: ergo illa veritas conditionalis est compatibilis cum eo, quòd neque detur carentia rei *A*, neque detur existentia rei *B*; sed non dari carentiam rei *A*, est formaliter dari existentiam rei *A*: ergo præfata veritas conditionalis est conjungibilis cum eo, quòd, data existentia rei *A*, non detur existentia rei *B*: ergo est conjungibilis cum hac veritate: etiam si detur *A*, non datur *B*: ergo etiam cum hac; non si datur *A*, datur *B*. Sed hæc est sua contradictoria formalis, & immediata: ergo præfata veritas conditionalis erit conjungibilis cum sua contradictoria. Ne ergo id concedatur, fatendum est, prædictam veritatem conditionalem esse metaphysicè connexam cum hac disiunctiva, vel non datur *A*, vel datur carentia rei *B*.

96. Obii: eo ipso, quòd aliquid sit metaphysicè oppositum carentiæ conditionis, atque existentiæ conditionati nequit esse metaphysicè connexum cum eo, quòd vel detur carentia conditionis, vel detur existentia conditionati; sed fieri potest, ut fundamentum connexum cum hac veritate conditionali dicta sit metaphysicè oppositum carentiæ conditionis, & existentiæ conditionati. Probatur 1. Quoties duo extrema sunt invicem distincta, & inconnexa, potest aliud tertium opponi cum uno ex his duobus, & connecti cum altero; sed existentia conditionis, & existentia conditionati sunt, ut ponimus, invicem distincta, & inconnexa: ergo potest aliquod tertium connecti cum una, & opponi alteri: ergo fundamentum connexum cum eo, quòd, si datur conditio, detur conditionatum, (quod potest esse aliquod tertium distinctum) potest esse connexum cum conditione, & oppositum cum conditionato: ergo etiam potest esse oppositum cum carentia conditionis, & cum existentia conditionati. Probatur 2. Ponamus Deum habere hanc scientiam: Si Petrus haberet cras libertatem *A*, converteretur: ponamus item, Petrum bo-

*babere cras libertatem A*, tunc sic: si ea scientia conditionalis esset connexa cum eo, quod vel non detur cras libertas A, vel detur conversionis; libertas A non esset libertas ad conversionem. Probatur. Nullus constitutus in eis circumstantiis, in quibus, vel defecturus est, vel elicitus conversionem, est liber in eis circumstantiis ad conversionem: sed data in Deo praedicta scientia conditionali, & concessa, quod sit metaphysicè connexa cum eo, quod, vel non detur libertas, vel detur conversionis, talis libertas erit in circumstantiis, in quibus, vel defectura sit, vel elicitura conversionem: ergo ea libertas non erit libertas expedita ad conversionem.

97. Concessa majore objectionis, nego minorem: quoniam, iuxta inconclusa principia, complexum ex veritate conditionali, & purificatione conditionis, est connexum cum existentia conditionati: ergo omne metaphysicè connexum cum veritate conditionali, atque cum existentia conditionis debet esse metaphysicè connexum cum existentia conditionati: ergo nil potest esse connexum conditionatè cum eo, quod, si datur A, detur B, & ulterius oppositum carentia rei A, seu quod idem est, connexum cum ipso A, & præterea oppositum cum conditionato B.

98. Ad 1. Probationem nego universalitatem majoris. Petrus enim, & Joannes sunt extrema neque identificata, neque invicem connexa: & tamen non datur locus, ut nolitio efficax divina producendi utrumque simul, sit connexa cum uno, & opposita cum altero. Quo circa duas res nulla reciproca connexione ligari, concludit optimè, non quidquid connexum, aut oppositum fuerit uni, futurum eo ipso connexum, aut oppositum alteri, ut nos supra dicebamus. Verum non probat, omne, quod fuerit connexum uni, posse non esse connexum, aut oppositum cum altero: ergo conditionem, & conditionatum esse extrema distincta, atque inconnexa non probat fundatum connexum cum eo, quod detur conditio, posse opponi cum conditionato, si ulterius connectatur cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum. Ad 2. Respondeo, constitutum in eis circumstantiis non esse liberum, nisi possit ab eis se expedire, illas impediendo; secus si possit, ut constat ex principiis libertatis: cum autem libertas ista plenè possit antecedenter istas evitare circumstantias, nimis evitando istam scientiam divinam conditionalem, hoc est, faciendo, ne unquam extiterit, quia cum illa sit scientia Media directa, à solo arbitrio creato dependet: ergo.

99. Secunda pars sextæ propositionis: videlicet non omne metaphy.

metaphysicè connexum cum eo, quod vel non detur conditio, vel detur conditionatum, esse connexum conditionatè cum eo, quod si datur conditio, detur conditionatum; probatur primò. Decretum efficax divinum destruendi Petrum metaphysicè connectitur cum hac veritate; non datur Petrus: ergo cum hac; vel non datur Petrus, vel datur Joannes (implicat quippe illam esse veram, & non hanc, cùm ad veritatem disiunctivæ sufficiat veritas alterius ex cathegoricis illam componentibus) & tamen præsumptum decretum non est connexum conditionatè cum eo, quod si detur Petrus, detur quoque Joannes: ergo non omne connexum &c. Item nolitio efficax largiendi auxilium A. inefficax fundat infallibiliter hanc veritatem; non existet auxilium A: ergo etiam fundat hanc: Vel non existet auxilium A; vel existet conversio. Et tamen non fundat hanc, si existaret auxilium A inefficax, existeret conversio, ut per se patet: ergo.

100. Ratio est: nil, quod præcisè, ut tale, est connexum cum sola parentia absoluta conditionis, vel cum sola existentia absoluta conditionati, est præcisè, ut tale, connexum conditionatè cum eo, quod si detur conditio, detur conditionatum: quandoquidem nec sola parentia conditionis, nec sola existentia conditionati est formaliter, aut illativè hoc enunciabile objectivum: si datur conditio A, datur conditionatum B; sed veritas hæc disiunctiva, vel non datur A, vel datur B. præcisè ut talis, contenta est aut sola parentia conditionis, aut sola existentia conditionati, ut constat ex Dialectica: ergo ea veritas disiunctiva præcisè, ut talis, non semper connectitur cum ea conditionali: ergo non quidquid connectitur disiunctivè cum eo, quod, vel non detur conditio, vel detur conditionatum, connectitur conditionatè cum eo, quod, si non datur conditio, detur conditionatum. Quamobrem veritas hæc disiunctiva, vel non datur conditio, vel datur conditionatum, connectitur cum eo, quod vel detur parentia conditionis, vel existentia conditionati absoluta, vel existentia conditionata ejusdem sub hypothesi existentiæ conditionis, vel parentia conditionata ejusdem conditionis sub hypothesi parentiæ conditionati B; quoniam quælibet ex his combinationibus sufficit ad veritatem disiunctivæ; verum cum nullo ex his quatuor modis connectitur determinatè.

101. Obiicis: omne metaphysicè oppositum cum eo, quod in casu existentiæ conditionis non existat conditionatum, est metaphysicè connexum cum eo, quod in casu existentiæ conditionis existat conditionatum (cùm enim in casu existentiæ conditionis sit præsumpte-

necessarium, quod existat, vel non existat conditionatum, quidquid fuerit metaphysicè oppositum cum eo, quod in illo casu non existat conditionatum, debet esse metaphysicè connexum cum eo, quod in illo casu existat) at veritas hæc disiunctiva, vel non datur conditio, vel datur conditionatum, est metaphysicè opposita cum eo, quod in casu existentia conditionis non detur conditionatum. Probatur. Omne oppositum cum eo, quod, neque detur parentia conditionis, neque detur existentia conditionati, est metaphysicè oppositum cum eo, quod in casu existentia conditionis, non detur conditionatum: quoniam si in eo casu, non daretur existentia conditionati, continget, quod neque daretur parentia conditionis, neque daretur existentia conditionati; at prædicta veritas est opposita cum eo, quod, neque detur parentia conditionis, neque, detur existentia conditionati, cum sit metaphysicè opposita cum sua falsitate tam formali, quam illativa, & abs dubio disiunctiva foret falsa, si neque daretur parentia conditionis, neque existentia conditionati: ergo.

102. Confirmatur primò. Omne metaphysicè connexum disiunctivè cum eo, quod, vel detur unum, vel detur alterum, est connexum determinatè cum uno pro casu, quo deficiat alterum, saltem quando hæc duo extrema nullam reciprocè habent connexionem; sed prædicta veritas disiunctiva est connexa cum eo, quod, vel detur parentia conditionis, vel detur existentia conditionati: ergo est connexa cum eo, quod detur existentia conditionati pro casu, quo non detur parentia conditionis; sed non dari parentiam conditionis est re ipsa dari conditionem: ergo prædicta veritas disiunctiva est connexa cum eo, quod, si detur conditio, detur quoque existentia conditionati. Major videtur notissima. Quippe omne metaphysicè connexum cum eo, quod detur unum, aut alterum, est metaphysicè oppositum cum eo, quod simul deficiat utrumque, & consequenter est connexum cum eo, quod non deficiat simul utrumque: at si, deficiente hoc uno, deficeret quoque illud alterum, utrumque deficeret simul: ergo est metaphysicè connexum cum eo, quod, si deficiat unum, non deficiat alterum: ergo est connexum determinatè cum eo, quod existat alterum pro casu, quo deficiat unum. Sic quia quævis creatura est metaphysicè connexa cum eo, quod ipsa producatur, vel per creationem, vel per educationem, & præterea neutra ex his duabus actionibus connectitur cum altera, idcirco quævis creature connectitur metaphysicè cum sua creatione determinatè pro casu, quo deficiat educatione: ergo. Confirmatur secundò. Hæc veritas disiunctiva:

A a a

vel

*vel non datur conditio, vel datur conditionatum; equivalet huic, seu habet hunc sensum, vel non datur conditio, vel si datur, debet quoque existere conditionatum: at hæc secunda veritas connectitur determinatè cum eo, quod, si datur conditio, detur quoque conditionatum: ergo etiam illa prima. Denique possunt hoc adduci formæ illæ arguendi, quas supra enodavimus.*

103. Èadem ergo, qua ibi, utor hæc solutione. Hæc veritas disiunctiva, *vel non datur conditio, vel datur conditionatum*, quandoque fundatur in extremo connexo privatim, ac determinatè cum carentia conditionis, quandoque cum existentia conditionati: quandoque in extremo, neque determinatè connexo cum carentia conditionis, neque determinatè cum existentia conditionati; sed merè disiunctivè connexo cum uno, vel altero: exemplum primi casus potest esse decretum divinum efficaciter statuens destructiōnem Petri; hoc quippe decretum ita connectitur cum hac veritate disiunctiva, *vel non datur Petrus, vel Gallus cantat*, ut tota hæc connexio stet in privata, & peculiari connexione, quam habet cum carentia Petri: exemplum posterioris potest esse quævis creatura, quæ ita connectitur cum sua creatione, aut eductione, ut neque connectatur determinatè cum eductione, neque determinatè cum creatione, sed dumtaxat cum una, vel altera: quocirca hæc connexion metaphysica est merè, & præcisè disiunctiva absque mixtura connexionis determinatae. Dico igitur: quando ea veritas disiunctiva fundatur in extremo purè disiunctivè connexo, & neutiquam connexo determinatè cum alterutro disiunctionis membro, tunc erit connexion terminativè conditionata cum eo, quod, si detur conditio, detur quoque conditionatum ( esto, ambo hæc, neque connecti, neque opponi invicem ) cæterum si fundamentum dictæ veritatis disiunctivæ connectatur determinatè cum altero disiunctionis membro v. g. cum carentia conditionis, tunc veritas disiunctiva non connectitur conditionatè cum eo, quod, si datur conditio, detur conditionatum, ut exemplo, & ratione supra productis abunde constat, & hoc sufficit ad veritatem nostræ propositionis, nimicum, non omne metaphysicè connexum cum eo, quod, vel non detur A, vel detur B, esse metaphysicè connexum cum eo, quod, si datur A, detur quoque B. In forma respondendum est objectioni, & confirmationibus, terminis jam datis.

104. Sit ultima propositio: Non omne metaphysicè oppositum cum eo, quod, data conditione, detur conditionatum, est metaphysicè

sicè oppositum disiunctivè cum eo , quodd , vel non detur conditio ; vel detur existentia conditionati . Omne tamen metaphysicè oppositum disiunctivè cum eo , quodd , vel non detur conditio , vel detur conditionati existentia , est metaphysicè oppositum cum eo , quodd , data conditione , detur in eodem casu conditionatum . Probo primam partem . Scientia divina de eo , quodd , data libertate A , non dabitur conversio , est opposita ob suam intrinsecam infallibilitatem cum eo , quodd , data illa libertate , detur conversio ; & tamen non est opposita disiunctivè cum eo , quodd , vel non detur libertas A , vel detur conversio : siquidem non data libertate A , & existente conversione sub libertate B , potest subsistere talis Scientia , ut patet : ergo . Ratio est , quam non semel tetigimus . Eo ipso , quodd unum , neque identificetur cum altero , neque illius terminet metaphysicam connexionem , datur locus , ut aliud tertium metaphysicè opponatur illi uni , quin eo ipso opponatur huic alteri ; sed hæc veritas conditionalis , si datur conditio , datur conditionatum , est distincta ab hac disiunctiva , vel non datur conditio , vel datur conditionatum : & ulterius etiamsi cum hac disiunctiva connectatur ; attamen non terminat ejusdem connexionem , ut probatum fuit : ergo .

105. Probatur secunda pars . Quoties aliquid metaphysicè connectitur cum eo , quodd , detur absolute conditio ; & ulterius metaphysicè opponitur cum eo , quodd detur conditionatum in eodem instanti , metaphysicè opponitur cum eo , quodd , data conditione in aliquo casu , detur in eodem casu conditionatum : sed quoties aliquid metaphysicè opponitur cum eo , quodd , vel detur carentia conditionis , vel detur existentia conditionati in instanti A v.g. metaphysicè connectitur absolute cum eo , quodd in eo instanti detur conditio , & metaphysicè opponitur cum eo , quodd in eodem instanti detur existentia conditionati : ergo quoties aliquid opponitur cum eo , quodd , vel detur carentia conditionis , vel detur existentia conditionati ; metaphysicè opponitur cum eo , quodd , data conditione in A. , detur in eodem instanti conditionatum . Consequentia est legitima , & minor certa : quoniam fundamentum metaphysicè oppositum disiunctivè cum eo , quodd , aut detur carentia conditionis , aut detur existentia conditionati , infallibiliter desiceret : tum si non existeret absolute conditio , tum si existeret conditionatum ; nam cum veritas disiunctiva alterutro membro contenta sit , quidquid fuerit ei metaphysicè oppositum , infallibiliter poscit utriusque membra defectum , necessariòque desiceret , altero tantum membro existente : sic quia-

*hæc propositio, aliquis homo currit, unius tantum hominis cursus,* flagitat; *hæc veritas contradictoria, nullus homo currit, omnium hominum cursus deficere poscit:* ergo quoties aliquid metaphysicè opponitur cum eo, quod, vel detur carentia conditionis, vel detur conditionati existentia, metaphysicè connectitur cum eo, quod deficiat carentia conditionis, hoc est, existat conditio; & cum eo, quod deficiat conditionatum; & hinc aperitur discrimen inter connexionem, & oppositionem terminativè disiunctivas: illa quippe uno tantum membro contenta est, cum hujus existentia sufficiat veritati disiunctivæ; *hæc autem, idest oppositio terminativè disiunctiva, utrumque membrum exterminat, siquidem utriusque membra defictu opus est ad falsitatem disiunctivæ.*

106. Jam probo majorem prioris syllogismi. Quoties aliquid metaphysicè opponitur cum eo, quod, se existente, detur conditionatum, opponitur quoque cum eo, quod detur conditionatum in aliquo casu existentiæ conditionis, cum qua ipsum connectitur: nam aliquis casus existentiæ termini connexionis metaphysicæ est casus existentiæ fundamenti: qua propter si fundamentum opponitur cum eo, quod, se existente, detur conditionatum, debet opponi cum eo, quod detur conditionatum in aliquo casu existentiæ illius, quocum ipsum fundamentum metaphysicè connectitur: ergo si fundamentum ex una parte connectitur cum existentia conditionis, & ex altera opponitur existentiæ conditionati, debet esse metaphysicè oppositum cum eo, quod in aliquo casu existentiæ conditionis detur conditionatum. Porro non est metaphysicè oppositum cum eo, quod in omni casu existentiæ conditionis detur conditionatum: siquidem Petrus, & connectitur cum existentia Dei, & opponitur suæ carentiæ, quin propterea opponatur cum eo, quod in omni casu existentiæ Dei detur suum contradictorium: & ratio est; tametsi omnis casus existentiæ fundamenti sit casus existentiæ termini; non tamen viceversa, cum fieri possit, ut existat in rebus terminus, amoto fundamento.



## C A P U T S E P T I M U M .

*Quæstiuncula resolutæ ex dictis.*

107.



*Nec*cessarium est in duplici differentia : alterum ab-solutè , atque independenter ab omni causa , sive principio , ut solus Deus : alterum dependenter quidem ab aliquo principio , vel suppositione prævia , verùm simpliciter necessaria : ut Verbum Di-vinum ex suppositione Paternitatis . Rursus Neces-sarium condicio-natè potest esse tale dependenter , vel à conditione metaphysicè con-nexa cum ipso , vel à conditione tantùm naturaliter connexa . Scien-dum est secundò , aliquos esse effectus essentialiter nequeentes oriri à quadam determinata causa ; quia omne metaphysicè oppositum cum existentia alterius est essentialiter impotens oriri physicè ab illo ; sed aliqui sunt effectus metaphysicè oppositi cum aliqua causa , ut assensus fidei supernaturalis de eo , quòd numquam existet Petrus v. g. : ergo aliqui sunt effectus &c. Et hinc habes novam con-firmationem sententiæ illius , quam Disput. 3. cap. 5. tradidi-mus , videlicet non quamlibet creaturam habere virtutem obe-dientiale , ut producat quamcumque alteram ; nam nulla creatura virtutem habet obedientiale ad producendum physicè illud , quod per suam essentiam est impotens , ut ab ea creatura producatur (nul-la enim habet virtutem obedientiale ad chymaram ) sed prædictus assensus est per suam essentiam impotens , ut physicè producatur à Petro : ergo Petrus non habet virtutem obedientiale in ad producen-dum physicè prædictum assensum . Porro impossibilitas , ut hujus-modi assensus à Petro nascatur , non consistit formaliter , & immedia-tè in Divina Omnipotentia , ut minùs verè , sed consentaneè ad sua principia docet P. Ribaden. infra citandus . Quoniam talis impossi-bilitas nascendi , necessitasque non nascendi à Petro , consistit forma-liter in entitate ipsa assensus , qui per solam suam essentiam repugnat oriri à Petro . Quo circa ea impossibilitas , necessitasve solùm est ab-solutè , & simpliciter necessaria non quidem relatè ad suam caren-tiam absolutam ( nam hæc potest dari , cùm nihil aliud sit , quām- absoluta carentia illius assensus ) sed relatè ad separationem prædicti assensus , & intimæ repugnantia procedendi à Petro : idest absolutè , simpliciter , ac sine limitatione est necessarium , prædictum assensum non

non oriri à Petro , non quia detur in rebus quidquam , quod subjectivè in se sit , prædictum assensum non oriri à Petro ; sed quia nulla est potentia ad dividendum prædictum assensum à summa repugnans , ut producatur à Petro . His positis .

108. Quæres i. *An necessitas terminativè conditionata existentie Petri v. g. ex suppositione decreti efficacis divini , sit necessitas pura , ab P. Ribad. soluta , & simplex alicujus termini ?* Affirmat P. Ribad. sed ego distinlib. de nego. Est necessitas pura, absoluta, & simplex in sensu merè negativo , celsi. q. 35. non autem in sensu positivo . Probo primam partem . Prædictam necessitatem esse absolute , & simpliciter talem in sensu negativo , consistit in eo , quod neque datur , neque dari possit quidquam , quod in se ipso sit , Petrum non existere ex suppositione illius decreti : sed neque datur , neque dari potest quidquam , quod in se ipso sit dictum objectum : siquidem illud est impossibile , quia est impossibile deficer terminum , ut talem , connexionis metaphysicæ , quando existit fundatum : ergo prædicta necessitas est absolute , & simpliciter talis in sensu negativo . Probo secundam partem . Prædictam necessitatem esse absolute , & simpliciter talem in sensu positivo , consistet in eo , quod semper , ac necessariò existeret aliquid , quod subjectivè in se ipso esset , Petrum existere ex suppositione dicti decreti : & consequenter consistet in eo , quod numquam posset dari carentia absolute hujus , quod est , Petrum existere ex suppositione dicti decreti ; sed ambo hæc sunt falsa : quoniam tota necessitas formalis , & immediata de eo , quod Petrus existat ex suppositione illius decreti , unicè consistit in metaphysica connexione illius decreti cum Petro ; hæc autem connexio , utpotè adsequatè identificata cum eo decreto non existit semper , & necessariò : ergo prefata necessitas non est absolute , & simpliciter talis in sensu positivo .

109. Neque ex necessitate in uno sensu arguas ad necessitatem in altero sensu ; nam sicut ex eo , quod non detur in hoc loco aliquid , quod in se ipso sit , Regem existere Madriti , perperam argueres , dari in hoc loco aliquid , quod in se ipso sit , Regem non existere Madriti : ita ex eo , quod nunquam dari possit aliquid , quod in se ipso sit , Petrum non existere ex suppositione illius decreti : perperam inferes , dari semper ac necessariò aliquid , quod in se ipso sit , Petrum existere ex suppositione illius decreti . Et ratio est : quamquam impossibilitas absolute unius contradictorii absoluti trahat secum necessitatem alterius ; attenuatim impossibilitas unius contrarii non trahit secum necessitatem existentis absolute alterius contrarii : potest namque utrumque simul defi-

deficere à rebus; sed hoc, quod est, Petrum non existere ex suppositio-  
ne dicti decreti, non est contradictorium absolutum, sed contradic-  
torium hujus, quod est, Petrum existere ex suppositione illius decreti. Duæ  
enim hæc propositiones. *Si datur tale decretum, datur Petrus.* *Si datur*  
*tale decretum non datur Petrus;* non sunt contradictoriæ formales, sed  
contrariæ: si quidem firmus, & universalis modus assignandi contra-  
dictoria cujuscumque propositionis solum est præponere negatio-  
nem toti propositioni; non vero relinquere hypothesis non negatam  
in propositionibus conditionalibus: ergo ex eo, quod sit impossibile  
omne, quod subjectivè in se esset, *Petrū non existere ex suppositione præ-*  
*fati decreti,* male arguitur, dari semper, ac necessariò aliquid, quod in  
se ipso sit, Petrum existere ex suppositione ejus decreti. Duas obiicit  
pro sua sententia rationes P. Ribad. Primam derivat ex eo, quod in-  
dependenter à positione rei impedibilis est necessarium, creaturam  
existere, si Deus efficaciter velit: si quidem hoc est chymericæ falsita-  
tis, & necessariæ veritatis, & cognitum à Deo per Scientiam natura-  
lem. Secundam ex eo, quod hæc dicta necessitas sit repugnantia se-  
parationis decreti divini ab existentia Petri; sed hæc repugnantia est  
absoluta, & simpliciter necessaria: quoniam consistit in summa in-  
tellectualitate divina per se ab intrinseco necessitate ad identifican-  
dum mentaliter decretum cum sua essentia: ergo. Utrobiique distin-  
guendus est ille terminus, *Necessarium*, & concedendus de necessi-  
tate in sensu negativo; negandus vero de necessitate in sensu positi-  
vo, ob nuper dicta. Quo infringitur primarius finis hujus Aucto-  
ris, scilicet affigere Deo omnia prædicata alioquin essentialia  
creaturis.

110. Quæres. 2. *An ipsa necessitas terminativè conditionata sit su-  
bjectivæ, entitativæque in se ipsa necessaria absolute, & simpliciter?* Affir-  
mat idem Author, quia præscindendo à positione rei impedibilis, ve- Idem ibi-  
dem n. 6.  
rum est dari necessitatem, ut si detur calefaction, detur calor. Respon-  
detur similiter, verum esse dari in se: suu merè negativo eam necessita-  
tem, hoc est nunquam dari posse divisionem calefactionis à calore,  
non autem in sensu positivo; alicquin ea necessitas consisteret for-  
maliter, & immediatè in attributis necessariis Dei, quod falso est:  
quippe tota necessitas de eo, quod detur calor, si datur calefaction, con-  
sistit physicè, & ex parte rerum in connexione essentiali, quamcale-  
faction habet cum calore; sed hæc connexio adæquatè identificatur  
cum calefactione, quæ profectò non per aliud, sed per solam suam  
essentialiam, est connexa cum calore: alias secundum solam suam es-  
sen.

sentiam tam conjungibilis esset cum carentia caloris , quām cum ipso calore: ergo tota hæc necessitas consistit formaliter in essentia ipsa calefactionis : sed essentia hæc non est simpliciter necessaria in sensu positivo , cùm hoc sit attributum solius Dei: ergo neque ea necessitas est talis in sensu positivo .

111. Quæres 3. An purificata conditione , sub qua aliquod dicitur , & est necessarium ; hoc ipso reddatur is terminus absolutè , & simpliciter necessarius ? Responde negativè cum eodem . Quia id solum , absolutè , & simpliciter est necessarium , quod independenter ab omni indefectibili est determinatum ad existendum in rebus : ergo quod tale non est , non debet dici absolutè , & simpliciter necessarium ; atqui calor , posita calefactione , non est determinatus ad existendum in rebus independenter ab omni defectibili : ergo . Confirmatur : esse absolutè , ac simpliciter necessarium est prædicatum prossus intum , atque essentiale ei , quod fuerit absolutè , & simpliciter necessarium : ergo implicat , quod res ulla in uno casu sit absolutè , & simpliciter necessaria , & in alio non sit : quemadmodum implicat , rem in uno casu esse hominem , & eandem existentem in alio casu non esse hominem : ergo si illud , quod est necessarium , non est absolutè , simpliciter necessarium , quando conditio non purificatur ; neque erit , quando purificatur . Vide quæ in simili diximus de conexione conditionali .

112. Objicies . Conditionatum , posita conditione , redditur absolutum ; at calor est conditionatè necessarius sub conditione calefactionis : ergo posita calefactione est absolutè necessarius . Confirmatur : quod neque est absolutè , & simpliciter impossibile , neque contingens ; est absolutè , & simpliciter necessarium ; at dari calorem , posita calefactione , neque est absolutè , & simpliciter impossibile , ut patet , neque contingens , quia nec Deus potest facere , ut data calefactione , deficiat calor : ergo dari calorem , posita calefactione , est absolutè , & simpliciter necessarium . Confirmatur 2. Id , cuius contradictorium absolutè , & simpliciter repugnat , est absolutè , & simpliciter necessarium : sed contradictorium hujus , si datur calefactione , datur calor , absolutè , & simpliciter , ac ex terminis repugnat : ergo &c. Ad objectionem respondeo consequens implicate in terminis , nam ly absolutè excludit omnem conditionem defectibilem , ly posita calefactione inducit conditionem defectibilem . Si mavis , distingue consequens : est absolutè necessarius in sensu positivo , quatenus semper existat in rebus aliquod , quod subjectivè in se ipso sit , posita cale-

calefactione, existere calorem; nego: in sensu merè negativo, quatenus nūnquam existere possit quippiam, quod in se ipso sit, posita calefactione, non existere calorem; concedo. Ad p̄imam confirmationem distinguo minorem, neque est contingens in sensu positivo; nego: quia Deus potest facere, ut non detur in rebus absolutè, & simpliciter aliquod, quod in se ipso sit, data calefactione, datur calor: alioquin hoc enunciabile esset Deus ipse. Neque est contingens in sensu merè negativo; concedo: quia Deus non potest facere, ut detur in rebus aliquod, quod sit, data calefactione, non dari calorem: ast ex hoc non sequitur illud. Ad 2. distinguo majorem: id, cuius contradictorium absolutum repugnat &c; concedo: cuius contradictorium merè conditionatum; nego, & inversum applicatis terminis minori, nego consequentiam.

113. Quæst. 4. *An rem necessariò esse talem ex aliqua hypothesi, vel suppositione, consistat in eo, quod sit absolutè, & simpliciter necessarium status ille, vi cuius talis conditio ea sit, quæ si detur, res erit talis?* Clavis. An calorem necessariò extiterum, si detur calefaction, in eo consistat, quod sit absolutè, & simpliciter sit necessarium absque ulla mixtura contingentia status ille, vi cuius calefaction talis est, ut si detur, extiterus sit calor? Affirmat absolutè P. Ribadeneyra, & hæc affirmatio est una è basibus cardinalibus suæ doctrinæ. Ego autem absolutè nego. Probatur. Nihil adæquatè identificatum cum ipsa calefactione, est absolutè, & simpliciter necessarium absque ulla temperatura contingentiæ; quandoquidem omne tale potest existere, & potest non existere in rebus, non secus ac ipsa calefaction: sed necessitas de eo, quod calor existat, posita calefactione, sive, quod idem est, calefactionem esse talem, ut si ipsa existat, extiterus sit calor, identificatur adæquatè cum ipsa calefactione. Probatur. Tota hæc necessitas formalis, & immediata (nam illativa, & remota consistere potest in scientia necessaria Dei) nihil aliud est ex parte rerum, terminis exactis, quam metaphysica connexio calefactionis cum calore. Sed hæc connexio identificatur adæquatè cum ipsa calefactione, quemadmodum cæteræ omnes metaphysicæ connexiones identificantur respectivè cum suis fundamentis adæquatis: ergo. Confirmatur 1. Calefaction secundum suam solam essentiam inspecta, atque, ut distincta à Deo, aut est determinata ad calorem, aut non? Si primum: ergo sola sua essentia est sua determinatio ad calorem: ergo sola sua essentia est connexio, atque necessitas de eo, quod, ipsa existente, existat calor. Si secundum: sequetur prædicata intima, & essentialia

calefactionis, ab omnibus aliis præscindendo, & quæ contenta esse frigore, ac calore. Quod alperum nimis videtur. Confirmatur 2. absurdis illis, atque rationibus, quibus infra sanciemus, possibilitatem formalem, & immediatam rerum non consistere formaliter in attributis necessariis Dei, sed in rebus ipsis possibilibus. Confirmatur 3. Idem cap. 4. nro. 50. Per te necessitas, per quam aliquid est necessarium respectivè ad causam, non est absolutè, & simpliciter necessaria; sed necessitas, qua est necessarium, calorem existere ex suppositione calefactionis, re ipsa est necessitas, qua calor est necessarius respectivè ad suam causam: ergo necessitas, qua est necessarium, calorem existere, si detur calefactionis, non est absolutè, & simpliciter necessaria quoad existentiam.

114. Sed obiicit. Hujusmodi necessitas est subjectivè absoluta: ergo est necessitas, quæ non tantum foret, sed quæ jam est. atqui non est impeditibiliter: quia chymora est, impediti, seu non esse necessitatem de eo, quòd detur calor. si adsit calefactionis; alias effet contingens hoc enunciabile, si detur calefactionis, dabitur calor: ergo hujusmodi necessitas necessariò existit in rebus: ergo est necessitas absoluta, pura, absque mixtura contingentiarum. Distinguo antecedens, est subjectivè absoluta, quando existit in rebus calefactionis; concedo: quando hæc non existit in rebus; nego: quoniam hæc necessitas impotens est existere, quando non existit illud, quocum identificatur; & distinguo minorem: non est impeditibiliter impeditio potente facere, ne existat absolutè in rebus ea necessitas; nego: hæc namque impeditio possibilis est, quia ambagibus interclusis, nihil aliud est, quam carentia absoluta calefactionis. Impeditio potente facere, ut calefactionis existit in rebus absque calore, vel absque necessitate de eo, quod existat calor; concedo. Bifariam potest considerari impeditio necessitatis prefatae: 1. Quatenus sit impeditio prohibens existere absolutè, & simpliciter in rebus eam necessitatem: & hæc impeditio est possibilis, quis, ut dixi, nihil aliud est, quam defectus, sive carentia absoluta calefactionis. 2. Quatenus sit impeditio prohibens calefactionem conjungit cum calore, aut cum necessitate de eo, quod detur calor: & hæc impeditio est impossibilis: quamobrè præfata necessitas jure vocatur æterna, necessaria, inimpeditibilis, incapax contingentiarum non quidem relativè ad suam carentiam absolutam, quasi hæc numquam posset exerceri in rebus, sed relativè ad divisionem ipsius calefactionis à calore, vel à necessitate existentiarum caloris. Clarius. Aliud est carentia absoluta, infallibilis connexionis, quam habet calefactionis cum calore; & aliud plurimum diversum separatio calefactionis à calore, seu complexum

ex absoluta existentia calefactionis, & absoluta carentia caloris. Illud primum est possibile, hoc secundum est chymæra. Necessitas autem, atque indefectibilitas memoratæ necessitatis excludit hoc secundum, non illud primum: quod si etiam illud primum excluderet, constanter neganda est hujusmodi necessitas, quam ægrè admodum suadebunt.

115. Quæres 5. *An idem possit esse simul necessarium determinatè, & indeterminatè?* Hæc vaga necessitas potest esse tum absoluta, id est independens ab omni hypothesi contingentí, qualis est necessitas hæc: *Petrus existit, vel non existit*: tum conditionata à certa quadam hypothesi dependens, ut hæc: *Homo vel amat liberè, vel liberè non amat*. Respondens igitur cum distinctione, dico 1. Idem potest esse necessarium tum determinatè, tum indeterminatè mentaliter, & quidem respectu ejusdem actus intellectus: non enim repugnat actus simplex, ac indivisibilis sic tendens: *Ens absolute*, & simpliciter necessarium vel existit, vel non existit: sed tale ens est relatè ad hunc actum, determinatè, & indeterminatè necessarium; quoniam tò indeterminatè non significat hic negationem determinationis, sed positivam tendentiam hac voce, vel, explicabilem. Dico 2. Idem potest esse à parte rei necessarium determinatè, ac indeterminatè, relatè ad diversas suppositiones: sic ex hypothesi voluntatis divinæ efficaciter statuentis, existere A, vel B; res A, est indeterminatè necessaria: ex hypothesi autem eadem conjuncta cum exclusione rei B, est determinatè necessaria res A. Porro hoc nihil aliud est, quam unam hypothesim connecti determinatè cum A, & aliam distinctam connecti disjunctivè dumtaxat. Dico 3. Repugnat, quod idem à parte rei sit determinatè necessarium simpliciter, & simul indeterminatè secundum negativum, quod præfert hoc indeterminatè; secus secundum positivum. Probo primam partem. Negativum, quod præfert tò indeterminatè, est carentia connexionis terminativè determinatæ cum ente determinatè, & simpliciter necessario: sed repugnat realitatem ullam verè existentem in rebus, habere carentiam connexionis terminativè determinatæ cum ente determinatè, & simpliciter necessario; tale namque ens est solus Deus, & repugnat ullam objectivam realitatem verè existentem non habere connexionem terminativè determinatam cum Deo: eo quod omne vere existens in rebus est Deus, vel creatura, & utrumvis est determinatè connexum cum Deo in sensu reali, quidquid sit de frivilis nostris præcisionibus, & inadæquatis inspectionibus. Probo secundam partem.

tem. Creaturam v.g. esse indeterminatè connexam cum Deo secundum positivum, quod dicit id indeterminatè, consistit in eo, quod creatura fundet infallibiliter veritatem hujus positivæ tendentia, vel existit Deus, vel non existit: sed hoc ita contingit. Probatur. Omne infallibiliter fundans unius veritatem categoricæ ex illis, quibus constat disiunctiva, infallibiliter fundat veritatem disiunctivæ, ut talis: sed omnis creatura infallibiliter fundat veritatem unius categoricæ ex illis, quibus constat nupera disiunctiva, ut constat: ergo omnis creatura infallibiliter fundat (& quidem à parte rei) veritatem illius disiunctivæ.

116. Quæres 6. *An omnis necessitas vaga aliquorum extremorum dependenter ab aliqua conditione sit eo ipso necessitas vaga absoluta aliorum?* Respondeo affirmativè, & probatur tum rationibus, quibus supra stabilivimus: omne conexum conditionatè, esse absolute connexum disiunctivè cum eo, quod, vel non detur conditio, vel detur conditionatum: ergo omnis necessitas disiunctiva de eo, quod, si datur A., detur B., aut C, est absolute necessitas disiunctiva, de eo, quod, vel non detur A., vel detur B., vel detur C: ergo omnis necessitas vaga aliquorum extremorum dependenter à quadam conditione, est necessitas vaga absoluta aliorum. Tunc exemplo libertatis proxima ad amandum, quæ, cùm sit necessitas terminativè disiunctiva amoris liberi, & carentia liberæ amoris ex suppositione ipsius libertatis, infert eo ipso hanc veritatem, vel non datur libertas, vel datur amor liber, vel datur libera carentia amoris: impossibile namque est, libertatem coexistere unquam contradictoriis horum omnium, extremorum: quippe contingeret existere eam libertatem (en contradictionum primi) & deficere amorem liberum, atque carentiam liberam amoris, qui duo deficiuntur contradictorii reliquorum, extremorum disiunctivæ.

117. Quæres 7. *An necessitas indeterminata aliquorum extremorum, sit necessitas conditionata de eo, quod, si unum deficiat, existat alterum?* Negat absolute P. Ribad. Ego autem distinguo; vel haec necessitas indeterminata est absoluta, atque independens ab omni conditione: vel dependens ab aliqua subjectivè contingente? Si primum, *P. Ribad. qu. 36. de neces. c. 2. ann. 16.* respondeo affirmativè (quidquid reclamare videatur P. Alderete) atque ideo necessitas disiunctiva de eo, quod Petrus existat, vel non existat, est necessitas quasi conditionata de eo, quod, si deficit carentia, detur existentia. Ratio est. Si, deficiente uno, deficeret alterum, ambo deficerent simul; ergo neutrum existeret: ergo deficeret ter-

minus ejus necessitatis: ergo & ipsa necessitas. Si secundum; rogo iterum: vel ea necessitas indeterminata ex suppositione fundatur in extremo privatim, ac determinatè connexo cum uno extremo disunctionis, vel non? Si primum; respondeo negativè ob rationes, quibus jam probavimus, non omne connexum disiunctivè cum eo, quòd, vel deficiat conditio, vel existat conditionatum, esse conditionatè connexum cum eo, quòd, si datur conditio, detur conditionatum. Si secundum; respondeo affirmativè, & eodem utor exemplo, quo ipse Ribadeneyra oppositum probat. Necessitas de eo, quòd existente proxima libertate ad amandum, detur amor liber, vel carentia libera amoris, est necessitas vaga, & indeterminata aliquorum extemorum, dependensque ab aliqua contingente suppositione, nimis ab existentia libertatis: sed hæc necessitas est quoque necessitas de eo, quòd, si non detur amor liber, detur carentia libera amoris: ergo. Explicatur hæc minor priusquam probetur.

118. Aliud est dari necessitatem, seu metaphysicam connexionem cum hac veritate conditionali; aliud autem longè diversum, hanc conditionalem esse necessariæ veritatis. Primum dicimus; non secundum. Quemadmodum aliquando datur necessitas, seu intima connexionem cum eo, quòd, existente libertate A, detur conversio; ( scilicet quando mens Divina hanc Scientiam habuerit, si detur libertas A., dabitur conversio ) ast numquam est necessariæ veritatis hæc propositio; si daretur libertas A., daretur conversio. Idem dico in præsenti; ratio autem primaria P. Ribad. ed solùm tendit, ut probet, hanc veritatem, si deficit amor liber, datur libera carentia amoris, non esse simpliciter necessariam. Jam probo minorem: omne, quod infallibiliter deficeret, si, deficiente amore libero, deficeret quoque libera carentia amoris; & ultius neque opponitur privatim cum defectu libero amoris, neque cum defectu libero carentie amoris, est metaphysicè oppositum cum eo, quòd, deficiente amore libero, deficiat quoque libera carentia amoris, & consequenter est connexionem metaphysicam, seu necessitas de eo, quòd, deficiente amore libero, detur libera carentia amoris. At omnis necessitas præfatæ naturæ infallibiliter deficeret, si, deficiente amore libero, deficeret quoque libera carentia amoris, quævis namque necessitas de eo, quòd detur unum ex duobus, infallibiliter deficeret, utroque deficiente: si autem, deficiente amore libero, deficeret libera carentia amoris; utrumque deficeret: ergo.

119. Objicit Ribad. Prior necessitas indeterminata constituit in eo,

eo, quod sit necessariò vera hæc conditionalis: si detur in Petro libertas ad amandum, Petrus exercebit amorem liberum, vel carentiam liberam amoris. Posterior verò necessitas conditionata consistit in eo, quod sit necessariò vera hæc: si Petrus non exercet amorem liberum, exercebit liberam omissionem amoris. At potest esse necessitas veritatis prior, & non posterior; siquidem fieri potest, ut posterior sit falsa, nempè deficiente libertate: ergo. Confirmatur. Necessarium non connectitur cum contingente; at prior veritas est necessaria, & secunda est contingens: ergo prior non connectitur cum secunda: ergo non est necessitas secunda. At necessitas de eo, quod, vel detur amor liber, vel libera carentia amoris ex suppositione proximæ libertatis, consistit in priore veritate; necessitas autem carentiæ liberæ amoris ex suppositione, quod non detur amor liber, stat in secunda veritate: ergo necessitas primæ non connectitur cum secunda. Ad objectiōnem, nego majorem. Aliud namque est illud, in quo consistit necessitas indeterminata amoris liberi, & liberæ carentiæ amoris: aliud autem illud, cum quo connectitur ea necessitas (quaæ duo confundere videtur Arguens.) Hæc consistit formaliter, & immediatè in ipsa libertate; connectitur autem cum ista veritate conditionata necessaria: qua propter licet ista prima veritas conditionata non connectatur cum secunda, qua revera est contingens; subsistit nihilominus hanc necessitatem indeterminatam de eo, quod, vel detur amor liber, vel detur libera carentia amoris, esse necessitatem, seu metaphysicam connexionem terminativè conditionatam de eo, quod, si non detur amor liber, detur libera carentia amoris. Ad modum, quo licet Deus non connectatur metaphysicè cum corpore, & anima v. g. unio tamen horum metaphysicè connectitur cum Deo, & cum his. Ad confirmationem, reliquis concessis, nego minorem subsumptam, ob rationem modò exhibitam.

120. Quæres 8. *An possit dari habitudo respectus, sive necessitas, qua formaliter, & absolute sit indeterminata duorum extremorum, & neutrivis determinata?* Affirmat absolutè P. Ribad. negat absolutè P.

P. Ribad. docens habitudinem, requisitionem, necessitatemque indeterminatam æquivalere conditionatae necessitati de existentia unius subg. cit. cap. 3. n. 32. hypothesi, quod deficiat alterum: ego verò medium tenens produco P. Izq. in Pbra dis. put. 10. nuper datam distinctionem, & respondeo. Vel extrema indeterminationis sunt connexa, vel nullam inter se habent connexionem metaphysicam? Si primum; assentior Ribadeneyræ, nam hoc probant prima duo exempla, quaæ adducit. Si secundum; assentior Izq. nec me

me movent rationes, quas perhibet P. Ribad. Nam est prorsus necessarium sine ulla libertate ad oppositum, quod Deus v.g. decernat libere ex suppositione, quod deficiat omissio libera hujus decreti, seu ex suppositione, quod existat hoc decretum, siquidem nulla libertas datur ad omittendum decretum conjunctum cum ipso decreto, & similiter in creaturis; neque juvat divisio, qua ad calcem hujus capitis se protegit Ribad. quippe utrumque divisionis membrum est falsum.

121. Quæst. 9. *An verificativum cuiuscumque disjunctivæ vagantis inter carentiam unius rei, & existentiam alterius, necessarium inducat conditionatam de eo, quod una existat, si existat altera?* Respondeo negative cum eodem Ribad. Nam hæc disjunctiva est vera. *Vel non existit æterna salus Iudea, vel existit chymara,* quin sit vera hæc, si existeret salus Iudea, existeret chymara. Ratio est; quia ad veritatem disjunctivæ sufficit unius extremi veritas: & hæc, neque identificatur, neque connectitur cum veritate conditionali. Sed objicies preter soluta supra. Quoties disjunctiva est vera, & non ratione unius extremi, debet esse vera ratione alterius: ergo si est vera hæc disjunctiva: *vel non existit salus Iudea, vel existit alter mundus,* & non est vera ob defectum salutis Iudea, existere debet alter mundus: sed hoc ipso est verum, quod, si daretur salus Iudea, existeret alter mundus. Nego hoc. Quoniam alter mundus existeret non sub hypothesi solius salutis Iudea, sed hujus simul cum veritate disjunctiva. Quod si salus Iudea non coexistat veritati disjunctivæ, eo quod hæc tantum fundetur in carentia ejus salutis, pessimè arguetur fore, ut, si ea salus detur, existat aler mundus.

122. Quæst. 10. *An verificativum veritatis disjunctiva vagantis inter extrema contingentia v.g. hujus, Petrus existit, vel caret existentiâ; sit re ipsa verificativum propositionis conditionatè assertentis unum eorum sub conditione, quod alterum deficiat v.g. hujus: Si Petrus non existit caret existentiâ, & hujus; si non caret existentiâ, existit?* Respondeo cum distinctione: aut admittuntur objecta, quæ subjectivè in se ipsis sint carentia formales, & immediatae; aut dicitur nullius cognitionis objectum esse quidpiam, quod in se ipso sit carentia, sed potius objectum omnis omnino cognitionis esse existentiam veram, & realem? Si primum; respondeo, verificativum prædictæ veritatis disjunctivæ non esse adæquate verificativum singularum conditionalium. Nam verificativum disjunctivæ est immediata repugnancia, ut simul deficiant ambo extrema: sed hæc immediata repugnancia nec consistit formaliter, & immediatè in sola existentia, neque

P. Ribad:  
qu. 35 de  
necess. c. 2.

que in sola carentia , sed in utraque ; nam existentia per solam suam essentiam repugnat deficere casu, quo deficiat carentia; & carentia per solam suam essentiam repugnat deficere casu, quod deficiat existentia: ergo verificativum prædictæ disjunctivæ consistit formaliter, & immediatè in existentia, & carentia. At verificativum formale, & immediatum hujus v.g. conditionalis, si deficit carentia, datur existentia , statim sola existentia : ergo plus dicit verificativum disjunctivæ, quam conditionalis, ergo illud non est adæquatè hoc. Probo minorem. Verificativum conditionalis stat formaliter, & immediatè in solis conditione, conditionato, & intima connexione illius cum hoc ; sed hæc tria nil aliud sunt , quam sola existentia , nam est formalis defectus carentię (& is defectus est conditio ) & sola existentia est dari existentiam ( & hoc est conditionatum ) & sola item existentia est intima connexionio existentiæ cum existentia : ergo sola existentia est verificativum formale , & immediatum hujus conditionalis .

123. Si secundum; idem est verificativum utriusque propositionis : nam verificativum utriusque est sola existentia ; si enim aliud , maximè carentia (& ut modò supponimus agnoscibile non est ab intellectu objectum ullum , quod in se ipso sit carentia ) Neque urgent rationes P. Ribad. Non prima , scilicet verificativum necessarium , omnis necessariæ veritatis esse solam essentiam Dei ; quia hoc alibi manet refutatum . Non secunda , scilicet verificativum disjunctivæ esse necessariam repugnantiam , ut simul deficiant ea extrema : sed hæc repugnantia est necessaria connexionio , quia deficere existentiam Petri connectitur cum eo , quod detur carentia Petri . Distinguо hoc : est præcisè hæc connexionio ; nego : est hæc connexionio , & simul ipsa existentia Petri ; concedo : ex his duobus illa sola connexionio; non verò existentia Petri , verificat hanc conditionalem , si non datur existentia Petri , datur carentia ejusdem .

124. Quæres 11. An verificativum necessarium veritatis disjunctivæ necessariò vagantis inter extrema necessaria sit verificativum propositionis enunciantis conditionatè unum ex illis extremis sub hypothesi defectus alterius extermi ? Hoc est : An necessarium verificativum hujus disjunctivæ , vel existit Pater Æternus , vel Verbum Divinum , sit verificativum hujus ; si non existit Pater Æternus , existit Verbum ? Affirmat absolutè P. Ribad. Ego verò nego : tum quia nihil possibile possum. cap. 3. test esse verificativum propositionis necessariò falsæ , & impossibilitas num. 34. vera ; at dicta propositione conditionalis est necessariò falsa : ergo nihil possibile potest ipsam verificare : sed verificativum necessarium possum.

positionis disjunctivæ est possibile : ergo . Tum quia , vel objectum attactum per eam hypothesim formalem, si non existit Pater Æternus , est aliquid entitatib⁹ impossibile , adæquatèque distinctum ab omni possibili , vel aliqua carentia possibilis sinistrè applicata Patri Æterno (ut opinatur ipse Ribad. ) vel applicatio ipsa intentionalis, hoc est inverificabilis error tribuens Patri Æterno carentiam . Si primum; verificativum dictæ conditionalis est intima connexio illius chymæræ cum Verbo Æterno ; sed hæc intima connexio , utpote indistincta à chymæra ipsa , distinguitur , & à Patre , & à Verbo , qui sunt verificativum disjunctivæ : ergo . Idem dico, si secundum, aut tertium eligas membrum ; quoniam verificativum propositionis conditionalis ( sumpt⁹ in sensu illativo ) est intima connexio , aut illius carentiae possibilis cum verbo, aut erroris intellectualis; sed ambo hæc quia indistincta à suis subjectis , distinguuntur adæquatè à Patre , & Verbo : ergo .

125. Respondet . Singula ex his constitui in ratione connexorum necessariò cum Verbo per essentiam ipsam divinam: verùm hoc alibi refelli . Dices 2. Quomodo hæc cohærent cum nostra doctrina , juxta quam objectum terminativum illius hypothesis formalis , si non existit Pater Æternus , est ipsa realis , & vera existentia Patri Æterni . Respondeo , hypothesis objectivæ attacta per prædictam formalem est non existere Patrem: cùmque negationes non sint ex parte objecti , ut alibi ostendo , sed unicè consistant in actibus ipsis intellectus , dicere , si non existat Pater , existet Verbum , est dicere , si intellectus negat existentiam Patri , debet tribuere existentiam Verbo; hæc autem conditionalis solo objecto signato inspesto est falsa , nam qui negat terminum connexionis metaphysicæ tam longè abest, ut teneatur affirmare fundamentum, quin potius hoc quoque negare debeat, cùm hujus connexionis fundamentum , nec divinitus possit subsistere absque termino . At Pater Æternus est terminus, cum quo Verbum intimè connectitur: ergo si intellectus , negat Patri existentiam, non tenetur eam concedere Verbo : ecce rationem , ob quam falsitatis convincitur hæc conditionalis : *Si Pater Æternus non existeres , existaret Verbum;* quin propterea hypothesis formalis feratur in objectum ullum entitatib⁹ impossibile . Ceterū inficias non ibo, eam propositionem veram esse in sensu exercito : nam omnis creatura est intimè connexa cum Verbo Æterno , cùm sit connexa in sensu reali cum Deo vero , & consequenter cum Deo Trino , & uno , ut postea dicam contra Aliquos : sed intellectum negare Patri existentiam ,

tiam, est aliqua creatura: ergo hoc ipsum, quod est, intellectum negare Patri existentiam, est connexum cum Verbo: ergo verum est in sensu exercito, & quasi reflexo, quod, si intellectus neget existentiam Patri, existit Verbum.

126. Quæres 12. *An verificativum disiunctivæ necessarium vere vagantis inter extrema, quorum unum est simpliciter necessarium, & alterum simpliciter contingens, v. g. vel existit Deus, vel existit creatura, sit verificativum conditionalis enunciantis unum sub hypothesi, quod alterum deficiat, bujus v. g. si non existit creatura, existit Deus, & bujus, si non existit Deus, existit creatura?* Affirmat Doctor Ribad. ego autem nego: nam verificativum formale, immediatum, atque directum primæ conditionalis sumptæ in sensu illativo est intima connexionio defectus creature (ponitur, esse parentias ex parte objecti) cum existentia Dei: verificativum autem necessarium disiunctivæ est sola existentia Dei: atqui illa connexionio cum hac existentia est distincta realiter ab hac existentia, cum sit indistincta à defectu ipso creature: ergo verificativum primæ conditionalis est distinctum à verificativo disiunctivæ: similiter verificativum secundæ conditionalis (si forte est assignabile) esset connexionio parentiæ Dei cum existentia creature: sed hæc connexionio, ut potè non distincta ab ipsa parentia, esset distincta ab existentia Dei: ergo. Dices ex laudato Doctore, verificativum primæ conditionalis est, Deum existere sub conditione parentiæ possibilis: ergo est existentia Dei: ergo est verificativum disiunctivæ. Distinguo antecedens, est præcisè Deum existere; nego: est ulterius connexionio parentiæ possibilis cum Deo; concedo: nam hæc connexionio est, quod præcipue enunciat conditionalis in sensu illativo sumpta.

127. Quæres demùm. *An verificativum disiunctivæ vagantis inter extrema, quorum unum est simpliciter necessarium, & alterum simpliciter impossibile v. g. vel existit Deus, vel existit chymæra, sit verificativum propositionis conditionaliter affirmantis extremum necessarium sub hypothesi, quod deficiat chymæra, necnon propositionis enunciantis chymæram sub hypothesi, quod deficiat extremum necessarium?* Affirmat P. Ribad. de prima, & negat de secunda. Ego de utraque, nego. Quoniam verificativum formale, & immediatum hujus conditionis, si deficiat *Hircocervus*, existit Deus, est intima connexionio defectus hircocervi cum Deo; hæc autem connexionio est defectus ipse, & hic defectus, sive ponatur in ipsa distinctione hirci à cervo, sive alibi, est distinctus à Deo. Verificativum item hujus, si deficiat Deus, dabitur *hircocervus*, est connexionio divini defectus cum hircocervo: & hæc etiam connexio

## Cognitiones fundamenti, & termini. 475

xio ( si admittantur objecta entitativè impossibilia ) utpotè identificata cum defectu ipso Dei , distinguitur à Deo ; sed Deus est verificativum memoratæ disjunctivæ : ergo verificativum ambarum conditionalium est distinctum à verificativo illius disjunctivæ . Multæ alias combinationes excogitari possunt inter necessitates conditionales , & disjunctivas , necnon inter una , & altera verificativa ; sed eis parco , quia de his satis .

## C A P U T OCTAVUM.

Conferuntur cognitiones fundamenti , & termini , tum Connexionis , tum Oppositionis .

128.



Ico 1. Non omnis cognitio etiam intuitiva termini connexionis metaphysicæ est identicè , aut connexivè cognitione fundamenti : idem dicendum de cognitione intuitiva termini oppositionis . Neque omnis cognitio adhuc intuitiva fundamenti connexionis , vel oppositionis , est semper identicè , aut connexivè cognitione termini . Imò non quævis species comprehensionis fundamenti trahit secum jugiter cognitionem adhuc abstractivam , nedum claram , & intuitivam termini . Probo 1. partem : sèpè habemus cognitionem intuitivam multorum accidentium materialium , albedinis v. g. & tamen non semper habemus expressam , & formalem cognitionem eorum decretorum , scientiarumque Dei , quæ metaphysicè connectuntur , & opponuntur cum prædictis accidentibus ; neque eorum , cum quibus prædicta accidentia connectuntur , vel opponuntur . Quis enim dicat , nos agnoscere formaliter , atque expressè prefatos actus divinos , quoties albedinem inspicimus , aut sonum audimus ? ergo non omnis cognitio , etiam intuitiva termini connexionis est identicè &c. Imò evidens , atque intuitiva cognitione fundamenti metaphysicè connexi cum termino est compatibilis in eodem intellectu , & puncto temporis cum expressa , & formalis negatione termini , ut patet in Atheistis , qui cùm evidenter , atque intuitivè agnoscent accidentia materialia metaphysicè connexa cum Divinitate , hanc nihilominus expressè negant . Nec te moveant verba illa ad Rom. Invisibilia tamen ipsius ( idest Dei ) à creatura mundi per ea , quæ facta sunt intellecta conspiciantur , sempiterna quo- que ejus virtus , & Divinitas , ut sint inexcusabiles : neque illa Sap. A magnitudine speciei , & creatura cognoscibiliter poterit creator borum

Ad Rom.  
1. 19.

*videri*: etenim aliud est cognitionem creaturarum, quippe quæ metaphysicè connectuntur cum Deo, valde idoneam esse demonstrando existentiam Dei (& hoc legitimè deducitur ex testimonio utroque: verum non negatur à nobis;) aliud autem plurimum diversum, cognitionem creaturarum infallibiliter afferre secum identicè, aut conexivè notitiam expressam, & formalem Divinitatis, & hoc est falsum, nec verbis adductis probatur.

129. Probo 2. partem de cognitione comprehensiva. Angeli per Scientiam merè naturalem comprehendunt res purè naturales: sed hæ sunt realiter à parte rei connexæ cum Mysterio Trinitatis, siquidem realiter connectuntur cum Deo reali, & vero, qui, ut verus, & realis est connexus cum Trinitate Personarum: ergo Angeli per Scientiam merè naturalem comprehendunt fundamentum metaphysicè connexum cum Trinitate, & tamen illa Scientia merè naturalis, neque identicè, neque conexivè est cognitio adhuc abstractiva existentias Trinitatis, alias solis viribus naturalibus posset creatus intellectus tantum Mysterium assequi: ergo. *Dixi non quævis species comprehensionis*, nam comprehensio, quæ absolute, & simplificiter talis fuerit, ex suis intrinsecis afferat claram, & expressam cognitionem termini connexionis; Comprehensio vero Angelica tantum secundum quid est comprehensio. Quo circa argumenta, quæ contra hanc partem possunt deponi ex conceptu comprehensionis, irrita sunt, quippe Angelica comprehensionis non participat adeo rigorosè talem conceptum: alia quoque objici possunt ab Authoribus, qui negant connexionem creaturarum cum Deo ut trino; sed alibi ea solvo.

130. Dico 2. eadem cognitionis simplex, atque indivisibilis representans fundamentum connexionis, aut oppositionis. potest etiam pro hoc statu representare terminum. Imò impossibile est. cognosci clarè fundamentum formaliter, ut connexum, vel, ut oppositum termino, quin per eamdem cognitionem terminus agnoscatur, quod tamen non modò est verum, loquendo de connectione, atque oppositione metaphysica; verum etiam de physica, & morali: pariterque est impossibile cognosci clarè terminum, ut talem, quin per eamdem cognitionem agnoscatur fundamentum. Prima pars est contra P. Izq. qui principio à nostratis rejecto ducitur. Probatur. Judicium hujus tendentiae: creatura suaptè natura connectitur cum Deo, potest esse simplex, atque indivisible; & tamen clarè representans creaturam, ut connexam cum Deo: ergo. Principia majoris probatio

## Cognitiones fundamenti, & termini. 477

tio est negativa , solvendo fundamenta contraria , quæ jam subjicio ex P. Izq.

P.Izq. in  
Phar dis-  
pu. 2. q. 3.  
num. 137.

131. Primum fundamentum hujus Authoris est : nequire intellectum pro hoc statu cognoscere plura , ut plura ; verum hoc communiter negatur à nostris , & meritò . Secundum est . Voces distinctæ , sicut conceptibus objectivis distinctis , ita distinctis cognitionibus respondent ; at relatio connexionis , & terminus semper significant vocibus distinctis: ergo & distinctis cognitionibus cognoscuntur . Major est falsa . Namque vocum pluralitas , neque conceptuum objectivorum , neque formalium multitudinem evincit ; quandoquidem idem prorsus objectum multis vocibus passim explicatur . Porro explicare eumdem conceptum objectivum , aut formalem multis vocibus , aliquando provenit ex idiomatis penuria , & quia verba non plenè assequuntur conceptus mentis . Tertium est . Res distinctæ non adunantur à nobis sub una cognitione , nisi quando adeo sunt similes , ut possit ab aliis ab illis conceptus communis ; sed connexionio , & hujus terminus non sunt id generis , cùm potius dissimiles sint : ergo . Respondeo , istam similitudinem dumtaxat esse necessariam ad adunationem logicam ; non vero ad adunationem physicam , & subjectivam cognitionis , cùm Angeli , & animæ separatae possint unica simplici cognitione cognoscere plura , ut plura .

132. Quartum fundamentum tribuit experientiæ , quam AA. contrarii facile negant . Quintum est : species , quibus utimur ad cognoscendum connexionem , & terminum hujus , sunt distinctæ , quoquidem connexionio , & terminus sunt objecta distinctæ , & objecta distinctæ representati nequeunt per eandem speciem : ergo etiam cognitiones sunt distinctæ &c. quippe hæ nascuntur ab speciebus . Probatio antecedentis est nulla : quoniam Angelus , & Juvenis sunt objecta valde distincta , & tamen eadem species subservit utrique cognoscendo . Item consequentia est mala , & probatio non urget quia effectus indivisibilis provenire potest à causis plurimis diversis , ut probatur in ipsa intellectione formalí , quæ ab intellectu , specie impressa , atque Deo producitur per concursum simultaneum , & ea tria sunt invicem distincta .

133. Sextum est . Non minus repugnat amare medium , ut medium , non amato fine , quām cognoscere connexionem ut tales , non cognito termino ; & tamen medium , & finis amantur per actus distinctos : ergo etiam connexionio , & terminus agnoscuntur distinctis actibus . Ita major est æquivoca ; vel enim ea phrasis ; medium ut medium ,

dium, reduplicat dumtaxat utilitatem in actu primo medii ad finem; vel etiam reduplicat hunc, ut rationem moventem ad amandum medium; vel reduplicat eundem, ut amatum? Si primum, aut secundum, potest voluntas amare medium, ut medium citra finis amorem. quia in illis medium distinguitur à fine, & cum eo non connectitur. Si tertium implicat sane amare medium, ut medium, non amato fine; sed hoc est, quia ille per unum eundemque actum, per quem amat medium, amat quoque finem.

134. Probo secundam partem, videlicet, impossibile esse cognosci clare, expressè, atque formaliter fundamentum, ut connexum, vel ut oppositum cum termino, quin per eandem cognitionem ter-

P. Molina minus agnoscatur, quod est contra P. Molina, cui adhæret P. Izq; qui 1.p. qu. 5<sup>o</sup> fatetur cognito fundamento, ut connexo, necesse quidem esse, quod art. 3.

P. Izq. terminus absolute cognoscatur; verum minimè requiri, quod co-  
tom. 2. de gnoscatur per eandem cognitionem. Nostra autem propositio est ex-  
Deo uno pressa Eximii Doctoris; estque communis inter R.R. Probatur 1. ex  
disput. 23. Arist. qui postquam dixit, manifestum esse non posse cognosci fun-  
guesl. 6.

Eximus damentum relationis, quin agnoscatur terminus, addit. Si enim nos Dott. lib. 2. novit omnino illud, ad quod hoc aliquomodo se habet; neque si ad aliquod de Ang. c. hoc aliquomodo se habet, noscet: cuius legitima expositio est. Quod si

19. Aristot. intellectus omnino ignorat terminum relationis, omnino ignorabit cap. de re.. fundamentum relatum esse ad eum terminum: ergo si per aliquam lativis. cognitionem ignorat terminum, per illam eandem non agnosceret, fundamentum esse connexum cum eo termino: ergo convertendo, si per aliquam cognitionem scit, fundamentum esse connexum cum termino, per illam debet scire terminum.

135. Probatur 2. à ratione. Omnis cognitionis habens hunc ex-  
pressum, & formalem modum tendendi: *Creatura est connexa cum Deo*: repräsentat formaliter, & expressè Deum, atque ab ipso non  
præscindit objectivè; sed omnis, cognitionis repräsentans clare, &  
expressè creaturam *ut connexam cum Deo*, v. g. indispensabiliter de-  
bet habere præsumptum modum tendendi. Probatur, vel habet præcisè  
hunc, *creatura est*, vel hunc, *creatura est connexa cum*, vel hunc, *crea-  
tura est connexa cum Deo?* Si hoc tertium; habemus intentum. Si pri-  
mum aut secundum; cognitionis illa non repräsentat formaliter Deum;  
attamen neque repräsentat creaturam, *ut connexam cum Deo*. Pro-  
batur facile. Nullus modus tendendi, vi cuius præcisè nequit intel-  
lectus assequi, creaturam esse connexam cum Deo, repräsentat  
creaturam, *ut connexam cum Deo*; siquidem ex vi cuiuscumque  
actus

## Cognitiones fundamenti, & termini. 479

actus clarè proponentis creaturam, ut connexam cum Deo, potest intellectus assequi creaturam esse connexam cum Deo. At duo illi primi modi tendendi tales sunt, ut ex vi præcisè illorum, nequeat intellectus assequi creaturam esse connexam cum Deo; ex eo enim, quod docearis, *creaturam esse*: aut *creaturam esse connexam cum*, unde deprehendes esse determinatè connexam cum Deo? ergo illi duo modi tendendi non repræsentant creaturam, ut connexam cum Deo. Hinc interclusa manet solutio, quam meditatur P. Izq; inquiens, eum, qui comprehendit respectum ad Deum, cognoscere quidem Deum, sed non necessariò per eandem cognitionem, per quam agno. scit eum respectum. Præoccupatum est hoc; quoniam omnis cognitio sive divisibilis, sive indivisibilis, quæ habuerit hunc formalem modum tendendi: *Creatura respicit Deum*: repræsentat formaliter, & expressè ipsum Deum. Sed omnis cognitio clarè, & expressè repræsentans creaturam, ut *responsiblem Deum*, debet habere prædictum modum tendendi, ut manet probatum: ergo.

136. Explicatur: aut loqueris de cognitione repræsentante creaturam v.g. ut connexam abstractè, genericè, & in confuso, aut de cognitione repræsentante illam, ut connexam determinatè, privatim, & in particulari cum Deo? Si primum; ergo nec per eandem, nec per diversam cognitionem, tunc temporis existentem, est necessarium, quod Deus agnoscatur, contra id, quod dicas in Pharo: ubi iacta sunt fundamenta tuæ sententiæ. Probo consequentiam stat benè, quod noverit intellectus, creaturam habere aliquam connexionem abstractè, & in confuso, quin ulla tenus discernat terminum, quocum creatura habet illam connexionem: ergo si dumtaxat loqueris de cognitione repræsentante creaturam, ut connexam abstractè, & genericè, non modò, non requiritur, quod intellectus per illam cognitionem agnoscat terminum, ut ait; verum, neque requiritur, quod per aliam diversam cognitionem tunc temporis existentem, terminum ipsum noverit. Si secundum; Imperceptibile omnino videtur, cognitionem ullam repræsentare creaturam, ut connexam privatim, & in particulari cum Deo, quin formaliter, atque expressè Deum repræsentet.

### §. III.

137. Respondebis. Per eandem cognitionem, qua cognoscitur fundamentum, cognoscitur quoque terminus; at ea cognitione non est simplex, & indivisibilis, sed composita ex duabus, aut

P. Izq.  
di/p.23. de  
Deo num.  
135.

Idem in  
Pharo di-  
spat.2.q.3  
num. 137.

aut tribus partibus, quarum uno repræsentet solum fundamen-tum, altera solam connexionem, altera demum solum terminum, complexumque ex illis repræsentat fundamentum, ut connexum cum termino, in quam solutionem abit idem Author. Contra pri-mò: ergo similiter dici potest cognitionem clarè, atque intuitivè repræsentantem prædicata hominis, posse illa præscindere, non-stantum formaliter; sed etiam objectivè; nam quemadmodum tu dicis intimam, atque essentialem connexionem fundamenti cum-termino necessitare quidem ad cognoscendum terminum; non verò ad cognoscendum per eandem individuam cognitionem, ita dicet alius intimam identitatem animalis v. g. cum rationali necessitare eum, qui intuitivè prædicatum animalis cognoscit, ut cognoscat ratio-nale: cæterùm minimè necessitare, ut cognoscat rationale per eas-dem cognitionem, per quam animal. Neque adversario prodest recur-sus ad specierum diversitatem, quibus utimur cognituri fundamen-tum, connexionem, & terminum; quoniam etiam utimur specie-bus distinctis ad noscendum subiectum, & prædicatum hujus propo-sitionis, *Homo est animal*; quandoquidem subiectum apprehendimus per modum per se stantis; prædicatum verò per speciem alteri adja-centis; & tamen prædicta propositio potest esse actus simplex, atque indivisibilis. Porrò exemplo hoc, & ratione supra exhibita enerva-tur primarium fundamentum hujus Authoris, nimirum intellectum pro hoc statu non posse unico actu cognoscere plura, ut plura, eo quòd speciebus distinctis egeat, ut plura cognoscat.

138. Contra 2. Aliud est cognitionem eamdem, quæ propo-nit fundamentum connexionum cum termino, proponere quoque for-maliter terminum, sive talis cognitio sit indivisibilis, sive divisibilis: aliud autem plurimum diversum, eam cognitionem esse divisibilem, aut esse indivisibilem. Impræsentiarum de primo est quæstio: & est quod simpliciter verum reputamus ob rationem jam productam. De secundo non est quæstio præsens, quo circa solutio ad rem non venit: est tamen falsum afferere, eam cognitionem necessariò fore divisibili-lem, cùm fundamentum hujus assertionis irritum sit. Cæteras so-lutiones P. Izq; tacitas prætereo, quippe non huic, sed aliis argu-mentis eas admovet. Demum simili forma arguendi ostendendum est, intellectum non posse cognoscere fundamentum, ut oppositum termino, quin per eamdem cognitionem noverit terminum: item non posse cognoscere terminum, ut terminantem connexionem hu-jus individui fundame*n*ti, quin per eamdem cognitionem agnoscat fun-

## Cognitiones fundamenti, & termini. 481

fundamentum. Semper tamen subsistit praedictus modus tendendi, in cognitione, quæ clarè representat aliquid, ut relatum ad aliud cuiuscumque generis fuerit relatio.

139. Sed objicies, juxta hanc doctrinam, eo præcisè quodd agnoscatur fundamentum, ut connexum cum Deo v.g. cognoscitur Deus: ergo eo præcisè, quodd non cognoscatur Deus, non cognoscitur creatura, ut connexa cum Deo: ergo solo Deo non intellecto, non intelligitur creatura, ut connexa cum Deo: ergo Deus est constitutivum essentiale creaturæ, ut connexæ cum Deo (omne namque, quo solo non intellecto, non intelligitur aliud, aut est tota essentia, aut est pars essentiae illius aliis:) sed hoc est falsum; siquidem creatura, ut connexa cum Deo tantummodo reduplicat connexionem cum Deo, quæ connexio adæquatè distinguit à Deo, utpotè identificata adæquatè cum creatura, quidquid contradicat P. Ribad. Nego primam consequentiam, si strictè sumatur *ly præcisè*, ut sumi debet, ne reliquus discursus deficiat.

140. Aliud est, quodd omnis cognitio creaturæ, ut connexæ cum Deo, sit aliqua cognitio Dei: aliud autem, quodd, solo Deo non cognito, non cognoscatur creatura, ut connexa cum Deo. Primum est, quod dicimus, & ex eo non sequitur, Deum esse constitutivum essentiale creaturæ, ut connexæ: ex secundo sequeretur; verum non dicimus secundum; quoniam, solo Deo non cognito, cognosceretur, & simul non cognosceretur creatura, ut connexa cum Deo. Unde illa propositio implicat in terminis: cognosceretur quidem, nam hypothesis de eo, quodd solus Deus non cognoscatur, duo importat: unum est, ipsum Deum non cognosci; alterum vero cetera omnia, quæ à Deo distinguuntur, cognosci (hanc quippe vim habet ea particula exclusiva si strictè accipiatur) cùm autem creatura, ut connexa cum Deo sit unum ex distinctis adæquatè à Deo, inde est, quodd casu, quo solus Deus non cognoscatur, creatura ut connexa cognosceretur. Itē non cognoscere tur; nam cùm omnis cognitio creaturæ, ut connexæ cum Deo, sit indispensabiliter cognitio Dei ob rationem supra datam, deficiente omni cognitione Dei, deficeret etiam cognitio creaturæ, ut connexæ cum Deo: ergo casu, quo Deus non cognosceretur, neque creatura, ut connexa cognosceretur.

141. Porrò, ut equivocationis radix evellatur, advertere oportet, quatuor hic absimiles propositiones esse. 1. est. Sola creaturæ cognitæ, ut connexæ cum Deo, cognoscitur Deus. 2. Solo Deo non cognito, non cognoscitur creatura, ut connexa cum Deo. 3. Sola

D dd

exi-

existente cognitione creaturæ , ut connexæ cum Deo, existit cognitio Dei . 4. Sola non existente cognitione Dei , non existit cognitio creaturæ , ut connexæ cum Deo . In duabus primis appellat exclusio supra objecta; in duabus secundis supra cognitiones . Ex duabus primis inferretur identitas adæquata , vel inadæquata creaturæ , ut connexæ cum Deo , & ipsius Dei , sed falsæ sunt duæ primæ propositiones ob implicationem in terminis nuper explicatam . Duæ secundæ sunt veræ ; ex illis autem non infertur identitas objectorum , sed cognitionum dumtaxat , quæ identitas verè datur ; quia omnis cognitione creaturæ , ut connexæ , identificatur cum aliqua cognitione Dei : & viceversa , aliqua cognitione Dei identificatur cum cognitione creaturæ , ut connexæ . Rogabis . Qua ergo forma instruendum est argumentum fieri solitum contra connotatores ? Respondeo in primis argumentum istud Cardinalis de Lugo non satis firmum mihi videatur ob rationem , quâ nuper explicabam implicationem in terminis illius propositionis : solo Deo non cognito &c . Quod fufus explicatur in Logica majore disp. 4. cap. de Relatione inter impugnandum connotatores . Præterea sic instrui oportet . Solo corpore v. g. non intellecto , cæteris omnibus adæquatè distinctis intellectis , non intelligitur homo: ergo hoc non distinguitur adæquatè à corpore . Quod entimema si in nostro casu componas , negabo antecedens . Puto autem entimema illud parum firmum esse .

142. Instabis i. Bene stat , aliquam cognitionem repræsentare hominem , ut identificatum cum animali , quin habeat hunc expressum modum tendendi , *Homo identificatur cum animali*: ergo similiter bene stat , cognitionem repræsentare fundamentum , ut connexum cum termino , quin habeat hunc expressum modum tendendi , *Fundamentum est connexum cum termino* : Probatur antecedens . Hæc simplex cognitione , homo , proponit hominem , ut identificatum cum animali : quandoquidem quilibet intellectus terminorum peritus , potest ex vi præcisè illius judicare , hominem esse animal ; & tamen ea simplex cognitione non habet præfatum modum tendendi : ergo . Respondeo ; vel loqueris de cognitione formaliter , & expressè propONENTE hominem , ut identificatum cum animali , necnon ut connexum cum Deo : vel de cognitione implicitè tantum proponente utrumque ? Si primum ; nego antecedens , & consequentiam ob rationem supra scriptam . Si secundum ; concedo utrumque absque periculo statutæ conclusionis , quippe hæc procedit de cognitione formaliter , & expressè manifestante fundamentum , ut connexum cum

cum termino. Instabis 2. Per nos cognitione fundamenti, ut conexi cum termino, representat terminum: ergo, vel tamquam pura apprehensio (& hoc dedecet Deum, tametsi P. Izq; censeat, Deum *p. Izq.* apprehensivè tantum cognoscere terminum) vel tamquam judicium: *sup.n.143.* & hoc est falsum, quia neque subjectum, neque copula, neque praedictum hujus actus, *creatura connectitur cum Deo*, est Deus ipse. Respondeo, hanc cognitionem esse judicativam termini, non quidem formaliter, & explicitè ob istam rationem; sed implicitè, & virtuiter, eo quod per se immediate faciem præferat huic judicio: *Deus est id, cum quo creatura connectitur.*

## C A P U T N O N U M .

*Comparantur mutuò Connexiones, & Oppositiones  
fundamenti, & termini.*

143.



Rduum explicationi molimur opus: quoniam inspiciendæ sunt Connexiones, tum metaphysica, tum physica cum fundamentis alterutrius similis connexionis; necnon ambæ connexiones cum terminis similium connexionum. Item Connexiones eadem cum fundamentis, & terminis Oppositionis metaphysicæ, ac physicæ: Rursus evolvendæ sunt oppositiones metaphysicæ, atque physicæ cum fundamentis, & terminis tam connexionis, quam oppositionis, tam physicæ, quam metaphysicæ, sub evidentia namque horum principiorum insidias tendere solent Nonnulli, ut incautos adoriantur. Dico 1. omne metaphysicè connexum cum fundamento connexionis metaphysicæ, est metaphysicè connexum cum termino; sed non viceversa. Rursus omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ, est metaphysicè oppositum fundamento; sed non è conversò. Probo primam partem. Omne, quod nec Divinitus potest existere, deficiente termino, est metaphysicè connexum cum illo; hæc enim est quidditas connexionis metaphysicæ, vel saltem notissima proprietas illius. At omne metaphysicè connexum cum fundamento B metaphysicè connexo cum termino C, nec divinitus potest existere, deficiente hoc termino. Prob. Omne, quod infallibiliter deficeret, absque ulla potentia ad oppositionem, ubi primum deficeret is terminus, tale est, ut, nec divinitus possit existere, deficiente hoc termino: sed omne metaphysicè connexum

zum cum fundamento B metaphysicè connexo cum termino C, tale est, ut infallibiliter deficeret, absque ulla potentia ad oppositum, ubi primùm deficeret is terminus: nam ubi primùm deficeret is terminus, infallibiliter deficeret sine potentia ad oppositum, fundamen-tum B connexum metaphysicè cum illo: & similiter quam primùm deficeret hoc fundamentum, deficeret quoque absque potentia ad oppositum, omne id, quod connectitur metaphysicè cum hoc fun-damento: ergo omne metaphysicè connexum cum fundamento con-nexo metaphysicè cum termino C, tale est, ut infallibiliter defice-ret, absque ulla potentia ad oppositum, quam primùm deficeret is terminus. Explicatur: si A metaphysicè connexum cum B meta-physicè connexo cum C; non esset metaphysicè connexum cum C; possibilis antecedenter esset casus, in quo deficiente C, non deficeret A; sed omnis casus, in quo deficeret C, esset casus, in quo deficeret B: cùm ponamus, hoc metaphysicè connexum cum C: ergo possibilis antecedenter esset casus, in quo deficiente B, non deficeret A; sed hoc ipso, A non esset connexum metaphysicè cum B: ergo si A con-ne-xum metaphysicè cum B connexo metaphysicè cum C; non esset metaphysicè connexum cum C; neque esset metaphysicè connexum cum B, quod palam est chymæra.

144. Explicatur 2. omne metaphysicè oppositum parentiæ ter-mini C, est metaphysicè connexum cum ejusdem termini existentia; nam cùm sit penitus necessarium, quòd detur hæc existentia, vel illa parentia, & penitus impossibile, quòd amba simul existant, vel simul deficiant, si A, per suammet essentiam rejicit illam parentiam, conse-quens est, quòd in sensu reali per suammet essentiam adducat hanc existentiam: sed omne metaphysicè connexum cum B connexo meta-physicè cum C, est metaphysicè oppositum parentiæ hujus termini C. Probatur. Hæc parentia est metaphysicè opposita illi connexo: ergo illud connexum est etiam metaphysicè oppositum huic parentiæ. Consequentia est legitima, quia omnis metaphysica oppositio est reciproca, ut mox dicam. Probo antecedens: omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ, est metaphysicè op-positum fundamento, juxta infra statuenda: sed præfata parentia est metaphysicè opposita rei B, cum qua metaphysicè connectitur res A; nam ea parentia est immediatè opposita metaphysicè termino C: at. qui res B est connexa metaphysicè cum termino C: ergo ea parentia est metaphysicè opposita termino, quocum connectitur res B: ergo ea parentia termini C, est metaphysicè opposita ipsi rei B: ergo est me-

metaphysicè opposita termino, quo cum connectitur metaphysicè res A: ergo est huic metaphysicè opposita: ergo & ipsa res A est metaphysicè opposita carentia rei C: ergo est metaphysicè connexa cum ipso termino C. 3, vel datur aliqua potentia antecedens ad conservandum A conjunctim cum defectu rei C, vel nulla? Si nulla: ergo quia A, connectitur metaphysicè cum C: quotiescumque namque unum non est intimè connexum cum altero, potentia antecedenti fungitur Deus, ut conservet illud unum (quod ponimus esse possibile) absque hoc altero. Si aliqua; tunc sic, Omnis modus conservandi A sine C, est, vel perseverante B, vel non perseverante; sed uterque est chymæra. Primus quidem; nam cum B ponatur connexum metaphysicè cum C, chymæra est, quod illud perseveret, quando deficit hoc. Secundus etiam; nam cum A ponatur quoq; connexū metaphysicè cum B, chymæra est etiam, quod perseveret A, deficiente B: ergo si concedatur potentia aliqua antecedens ad conservandum A conjunctim cum defectu termini C, concedatur oportet potentia aliqua ad alterutram ex duabus chymæris. Parco aliis rationibus.

145. Verumtamen duo te commonere non gravabor. Primum est, intelligenda esse hæc de connexione in sensu reali, atque omnibus pensatis; non in sensu formalí, præcisivo, atque secundum solum conceptum fundamenti illius connecti cum B connexo cum C: quia non raro contingit, quod hoc fundamentum non ostentat per se præcisè, atque ex solis suis terminis connexionem cum termino remoto. Et sic interpretandi sunt graves quidam Doctores, ut Suarez, Vasquez, Lugo, & alii opinantes, creaturam non connecti cum Deo ut Trino, sed tantum cum Deo Uno. Quod adeo restringit Eminentissimus P. Lugo, ut doceat <sup>P. Lugo</sup> formicam v.g. solummodo inferre in Deo virtutem sui producti- <sup>disp. 20. de Incar. sc-</sup> vam, à cæteris autem divinis perfectionibus omnino præscindere: <sup>B. 3. n. 49.</sup> interpretandi inquam sunt, quatenus ex vi præcisè hujus notitiaz, *Creatura existit*: detegere non valemus connexionem cum Trinitate; quoniam nullum principium naturale tam arcanam perfectionem pandit nobis. Ast in sensu reali unaquæque res connectitur intimè cum Divina Trinitate, ac cum omnibus, & singulis perfectionibus necessariis Dei: quoniam intimè connectitur cum Deo vero, & reali, non cum Deo phantastico, aut cum Deo quodam præscidente à vero, & chymærico; alioquin dicere poteramus, cætera fundamenta connexionum metaphysicarum non connecti determinatè cum eis terminis, quibus cum connexa censemur ab omnibus:

bus; sed cum eis, vel aliis possibilibus, autimpossibilibus. Atqui Deus verus, & realis est intimè connexus cum Trinitate veneranda, & cum omni, & singulis suis perfectionibus necessariis: ergo unaquæque res connectitur in sensu reali cum Trinitate, singulisque perfectionibus necessariis Dei: ergo horum Authorum sententia capienda est in sensu puro formali, logico, atque præcisivo.

146. Præterea intelligenda sunt hactenus dicta de connexione mediata, non vero de immediata semper; nam licet aliquando contingat, fundamentum gemino titulo connexum cum termino, connecti cum illo immediatè, & simul mediatè ( ut constat in prædefinitione efficace consensus, regulata per scientiam medianam, & collativa libertatis prævisæ efficacis, quæ prædefinitionis ob suam tendentiam directam, atque immediatam in consensum, connectitur immediatè cum hoc: & simul mediatè, quatenus connectitur cum complexo, ex Scientia media de efficacia libertatis A. v.g. & ex hac libertate, quin ejusmodi mediatio, ac immediatio sibi mutuò dissentiant, sicut nec dissentiant in Deo concurrente immediatè ad productionem ignis B; & etiam mediatè, quatenus producit ignem A, qui est causa ignis B.) at verò hoc non evenit universaliter, siquidem aliquando fundamentum remotum connexionis, unicè connectitur cum termino, quia connectitur cum alio connexo cum eo termino, itaut præscindentes à connexione cum illo alio, vel à connexione illius allus cum termino, non deprehendamus titulum connexionis illius fundamenti remotum hoc termino. Secundum, de quo te monitum vellem, est. Superiorem conclusionem intelligendam esse de connexione metaphysica, absoluta, & determinata; non de disjunctiva: quippe non omne disjunctivè connexum cum fundamento disjunctivè conexo cum termino, est disjunctivè connexum cum hoc termino. Probatur: veritas hæc, vel Petrus, vel Paulus existunt, est disjunctivè connexa cum Petro; & tamen non est connexa adhuc disjunctivè cum eis terminis, cum quibus Petrus est disjunctivè connexus: nam hic connectitur disjunctivè cum sua creatione, & educatione; at præfata veritas nec disjunctivè connectitur cum alterutra illarum, siquidem, ambabus deficientibus, potest hæc veritas subsistere, nimirum solo Paulo manente in rebus ergo non est connexa adhuc disjunctivè cum eis terminis, cum quibus Petrus disjunctivè connectitur. Cæterum non negabo, fundamentum determinatè connexum cum fundamento alio disjunctivè conexo cum A, vel B, se

se disjunctivè connexum cum his duobus ; quoniam simul , ac deficerent hæc duo , deficeret fundamentum illud intermedium connexum disjunctivè cum illis duobus , & simul ac deficeret fundamentum hoc , deficeret quoque infallibiliter illud alterum determinatè connexum eum hoc : ergo simulac deficerent hæc duo , infallibiliter deficeret illud alterum fundamentum remotum : ergo quia illud connectitur cum eo , quod existat aliquod ex his duobus . Ob eandem rationem non nego fundamentum disjunctivè connexum cum A. v. g. esse disjunctivè connexum cum eis , quibuscum A connectitur determinatè .

147. Probo secundam partem , scilicet : non omne connexum metaphysicè cum termino connexionis metaphysicæ , esse connexum cum fundamento . Lapis metaphysicè connectitur termino , quocum metaphysicè connectitur hoc papyrum : ambo namque connectuntur metaphysicè cum hoc papyro : ergo non omne metaphysicè connexum cum termino connexionis hujus , est metaphysicè connexum cum fundamento . Quinimò non raro contingit , rem connecti metaphysicè cum termino hujus connexionis , & tam longè abesse à simili connexione cum fundamento ; ut potius huic metaphysicè opponatur . Patet in actufidei supernaturalis de non existentia Davidis , qui sanè actus intimè connectitur cum Deo terminante connexionem metaphysicam Davidis , & nihilominus est metaphysicè oppositus existentiæ Davidis : ergo fieri potest , ut aliquid connectatur metaphysicè cum termino alicujus connexionis metaphysicæ , & quod simul opponatur cum fundamento illius connexionis ; quorum ratio est , connexionem hanc non esse reciprocam , quandoquidem creature omnes metaphysicè connectuntur cum Deo , & Deus non sic connectitur cum illis : & mea præsentia in hoc loco connectitur mecum , quin ego connectar cum illa , possum namque existere alibi : ergo licet omne , quod secum affert fundamentum connexionis metaphysicæ , affert quoque secum terminum ; non tamen omne quod affert terminum , affert similiter fundamentum ; nam terminus potest existere absque fundamento .

148. Probo tertiam partem , videlicet : omne oppositum metaphysicè termino connexionis metaphysicæ esse quoque oppositum fundamentum . 1. Omne connexum metaphysicè cum carentia fundamenti est oppositum ipsi fundamento ; nam est adhuc divinitus inconjugibile cum illo : siquidem non potest existere , nisi quando detur carentia fundamenti , & hoc nequit dari , quando adest sua ca-

ren-

rentia : sed omne oppositum metaphysicè termino hujus connexionis est connexum metaphysicè cum parentia fundamenti . Probatur : omne connexum cum aliquo connexo cum hac parentia est connexum cum hac parentia , juxta supradicta ; sed omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ est connexum cum aliquo connexo cum parentia illius fundamenti . Probatur : omne connexum cum parentia termini connexionis metaphysicæ est connexum cum aliquo connexo cum parentia fundamenti ; nam cùm repugnet existere hoc , quando deficit terminus , necesse est deficere fundamentum , quando deficit terminus , unde parentia hujus est suo modo connexa cum parentia fundamenti ; sed omne oppositum metaphysicè termino , est metaphysicè connexum cum parentia hujus , siquidem est impossibile , quod , ipso existente , existat terminus : ergo omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ , est metaphysicè connexum cum aliquo metaphysicè connexo cum parentia fundamenti . Neque respondeas , parentiam non esse aliquid : quia isto termino non utor , supponens parentias esse aliquid positivum , vel negativum , sed explicans utcumque illas . 2. Omne , quo existente , infallibiliter deficeret illud fundamentum sine ulla potentia ad oppositum , est metaphysicè oppositum illi fundamento , sive est inconjungibile adhuc divinitus cum eo fundamento ; at omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ , tale est , ut , ipso existente , infallibiliter deficiat fundatum prædictæ connexionis absque ulla potentia ad oppositum . Probatur : omne , quo existente infallibiliter deficit terminus connexionis metaphysicæ , est id , quo existente , infallibiliter quoque deficit fundamentum : nam statim , ac deficiat terminus , ut talis , hujus connexionis , deficiet fundatum sine ulla potentia ad oppositum ; sed omne metaphysicè oppositum termino est id , quo existente , infallibiliter deficiet is terminus sine ulla potentia ad oppositum : ergo omne metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ est tale , ut , ipso existente , infallibiliter deficiet fundatum absque ulla potentia ad oppositum . Id verò intelligendum est consentaneum ad dicta de connexione cum fundamento connexionis metaphysicæ . Quarta pars , videlicet non omne metaphysicè oppositum fundamento connexionis metaphysicæ est oppositum termino ; immo posse intimè connecti cum hoc , est plana . Revelatio namque Divina de non existentia Petri est huic metaphysicè opposita , quippe nec celitus illi coexistere valet ; sed Petrus est metaphysicè connexus cum Deo :

ergo

ergo ea revelatio est metaphysicè opposita alicui fundamento metaphysicè connexo cum Deo ; & nihilominus tam longè abest illa revelatio ab oppositione cum Deo , ut potius metaphysicè connectatur cum ipso Deo : ergo non omne metaphysicè oppositum fundamento connexionis metaphysicè est oppositum termino .

149. Dico 2. In oppositione metaphysica inverso ordine continet res . Neque omne oppositum fundamento oppositionis est oppositum termino : neque omne oppositum termino est oppositum fundamento . Omne verò metaphysicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ , est metaphysicè oppositum termino : & pariter omne connexum metaphysicè cum termino ejusdem oppositionis est oppositum metaphysicè fundamento . Probo primam partem . Terminus ipse oppositionis metaphysicæ est metaphysicè oppositus fundamento (omnis namque oppositio metaphysica est reciproca , implicat enim A , nullà potentia posse coexistere rei B , & simul rem B , aliquà potentia posse coexistere rei A , cùm omnis coexistentia duorum indispensabiliter sit reciproca : quod intelligendum est , quando extrema ambo fuerint contingentia , propter speciosum illum discursum , quem urget P. Ribadeneyra , & nos explicamus disp. 2.

Dialecticæ ; & tamen non opponitur sibi ipsi , cùm potius summè connectatur secum ipso : ergo aliquid oppositum fundamento oppositionis tam longè abest , ut opponatur termino , quin potius cum termino intimè connectatur : similiter , fundatum oppositionis , opponatur termino , quin opponatur sibi ipsi : ergo non omne oppositum termino oppositionis est oppositum fundamento . Probo tertiam partem : omne , quo existente , debet existere necessariò terminus oppositionis metaphysicæ , itaut nec divinitus possit tunc conservari , est metaphysicè oppositum illi termino ; quia cùm impossibile non sit , ut supponimus , nec divinitus potest coexistere illi termino ; sed omne metaphysicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ , tale est , ut ipso existente , debet necessariò deficere terminus illius oppositionis , itaut nec divinitus possit tunc conservari . Probatur : quoties extiterit fundatum prædictæ oppositionis , debet necessariò deficere terminus , itaut nec divinitus possit tunc conservari ; hæc namque est proprietas , vel essentia oppositio- nis metaphysicæ : at quoties existeret illud , quod est metaphysicè connexum cum fundamento illo , debet existere illud fundatum , quia hæc est proprietas connexionis metaphysicæ : ergo quoties extiterit illud , quod connectitur metaphysicè cum fundamento oppo-

E e c

P. Ribad.  
lib de im-  
possib. q. 19  
c. 3. pro. 11

sitionis metaphysicæ, necessariò debet deficere terminus, ita ut nec divinitus possit conservari tunc: ergo omne connexum metaphysicæ cum fundamento præfatae oppositionis, tale est, ut ipso existente, necessariò deficere debeat terminus. Eadem ratione convincitur, omne connexum metaphysicæ cum termino metaphysicæ oppositionis esse metaphysicæ oppositum fundamento; nam ejusmodi opportio est mutua. Verumtamen ambo hæc accipienda sunt juxta monita, quæ deditus num. 145.

### §. I I.

150. **N**ON tenentur his legibus Connexiones, & Oppositiones

purè physicæ, atque naturales, quas Deus, vel etiam aliqua ex causis naturalibus fortioribus violare potest. Dico igitur tertiod. Neque omne physicæ connexum cum fundamento connexionis physicæ est physicæ connexum cum termino. Neque omne physicæ connexum cum hoc est physicæ connexum cum illo; neque omne physicæ oppositum huic termino est physicæ oppositum fundamento; neque omne physicæ oppositum fundamento, est physicæ oppositum termino.

*P. Ribad.* Probo 1. partem contra P. Ribadeneyra pro-disput. 10. bantem ex opposito principio, multos actus esse intrinsecè connexos de aliis ex natura rei cum libertate, eo quod ex natura rei connectantur cum cognitionibus allicientibus, & retrahentibus, quæ ex natura rei cum libertate connectuntur. Materia prima, ut ultimò disposita ad formam ignis v. g. est physicæ connexa cum illa, quia nequit carere illà naturaliter; sed hæc forma, utpotè materialis, est physicæ connexa cum sua eductione, & cum suo ingenito calore: ergo materia prima, ut sic ultimò disposita, est physicæ connexa cum fundamento physicæ connexo cum ea eductione, atque calore: sed non est physicæ connexa cum his duobus: nam eo ipso, quod formam adipiscatur, complebitur substantialiter, ut completetur per animam rationalem, faciatque suus appetitus: adipiscetur autem formam, sive Deus concedat illam per eductionem, sive per creationem: item sive illam producat orbata suō calore proprio, sive hoc locupletatam: ergo non omne physicæ connexum cum fundamento connexionis physicæ est physicæ connexum cum termino.

151. Et ratio est. Nihil connectitur physicæ cum eo, sine quo potest existere in suo statu naturali, sine ulla violentia sui ipsius; sed quamquam A physicæ connectatur cum B physicæ connexo cum C, nihil.

nihilominus, hoc deficiente, potest perseverare A in suo statu naturali citra omnem violentiam propriam. Probatur: eo ipso, quod perseveret B, habebit res A illud, quod innatè exigit, subindeque perseverabit in eo statu naturali: sed licet deficiat C, potest perseverare B, quamvis violentè: ergo. Quod autem perseverantia rei B sit cum violentia huic illata, non urget; nam, vel dicitis A connecti cum B solo & quasi specifikativè sumpto; vel cum B, reduplicativè, ut connaturaliter existente? Si primum; eo ipso, quod detur B, hoc, vel illo modo dabitur id, quod exigitur ab A, & consequenter satiabitur suus appetitus. Si secundum; cum connaturalitas existendi constituatur in B, per ipsum C, quocum naturaliter connectitur: dicere A connecti cum B, ut connaturaliter existente, est dicere, A connecti naturaliter cum C, quod esset supponere probandum. Neque retorqueas hoc argumentum in connexionem metaphysicam mediataam; nam cum fundamentum intermedium ex vi sua solius essentia sit impotens existere ullà potentia absque termino; idem est, fundamentum remotum esse connexum cum eo fundamento intermedio, specifikativè, ac secundum se accepto, ac connecti metaphysicè cum illo, ut simpliciter nequeunte existere absque termino. Sed objicies. Quoties agentia purè naturalia dividere nequeunt A à C, concedi debet, A, connecti saltem naturaliter cum C; at quoties A connectitur physicè cum B connexo physicè cum C, agentia purè naturalia nequeunt dividere A à C. Probatur, nequeunt inducere hanc divisionem existente B; nam hoc esset conservare hoc, quando deficit C, quocum ex natura sua connectitur: non item deficiente B, quippe hoc esset conservare A, absente B, quocum ipsum A connectitur: ergo nullo modo possunt agentia purè naturalia inducere divisionem rei A à termino C: ergo quia illa connectitur saltem physicè cum hoc. Respondeo: aliud est, quod agentia naturalia nequeant inducere istam divisionem, impotentia proveniente ex resistantia rei A, contra illam: & aliud impotentia proveniente aliunde, seu ex resistantia rei B adversus parentiam rei C. Si continget primum; suaderetur, A esse connexum naturaliter cum C: ast non contingit primum; sed secundum, quatenus B oblitus defectui rei C. Hinc autem solum deduces, B connecti cum C, non vero A, de quo solo est questio.

152. Instabis. Hac impotentia provenit ex natura rei B relutantis defectui termini C; sed A ex natura sua connectitur cum hac natura rei B: ergo A connectitur cum radice hujus impotentie: ergo huc impotentia saltem mediata dimanat ab A. Confirmatur. Quan-

do A est metaphysicè connexum cum B metaphysicè connexo cum C; Impotentia dividendi A à C, fundatur quoque in natura rei B intermedie: si enim hæc non connecteretur metaphysicè cum C, posset A existere sine hoc, tametsi connecteretur cum B: at quia A intimè connectitur cum natura rei B, dicitur connecti metaphysicè, saltem mediately cum C, itaut metaphysica impotentia existendi sine C fundetur etiam in natura ipsius A: ergo similiter in connexione physica, licet impotentia separandi A a C, immediatius fundetur in natura rei B; fundatur etiam in ipsa re A, quæ est naturaliter connexa cum natura rei B: ergo A, saltem mediately, connectitur physicè cum C. 2. Falsum est, præsatam impotentiam provenire tantummodo ex natura rei B interjacentis; quoniam divisio A à C. bifariam evenire potest 1. Quia existente A cùm B, non existat C. 2. Quia existente A, non existat B, proindeque, nec C. Impotentia ad primum radicatur sanè in ipso B, impotentia autem ad secundum in solo A: ergo hæc impotentia adæquatè sumpta, partim provenit ex B, partim ex A: ergo non ex solo B. Ad instantiam, concessis præmissis, dist: primum consequens. A connectitur cum radice hujus impotentiae, itaut illi inferatur violentia in frustratione hujus impotentiae; nego: itaut non inferatur; concedo. Nam cùm connexionio cum ista radice sit merè naturalis solummodo; eget res A ad suum statum connaturalem radice ista: sed radix ista existere potest, sive frustretur, sive non frust retur termino, quem naturaliter dumtaxat radicat: ergo res A potest existere naturaliter, & absque illa violentia sibi illata, sive frustretur, sive non frustretur suo termino radix illa, cum qua purè physicè connectitur: ergo non connectitur naturaliter cum illo termino.

153. Quocirca licet impotentia hæc quodammodo fundetur in A quatenus inferente naturaliter rem B naturaliter etiam inferentem rem C; ast non fundatur in A, ut resistente separationi sui à C: quia modò A consequatur rem B, nullam patietur violentiam in eo, quod à rebus exulet res C: quod exemplo jam dato materias primas capies. Et his terminis explicetur secundum consequens, necnon secunda confirmatio; quippe non nego, eam impotentiam provenire etiam aliquatenus ab A; sed solum provenire ab A ut resistente ex natura sua separationi sui à C, ita ut violentiam patiatur in hac separatione non secus, ac si privaretur termino B, cum quo supponimus habere naturalem connexionem. Ad primam confirmationem, parcens reliquis dico. Si connexionem physicam mediataam intell:

gas connexionem physicam cum fundamento physicè connexo, non est dubium, quia A connectatur physicè mediæ cum C; quia supponitur connecti physicè cum B, connexo physicè cum C. Ast imprimis presentiarum ab hac acceptione connexionis physicæ mediæ declino, ut detur locus questioni, & ajo, A nec mediæ physicè connecti cum C. quatenus citra omnem violentiam potest illo carere, quod non deprehendes in connexione metaphysica: nam falsum est, A metaphysicè connecti cum B metaphysicè connexo cum C. posse sine ulla contradictione orbari ipso C: & quemadmodum connexionio metaphysica explicatur per impotentiam carendi termino absque contradictione; ita physica exponitur per impotentiam carendi termino absque violentia sua, quidquid sit de aliena.

154. Probo jam secundam partem conclusionis: nempe non omne physicè connexum cum termino connexionis physicæ esse physicè connexum cum fundamento. Tum quia non omne metaphysicè connexum cum termino connexionis metaphysicæ est metaphysicè connexum cum fundamento per num. 147: ergo multò minus in connexione puræ physica. Tum quia nonnumquam evenit, effectus quosdam connecti naturaliter cum eadem causa, & non connecti mutuò: item causas quasdam connecti physicè cum eodem effectu, citra reciprocam inter se ipsas connexionem naturalem: ergo non omne naturaliter connexum cum termino est naturaliter connexum cum fundamento. Tum quia, cùm terminus connexionis naturalis possit naturaliter existere absque fundamento, quoniam hujusmodi connexionio non semper est mutua, non appareat ratio, ob quam omne naturaliter inferens terminum, inferat etiam naturaliter fundatum: & hinc solutionem capies illius nodi: quæ identificantur cum uno tertio, identificantur inter se: ergo quæ connectuntur cum uno tertio, connectuntur inter se. Malè, quia omnis realis identitas est mutua, ut disp. 1. cap. 5. statutum est; at verò non omnis connexionio physica, aut metaphysica reciprocationi subject. Probo tertiam partem, scilicet non omne physicè oppositum termino connexionis physicæ esse physicè oppositum fundamento. Nihil, quod sine ulla violentia sibi irrogata potest coexistere illi fundamento, est physicè oppositum illi; si enim ex natura sua illi reluctaretur, nequirit illi coexistere sine violentia: sed quod physicè opponitur termino connexionis physicæ potest sine violentia sibi irrogata coexistere fundamento hujus connexionis. Probo: eo ipso, quod non coexistat illi termino connexionis physicæ, cui termino ipsum physicè opponitur,

tur, existit absque violentia ( supponatur, hanc non inferri aliunde ) sed potest coexistere fundamento illius connexionis, quin coex stat termino; eo quod Deus connexionem violaverit: ergo potest coexistere fundamento, quin patiatur violentiam. Fateor intercessum miraculum, vel violentiam strictè physicam in coexistentia hac, quoniam tale oppositum coexistit fundamento connexionis physice spoliato suo termino ( & sic esse miraculum infringendi predictam connexionem ) vel fundamento fruenti suo termino ( & sic esse miraculum conjungendi cum hoc termino id, quod physicè repugnat eidem. ) Verumtamen neque miraculum, neque violentia ulla daretur in eo solo, quod profatum oppositum coexistet illi fundamento, quod privatum esset termino illo: alterutrum verò datur, si oppositum hoc physicè repugnaret illi fundamento.

155. Hinc descendit disparitas ad oppositionem metaphysicam, cum termino metaphysicæ connexionis. Nam omnis excogitabilis modus, quo potest coexistere fundamento connexionis metaphysicæ illud, quod metaphysicè opponitur termino, est vel hoc existente, vel hoc deficiente. Sed omne possibile, quod fuerit metaphysicè oppositum termino illi, per se ab intrinseco infert, utrumque modum esse simpliciter antecedenter impossibilem. Primum quidem, quia per se ab intrinseco infert, impossibile esse, quod, se existente, existat id, cum quo est metaphysicè oppositum. Secundum item, quia ob reciprocam connexionem omnium possibilium per se quoque ab intrinseco infert, impossibile esse, quod existente fundamento connexionis metaphysicæ, deficiat terminus: ergo omne possibile, quod fuerit metaphysicè oppositum termino connexionis metaphysicæ, per se ab intrinseco infert, impossibilem esse omnem modum, quo ipsum coexistere posset fundamento illius connexionis: ergo per se ab intrinseco rejicit hanc coexistentiam sui ipsius cum eo fundamento: ergo per se ab intrinseco opponitur illi fundamento. At verò illud, quod opponitur termino connexionis purè physicæ, non infert per se ab intrinseco impossibilitatem adhuc naturalem coexistentiæ sui ipsius cum fundamento, consistentem in eo, quod suæ naturæ, & conditioni resistat illud fundatum; quamquam inferat impossibilitatem naturalem, consistentem in eo, quod, vel illud fundatum orbetur suo termino vel in eo, quod is coexistat. Et confirmatur. Aliquid metaphysicè oppositum termino connexionis physicæ, potest tam longè abesse ab oppositione cum fundamento hujus connexionis, ut potius cum hoc metaphysicè

qæcè connectatur : ergo potiore jure dicendum est, non semper oppositi physice fundamento connexionis physicæ id , quod physice dum taxat opponitur termino . Probo antecedens . Decretum efficax divinum producendi , atque conservandi ignem sine ullo calore , est metaphysicè oppositum huic ; sed hic est terminus , quo cum physicè connectitur ignis : ergo est metaphysicè oppositum termino , cum quo ignis connectitur physicè . Atqui hujusmodi decretum est metaphysicè connexum cum igne : ergo fieri potest , quod sit metaphysicè connexum cum fundamento connexionis physicæ id , quod metaphysicè repugnat termino illius .

156. Idem deprehendes in penetratione duarum quantitatuum . Illa namque est metaphysicè opposita suæ carentiæ : sed hæc carentia est terminus , cum quo physicè connectuntur illæ duæ quantitates , quandoquidem hæc suæ natura obstante sui ipsarum penetrationi : ergo hæc penetratio opponitur metaphysicè termino , quocum physicè connectuntur duæ illæ quantitates . At ipsa penetratio metaphysicè connectitus cum ambabus his quantitatibus ; ex terminis namque ipsis apparet impossibile , quod sint actu absolute penetrataæ quantitates non existentes : ergo . Idem quoque videbis in unione physica divinitùs possibili geminæ formæ adversæ : nam hæc unio metaphysicè opponitur suæ carentiæ , cum qua physicè connectuntur illæ formæ : & tamè tam longè distat ab oppositione physicæ cum his formis , ut potius cum illis summè connectatur : si ergo , quod opponitur metaphysicè termino connexionis physicæ , potest connecti metaphysicè cum fundamento ejusdem connexionis ; quare omne oppositum purè physicè termino connexionis physicæ , debet eo ipso opponi fundamento ? Probo jam quartam conclusionis partem , nimirum : non omne physicè oppositum fundamento connexionis physicæ esse physicè oppositum termino . Tum quia non omne metaphysicè oppositum fundamento connexionis metaphysicæ , est oppositum metaphysicè termino ; quin aliquando intimè connectatur cum illo , ut num. 148. ratiocinabamur : ergo neque omne physicè tantummodo oppositum &c. Tum quia terminus connexionis physicæ potest naturaliter existere , sublatto fundamento ; cùm non sit reciproca semper connexio : ergo quamquam aliquid ex natura sua auferat fundamentum , non continuò auferat terminum : ergo non continuò opponitur cum termino .

## §. III.

157. **D**ico 4. Neque omne physicè oppositum fundamento oppositionis physicæ, opponitur physicè termino; cum interdum summè connectatur illi. Neque omne physicè oppositum termino ejusdem oppositionis opponitur physicè fundamento, ob eamdem rationem. Neque omne physicè connexum cum fundamento oppositionis physicæ, opponitur physicè termino. Neque omne physicè connexum termino opponitur physicè fundamento. Duo prima membra extra controversiam sunt. Nam quoties oppositio physica est mutua, terminus opponitur fundamento; atqui secum ipso summè connectitur: ergo aliquid physicè oppositum fundamento oppositionis physicæ, summè connectitur cum termino. Similiter fundatum ipsum oppositionis est physicè oppositum termino: atqui secum ipso intimè connectitur: ergo aliquid physicè oppositum termino oppositionis physicæ est intimè connexum cum fundamento. Probo tertium. Nihil, quod citra violentiam sibi illatam potest coexistere termino alicujus oppositionis physicæ, opponitur physicè, atque ex natura sua illi termino; omne quippe sic oppositum illi, patietur absdubio violentiam, si illi coexistat eo modo, quo illi opponitur. Sed aliquid physicè connexum cum fundamento oppositionis physicæ, potest, citra violentiam sibi illatam, coexistere termino hujus oppositionis: ergo aliquod physicè connexum cum fundamento oppositionis physicæ, non opponitur physicè termino. Probo minorem: eo ipso, quod tale connexum nanciscatur illud fundatum, quiescit, est in suo statu naturali, & violentiam non subit ( esto aliunde hanc non ingruere ) sed quamquam detur ille terminus oppositionis physicæ, potest tale connexum nancisci fundatum, eo quod Deus tam fundamenti, quam termini oppositionis renuat exigentiis: ergo quamquam hic terminus existat, potest illud connexum existere in suo statu naturali, & citra omnem violentiam. Confirmatur: aliquid metaphysicè connexum cum fundamento oppositionis physicæ tam longè distat ab oppositione physica cum termino, ut potius intimè connectatur cum hoc, ut suadebis tribus illis exemplis, quæ paulò ante produximus: ergo potiore jure censendum est, aliquid physicè solùm connexum cum fundamento oppositionis physicæ non esse necessariò physicè oppositum termino. Eadem arte probatur quartum membrum. Ceterum hoc advocare oportet.

oportet doctrinam, quam pro tertia conclusione protulimus, quia eadem hinc emergunt difficultates.

158. Dico 5. haec tenus contulimus connexiones metaphysicas inter se, & oppositiones metaphysicas inter se: & connexiones physicas inter se, & oppositiones physicas inter se: necnon oppositiones metaphysicas cum connexionibus metaphysicis, & has cum illis: item oppositiones physicas cum connexionibus physicis, & has cum illis. Restat modò comparatio connexionum, & oppositionum metaphysicarum cum connexionibus, & oppositionibus purè physicis, & harum cum illis. Igitur omne physicè connexum cum fundamento connexionis metaphysicæ est saltem physicè, ac naturaliter connexum cum termino: sed non omne metaphysicè connexum cum fundamento connexionis physicæ, ut talis, est physicè connexum cum termino, cùm potius aliquando sit illi metaphysicè oppositum. Pariter omne physicè oppositum termino connexionis metaphysicæ est physicè oppositum fundamento illius: sed non omne metaphysicè oppositum termino connexionis tantum physicæ est physicè oppositum fundamento, quinimò aliquando est metaphysicè connexum cum illo. Pristam partem ostendo ex eo, quod unicus modus, quo tale physicè connexum potest carere termino illius connexionis metaphysicæ, est, quatenus careat fundamento illius. ( hoc namque existente carere termino est omnino repugnans) cùmque manifestam subeat violentiam in carentia illius fundamenti, quocum physicè, & naturaliter est connexum; palam fit, tale physicè connexum passurum violentiam strictè physicam, si termino illius connexionis metaphysicæ orbetur: unde concluditur, esse physicè, ac naturaliter connexum cum illo termino. Secundam partem tribus exemplis ostendi num. 155. & sequenti.

159. Probo tertiam partem: omne, quod nequit coexistere fundamento connexionis metaphysicæ sine violentia strictè physica sibi irrogata, opponitur physicè, ac naturaliter illi. Sed omne physicè oppositum termino connexionis metaphysicæ nequit coexistere fundamento illius sine violentia strictè physica sibi irrogata: ergo omne physicè oppositum termino connexionis metaphysicæ est physicè oppositum fundamento. Probator minor: unicus modus possibilis, quo tale oppositum potest coexistere illi fundamento, est, existente termino ( coexistere namque fundamento connexionis metaphysicæ, deficiente termino hujus, est notoria chymara) sed tale oppositum physicè termino connexionis metaphysicæ coexistere fundamen-

mento, existente eo testimo, claudit violentiam strictè physicam sibi illatam; cum claudat existentiam illius termini, cui physicè, ac naturaliter opponitur: ergo unicus modus, quò tale oppositum coexistere potest illi fundamento, claudit violentiam sibi illatam: ergo omne physicè oppositum termino connexionis metaphysicæ, nequit coexistere fundamento hujus sine violentia sibi illata. Quid si, rigandi ergo, hanc oppositionem, & illam connexionem, quam nuper statui, non nisi mediatas, indirectasque nuncupare volveris; per me licet. Tene rem, & loquere ut malueris. Quattam partem suadent quoque illa exempla num. 155. Nam decretum efficax divinum conservandi ignem sine calore, huncque exterminans à revulsu natura est metaphysicè oppositum termino connexionis pure physicæ, nimirum calori; & tamen est metaphysicè connexum cum fundamento, & quidem, ut connexo; quia est connexum cum igne, qui per se ipsum, & per solam suam essentiam, est physicè connexus cum eo calore.

160. Dico 6. Omne physicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ est physicè oppositum termino; & similiter omne physicè connexum cum hoc est physicè oppositum illi; sed non omne physicè oppositum fundamento hujus oppositionis est oppositum physicè termino; neque omne physicè oppositum termino est oppositum physicè fundamento. Probo ex dictis primam partem. Omne, quod nequit coexistere illi termino sine sua violentia naturali, est physicè oppositum illi termino; sed omne physicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ, nequit coexistere termino hujus sine sua naturali violentia; quoniam unicus modus possibilis coexistendi illi est, deficiente fundamento oppositionis metaphysicæ ( hoc enim presente, coexistere termino illius, est explorata chymæra ) in eo autem defectu violentiam patitur omne, quod physicè connectitur cum eo fundamento: ergo omne physicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ est physicè oppositum termino. Eadem convincitur ratione secunda pars. Nam unicus modus possibilis, quo potest coexistere fundamento oppositionis metaphysicæ illud, quod physicè connectitur cum termino, est, hoc deficiente ( quoniam etiam repugnat, quod, hoc existente, coexistat aliquid fundamento prædicto, quippe quod repugnat tunc existere ) at in defectu hujus patitur violentiam omne id, quod physicè connectitur illi: ergo unicus modus possibilis coexistendi fundamento oppositionis metaphysicæ est physicè, & naturaliter violentius omni

omni conexo physicè cum termino metaphysicæ oppositionis: ergo quia omne sic connexum repugnat physicè, ac naturaliter illi fundamento. Reliquæ duæ partes sunt planæ. Si namque oppositum metaphysicæ cum fundamento oppositionis metaphysicæ non est metaphysicè oppositum termino, neque è converso; cur oppositum pure physicè fundamento illius oppositionis esse debet oppositum physicè termino, aut viceversa? Imò potest esse connexum.

161. Dico 7. neque omne metaphysicè oppositum fundamento oppositionis physicæ est physicè, aut metaphysicè oppositum termino: neque inversim. Item, neque omne metaphysicè connexum cum fundamento physicè opposito cum termino est physicè oppositum huic, cùm potius quandoque sit metaphysicè connexum cura ipso: neque omne metaphysicè connexum cum termino oppositionis physicæ est physicè oppositum fundamento, cùm interdum infert illud essentialiter. Duæ priores partes facile probantur; nil metaphysicè connexum cum alio est physicè, aut metaphysicè oppositum illi, nisi chymæra sit; at aliquid oppositum metaphysicè fundamento oppositionis physicæ est metaphysicè connexum cum termino (ut constat in decreto divino efficaciter destructivo ignis, atque omnis caloris, quod metaphysicè opponitur igni, & metaphysicè connectitur cum carentia caloris, cùm ignis sit fundamentum physicè oppositum huic carentia.) Item aliquid metaphysicè oppositum termino memoratae oppositionis est metaphysicè connexum cum fundamento: ut constat in decreto efficaciter executivo ignis, atque caloris illi congeniti: quod decretum metaphysicè oppositum carentia caloris, & connectitur cum igne, qui est fundamentum physicè oppositum illi carentia: ergo aliquid metaphysicè oppositum fundamento oppositionis physicæ non est physicè, aut metaphysicè oppositum termino, & inversim similiter. Probantur eodem modo duæ alteræ partes. Nil metaphysicè connexum cum termino est physicè oppositum eidem; sed aliquid metaphysicè connexum cum fundamento oppositionis physicæ, est metaphysicè connexum cum termino illius, & consequenter aliquid metaphysicè connexum cum hoc termino est connexum metaphysicè cum illo fundamento, ut exemplis sàpè adductis constat, v. g. decretum efficax conservandi ignem sine ullo calore connectitur metaphysicè cum igne, qui est fundamentum physicè oppositum carentia sui caloris; & tamen connectitur quoque metaphysicè cum hac carentia: ergo connectum metaphysicè cum fundamento oppositionis physicæ potest connecti.

metaphysicè cum termino, & connexum metaphysicè cum hoc pos-  
test connecti cum illo: ergo neque omne connexum metaphysicè  
cum fundamento oppositionis physicæ est physicè oppositum ter-  
mino; neque omne connexum metaphysicè cum hoc opponitur  
physicè illi.

## §. I V.

162. Ex his principiis multas tibi comparabis rationes à priori pro scholasticis controversiis, multorumque Sophismatum solutiones. Eis super sedens unum tantum exhibeo corollarium: nempe non omnem oppositionem duorum esse mutuam, cuius contradictorium adscribit P. Izq; in catalogum propositionum dispat. 14. evidentium. Sed immeritò: nam oppositio physica non semper est Phero q. mutua; fieri enim potest, ut terminus oppositionis physicæ tam longè absit à reciproca oppositione cum fundamento, ut potius cum eodem metaphysicè connectatur. Sic duo corpora physicè repugnant sui ipsorum penetrationi, & tamen hæc cum ambobus metaphysicè connectitur. Sic frigus & ignis physicè opponuntur sui unioni physicè, quæ tantum abest ab oppositione cum illis, ut potius cum illis intimè connectatur: ergo. Et ratio est: A opponi physicè cum B, stat in eo, quod huic reluctetur, eo quod tollat, seu enervet aliquam suam proprietatem; sed fieri potest, quod B tollat, seu enervet proprietatem aliquam rei A, quin A enervet, seu tollat proprietatem ullam rei B, ut adductis constat exemplis: ergo.

163. Sed objicies. Quoties nullum agens naturale potest conjugere B cum A, illud opponitur physicè huic; sed quoties A opponitur physicè cum B, nullum agens naturale conjungere valet B cum A. Probatur: quoties nullum agens naturale conjungere valet A cum B, nullum agens naturale conjungere potest B cum A; quia omne consortium, omnis conjunctio, omnis coexistentia est mutua. Sed quoties A opponitur physicè cum B, nullum agens naturale potest conjungere illud cum hoc (loquimur de oppositione irresistibili toti naturæ:) ergo quoties A opponitur physicè cum B, nullum agens naturale potest conjungere B cum A. Confirmatur in penetratione ipsa durum quantitatum, cuius nos meminimus. Omne oppositum termino connexionis physicæ est oppositum physicæ fundamento, sicut omne oppositum metaphysicæ termino connexionis metaphysicæ, opponitur metaphysicæ fundamento; sed per-

## Connexiones, & opposit. reciprocæ. 501

naturæ duarum quantitatum est metaphysicè opposita termino, cum quo physicè connectuntur duæ istæ quantitates; cum opponantur metaphysicè sive carentia, cum qua physicè, atque ex naturæ sua connectuntur quantitates, quippe quæ sunt naturaliter impenetrabiles: ergo penetratio est physicè opposita ipsis quantitatibus; quarum est penetratio: ergo hæc etiam oppositio est mutua. . 2. Penetratio hæc intimè connectitur cum natura, & quidditas ipsarum quantitatum; sed natura; & quidditas harum stat in eo, quod sit naturaliter impossibilis conjunctio ipsarum cum penetratione: ergo penetratio est intimè connexa cum eo, quod sit naturaliter impossibilis conjunctio quantitatum secum ipsa. Sed conjunctio quantitatum cum penetratione est re ipsa conjunctio penetrationis cum quantitatibus: ergo penetratio est intimè connexa cum eo, quod sit naturaliter impossibilis conjunctio sui ipsius cum illis quantitatibus. Sed hoc est opponi ex natura rei cum ipsis quantitatibus: siquidem non ob aliam causam quantitates ipsæ opponuntur physicè cum penetratione, nisi quia intimè connectuntur cum eo, quod sit naturaliter impossibilis conjunctio sui ipsarum cum penetratione: ergo.

164. Arduum præfserit assumpitum hoc argumentum; probat enim, aut penetrationem duarum quantitatum esse omnino impossibilem, aut ex natura sua repugnare physicè eisdem quantitatibus, quibuscum ex natura sua connectitur metaphysicè: & utrumque peius: ergo. Ad objectionem respondeo, permissa majore, negando minorem, & probationis majorum, quæ eo securius fallit, quod principii evidenter umbrâ protegitur. Verum est, omne consortium, omnemque coexistentiam esse reciprocum: falsum autem, idem esse, B coexistere rei A, quod rem A coexistere B. Suadetur facile: nihil metaphysicè necessarium est id, quod est metaphysicè contingens; at fieri potest, quod sit metaphysicè necessarium, quod si B. existat, coexistat rei A, eo quod sit metaphysicè connexum cum hac: & quod sit metaphysicè contingens, quod si A existat, coexistat rei B, eo quod nullam cum hac connexionem habeat: ergo fieri potest, quod non sint idem hec duo, existente B, existit A: existente A, existit B. Sic non est idem, quod, existente creatura, existit Deus, ac quod, existente Deo, existat creatura: siquidem illud est simpliciter necessarium ob intimam connexionem creaturarum cum Deo; Hoc autem simpliciter contingens ob carentiem similis connexionis Dei cum creatura. Sed eo ipso, quod non sit idem, existente B, existit A: existente A, existit B, non est idem B coexistere rei A. ac A coexistere

rei B, quamquam unum importet secum essentialiter alterum: ergo quamquam hoc, quod est, B coexistere rei A, trahat secundum ex vi summae connexionis hoc, quod est, A coexistere rei B; atamen unum non est simpliciter alterum; & haec est radix deceptionis contrarie, confundere nimitem connexionem metaphysicam cum identitate. Igitur in praesenti, nulla potentia naturalis potest conjungere A cum B, quia supponitus A oppositum naturaliter rei B, ast naturalis potentia conjungere potest B cum A, quia fieri potest, ut B sit connexum metaphysicè cum A, & nihil magis naturale, quam conjungere fundamentum connexionis metaphysicæ cum suo termino, seu facere, hunc existere, quando existit illud. Ad primam confirmationem; nego majorem ob dicta num. 154. & sequenti, ubi dixi, aliquod oppositum termino connexionis pure physicæ, posse conueniri metaphysicè cum fundamento, & paritatem explicui oppositionis cum termino connexionis metaphysicæ. Ad secundam, dato integrō syllogismo, distinguo subsumptam minorem: conjunctio *in sensu ab soluto* quantitatum cum penetratione, est conjunctio &c. concedo: *in sensu conditionato*; nego; quoniam, ut probavi, non est idem, quodd, existentibus quantitatibus, existat penetratio, ac quodd existente penetratione, existant quantitates, cum hoc sit metaphysicè necessarium, & illud sit physicè impossibile. Quodd autem penetratio sit intimè conexa cum eo, quodd sit naturaliter impossibilis in sensu absoluto prefata conjunctio, non infert ipsam ex natura sua opponi illis quantitatibus; sed solidum ipsam esse intrinsecè, atque ex natura sua impossibilem physicè, ac miraculosam.

165. Instabis. Omnis pugna, & resistentia duorum est mutua; implicat enim hoc resistere illi, quin illud sit dissonum huic, & eo ipso, quodd sit dissonum huic, resistit huic. Et ratio est. Quoties datur pugna, & resistentia inter duo, unum conatur vincere alterum, irritus verò, & supervacaneus foret is conatus, si alterum non resisteret huic: ergo si impossibilitas, de qua hactenus, fundatum in pugna, atque resistentia duarum quantitatum cum sua penetratione, debet etiam fundari in pugna, & resistentia ipsius penetrationis cum ultraquæ quantitate. Nego antecedens instantia. Verum enim est repugnare, quod hoc resistat illi, quin illud sit dissonum huic; ast fieri potest, quod illud sit dissonum huic, quia hoc sit dissonum illi: sic decretum efficax divinum conservandi ignem absque calore, dissonum est igni, quin propterea ignis dissonus sit huic decreto, cum potius sit ei valde consonus, nihil enim magis consonaneum uni-

unitusque seū ; quām terminus , cum quo metaphysicē connectitur ? Ad rationem dico ; bifariam dici potest alterum resistere huic. 1. Quatenus exigat , quod , se existente , deficiat hoc ; 2. quatenus hoc exigat , quod , se existente , non existat alterum . Secundum , non autem primum requiritur , ne cōnatus sit supervacaneus . Et secundum est , quod contingit in casu præsenti . Penetratio namquæ ambabus resistit quantitatibus , non quia exigat , ut se existente , ille deficiant ( quia id esset exigere chymatam ) sed quia quantitates exigunt , ut , se existentibus , illa exulet . Replicabis : quævis r̄es opponiuntur ex natura sua , atque resistit ei , quæ innatè appetit suam destructionem ; atqui quantitates innatè appetentes suo penetrationis destructionem : ergo hæc penetratio ex natura sua resistet , atque oppositetur quantitatibus ipsis . Major perspicua videtur ; nati enim extremo potiore jure opponitur , & resistit entitas , quām illi , quod in ipsam entitatem destruendum suapte natura tendit ? Negbo maiorem cum sua probatione : quia nihil possibile opponitur ex natura sua , atque resistit illi , cum quo metaphysicē connectitur , & sine quo nec divinitus potest existere : sed fieri potest , quod sic se habeat respectu illius , quod innatè appetit suam destructionem , ut contingit in casu præsenti : quandoquidem physica duorum penetratio , nec divinitus existere valet absque illis duobus , cū tamen illa duo innatè appetant penetrationis eversionem : ergo aliquid non opponitur ex natura sua illi termino , qui exigit innatè suam destructionem .

## CAPUT DECIMUM.

*De libertatibus ad fundamentum , & terminum ,  
rum Connexionis ; rum Oppositionis .*

166.



Rætteritas emensi comparationes fundamenti , ac termini connexionis , atque oppositionis ; difficultam modò aggredimur : An nimirum , & ratione libertas ad unum ex illis sit libertas ad alterum ? Ubi non tam impugnabo consolutum cum libertate indifferentiæ rerum earum , quæ à suis Autoribus dicuntur connexæ , atque inevitabiles creaturæ , aut prærequisitæ , ac inacquiribiles : quām explicabo prisca argumenta contra hoc consolutum , arcendo & equivocationes , quæ facilimè subrepunt , & exposuendo

nendo, cui basi insistant, & cui non insistant illa argumenta, & longè distare hoc è retorsionibus fieri solitis. Dico 1. Neque omnis libertas indifferentia ( de hac loquemur in toto hoc capite ) ad ponendum fundamentum connexionis purè physicæ est absolutè, ac sim-pliciter libertas ponendi terminum. Neque omnis libertas ad determinandum fundamentum oppositionis tantum physicæ, est semper libertas ad auferendum terminum. Neque omnis libertas auferendi hunc est eo ipso libertas tollendi de medio illud. Neque omnis libertas determinandi hunc est removendi illud. Ratio à priori horum omnium, & disparitatem explicatura ad ea, quæ mox stabiliemus circa connexiones, atque oppositiones metaphysicas, est. Fieri potest, ut existente fundamento connexionis physicæ Deus pro suo liberto suspendat terminum: item quodd, deficiente hoc, Deus producat illud: item quodd, adstante fundamento aliquo physicè opposito cum termino, Deus conservet hunc, & viceversa, quorum nullum potest respectivè contingere, quando connexionis, & oppositio sunt metaphysicæ: ergo ponere in rebus fundamentum physicæ connexum cum termino, non est semper, ac infallibiliter ponere terminum: neque hunc impedire est semper impedire illud: neque determinare ad existendum fundamentum oppositionis physicæ trahit secum infallibiliter defectum termini: ergo neque libertas ad ponendum in rebus prædictum fundamentum est semper, ac necessariò libertas ad ponendum terminum; neque libertas auferendi hunc est semper libertas auferendi illud; neque libertas ad faciendum, ut existat fundamentum physicè oppositum cum termino, est semper libertas ad impediendum existentiam termini:

167. Sed esto, Deum abstinere ejusmodi actu exigentias rerum violante; tunc libertas ad unum ex dictis esset ne libertas ad alterum? Respondeo, omnem tunc habentem libertatem plenam, & expeditam ad unum, habere quoque aliquam libertatem, voca illam prout malueris, ad alterum: non quidem, quia una libertas sit tunc identicè, aut connexivè, in vi metaphysicæ connexionis, altera libertas: alioquin semper, & in omni casu possibili una libertas esset altera, cùm identitates, atque metaphysicæ connexiones non sint pro tempore variabiles: item neque ex vi connexionis physicæ unius libertatis cum altera; quippe tametsi fundamento illi physicæ connexionis cum termino inferretur violentia in denegatione termini; attamen neque libertati activæ ad fundamentum inferretur violentia strictè physica, negato termino, neque negata libertate ad hunc,

sic

## *Libertas ad fundam. & terminos.* 505

sic quamquam applicare ignem pyro pulvri, sit physicè connexum combustionē; attamen tua libertas ad hanc applicationē abs iure dicetur connexa, aut cum combustionē, aut cum libertate proxima, & immediata excitandiflammam, neque ista libertas ullam subiret physicam violentiam (quidquid sit de intentionalī) in denegatione alterutrius. Habet igitur aliquam libertatem, imputabilitati sufficientem ad excitandumflammam quisquis libertatem habet admovendi ignem in prædicto casu. Tum à posteriori, quia si combustio pernicioſa effet Reipublicæ, tibi imputaretur culpa: ergo quis libertatem aliquam habes ad combustionē ipsam, ut distinctam, licet non ut independentem ab applicatione ignis. Quemadmodum enim actus ipse internus voluntatis non est bonus, aut malus moraliter independenter à libertate; hac tamen præsupposita, ille est in se ipso bonus, vel malus moraliter, ut distinctus, licet non, ut independens à libertate: ita excitatioflammæ, & combustio pernicioſa, neconon quævis alia externa actio, nec bona, nec mala, moraliter est independenter ab actu interno voluntatis; hoc tamen præsupposito, potest esse ipsa bona, aut mala moraliter, non quidem, ut independens, sed ut distincta ab actu interno: quia, ut sic distincta, sed non, ut independens, potest esse præcepta, vel prohibita.

168. Hinc inferebam alibi secutus D. Thomam, actionem externam interdum augere meritum internæ, interdum non. Velenim affectus internus est adeo vehemens, servidus, atque resolutus, ut unicè propter impotentiam physicam non sortiatur suum effectum, externum, vel non? Si primum; actio externa superveniens non addit meritum, aut demeritum: sic qui plenè conscientiens in necem proximi sagittam vibravit; illum tamen non interfecit, quia male collimavit in eum, vel quia Deus miraculosè cohibuit sagittam; non est minus malus apud Deum, quam ille, qui eodem modo consentiens in necem, eamdem executus est, quia Deus prædictum miraculum non patraverit: & ratio est, quia effectus illi internus ratione suæ vehementiæ ebibit, atque absorbet malitiæ totam actionis externæ, qua solummodo potest privari ex vi physicæ impotentiæ. Et sic accipio sententiam communem, quam doctè promovent PP. Oviedo, & Lugo negantes, actionem externam augere meritum, aut demeritum supra internum. Si secundum; actio externa auget meritum, vel demeritum supra internum affectum: & hoc mihi persuadent rationes, quas congerit gravissimus Theologus P. Ripal-

P. Ripal.  
da disp. 68  
de ète sup.  
sec. 5. & di  
sp. 75.

P. Oviedo da in favorem Scoti. Porro distinctionem hanc doctus mihi video  
cont. 8. de à S. Thoma, cùm enim sibi objecisset Chrysostomum ajentem, vo-  
bonit. & luntas est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo.  
malit. p. 2.

P. Lugo Respondebat. Ad primum dicendum, quod Chrysostomus loquitur, quando  
disp. 24. de voluntas hominis est consummata, & non cessat ab actu, nisi propter im-  
potentia, scilicet potentiam faciendi: ergo juxta hunc Magistrum, tunc solùm verib-  
4.  
1. 2. qu. 20. art. 4. satur, totam rationem præmii, aut supplicii fundari in voluntate,

jtsuc executio externa superveniens, nil afferat meriti, aut demeriti,  
quando voluntas interna est consummata, & non cessat ab actu, nisi propter  
impotentiam faciendi. Geminam ergo innuit voluntatem, unam adeo  
efficacem, vehementem, atque resolutam, ut non patiatur actionis  
externæ cessationem, nisi ad conspectum impotentia exequendi  
illam; alteram tepidiorem, seu minus servidam: cùmque exceptio  
firmiter regulam in contrarium, non temere putabimus D. Thomam  
docuisse, actionem quoque exteriorem remunerari, aut damnari,  
quando voluntas non est consummata in sua specie ardoris, atque ve-  
hementias, sed capax ut cesseretur ab actu absque impotentia extrinse-  
ca faciendi illum: & consonare videtur Eximius Doctor scribens,

P. Suarez *Diximus enim actionem externali interdum posse augere satisfactionem:*  
disp. 37. de *Si interdum auget, interdum non auget satisfactionem, interdum*  
*Potest. scilicet.*  
6. num. 7. *quoque auget, interdum non auget meritum, aut demeritum; sed*  
*de hoc alibi.*

169. Jam ratio à priori, ob quam quisquis habet plenam liberta-  
tem ad fundamentum connexionis physicæ aliqua gaudet libertate,  
sive mediata, sive immediata, sive directa, sive indirecta ad terminum,  
est. Posita es libertate unicum, quod desideratur prærequisi-  
tum ad determinandum terminum, est decretum divinum indulgens  
terum exigentiis: ergo libertas prædicta ad terminum solummodo  
constituitur per libertatem ad fundamentum, & per decretum divi-  
num anquendī exigentiæ fundamenti; ergo omnis, qui habuerit  
libertatem ad fundamentum, habet quoque libertatem aliquam ad  
terminum, quando adest memoratum decretum divinum. Sed quid  
dicimus, quando fundamento connexionis, & oppositionis physicæ  
resisti non valet absque peccato? v.g. demus, gratiam sanctificantem  
opponi physicè dumtaxat cum peccato, & consequenter connecti  
physicè cum parentia peccati; tunc unicus modus frustrandi hanc  
connexionem, atque oppositionem est determinare existentiam pec-  
cati conjunctim cum gratia; sed nequit Deus eam existentiam de-  
terminare: ergo nequit Deus habere decretum frustrativum ejusmo-  
di

di connexionis, atque oppositionis. Unde subinseruntur duo. 1. Connexionem, & oppositionem has non esse purè physicas, sed metaphysicas; quoniam omnis connexio, atque oppositio, quam nec ipse Deus violare potest, est metaphysica. 2. Omnes habentem libertatem ad fundamentum id generis, habere quoque absolutè libertatem ad terminum, contra id, quod diximus num. 166. quin subsistat hic exceptio, cui ibi institimus. Respondeo etiam istam connexionem, atque oppositionem potest infringere Deus; quocirca iste duæ ultimæ consequentæ corrunt: quia falsum est, unicum modum frustrandi illas esse determinare existentiam peccati. Probatur: eo ipso, quod Deus permetteret peccatum existere, conservata gratia, simul hujus connexionem, & oppositionem violaret, quia eo ipso existeret peccatum simul cum gratia: sed absque determinatione peccati, potest permettere illud existere conservando simul gratiam. Probo: eo ipso, quod Deus sic se gerat: *Nolo moveri exigenzia gratiae ad non permittendum peccatum.* Vel sic: *Volo conservare gratiam in hoc homine, tametsi ille abatur libertate, quam illi concedo ad peccandum, & non peccandam.* Et insuper largiatur libertatem, quam prævidet inefficacem, permittit peccatum existere simul cum gratia; sed circa omnem determinationem peccati strictè talen potest sic se gerere: ergo circa determinationem peccari potest permettere, quod illud existat simul cum gratia: ergo circa determinationem peccati potest connexionem, & oppositionem gratiae violare: ergo falsum est, unicum modum frustrandi hasce ambas relationes esse determinantes peccatum.

§. I I.

170. **D**octrina, quam modò perstrinxi, explicueram alibi, habitum charitatis posse influere immediatè in actum pro eo instanti, in quo urget præceptum, tametsi habitus ille ponatur oppositus physicè cum omni peccato gravi, & immediatè prærequisitus ad actum. Item scientiam medianam posse assumere pro hypothesi objectiva aliquid physicè connexum, vel oppositum cum conditionato libero creaturae. Nam omnis connexio, atque oppositio hujus speciei est frustabilis per Deum: ergo quoties Deus conceperit decretum non indulgendi illis, perinde se habent, ac si non essent; proindeque, supposito illo decreto cohibente illarum imperium, potest creatura conjugere, vel non conjugere suos actus liberos cum fundamen-

mentis sic connexis, vel oppositis. At potest Deus concipere hujusmodi decreta: ergo absolute, & simpliciter est possibile, quod voluntas creata fungatur potestate conjungendi, vel non conjungendi pro suo libito suas operationes liberas cum suis fundamentis; sed hoc ipso connexio, aut oppositio eorumdem non officit libertati, neque impedit, quo mindis assumantur à scientia media pro hypothesi objectiva: ergo fundamenta physice dum taxat connexa, vel opposita cum exercitiis liberis cohædere possunt cum libertate, & assumi pro hypothesi per scientiam medium: nempe quia connexio, & oppositio à Deo frustratae perinde se habent in ordine ad suos terminos, ac si non existerent in rerum natura. Et hinc clara exoritur disparitas ad connexiones, & oppositiones metaphysicas: haec namque, nec cælitus sunt violabiles: ergo non est possibilis casus, in quo perinde se habeant in ordine ad suos terminos respectivè, ac si non existerent: ergo non est possibilis casus, in quo voluntas creata, aut divina possit pro suo libito conjungere, vel non conjungere cum illis suos terminos. Quod si dixeris, constitutiva libertatis, & hypothesis objectivæ scientiæ medie oportere esse indifferentia ad utrumlibet: & indifferentiam abesse, ubi datur connexio, vel oppositio cum altero determinatè extremo; concedam de connexione, atque oppositione metaphysicis, item de physicis, quando non datur decretum divinum non attendendi illis, sed concurrendi, aut non concurrendi ad effectionem terminorum perinde, ac si illæ non essent in rebus; negabo tamen, si sermo sit de connexionibus purè physicis, & adstante praefato decreto non attendendi illis. Demum hac eadem doctrina sustinueram, Deum non fore authorem peccati etiam si hoc cum gratia conjungeretur; quoniam aliud est, Deum concipere hoc decretum: *Volo, quod existente gratia, existat peccatum;* aliud autem concipere hoc: *Volo conservare gratiam, licet homo peccet, indignumque reddat se.* Illud primum argueret, Deum esse Authorem peccati, ast illud necessarium non est ad conjunctionem prædictam, cum sufficiat hoc secundum, quod non infert tale absurdum in Deo.

171. Dico 2. non omnis libertas ad ponendum terminum connexionis metaphysicæ est eo ipso libertas ad ponendum fundamentum. Neque omnis libertas ad impediendum fundamentum est eo ipso libertas ad impediendum terminum. Cæterum omnis vera, & realis libertas indifferentiæ ad ponendum fundamentum metaphysicæ connexum cum termino est aliqua vera libertas (voca illam prout malueris) in aliquo vero sensu sufficienti ad imputabilitatem, ad fa-

faciendum, ut terminus existat in rebus, nisi forte hic præsupponatur jam existens. Similiter omnis vera libertas indifferentia ad impediendum terminum hujus connexionis est aliqua libertas in aliquo vero sensu (appone nomen, quod magis placuerit) ad faciendum, ne fundamentum existat in rebus, nisi forte jam præsupponatur ablatum fundamentum. Probo primam partem. Divina revelatio de tua locutione est fundamentum quoddam metaphysicè connexum cum locutione ista: est enim per suam essentiam infallibilis; sed non omnis libertas determinandi istam locutionem est libertas in ullo vero sensu faciendi, ut existat illa revelatio; quandoquidem tibi liberum est loqui, quin propterea libertate gaudias faciendi, quod Deus tuam locutionem testetur: ergo non omnis libertas ad determinandum terminum connexionis metaphysicæ est eo ipso libertas ad ponendum in rebus fundamentum. Ratio est: multi termini connexionum metaphysicarum possunt existere in rebus absque fundamentis, secum connexis, ut per se patet, cum non semper sit reciproca connexionis metaphysica: ergo non eo ipso, quod terminus existat, debet existere fundamentum: ergo non eo ipso, quod aliquis possit facere, ut existat terminus, potest quoque facere, ut existat fundamentum; sed ut emergentem jam captionem rescindas, nota: fundamentum præstatæ connexionis aliquatenus est liberum ei, cui liberum est ponere terminum; his namque terminum impediendo impediret fundamentum, ut mox dicam; necnon terminum conservando permitteret fundamentum existere: cumque possit terminum impedire, ac conservare, ut potè sibi liberum, potest quoque fundamentum imprimere, atque permettere, quod existat. Quo siet, ut fundamentum connexionis metaphysicæ quodammodo sit liberum illi. Hoc non nego; verum dumtaxat probat fundamentum, liberum esse permitti, non autem determinativè illi, cui liber est terminus; quoniam licet hic possit fundamentum præimpedire, nequit tamen determinare illud, seu positivè facere, ut existat.

172. Sed objicies: omnis libertas activa ad impediendum fundamentum præstatum est libertas ad faciendum, ut existat; sed omnis libertas ad terminum, quocum intimè connectitur hoc fundamentum, est libertas activa ad impediendum hoc fundamentum: cum sit libertas ad impediendum terminum, & hoc impedito, impeditus illicet fundamentum sine ulla potentia ad oppositum, ut infra ponderabimus: ergo omnis libertas ad terminum est libertas faciendæ, ut existat fundamentum. Probatur major: omnis libertas ad non-

im-

impediendum fundamentum est libertas ad faciendum, quod illud existat; sed omnis libertas ad impediendum fundamentum est libertas ad illud non impediendum, eo, quod qualibet libertas indiferentia sit ad duo contradictoria: ergo. Probatur major: non impediendi fundamentum est re ipsa fundamentum existere (quia cum *impediri* fundamentum sit carentia ipsius, & non *impediri* sit contradictorium formale hujus, quod est *impediri*, sequitur, quod non impediendi fundamentum sit contradictorium carentis fundamenti, proindeque sit existere ipsum fundamentum) ergo omnis libertas ad non impediendum fundamentum est libertas ad faciendum, quod illud existat. Argumentum probat, me posse facere, ut sol existat; juxta illud namque quisquis potest non impedire A, potest facere, ut A existat; sed ego possum non impedire solem, siquidem ipsum non impedio: ergo. Nego maiorem objectionis, & maiorem, qua probatur; ad hujus probationem, distinguo antecedens: non impediendi ab *ullo* fundamentum est re ipsa existere; concedo; non impediendi ab aliquo determinate est illud existere; nego: quoniam fieri potest, ut fundamentum non impediatur per hanc causam, impediatur vero per aliam, proindeque non existat; & nego consequentiam. Igitur si omnis libertas ad terminum esset libertas ad hoc, ut *nemo* impediret fundamentum, esset quoque libertas ad hoc, ut fundamentum existeret; verum id non accedit, sed solum, quod sit libertas, ut ipsa fundamentum non impediatur; ipsam autem non impedire fundamentum, est compatibile cum eo, quod aliud fundamentum impedit.

173. Secunda pars ostenditur: quilibet actus liber Petri est fundamentum metaphysicè connexum cum Deo ob essentialem dependentiam uniuscujusque creature à causa prima; sed Petrus habet libertatem ad impediendum quemlibet suum actum liberum, quin propterea Deum ipsum impedire possit: ergo non omnis libertas ad impediendum fundamentum connexionis metaphysicæ est libertas ad impediendū terminum. Ratio est; terminus connexionis metaphysicæ sèpè valet subsistere in rebus, ablato fundamento ejusdem connexionis, quia sèpè non connectitur cum illo: ergo non eo ipso, quod auferatur fundamentum, auferatur terminus: ergo non eo ipso, quod libertate fungaris ad auferendum fundamentum, libertate fungaris ad auferendum terminum. Hæc certa omnibus; non ita tertia, & quarta pars; nam Scholastici pars evidentes pars de manifesta fallacia postulatas illas censem; sed stabiliamus prius exceptio.

## *Libertas ad fundam. § terminos.* 511

ptiones. In primis, si terminus connexionis metaphysicæ præsupponatur jam existens in rebus, non omnis libertas ad faciendum, ut existat fundamentum, est libertas ad faciendum ut terminus existat. Sic quamquam habeas libertatem ad concipiendum amorem Dei, & hic amor sit metaphysicè connexus cum Deo, libertatem non habes ad facieandum, quod Deus existat: nimur quia hic in eodem instanti, in quo habet potestatem ad amorem ipsius Dei, præsupponitur jam existens independenter à tuo amore: & opus non est, te determinare per tuum actum, ut existat illud, quod antecedenter ad tuum actum supponitur jam existens. Similiter si fundamentum connexionis metaphysicæ præsupponatur jam sublatum à rerum natura, non omnis libertas auferendi terminum est eo ipso libertas auferendi fundamentum. Sicquamvis assensus pure possibilis fidei supernaturalis eliciendus ab homine pure possibili circa tuum peccatum, sit fundamentum quoddam metaphysicè connexum cum tuo peccato; & quamvis libertate gaudias impediendi tuum peccatum, non eo ipso habes libertatem, pressè loquendo, ad impediendum illum assensum, videlicet, quia in eodem instanti, in quo potes impedire tuum peccatum, jam aliunde præsupponitur impeditus ille, sive pecces, sive non pecces: ergo necesse non est, te habere libertatem ad impediendum illum assensum non existentem in rebus, sed pure possibilem. His exceptionibus præpositis, & memoriarum insidientibus. Probo jam omnem libertatem ad faciendum, ut existat fundamentum esse eo ipso aliquam libertatem in aliquo vero sensu ad imputabilitatem sufficienti ad faciendum, ut terminus existat non aliunde præsuppositus. Et claritatis gratiâ loquiamur de prædeterminatione physica reciprocè connexa, juxta suos, cum amore; Prædeterminatione inquit ad actum liberum entitativè naturalem, v.g. ad. volitionem loquendi, scribendi &c. quod intellige dictum pro omnibus, quæ scribam modò.

## *§. III.*

174. **E**O ipso, quod voluntas concipiat amorem secundum se, & secundum sua essentialia adiicit Deus infallibiliter sine ulla potentia ad oppositum physicam istam prædeterminationem in signo antecedente comitante, vel subsequente, quam signorum diversitatem non curo modò. Nam juxta ipsos amor secundum se, ac secundum suam essentiam est intimè connexus metaphysicè cum prædeterminatione sic existente: & neque in Terra, neque in Cœlo datur

datur potentia ad faciendum, ne existat terminus, ut talis, connexionis metaphysicæ, quando adest fundamentum. Item eo ipso, quod voluntas non concipiatur amorem secundum se, ac secundum sua essentialia, Deus non adiiciet prædeterminationem in isto signo anteecedente intermedio, comitante, vel subsequente ( nam per vos illa connectitur metaphysicæ cum amore secundum se, ac secundum sua essentialia, & nec divinitus potest contingere, quod per se veret fundamentum connexionis metaphysicæ, quando deficit terminus, ut talis ) sed voluntas, quia Deus liberaliter vult, & consequenter ad liberam determinationem divinam, & præventa, adjuta, & confortata per gratiam Dei, ( quomodo cumque hoc fuerit ) habet plenam proximam, atque expeditam libertatem ad concipiendum, & non concipiendum amorem secundum se, ac secundum sua essentialia, quia loquimur de voluntate libera: ergo habet aliquam libertatem ( voca illam prout volueris ) in aliquo vero sensu, imputabilitati per se sufficiente ad faciendum, quod Deus adiiciat, vel non adiiciat prædeterminationem in istis signis. Explicatur 1. Istam qualitatem esse connexam cum amore secundum se, ac secundum suo essentialia, aut est præcisè, esse connexam cum possibilitate, certe risque gradibus metaphysicis amoris, præscindendo prorsus ab actuali, exercitaque illius existentia: aut est, esse connexam quoque cum hac, ut actuali, absoluta, & exercita? Si primum; transcat ista prædetermination, seu iustud Decretum prædeterminationis; quoniam, ea existente, poterit deficere absolute, & simpliciter amor: quemadmodum licet Deus dicatur connexus metaphysicæ cum creaturis, quoad possibilitatem, & quoad prædicata his essentialia; fieri nihil minus potest, quod, Deo existente, omnes deficiant creaturæ. Nimirum quia res potest deficere absolute, ac simpliciter, quando nil datur metaphysicæ connexum cum ipsius existentia absoluta, sed pure, & præcisè cum ipsius possibilitate. Verumtamen medio tam languido, & inefficace quomodo extorquebit Deus à creatura actus-lem existentiam illius locutionis?

175. Si secundum; rogo insuper. Ista prædetermination est conexa cum actuali existentia amoris consequenter, quatenus præcisè connectitur cum eo, quod amor existat ex suppositione, quod absolute, ac simpliciter existat (& sic frivola adstrues connexionem: nam hæc etiam papyrus, & Deus intimè connectuntur cum eo, quod amor existat ex suppositione, quod existat, supposita sententia agnoscere reciprocam connexionem omnium possibilium, & Dei cum possibili-

litate

litate possibilium, atque impossibilium impossibilitate, cùm sit præsus necessarium absque ulla mixtura contingentia, rem esse ex suppositione, quod sit) & insuper in prædeterminatione, vel si mavis in Decreto prædeterminativo videtur inutilis omnino hujusmodi connexio, quam solam docuit aliquando M. Lorca. Tum, <sup>Lorca di. sp. 21 de Gratia.</sup> quia in sensu composito-necessitatis, aut connexionis cum eo, quod existat amor ex suppositione, quod existat, potest ille deficere absolute, ac simpliciter. Quippe nulla veritas simpliciter necessaria connectitur cum contingente ut tali, alias cùm hæc possit deficerre, illa quoque deficerre posset: at amorem existere ex suppositione, quod existat, est veritas omnino necessaria; amorem vero existere, est omnino contigens: ergo illud non connectitur cum hoc: ergo in sensu composito necessitatis de eo, quod amor existat ex suppositione, quod existat, potest amor deficere absolute, & simpliciter: ergo si non aliam connexionem cum amore appingitis prædeterminationi, hæc non est medium efficax ad continendum actualem existentiam ipsius amoris naturalis, v.g. Tū ulterius quia prædeterminatione debet, juxta suos, connecti cum eo, quod creaturæ est liberum, non cum eo, quod est simpliciter necessarium. At quod creaturæ est liberum, est amorem existere absolute; non vero amorem existere ex suppositione, quod existat: ergo connexionem habere oportet prædeterminationem, si datur, deberet esse cum primo, non cum secundo. Hæc dixerim propter quemdam Recentiorem minus cautè scribentem, Magistrum Lorcam docuisse prædeterminationem Thomisticam. Verba illius aggredientis explicationem prædeterminationis, quam præmisserat, <sup>Lorca ubi supra.</sup> sunt hæc. Cum igitur hoc non per aliud determinet voluntatem, quidam <sup>supra.</sup> per operationem ipsam, non aliam necessitatem inducit, quam eam, quam actualis operatio inferre solet, quæ est illa, qua id, quod est, quando est, necesse est esse. Prædeterminationem tam tepida contentam connexionem, nec Thomistæ tuentur, nec Jesuitæ impugnant.

176. Si propterea, prædeterminationem esse connexionem consequenter cum existentia amoris, dicatur consistere in eo, quod tantummodo sit connexa consequenter ad suam existentiam, itaut dum existit sit connexa; secus quando non existit. Contra 1. Hoc est commune omni prorsus fundamento connexionis, imo & necessitatis simpliciter antecedentis, siquidem nulla necessitat, nisi quando existit in rebus: sic unio physica duorum solum, quando existit, est absolute connexa cum extremis, secus quando non existit. Sic scientia visionis de tuo exercitio libero, solum, quando existit, connectitur

tur cum illo ; secus quando non existit : ergo iste terminus nihil speciale assert in favorem prædeterminationis : ergo absque inconveniente omitti poterat , & indemne perseverat argumentum superscriptum . Contra 2. Posita ista prædeterminatione sic connexa , vel permanet in voluntate creata libertas ad amorem quoad existentiam absolutam , & exercitam ; vel tantum quo ad possibiliterem , atque existentiam , quam ajunt *signata*m . Si hoc secundum ; ergo non remanet libertas indifferentia , quam docemur . Probatur : libertas , quam docemur , debet esse ad ipsum , quod Deus præcipit , vel prohibet ; sed quod Deus præcipit , vel prohibet , non est amor secundum se præcisè ; secundum sua essentialia , & quo ad meram possibiliterem , seu essentiam , sed quo ad actualem , absolutam , exercitamque existentiam : ergo libertas , quam docemur , non debet esse ad primum præcisè , sed ad secundum : ergo si , posita prædeterminatione sic consequenter connexa , non perseverat libertas quoad existentiam actualem , exercitam , absolutamque amoris , non perseverat libertas illa , quam docemur ab Ecclesia Catholica . Si propterea dicas illud primum ; percontor iterum : Potentia antecedens , quam includit ista libertas ad actualem , exercitamque amoris existentiam , vel est antecedens , præcisè , quia dabatur ante adventum prædeterminationis , non tamen datur hæ adveniente (& sic habemus intentum , nempe libertatem indifferentiæ prædeterminationi non coherere } vel est antecedens , quis impedit nequit actualem existentiam amoris in sensu composito prædeterminationis , sed tantum in sensu diviso , & pro casu , quo illa deficiat : & sic , siscitor demum . Aut libertas creata potest facere hunc sensum divisum , aut non ? Si primum ; ergo potest impeditre prædeterminationem . Si secundum ; ergo non habet potestatem sufficientem ad meritum , atque demeritum . Probo . Nulla potestas communis homini simpliciter antecedenter necessitato per Deum ad amorem , sufficit per se ad meritum , vel demeritum in amando ; sed potestas ad impediendum amorem solùm pro casu , quo Deus removeat solus istam connexionem cum amore , est communis homini simpliciter antecedenter necessitato per Deum ad amorem : quoniam hic etiam posset impeditre amorem in sensu diviso faciendo per Deum , seu casu , quo solus Deus pro suo libito expediret illum ab hac necessitate : ergo istiusmodi libertas , seu potestas non sufficit per se ad meritum , atque demeritum .  
*Godoy dis. 38. nro. 36.* Ecce non habent locum solutiones , quas parat Godoy cum aliis pri sto illi arguento .

Ex.

177. Explicatur 2. Ratio illa scripta num. 174. Ideo qui habet sclopetum obversum pectori Joanni, habet aliquam libertatem, in aliquo vero sensu, imputabilitati sufficiente, ut occidat Joannem, quia eo ipso, quod sclopetum explodat, occidet illum, ut posimus, & eo ipso, quod non explodat, non occidet illum: cumque libertate gaudeat, ut explodat, vel non explodat; libertate quoque gaudet, ut occidat, vel non occidat imputabiliter Joannem. Similiter ideo eterna præscientia Dei est pro nutu nostro determinabilis, atque impedibilis, quia eo ipso, quod ego modò scribam, Deus prævidit hoc ab eterno, & eo ipso, quod modò non scripssem, Deus non prævidisset hoc ab eterno: cumque sit in mea manu constitutum, gratiâ quidem, ac beneficio Dei, quomodo cumque catholico sit hæc gratia (quia id non disputamus modò) quod ego modò scribam, vel non scribam; idcirco gratiâ, & beneficio Dei est in mea manu constitutum, quod Deus ab eterno præviderit, vel non præviderit, me nunc scriptorum fore: atque ob hanc causam illa eterna præscientia Dei libertati ad scribendum non est inimica. Pariter ergo, si eo ipso, quod voluntas amet, Deus apponit prædeterminationem in aliquo ex illis signis: & eo ipso, quod voluntas non amet, Deus non apponet in ullo illorum prædeterminationem: & iasuper gratia, favore, misericordia, & pura liberalitate Dei est constitutum in arbitrio creato amare, & non amare, gratia quoque, & benignitate Dei est constitutum in arbitrio creato, quod Deus ipse ingerat, vel non ingerat prædeterminationem alicui ex istis signis. Profectò si hoc non evincit, voluntatem humanam fungi libertate aliqua in aliquo vero sensu, imputabilitati sufficiente, ut acquirat, vel repellat prædeterminationem, ægrè ad modum suadebis, in hominibus esse libertatem imputabilitati sufficiens, ad operationem ullam distinctam ab actibus voluntatis: ergo dicendum, omnem libertatem ad ponendum fundamentum metaphysicè connexum cum termino, esse aliquam libertatem in aliquo vero sensu ad faciendum, ut terminus existat, modò hic non præsupponatur jam existens independentes ab illo fundamento, & sive hoc detur, sive non detur; & dicendum insuper, omnem libertatem ad impediendum terminum esse quoque libertatem aliquam ad impediendum fundamentum, modò hoc non præsupponatur jam ablatum independenter ab impeditione termini: unde ex adverso infertur, quod si nulla prouersus datur libertas in nullo vero sensu ad faciendum, ut in rebus existat terminus, nulla item dabitur libertas ad determinandum fundamentum: item si

nulla datur libertas in nullo vero sensu ad impediendum fundamen-  
tum , nulla similiter datur libertas ad impediendum terminum; sed,  
juxta Authores contrarios, voluntas peccans nullam prorsus habet  
libertatem faciendi , ut existat in rebus prædeterminatio ad saluta-  
rem pœnitentiam , quæ dicitur intimè connexa cum illa qualitate;  
neque ad impediendum prædeterminationem ad peccatum , que  
cum hoc esserit metaphysicè connexa: ergo voluntas peccans nul-  
lam omnino libertatem habet ad impediendum peccatum , nullam  
item ad pœnitentiam salutarem : quod absurdum est.

## §. I V.

178. Probatur secundò idem assumptum. Vel terminus cōnexio-  
nis metaphysicæ ponendus est liberè ab illo eodem, qui ha-  
bet libertatem ponendi in rebus fundamentum , vel ab alio v. g. à  
Petro ? Si primum ; habeo intentum , scilicet libertatem faciendi , ut  
existat fundamentum , esse libertatem aliquam faciendi , ut existat  
terminus . Si secundum ; arguo sic : omnis vera , & realis libertas  
obligandi irresistibiliter Petrum , ut illicet absque tergiversatione ulli  
ponat terminum , est aliqua vera libertas in aliquo vero sensu ad fa-  
ciendum , ut terminus existat (quid enim mea refert, terminum non  
poni physicè , immediatè , atque formaliter per me , si est in mea  
manu obligare irresistibiliter alterum , ut illicet absque mora ponat  
ipse terminum ? Profectò quoad imputabilitatem periade se habet  
unum , ac alterum , ut liquide constat in actionibus bonis , aut ma-  
lis moraliter , quas alias exequitur ; sed tuo consilio , minis , vel præ-  
cepto compulsus ) sed omnis vera libertas ad ponendum in rebus  
fundamentum metaphysicæ connexionis , est vera , & realis libertas  
obligandi irresistibiliter Petrum v. g. ut illicet ponat terminum , qui  
non supponatur jam existens. Probatur: existentia fundamenti con-  
nectionis metaphysicæ est aliqua irresistibilis obligatio ponendi ter-  
minum : ergo omnis vera libertas ponendi in rebus hanc existen-  
tiā , est vera libertas obligandi irresistibiliter , ut illicet sine mora  
ponatur terminus . Probo antecedens : vel Petrus habet potestatem  
ullam , ut omittat terminum in sensu composito fundamenti , vel  
nullam omnino ? Primum esset habere potestatem ad patentissimam  
chymaram : ergo dicendum est secundum : ergo positio fundamenti  
est ineluctabilis obligatio , ut statim ponatur terminus . Nam hujus-  
modi obligatio est id , in cuius sensu composito suspendi terminum  
est repugnans prorsus : ergo omnis , qui veram habuerit libertatem  
ad

Ad ponendum fundamentum in rebus , aliqua gaudet libertate ad obligandum irresistibiliter alterum , ut illicè ponat terminum , qui nondum presupponitur existens . Ob eamdem rationem , omnis libertas auferendi terminum hujus connexionis est libertas obligandi irresistibiliter alterum , ut illicè absque ulla tergiversatione suspendat fundamentum ( si forte hoc suspendendum sit ab illo altero , & nondum suspensum intelligatur ) quoniam repugnat omnino , quod , sublato termino , perseveret hujusmodi fundamentum : ergo ablatio termini est ineluctabilis obligatio suspendendi statim fundamentum : ergo omnis libertas ad auferendum terminum est libertas ad obligandum irresistibiliter illum alterum , ut statim sine potentia ad oppositum auferat fundamentum : ergo est aliqua vera libertas in aliquo vero sensu ad faciendum , ne existat in rebus fundamentum .

179. Hinc quando actus creature liber connectitur metaphysicè cum actu aliquo divino , inquiero : aut is divinus actus intelligitur existens , quando fungitur creatura libertate plena ; atque expedita ad illum suum actum , aut non ? Si primum ; creatura non habet libertatem ( vel saltem necesse non est , illam habere ) ad obligandum irresistibiliter Deum , ut eum suum actum concipiat , ob exceptiones datas , & probatas supra . Si secundum ; creatura ex mera benignitate , favore , & misericordia Dei , & consequenter ad ipsius Dei voluntatem dandi , & conservandi in creatura libertatem indifferenter , aliqua fungitur libertate ad obligandum irresistibiliter Deum non ut subditum , aut aequalē : absit blasphemia ; sed consequenter ad indulgentiam ipsius Dei , ut ab æterno , & in æternum talem actum concipiat : quod minimè dedecet supremum hujus dominium . Nam eum id generis obligatio , & obligandi potestas originem trahant ex ipso supremo dominio Dei , qui pro suo libito , pro sua mera benignitate confert , ac conservat libertates creatas , cum possit eas non conservare , ac transmutare infinitis modis , idcirco ambo haec sunt purè consequentia ad arbitrium divinum , pro hujus nutu conservanda , atque destruenda ; & sunt sicut irresistibilis , inviolabilisque obligatio , quam habet Deus ad conservandum vitam unius formicæ ex suppositione , quod efficaciter decreverit illam conservare vivam : & sunt sicut inviolabilis obligatio , quam creatura adjuta per gratiam Dei perseverans usque in finem imponit Deo , ut largiatur gloriam : nempe ex hypothesi , quod illam pollicitus sit gratiōe : ergo per se præcisē , atque ex suis terminis , nec minimum lœdunt dominium , cui plenariè subjiciuntur . Quod autem non subjiciantur , quoad hoc ,

hoc, quod est, esse plenam libertatem determinandi suum aetum metaphysicè connexum cum actu eo divino nondum presupposito; & non esse ulla tenus potestatem facieendi, ut in rebus existat actus ille divinus, tam non est absurdum, quam non est, hominem non subjici Deo quoad hoc, quod est, esse hominem, aut bellitatem ipsa. Infinita Dei potentia non est executiva chymararum: & est chymæra, rem existere absque sua essentia. Sunt ne essentia rerum ad nutum amovibiles? Atqui de essentia libertatis ad ponendum in rebus fundamentum connexum metaphysicè cum termino nondum presupposito, est aliqua libertas in eo vero sensu faciendi, ut in rebus existat ille terminus, ut manet probatum; & confirmatur ulterius. Quia ideo putant Authores contrarii, Deum posse unquamque creaturam rationalem electere in locutionem, aut silentium, quippe potest unicuique infigere prædeterminationem metaphysicè connexam cum locutione, vel aliam connexam cum silentio: & similiter ideo putant, posse Deum suspendere actionem liberam creature, quia suspendere valet prædeterminationem, cum qua connecti opinantur actionem creature: ergo quia libertas ponendi fundamentum trahit secum essentialiter aliquam libertatem faciendi, ut existat terminus, & libertas auferendi hunc, trahit secum essentialiter libertatem aliquam faciendi, ne existat fundamentum: ergo chymæra esset haec dividere: ergo ad haec dividenda non se extendit potentia Dei.

180. Dico 3. neque oris libertas ad ponendum fundamentum oppositionis metaphysicæ est libertas ad ponendum terminum; neque è converso. Item neque omnis libertas ad impediendum hunc terminum, est libertas ad impediendum illud fundamentum; aut è contra. Item, neque omnis libertas ad impediendum hujusmodi fundamentum est libertas ad ponendum terminum, nisi quando fundatum, & terminus talem inter se oppositionem habent, ut non admittant medium. Neque omnis libertas ad impediendum terminum est libertas ad ponendum fundamentum, nisi fuerint conditiones expositæ: omnis tamen vera libertas ponendi fundamentum oppositionis metaphysicæ est libertas in aliquo vero sensu ad faciendum, ne terminus existat in rebus, nisi jam præsupponatur ablatus: & omnis similiter libertas ponendi ejusdem terminum est pariter libertas aliqua in aliquo vero sensu ad faciendum, ne in rebus existat fundamentum, quod nondum intelligitur exclusum. Facillima hec sunt combinanti terminos. Probo primam partem: eo ipso, quod  
præ-

prædictum fundamentum existere possit absque termino , & terminus absque illo ; non eo ipso , quod possit facere , ut existat unum potes facere , ut existat alterum ; sed dictum fundamentum potest existere absque termino , & hic absque illo , ut per se patet , cum potius sit impossibile , fundamentum existere cum illo termino , cui metaphysicè opponitur , & impossibile similiter sit , terminum coexistere illi fundamento : ergo non eo ipso , quod libertate doneris ad ponendum unum , habes libertatem ad ponendum alterum : ergo non omnis libertas &c. Probo similiter secundam partem . Impediri potest terminus hujus oppositionis , quin fundamentum impediatur , & viceversa : quoniam ex duobus metaphysicè oppositis potest unum existere , quando abest alterum : ergo non eo ipso , quod impediens unum , impeditur alterum : ergo non eo ipso , quod libertate gaudias ad impediendum unum , gaudes libertate ad impediendum alterum ; ergo non omnis libertas &c.

181. Probo tertiam partem . Fieri potest , quod , impedito uno ex his duobus , non existat alterum , nam aliquando contraria admittunt medium , possuntque simul deficere : puta assensum fidei supernaturalis de non existentia Petri , & hujus existentiam , quorum neutrum existit in tota æternitate : ergo non eo ipso , quod impediens unum , debet existere alterum : ergo non eo ipso , quod tibi sit libertas ad impediendum unum , est tibi libertas ad faciendum , quod alterum existat : nisi fortasse ambo fuerint exercitia tuæ voluntatis , v.g. amor , & odium : & libertatem contrarietas habueris ; tunc enim eadem libertas , quæ est ad ponendum , & auferendum unum , est quoque ad ponendum , & auferendum alterum . Sin verò contraria illa non admiserint medium , omnis libertas ad impediendum unum ex his duobus , est aliqua libertas ad faciendum , quod alterum existat , nisi jam præsupponatur existens ( hæc erat exceptio huic tertiaz parti adjuncta . ) Nam quoties datur libertas ad ponendum , fundamentum connexionis metaphysicæ , datur aliqua libertas in aliquo sensu ad faciendum , quod terminus existat in rebus , nisi is jam præsupponatur existens , ut supra philosophabamur : item quoties datur libertas ad removendum terminum ejusdem connexionis , datur libertas aliqua ad removendum fundamentum non aliunde remotum ; at quoties duo contraria medium non admittunt , seu talia sunt , ut nec divinitus possint simul existere , aut simul deficere , defectus unius connectitur metaphysicè cum existentia alterius , & similiter defectus alterius cum existentia hujus ; quia , ut ponitur , nec cœli-

cœlitus evenire potest, quod, deficiente uno, non existat alterum: ergo quoties detur libertas ad ponendum defectum unius ex his contrariis, seu ad impediendum unum ex his contrariis, datur libertas ad faciendum, ut existat alterum, nisi hoc jam præsupponatur existens. Ultima pars eisdem principiis, quibus supra usi fuimus, probatur. Repugnat penitus, quod, existente uno ex his contrariis, non deficiat alterum; ergo unum ex illis existere est irresistibilis obligatio ad suspendendum alterum; ergo libertas ad faciendum, quod existat unum illorum, est aliqua libertas ad obligandum irresistibiliter, ut statim suspendatur alterum: ergo est aliqua libertas in aliquo vero sensu ad faciendum, ne existat alterum. Et hinc aliud consurgit argumentum adversus prædeterminationem physicam amoris v. g. Nam cum hæc opponatur metaphysicè cum carentia amoris, & non supponatur ablata, quinimò supponatur existens; quando quis amat amore naturali v. g. quisquis habuerit libertatem determinandi illam carentiam, aliquam debet habere libertatem in aliquo vero sensu ad faciendum, ne existat hæc prædeterminatione: ergo si voluntas prædeterminata ad amandum, nullam omnino habet libertatem, ut abiciat à se hanc qualitatem, nullam consequenter libertatem habet, ut determinet illam carentiam.

## CAPUT XI.

### *Solutiones, atque sophismata.*

182.



Ices, superiorem discutsum esse fallacem: tum quia eo ipso, quod existat fundamentum connexionis metaphysicæ, existet terminus: ergone qui directè, vel indirectè; formaliter, vel virtualiter vult existere fundamentum; vult quoque directè, vel indirectè; formaliter, vel virtualiter existere terminum? Minime, quia Deus prædefiniens pœnitentiam, aut Christum Dominum ante visionem peccati, vult aliquid metaphysicè connexum cum peccato, quin velit hoc: tum quia eo ipso, quod existat complexum ex scientia media de efficacia libertatis A ad loquendum, & decreto collativo hujus, determinabitur existentia locutionis; sed Deus plena fungitur libertate determinandi illud complexum; suppositamque illa scientia, Dei solius est concipere, vel non concipere illud decretum: ergo Deus habet libertatem aliquam ad determinandum

ñandum locutionem liberam creaturæ. Nego, quia locutio illa esset;  
& non esset libera creaturæ: ergo non omnis libertas ad determinan-  
dum fundamentum connexionis metaphysicæ, est libertas ad deter-  
minandum terminum: & ratio potest esse duplex. Prima: aliud est lo-  
qui de termino neque præsupposito, ut jam existente, neque infal-  
libiliter extituro per alienum arbitrium; aliud autem longè diver-  
sum loqui de termino non præsupposito quidem, ut jam existente;  
præsupposito tamen, ut infallibiliter extituro aliunde. Si sermo  
fuerit de primo; verum est, omnem libertatem ad ponendum funda-  
mentum esse libertatem aliquam ad faciendum, ut existat terminus;  
secus si sermo fuerit de secundo.

183. Nam quemadmodum Deus efficaciter prædefiniens pœni-  
tentiam, vel Christum Dominum, ut Redemptorem ante prævi-  
sum peccatum, neutquam vult peccatum; nimirum, quia hoc,  
licet non præsupponatur jam, ut existens, & præsens; nihilomi-  
nus prævidetur infallibiliter ponendum à creatura independenter à  
divina determinatione. Ita si terminus connexionis præsupponatur,  
ut extitus ab alio, necesse non est, omnem eum, qui potest ponere  
fundamentum, posse quoque terminum ponere; frustra enim exi-  
gitur, terminum poni verè, & propriè ab illo, qui fundamentum  
determinat, cùm certissimè, ac infallibiliter ponendus sit ab alio.  
Sic frustra exigitur terminum poni ab eo, qui fundamentum ponit,  
quando terminus jam supponitur existens. Ob eamdem rationem  
non est necessarium, quod impedit fundamentū ille idem, qui impe-  
dit terminum, quando fundamentum illud præsupponitur, ut in-  
fallibiliter impediendum ab alio, ubi primum impeditur terminus,  
tamen si non intelligatur impeditum jam. Altera ratio potest esse:  
vel sermo instituitur de termino se habente pro posteriori ad funda-  
mentum, vel de termino se habente pro priori? Si primum; verum  
est, libertatem determinativam fundamenti esse determinativam ter-  
mini. Si secundum; libertas determinativa fundamenti est determi-  
nativa termini indirectè solummodo, & à posteriori, scilicet quatenus  
ex eo, quod positum sit fundamentum, arguitur à posteriori,  
Deum produxisse terminum. Sic licet amor elicitus à voluntate  
Petri esset metaphysicè connexus cum illa; quia tamen connexio  
hæc est à posteriori, propterea libertas voluntatis determinativa il-  
lius amoris in nullo vero sensu est determinativa sui ipsius. Hinc  
quamquam amor connectatur cum sui prædeterminatione; cùm ta-  
men hæc se habeat pro priori ad illam, idcirco potestas, quam habet

creatura ad ponendum amorem, non est verè, & propriè libertas ad ponendum prædeterminationem.

184. Consultò dixi capite proximè superiore, omuē libertatem determinativam fundamenti connexionis metaphysicæ esse aliquam libertatem *ad faciendum*, ut terminus existat; non verò dixi esse libertatem *ad determinandum terminum*, seu physicè producendum illum: & similiter, libertatem impeditiua termini esse libertatem *ad faciendum*, ne existat fundamentum; non verò, esse libertatem *ad determinandum* impeditiua, aut carentiam fundamenti. Ratio est; determinare terminum, significat hic, esse Authorem, & causam per se illius; ergo habere libertatem determinativam termini, importat secum habere libertatem ad causandum per se terminum; sed causare per se terminum consistit in eo, quod hujusmodi causa habeat inclinationem ad illud, vel innatam, vel elicited, vel exercitam, vel signatam, vel formalem, vel virtualem, aut interpretativam, ut doctè exponit P. Junius: ergo libertas determinativa termini importat secum capacitatem saltem habédi aliquam ex his inclinationibus: ergo, qui nullam ex his habere potuit, nequit denominatio nem subire determinantis terminum. Neque ex capacitatem determinanti fundamentalum argui potest capacitas determinandi terminum; nam quamvis fundamentum sit metaphysicè connexum cum termino, inclinatio ex recensitis non est connexa cum simili inclinatione in terminum: ergo quamvis eo ipso, quod ponas fundamentum, debeat illicè poni terminus; non tamen eo ipso, quod determines fundamentum, aut sis Author, & causa per se illius, debes determinare terminum. Cæterùm facere, ut terminus existat, præscindit à modo faciendi per determinationem strictè talem, & propriam causam per se, & à modò faciendi per meram permissionem. Sic Deus indurasse dicitur cor Pharaonis, & cuius vult misericordia. & quem vult indurare: ergo plena fungitur libertate ad indurandum cor humanum; sed non per determinationem indurationis strictè talem: ergo per illius permissionem. Constat igitur libertatem ad determinandum terminum, aliquid superaddere supra libertatem faciendi pure, & præcisè, quod terminus existat. Constat insuper, quod licet libertas determinandi fundamentum connexionis metaphysicæ trahat secum infallibiliter libertatem aliquam faciendi, ut existat terminus, qui alias non præsupponitur jam existens; non tamen trahit secum semper libertatem determinandi terminum, sed de hoc fuislū infra disputabimus, ubi primæ quoque redargutioni positæ num. 182. occurre

currimus. Constat demum, prædeterminatum ad loquendum, v. g. habere aliquam veram potestatem in aliquo vero sensu sufficiente ad imputabilitatem ad faciendum simpliciter, ne existat illa prædeterminatio, quidquid sit de modo, quo id facere debet. Unde si nullam prorsus habet veram potestatem in ullo vero sensu ad illud, non habebit libertatem indifferentiæ ad locutionem.

185. Ad secundam nego consequentiam, quæ illegitima est, & me non offendit ajentem, ex libertate determinandi fundamentum, non sequi libertatem determinandi terminum; sed solum libertatem faciendi, quod terminus existat: itaut terminus verteretur laudi, vel vituperio, si aliunde esset prohibitus, aut præceptus. Hæc verò secunda libertas stare potest absque illa prima, ut patet in Deo induente corda multorum, facienteque proinde (citra omnem determinationem, & causalitatem per se, sed permisivè dumtaxat) quod detur peccatum. Et hoc secundum est, quod infertur ex eo, quod Deus determinet complexum ex scientia media inefficaciam, atque decreto collativo illius libertatis inefficacis. Primam rationem jam rescidi supra: terminum esse infallibiliter determinandum ab alio, probat sane libertatem determinativam fundamenti non esse immediatè determinativam termini; at non probat, non esse ulla tenus libertatem ad faciendum, ut ille alter determinet terminum in rerum natura. Tum quia eo ipso, quod libertas ad fundamentum ponat hoc, ille alter determinabit illicè terminum irresistibiliter: & eo ipso, quod non determinet, neque ponat fundamentum; ille alter non ponet terminum, ut supponitur. Sed libertas ad fundamentum causandum habet in suo arbitrio ponere, & non ponere, fundamentum: ergo habet etiam in suo arbitrio, quod ille alter determinet, vel non determinet terminum: quæ ratio explicanda est sicut supra. Tum etiam, quia omnis vera libertas ad faciendum id, in cuius sensu composito repugnat penitus, quod ille alter omittat terminum, est aliqua vera libertas ad faciendum, quod ille alter ponat terminum; sed omnis libertas ad ponendum fundamentum connexionis metaphysicæ est vera libertas ad faciendum id, in cuius sensu composito repugnat penitus, quod ille alter omittat terminum: nam est vera libertas ad ponendum prædictum fundamentum, & repugnat omnino, quod ad conspectum hujus omittatur terminus, quocum metaphysicè connectitur: ergo omnis vera libertas ad ponendum fundamentum est utique libertas in aliquo vero sensu ad faciendum, quod ille alter, ad quem spectat terminus, hunc profet.

rat. Et hoc est, in quod connitimus modò, nempe terminum, si non existat jam , quando adest plena libertas ad ponendum fundamen- tum, non esse *prositus inacquiribilem*, (ut dicitur esse prædeterminatio physica ) ab eo, qui liber est ad ponendum fundamentum: item fun- damentum , si non intelligatur jam impeditum , quando adest liber- tas ad impediendum terminum , non esse omnino , ac simpliciter *inimpedibile*, ( ut dicitur quoque prædeterminatio ) ab eo , qui liber est ad impediendum terminum .

186. Duæ ibi interjectæ sunt paritates, prima casus, in quo ter- minus connexionis intelligatur jam existens , quando datur libertas ad ponendum fundamentum . Sed aperta est disparitas: quoniam nil fit per illud, antecedenter ad quod jam est in rebus ; at terminus connexionis jam est in rebus antecedenter ad fundamentum , si est verum, quod, quando datur libertas ad ponendum hoc , supponatur jam existens ille terminus: ergo . Tum quia, si, quando datur libertas ad fundamentum , præsupponitur existens terminus connexionis, cùm illa libertas utpote indifferentia decur existente, ac non existente fundamento , vel potius *dabilis sit* ; sequitur , terminum esse dabi- lem, existat, necne fundamentum connexionis : ergo non pendet ab hoc ; ergo libertas ad hoc non est ad illum terminum . Neutra ex his duabus rationibus est applicabilis præmotioni ad silendum , v. g. quando homo est prædeterminatus ad loquendum, licet illa extitura foret , si homo sleret . Secunda paritas est prædefinitionis Christi Domini, aut pœnitentia ante prævisum peccatum , quæ prædefini- tio, nec virtualiter adhuc , est volicio peccati nondum præsuppositi, ut existentis , quia supponit scientiam infallibilem de eo , quod peccatum per arbitrium creatum determinabitur independenter omni- no à divina determinatione . Sed est disparitas : quoniam divina prædefinition , utpote exercitium voluntatis omnium prudentissimæ, præsupponit cognitionem conditionis, & naturæ objecti illius , in- quod fertur: ergo præsupponit cognitionem illius , quod est necessariū, ut tale objectum existat , & illius , quod non est necessarium. Sed ut existat absolute, & simpliciter in rebus, cum pœnitentia , cum Christus Dominus , ut Redemptor sanativus , non est necessarium , Deum velle adhuc virtualiter , & interpretativè peccatum ( de quo ubertius disputabimus mox ) ergo præfata prædefinition præsupponit in Deo claram , & evidentem notitiam dictantem , non esse necessariū velle ullo modo peccatum , ad hoc ut detur talis prædefinitionis objectum . Sed eo ipso , quod Deus pro priori ad prædefinitionem

nem hoc agnoscat, necesse non est, quod prædefinitione præcisè ut talis pœnitentia, vel redemptionis, sit ullatenus volitio peccati: quemadmodum si pro priori ad tuam volitionem alloquendi Regem, evidenter præcognoscas, non desiderari tuam aliam volitionem habendi equum; non est cur volitio illa sit ullatenus volitio habendi equū, aut te adigat in hanc volitionem: ergo necesse non est, divinam prædefinitionem esse ullatenus volitionem peccati.

187. Ceterum libertas determinativa fundamenti, cum non sit exercitium voluntatis, non regitur prævia ulla cognitione: ergo ratio, quæ impedit, prædefinitionem pœnitentia, vel redemptionis ante prævisum peccatum esse aliquatenus volitionem peccati, non impedit libertatem determinativam fundamenti esse aliquatenus libertatem ad faciendum, quod terminus existat. Imò exemplo isto illustratur nostra doctrina: tametsi enim ob disparitatem, quæ datur inter prædefinitionem, quæ actus est voluntatis, atque libertatem determinandi fundamentum, non omnis prædefinitione fundamenti connexionis metaphysicæ sit ullatenus prædefinitione termini; at vero libertas ipsa ad prædefinitionem est aliqua libertas ad faciendum, quod terminus existat: siquidem Deus, licet, prædefiniendo pœnitentiam, vel redemptionem ante peccatum, non habeat volitionem hujus, aliquomodo tamen facit (nempè permissivè permissione efficaci) *Ad Rom. 9 Exodi 4.* quod detur peccatum, ita ut verificetur, pendere simpliciter ab arbitrio divino, quod detur, vel non detur peccatum, juxta illud, *cujus vult miseretur, & quem vult indurabit.* Item: *ego indurabo cor ejus,* & non in alio sensu: ergo subsistit semper, libertatem ad ponendum fundamentum connexionis metaphysicæ esse in aliquo vero sensu libertatem ad faciendum, in star causæ permissivæ saltem, quod terminus nondum existens ponatur in rebus, sive per illum, qui fruatur libertate ad fundamentum, sive per alium, ita ut verificetur pendere ab arbitrio illius libertatis, quod existat hic terminus, & hunc non esse penitus inacquiribilem per eam libertatem. Aliud assequi potes discrimen ex illis, quæ postea dabimus: videlicet prædefinitionem pœnitentia, aut redemptionis ante prævisum absolutè peccatum, ita presupponere essentialiter scientiam medium de peccato sub libertate A v. g. ut simul, ac indivisibiliter per tendentiam virtualiter indistinctam, licet logicè priorem, purifiet conditionem, sub qua prævidetur peccatum, largiendo scilicet libertatem A. Habet ergo scientia ista media hanc tendentiam: *Si Petrus babuerit libertatem A, peccabit.* Prædefinitione autem hanc simplicem, & indi-

visi-

visibilem ; quamquam non nisi multis verbis à nobis proferibilem : Volo Petrum habere libertatem A, & quia cum ea peccabit , ut evidenter præcognosco , volo eum pænitere . Unde infert tria exercitia : nimislibet libertatem A, peccatum , & pænitentiam , quorum primum præcedit secundo , secundumque tertio . At verò , si Deus prædeterminaret voluntatem creatam ad primum hujus exercitium , excogitari nequeunt hujusmodi tria exercitia , quorum primum sit liberum voluntati creatæ ; secundum autem sit prædeterminationis infallibiliter extitura in signo posteriore ad tale exercitium , & tertium sit aliud quidpiam creaturæ liberum .

188. Ad rationem alteram scriptam num. 183. respondeo , istam libertatem ad obtinendum terminum connexionis , quæ dicitur *indirecta* , & à *posteriori* , mihi sufficere in præsentiarum . Tum quia jam habebimus , prædeterminationem non esse penitus *inacquiribilem* , & penitus *inimpedibilem* per arbitrium creatum , ut hactenus docebant Contrariorum , sed indirectè saltem acquiribilem , atque evitabilem . Tum quia , si semel conceditur , prædeterminationem esse indirectè saltem evitabilem per creaturam , deficit argumentum creaturæ contumacis , atque inconvertibilis per Deum ; quid enim refert , Deum posse unamquamque creaturam rationalem prædeterminare , si simul conceditur , creaturam illam posse indirectè saltem , & hoc , vel illo modo à se repellere prædeterminationem ? Repellat illud , licet indirectè , ut potest , convertetur ne tunc ? Quid habebimus tota connexione , qua munitur prædeterminationis ? Repugnat omnino hanc existere , quando creatura impedit illam : & si indirectè solidum , & à posteriori , ut dicitur illam impedit posse , quomodo ergo tunc flecteret Deus voluntatem , illam ? Alia ne prædeterminatione , quasi reflexa faciente , ne creatura impedit indirectè prædeterminationis directam ? Verum in hanc quasi reflexam consurgeret idem argumentum . Dicendum ergo , libertatem hanc ad impiendendum , & acquirendum indirectè prædeterminationem eidem subjici difficultati , cui libertas absolute , ac simpliciter impeditiva , determinativaque prædeterminationis . Tum quia omne passivè liberum creaturæ libertate sufficiente ad imputabilitatem est simpliciter , & absolute passivè liberum , & consequenter est verè , ac propriè ponibile , atque evitabile per creaturam ; sed omne passivè liberum creaturæ specie ista libertatis indirectæ , & à posteriori est passivè liberum libertate per se sufficiente ad imputabilitatem ( nimisrum si adsint ceteræ hujus constitutiva : ) ergo omne passivè liberum creaturæ specie ista liber-

libertatis indirectæ, atque à posteriori est illi absolutè, & simpli-  
citer passivè liberum, & consequenter est verè, ac propriè pon-  
ibile, atque evitabile per creaturam: ergo si prædeterminatio est  
creaturæ libera passivè specie ista libertatis indirectæ, & à posterio-  
ri, verè, ac propriè est ponibilis per creaturam, mediatè, aut  
immediatè, necnon impeditibilis. Probo minorem; quoties A v.g.  
idè est liberum creaturæ, quia hæc proximè potest facere ali-  
quid, quo existente infallibiliter existet A sine ulla potentia ad op-  
positum: & insuper potest facere aliud, quo existente infallibiliter de-  
ficiet A sine ulla potentia ad oppositum, A est passivè liberum liber-  
tate per se sufficiente ad imputabilitatem; nam si A fuisset tibi pro-  
hibitum, & tu faceres aliquid, quo existente infallibiliter existeret  
A cum potestate faciendi aliud, quo existente, infallibiliter non  
existeret A; hoc tibi imputaretur ad culpam: sic imputabitur tibi oc-  
ciso Joannis, si in ipsum contorseris jaculum, quia faceres rem, qua  
existente occiditur Joannes, cum plena potestate omittendi illam ja-  
culationem, qua omissione positæ non occidetur ille à te: sed quoties  
A est liberum creaturæ juxta solutionem istam ista specie libertatis  
indirectæ, & à posteriori, idè A est liberum creaturæ, quia hæc  
proximè potest facere aliquid, quo existente infallibiliter existet A,  
& quo deficiente infallibiliter deficiet ipsum A, quia hæc est libertas  
indirecta, de qua hactenus: ergo quoties A est liberum creaturæ, li-  
bertate ista indirecta, est etiam liberum libertate per se sufficiente  
ad imputabilitatem, si nimicum ad sint cætera ræquisita imputabili-  
tatis. Tum demum, quia, ut probavimus alibi, physica præde-  
terminatio est necessitas simpliciter antecedens, quapropter ca-  
rentia ipsius est unum è constitutivis libertatis: ergo nequit se ha-  
bere pro priori ad actum liberum: ergo potestas determinandi, atque  
impediendi hunc, non est determinandi, vel impediendi aliquod po-  
sterius prædeterminatione: ergo non est potestas determinativa, at-  
que impeditiva indirectè prædeterminationis in isto sensu.

### §. I I.

189. **S**ED objicies syllogismos quosdam, quorum præmissæ con-  
nectuntur metaphysicè cum consequente, quin libertas  
impeditiva hujus sit ulla tenus impeditiva alterutrius præmissarum.  
Sed priùs adverte. Si quando invenieris hoc Verbum, *Auxilium effi-*  
*cax, ne tibi in mentem veniat, velle me disputare, quod supernè pro-*  
*hibi.*

hibitum est disputari: scilicet intrinsecam, aut extrinsecam auxiliorum efficaciam. Sed supposito, quod unaquaque sententia permittitur docere hac super re, utor voce illa, supponendo, non disputando rem. Imò ne vel levi umbrā terreas, appono semper exemplum in actionibus liberis merè naturalibus, ad quas etiam libertatem indifferentiæ nobis Deus concessit, & quæ illam auxiliorum speciem non postulant. Igitur primus syllogismus est: *Vel non datur libertas, vel datur peccatum; sed libertas datur: ergo datur peccatum.* Qui sanè germanus est, quoniam ab omni disiunctiva vera, & exclusione unius membra neque conexi cum altero, neque terminantis connexionem alterius, arguitur ad existentiam illius alterius. Atqui voluntas creata potest impedire consequens objectivum; alías peccatum non esset peccatum: & ulterius neutram præmissam impedire potest. Probatur: non minorem, quia libertas A, v. g. nequit suo se exercitio perimere, ut modò supponitur. Non majorem, quia cùm illa sit veritas disiunctiva, ad ipsam impediendum opus est impedire ambo extrema, quibus constat; nam vel unum solummodò sufficit ad illius veritatem: at voluntas, tametsi possit unum illorum impedire, videlicet peccatum, nequit alterum, scilicet carentiam libertatis, cùm hæc non sit acquiribilis à creatura, quia solus Deus largitur nobis libertatem: ergo stat, dari libertatem ad impediendum terminum connexionis metaphysicæ absque libertate impidiendi fundamentum. Respondeo: vel sermo est de voluntate habente istam libertatem; vel de non habente? Si hoc secundum; nequit profectò impedire alterutram præmissam. Verùm neque consequens objectivum, ut constat: & minor syllogismi erit falsa: illà tamen devoratà, ut verà, consequens erit implicitorum, ut etiam constat. Si primum; potest illa impedire consequens, verùm maiorem quoque. Probatur: quotiescumque voluntas impedire potest unum extremum veritatis disiunctivæ, & supponitur jam impeditum alterum, potest absolute impedire veritatem disiunctivam (Impedito enim uno, impediti alterum, est formaliter impediti veritatem disiunctivæ: ergo, qui impedito uno, potest impedire alterum extremum, potest impedire veritatem disiunctivæ) at quoties voluntas fuerit libera ad peccandum, supponitur jam impeditum unum extremum illius disiunctivæ, scilicet, *vel non datur libertas:* deinde voluntas ipsa ex vi suæ libertatis, quam habere supponitur, potest impedire alterum, nimirum, *vel datur peccatum:* ergo quoties voluntas fuerit libera ad peccatum potest impedire veritatem illius di-

sua.

Suntivæ, non quidem absolutè, sed ex suppositione, quodlibet sit, quæ suppositio importat secum impeditionem unius extremi disjunctivæ. Similiter explicabis similem syllogismum copulativum, v. g. Non coexistent in Petro libertas ad loquendum, & locutio; sed loquitur: ergo non habet libertatem ad loquendum, qui syllogismus videtur legitimus, & ex eo potest elici idem, quod nuper; sed legitimus non est: quoniam ista minor, vel est libera Petro (& ecce jam est falsa major) vel non est libera; & sic quid mirum, quod nec consequens sit ipsi liberum.

190. Secundus est. Si datur libertas A, datur peccatum; sed non datur peccatum: ergo non datur libertas A. Ecce Deus potest impedire hoc consequens, largiendo nimis libertatem hanc, & non potest impedire majorem, quippe quæ est actus scientiæ mediae directæ, quæ non pendet ab arbitrio divino; neque minorem, quoniam omnis formalis, & immediata impeditio unius contradictorii est formalis, & immediata determinatio alterius; sed contradictorium illius minoris est existentia peccati: ergo impeditio illius minoris objectivæ est determinatio existentiæ peccati. Atqui Deus nequit determinare existentiam peccati: ergo neque impeditre illam minorem. Hoc syllogismo blanditur sibi Recentior quidam Primarius Complutensis, quasi clavam Herculis reperisset ad contundendum Scientiam medium, retorquendumque in Nostrates nostra argumenta. Sed minimis debuerat, P. Junium multò ante scripsisse eum syllogismum num. 5. & dissolvisse num. 17. ubi duas reponit solutiones, quarum secunda, nempe syllogismum præsumtum non concludere ex vi formalis, propter rationem ultimo loco dandam; sed non propter illam, quam scribit gravis hic Theologus, displicet: tum quia si concludit ex vi saltem materiæ, id sufficit contrariis Authoribus afferantibus solummodo dividere potestatem impeditivam termini connexionis metaphysicæ à potestate impeditiva fundamenti. Tum quia per te, eterna est hac consequentia: libertas C si existit, consentit: ergo si non Idem ibid. consentit, non existit: ergo hac forma juxta doctrinam istam semper cap. 5. n. 2. & abilibet concludit: ergo quamquam hypothesis objectiva propositionis conditionalis non sit universalis, sed singularis omnino, ut est hypothesis tuæ istius conditionalis; nihilominus per te infertur ex illa defectus hypothesis objectivæ sub defectu conditionati objectivi: ergo quamquam hypothesis sit omnino singularis, nihilominus ex conditionali vera, & negatione absoluta conditionati eternè sequitur per te negatio conditionis. Sed hoc est artificium praefati

sati syllogismi , cuius major est omnino singularis : ergo licet major hæc sit omnino singularis, nihilominus eternum est, juxta tuam do-  
ctrinam, fixum, atque inconcussum artificium ejus syllogismi. Prima,  
quam hic Author perhibet, solutio est legitima: Deus potest impe-  
dire veritatem illius minoris. Ad rationem adversam nego majorem;  
quoniam nulla pura permisso efficax rei est stricta determinatio il-  
lius ; at aliqua impeditio contradictorii peccati v. g. est pura per-  
missio efficax hujus, siquidem hujus permisso est aliqua impeditio  
sui contradictorii : ergo aliqua impeditio carentis peccati non est  
stricta determinatio existentis peccati. Si malueris dicito, Deum  
posse impedire permisive tantum illam minorem , non autem causa-  
tive per se : quia eo modo potest impedire illam minorem , quo po-  
test causare ipsius impeditio , nempe existentiam peccati : sed  
hanc solidum potest causare permisive , non vero tanquam causa per  
se : ergo solidum potest impedire permisive illam minorem . Unde  
præcisè concludes, non omnem libertatem causativam per se impedi-  
tionis termini esse eo ipso causativam per se impeditio fundamenti ,  
eo quod causalitas per se denotet inclinationem innatam ,  
vel elicitam , ut dixi num. 184. & fieri potest , quod detur libertas  
aliqua ad impediendum fundamentum absque omni inclinatione in  
talem impeditio , quemadmodum potest Deus impedire caren-  
tiam peccati Pharaonis indurando nimis hujus animum , quin  
ullam habeat inclinationem in hanc impeditio . At non conclu-  
des , dari posse libertatem impeditivam termini absque omni præfusa  
libertate impeditiva fundamenti : cum potius istud exemplum pro-  
bet , Deum potentem impedire superius consequens , posse quoque  
aliquo vero modo impedire fundamentum , vel partem fundamenti:  
& hoc mihi sufficit , videlicet voluntatem creatam posse impedi-  
re prædeterminationem in eodem sensu , in quo potest Deus impedire  
carentiam peccati . Præterquamquod non insurgit hic obstaculum  
impeditio per se , qua occurrit illuc ; nam creatura potest velle  
impeditio prædeterminationis , & Deus velle nequit impeditio  
carentis peccati : ergo licet Deus nequeat esse causa per se hujus  
impeditio ; libertas tamen creature potest conjungi cum libertate  
causativa per se illius impeditio prædeterminationis . Legitima  
solutio est , istum syllogismum non concludere absolute ; quoniam  
illa minor , Non datur peccatum , vel alludit ad libertatem illam es-  
dem , de qua procedit major , v. g. ad libertatem A. (& sic minor su-  
fficit major dicentem , quod , si datur libertas A. , dabitur pecca-  
tum ,

tum ab ea utique libertate , & per eam ) vel alludit ad aliam libertatem distinctam ; & sic major loquitur de una libertate , & minor de altera : ergo sunt præmissæ disparatae .

191. Tertius est . Si daretur scientia media de inefficacia libertatis A ad loquendum v. g. Deus non conferret ipsam ; sed ipsam confert ; ergo non datar scientia media de inefficacia hujus libertatis A : ex quo syllogismo duo erues arguments contra superiorem doctrinam . Primum , ambæ illæ præmissæ connectuntur metaphysicè cum veritate consequentis : repugnat enim hoc esse falsum , sive quod idem est , dari scientiam medium de inefficacia libertatis A , coniunctim cum duabus illis præmissis ; sed aliquis plenâ fungens libertate ad determinandum illas duas præmissas , caret libertate ad determinandum veritatem consequentis : ergo aliquis habens libertatem ad fundamentum connexionis metaphysicæ , nullam habet libertatem ad terminum . Probatur minor . Deus potest determinare majorem , nam quod posita in Deo scientia media de inefficacia conferatur , vel non conferatur libertas A ; pendet à solo Deo : & quidem illa major est actus quidam scientiæ mediæ reflexæ , omnis autem hujusmodi scientia media soli Deo est libera , quemadmodum scientia media directa soli creaturæ . Potest insuper Deus determinare minorem ; quoniam solus Deus pro suo libito concedit , vel negat hominibus libertatem : ergo Deus potest determinare ambas veritates præmissarum ; sed juxta principia Societatis , nequit determinare veritatem consequentis : nam juxta hæc à sola libertate creata constituta per gratiam Dei , quomodocumque catholico ille fuerit , dependet , quod detur , vel non detur scientia media directa de inefficacia libertatis ipsius ad loquendum : ergo Deus potens determinare ambarum veritatem præmissarum , nequit determinare veritatem consequentis . Vel aliter . Per nos omnis libertas determinativa fundamenti connexionis metaphysicæ est determinativa termini in aliquo vero sensu ; sed Deus habet libertatem determinativam illarum præmissarum , ut est ostensum , quæ metaphysicè connectuntur cum consequente : ergo Deus habet aliquam libertatem ad determinandum consequens . Sed consequens est parentia scientiæ mediæ directæ de efficacia libertatis A ad loquendum ; ergo Deus habet aliquam libertatem ad determinandum hanc scientiæ mediæ parentiam : ergo ad impediendum hanc scientiam medium : ergo hæc aliquatenus est libera Deo . Secundum argumentum ex eodem syllogismo derivatum est : libertas creata potest impedire veritatem illius consequentis , quoniam est

plena potestas determinandi scientiam medium de inefficacia libertatis A. naturalis ad loquendum ; at neutram præmissam impedit, potest : ergo non omnis libertas impeditiva termini connexionis metaphysicæ potest impeditre fundamentum. Probatur minor. In primis non valet impeditre majorem : cum quia libertas creata se habet respectu scientiæ mediæ reflexæ , sicut libertas divina respectu scientiæ mediæ directæ : ergo sicut libertas divina nullam veram libertatem habet ad impediendum , aut determinandum scientiam medium directam, sicut nec ad merendum , nec ad currendum , nec ad sexcenta alia, ad quæ si Deus haberet libertatem, esset imperfectus; ita libertas creata nullam habet libertatem ad impediendum , aut determinandum scientiam medium reflexam . Atqui major illius syllogismi est scientia media reflexa , ut constat : ergo . Tum quia veritas illius scientiæ mediæ reflexæ consistit unicè in eo , quod libertas divina constituta per scientiam medium de inefficacia libertatis A. creatæ ad loquendum, v.g. vel aliam purè physicam actionem, potius se exerceat per negationem, quam per collationem illius libertatis A. ergo ille solus potest impeditre hanc veritatem , qui potest facere , ut prædicta libertas divina potius se exerceat per collationem, quam per negationem illius creatæ libertatis . At solus Deus potest hoc facere, non autem libertas ipsa creata ; quemadmodum sola libertas creata, non verò divina potest facere , ut libertas ipsa creata plenè jam constituta potius se exerceat per unum exercitium; quam per aliud: ergo solus Deus potest impeditre illius majoris veritatem . Nequit pæcata creature impeditre minorem : quia hujus veritas consistit in eo, quod existat libertas ipsa creata ; sed hæc nequit sui ipsius existentiam impeditre : ergo creatura nequit impeditre illas præmissas, cum tamen evitare possit consequens ; ergo non omnis libertas ad impediendum terminum connexionis metaphysicæ est ad impediendum fundamentum. Vel aliter . Per nos omnis libertas impeditiva hujus termini est impeditiva fundamenti; sed creatura gaudet libertate impeditiva illius consequentis: ergo impeditiva quoque alterutius præmissæ ; sed hoc est absurdum , ob dicta : ergo .

### §. III.

P. Izq di- 192. **H**oc sophisma adeo torcit subtilem mentem mirabilis il-  
sp. 39. de- lius Theologi P. Antonii Perez , ut difficultati succum-  
Deo n. 86. bens, fareri non erubuerit, rem connexam simul, atque iniimpedi-  
bilem

bilem stare posse cum libertate semiplena, licet non cum plena: unde concludit, nequire veram esse majorem superioris syllogismi, salva libertatis creatæ integritate, quam consequitionem inquit illi exprobat P. Izquierdo. Cedit quoque oneri P. Aldrete, qui parum abest à negante scientiam illam medium reflexam, quæ est præmissa major præfati syllogismi. Alii putant libertatem A creatam pro causa sua existentia posse impedire scientiam illam medium reflexam, vel decretum conditionatum, ad quæ alludit illa major: Ita PP. Quiros, Izquierdo, & Ribad: Sed hi impugnandi sunt genuina illa ratio, quam numero superiore protulimus. P. Junius tribus pro positionibus armatus hebetare conatus objectionis robur. Prima est, scientiam medium reflexam affirmativam, v. g. *Si libertas A creata ubi supra esset efficax ad loquendum, ambulandum, & similia, existeret; esse à libertate A existente in rebus determinabilem indirectè, neutiquam vero quod impedibilem*, eo quod libertas A, supposito conditionato, nempe sua existentiâ, possit conditionem determinare; suam videlicet efficaciam: in quo consistit, quod indirectè determinet scientiam illa conditionatam. Cæterum non potest facere, ut existente illa conditione, deficiat conditionatum (in quo staret impedio indirecta) quia dum ipsa non est in rebus, nil potest facere. E converso autem libertas A potest indirectè impedire scientiam mediæ reflexam negativam, v. g. *Si libertas A esset inefficax, non existeret, quia deficiente conditionato, idest existente ipsa libertate A, potest hæc determinare conditionem, idest suam inefficaciam; attamen nequit ullatenus illam determinare, quia neque potest facere, ut data carentia sui ipsius, quæ est illud conditionatum, detur sua inefficacia, quæ est conditione: neque quod, data hac inefficacia, detur sua carentia.*

193. Venustus hic discursus mihi non probatur. Quia si libertas creata potest determinare indirectè scientiam reflexam affirmativam, sequitur, libertatem quoque divinam posse determinare indirectè scientiam mediæ directam. Probatur: ideo per te libertas creata determinare potest indirectè scientiam mediæ reflexam affirmativam, quia, posito illius conditionato, plenariè potest adjungere illius conditionem sed etiam libertas divina, posito conditione illius scientiæ mediæ directæ: *Si existit libertas A, existit consensus potest adjungere conditionem, nam potest conferre libertatem A, quæ est hypotesis objectiva illius scientiæ; imo Deus solus est qui producit, & conservat illam libertatem: ergo etiam Deus potest indirectè determinare scientiam mediæ directam. Quæ oportet.* Iste spe.

species libertatis determinativa indirecte solummodo hujus scientiae mediae, vel praestat, ut Deus vere, propriè atque simpliciter sit liber ad eam scientiam medium directam; vel non? Si primum: ergo scientia media directa vere, propriè, atque simpliciter est libera Deo. Quod unum praedicatum esse illius rescindit, nempe esse extra orbitam scientias libere. Si secundum: ergo similiter libertatem A. posse impedire indirecte praefatam scientiam medium reflexam, quæ est præmissa major superioris syllogismi, non praestat, libertatem A posse vere, propriè ac simpliciter impedire illam maiorem: deinde nequit vere ac simpliciter impedire minorem: ergo ad neutram præmissam habet libertatem vere, ac simpliciter talem. Sed libertatem habet vere, ac simpliciter talem ad consequens objectivum, quocum metaphysicè connectuntur illæ præmissæ: ergo stat libertas vere, ac simpliciter talis ad terminum connexionis absq; ulla libertate vere ac simpliciter tali ad fundamentum. En sartam, teclam Contrariorum maximam. 2. Quia inefficax videtur ratio, qua probatur, libertatem A non posse facere, ut deficiente illo conditionato (quod est ipsa libertas A.) detur illa conditio, nimirum scientia media de inefficacia illius libertatis A: cum quia licet hæc libertas existat physicè in rebus, attamen non existit physicè ab æterno, & tamen ab æterno determinavit scientiam medium sua efficacie, vel inefficacie, ut Nostratibus sanctum est: ergo tametsi hæc libertas non existat, potest nihilominus determinare scientiam medium: ergo potest facere, ut quando ipsa non existit, proindeque, quando deficit conditionatum scientiæ reflexæ affirmativæ, detur scientia media de sua efficacia. Sed hæc est conditio objectiva illius scientiæ reflexæ: ergo libertas A. facere potest, ut deficiente conditionato illius, detur illius conditio; sed hoc est per te indirecte impedire illam scientiam reflexam affirmativam. Tum à priori. Aliud est efficere, aliquid per influxum physicum, crassum, & strictè efficientem; aliud autem per influxum pure objectivum, & quidem non absolutum, sed conditionatum dumtaxat. Si libertas A faceret, quod daretur scientia media primo modo, illam determinare non posset, dum non existit in rebus, quia quod nos est, nihil agit physicè; ast non determinat primo illo vasto modo scientiam medium, sed secundo, præcisè quatenus si existeret, potius se exerceret per locutionem, quam per silentium: quia vellet. At libertas dum non existit, potest esse talis, ut si existeret, potius loqueretur, quam sileret. Quod probandum est invictis illis rationibus,

bis, quibus ferè omnes jam Theologi manus dederunt, agnoscenda  
tes in Deo scientiam conditionatam circa futura contingentia sub  
hypothesi nūquam extitura, quidquid modò sit an illa sit Deo libera:  
ergo libertas etiā quando non existit, potest determinare scienc:  
tiam medium; quia hoc non est facere *absolutus* quicquam, sed *fa:  
cilius* fore: quod coniunctum cum in fuita perspicacia, & perfe:  
ctione mentis divinæ de præsenti, & ab æterno existente infert, dari  
in Deo de præsenti, & ab æterno scientiam terminativè condi:  
tionatam.

194. Sed Respondebis primæ impugnacioni negando sequelam,  
& exhibendo hanc disparitatem. Libertas divina determinare nequit  
adhuc indirectè scientiam illam medium directam, tametsi libertas  
creata determinare possit indirectè scientiam medium reflexam:  
quia nihil potest determinare ad existendum illud, quod jam deter:  
minatum supponit, quamquam determinare possit illud, quod non  
supponit jam determinatum. Sed libertas divina ad concipiendum  
decretum collativum illius libertatis A., quando existit consensus,  
supponit jam determinatam scientiam medium directam, quoniam  
per illam constitutor, ut Nostrī probare solent: ergo ea libertas  
divina nec indirectè potest determinare scientiam illam medium.  
At verò libertas A creata non supponit determinatam præfatam  
scientiam medium reflexam affirmativam: ergo est disparitas: ergo  
neque ex eo, quod libertas divina determinare nequeat adhuc indir:  
ectè scientiam medium directam, sequitur, libertatem creatam ne:  
quire determinare indirectè scientiam medium reflexam; neque ex  
eo, quod libertas creata possit hanc determinare, sequitur libertatem  
divinam posse determinare illam adhuc indirectè. Sed contra Aliud  
est, prædictam libertatem divinam constitui aliqua scientia media  
directa, aliud constitui determinatè scientiæ mediæ de efficacia liber:  
tatis A creata. Illud est verum, quis pro priori ad collationem cu:  
jusque libertatis præcognoscere debet Deus effectum pure physicum  
& indifferente, sed liberum, nasciturum ex ea libertate, ne aliquid  
inopinato, & casualiter contingat ipsi. Hoc autem secundum non  
est universaliter verum, sed tunc solum, quando decretum collati:  
vum libertatis creata tendit intrinsecè efficaciter in hujus efficaciam,  
vel per reflexionem in illam v.g. *volo conferre banc libertatem, qui*  
*est efficax ad loquendum v.g. vel per modum prædefinitionis efficacis,*  
*si forte hujusmodi prædefinitione sit possibilis, ut volo conferre banc liber:*  
*tatem, & ipsam exerceri per locutionem.* Quando autem decretum non

con-

connectitur ex vi sue tendentiaz cum efficacia libertatis collatæ; neque prærequisit determinatè Scientiam medium efficaciaz, neque determinatè Scientiam inefficaciaz, sed utralibet contentum est: ergo tunc divina libertas ad ipsum non constituitur determinatè per Scientiam medium efficaciaz: ergo tunc non supponit hanc determinatè existentem: ergo tunc potest hanc indirectè determinare juxta principia contraria: Neque dicas hanc individuam libertatem divinam constitui determinatè per Scientiam medium nunc existentem, quidquid sit de ea libertate quoad speciem. Cumque Scientia media existens quando conjungitur cum locutione libertatis A. creatæ, sit de efficacia libertatis A. idcirco haec numero, & individua libertas conferendi, atque conservandi libertatem A. quando existit hujus locutio, constituitur determinatè per Scientiam medium de efficacia. Id cave ne dixeris; nam cum libertas divina ad conferendum libertatem A. creatam per decretum indifferens, eadem sit pro casu locutionis, quæ pro casu silentii (ambo quippè sunt adæquate extrinseca divina libertati, & consequenter illam variare non valent) si pro casu dissensus non constituitur: determinatè per Scientiam medium efficaciaz, neque constituitur per illam determinatè pro casu consensus: accidentales enim sunt illi libertati divinæ ii casus. Quamobrem, quando decretum collativum libertatis creatæ est indifferens ad utrumlibet hujus exercitium, libertas divina ad tale decretum se habet respectu actuum Scientiæ medie, sicut veritas disiunctivæ objectivæ vagans inter duo. Eget quidem aliquo illorum, sed neutrò determinatè.

## §. I V.

*Idem ibid. num. 9.* **S**'Ecunda propositio, qua prædictus Author irruit in prædicione sophistica est: Scientiam medium reflexam non posse exprimere purè suspensivè, ac hypotheticè Scientiam Medium direxnam existentem absolutè, quocirca si major præmissa illius parallelogrami sit Scientia media reflexa hujuscemodi, est impossibilis. Assumptum probat i. licet Deus cognoscat conditionatè objectum, quando hoc est cognoscibile conditionatè priusquam absolutè eo, quia notitia conditionata illius sit prior, & independens ab absoluta: atque ob hanc causam prius cognoscat Deus conditionate libertatem creatam per Scientiam medium, quam absolutè per Scientiam Visionis, cum id generis notitia. *Si existaret libertas A. consentires sit prior, ac in.*

independens respectu hujus : *Existit libertas A;* attamen quando objectum non est cognoscibile conditionatè priusquam absolutè, tunc nequit Deus cognoscere illud per tendentiam purè conditionatam. At Scientia media directa absolutè existens non est cognoscibilis conditionatè priusquam absolutè : ergo Scientia media reflexa nequit exprimere purè suspensivè Scientiam medium directam absolutè existentem. Sed neque conditionatè simul, & absolutè, alias haberet hunc modum tendendi parùm decorum Deo : *Si existeret bæc Scientia media directa, quam video existentem, producerem libertatem A:* ergo nullo modo potest Scientia media reflexa attingere conditionatè Scientiam medium directam jam existentem. Probat minorem: omnes possibilitates rerum contingentium sunt in eodem signo copulativo, quatenus nulla est prior, quam altera; atque idcirco, simplex intelligentia, qua Deus agnoscit, A esse possibile, non est prior, quam simplex intelligentia, qua agnoscit, B esse possibile; sed amba sunt in eodem signo. Atqui etiam veritates omnes conditionatae liberas sunt in eodem signo copulativo, quin una ex illis prior sit, quam altera: ergo etiam Scientiæ, quibus Deus agnoscit has veritates, sunt in eodem signo, quin unæ sint priores alteris. Sed per Scientiam medium reflexam cognoscit Deus veritates conditionatas spectantes ad libertatem Divinam, & per directam spectantes ad libertatem creatam: ergo ambæ Scientiæ sunt in eodem signo: ergo in eodem signo, in quo Scientia media directa est cognoscibilis conditionatè per reflexam, est cognoscibilis quoque absolutè, cum in eo signo absolutè existat: ergo directa non est cognoscibilis per reflexam priùs conditionatè, quam absolutè, tametsi agnoscibilis sit conditionatè per Scientiam necessariam, quia hæc non est in eodem, in quo illa, sed in priori.

196. Probat jam majorem primam. Tum quia imperfectio est priùs cognoscere objectum apprehensivè, vagè, atque probabiliter, quando illud primò cognosci potest judicativè, determinatè, atque evidenter; illud namque esset non assequi totam præsentem objecti cognoscibilitatem: ergo imperfectio quoque est agnoscere purè suspensivè, ac hypotheticè objectum, quod primò cognosci potest absoluè: ergo tunc solùm Deus agnoscit suspensivè objectum, quando notitia conditionata hujus est prior, ac independens, quam absoluta. Tum quia ideo Deus nequit agnoscere conditionatè, aut disiunctivè esse Omnipotentem, omniscium &c. quia quamprimum, & in primo signo, in quo potest cognoscere se fungi his attributis necessariis,

riis, potest etiam illa cognoscere per Scientiam absolutam, & determinatam: & solum potest Deus habere Scientiam terminativè conditionatam, vel disiunctivam circa aliquod objectum, quando potest absolute, & simpliciter cognoscere illud conditionatè, vel disiunctivè, quin ipsum absolute, ac determinatè videat; alioquin cadere posset in mentem Divinam frivola hæc tendentia; *Ego, qui sum Omnipotens, sum Omnipotens, vel non Omnipotens, vel hæc, si eßem omniscius, qualis sum, absolute nihil meam fugeret mentem.* At etiam quantum primum, & in primo signo, in quo Scientia media directa est representabilis per reflexam, est representabilis absolute, quippe reflexa non est prior, quam Scientia absolute exprimens directam; sed ambo sunt in eodem signo: ergo reflexa nequit representare suspensivè tantum directam actù absolute existentem. Tum quia si directa suspenderetur in hypothesi reflexæ, hæc quoque suspendi posset in hypothesi aliis secundò reflexæ, & hæc rursus in hypothesi aliis tertiò reflexæ, & sic abiremus in infinitum. Et ratio à priori hujus assumpti esse potest. Nulla Scientia Divina potest exprimere purè suspensivè, nisi illud objectum, quod, vel non existit absolute in rebus, vel est posterior ipsa Scientiæ, ut est libertas creata respectu Scientiæ medie directæ: atqui hæc & existit, ut probamus, & non est posterior respectu Scientiæ mediæ reflexæ: ergo hæc nequit attingere purè suspensivè Scientiam medium directam existentem.

197. Dispicet hæc doctrina 1. quia licet undequaque esset vera, sophismatis difficultatem non temperat. Do tibi Scientiam medium reflexam non posse attingere purè hypotheticè Scientiam medium directam existentem, propterea quod perfectioni divinae repugnet ejusmodi cognitione; ast cur repugnat creaturæ? Pone ergo utramque hujus syllogismi præmissam esse actum verum intellectus humani: *Si libertas A est inefficax, non existeret; sed existit: ergo non est inefficax:* Ecce præmissas possibles, & veras, quarum similitas connectitur metaphysicè cum consequenti: Ecce Deus potest utramque determinare, & non potest determinare consequens: Ecce item potest libertas A creata impedire consequens, quin alterutram præmissam evitare queat: ergo admissa tota ista doctrinæ, stat adhuc sophisma. 2. Quia falsum est, Scientiam medium reflexam nequire exprimere directam purè conditionatè, & necessariò expressuram illam absolute: quod ex ipsis principiis sic elicio. Omnis Scientia virtualiter distincta à directa, & quæ est in eodem prorsus signo, in quo est ipsa directa, est impotens illam attingere absolute. At Scientia

cia media reflexa est hujusmodi: ergo impotens est attingere illam absoluē. Probo maiorem: omnis Scientia virtualiter distincta à directa, & impotens existere in signo posteriore objectivè ad directam, impotens est exprimere absoluē directam; sed omnis Scientia sic distincta, & quæ est in eodem signo, in quo directa, est sic distincta, & impotens existere in signo objectivè posteriore ad directam; quoniam si esset objectivè posterior jam non esset in eodem signo collectivo, quemadmodum dici nequit, Scientiam visionis objecti contingentis esse in eodem collectivo signo cum suo objecto, ea sola ratione, quia illa est objectivè posterior ad hoc, itaut hoc sit ratio à priori determinativa illius: ergo Major est certa: nam omnis Scientia virtualiter distincta à directa, & hanc exprimens absoluē, est in signo objectivè posteriore ad directam, sicut quælibet Scientia visionis est in signo posteriore ad objectum, cuius est visio, & à quo virtualiter distinguitur: ergo omnis Scientia distincta à directa, & impotens existere in signo objectivè posteriore ad hanc, est impotens exprimere hanc absoluē. Dixi semper, *virtualiter distincta*, propter illos, qui docent, actus divinos esse visionem sui ipsorum, in qua suppositione visio absoluta actus divini non est in signo posteriore ad talem actum.

198. Displacet 3. quia una veritas conditionata libera potest esse prior altera: ergo quamquam omnes possibilitates rerum contingentium sint in eodem signo copulativo, eo quod nulla possilitas sit ratio impulsiva ad possilitatem alteram; hinc non sequitur omnes veritates conditionatas liberas esse etiam in eodem signo: ergo firma non est basis, qua fulcitur impossibilitas scientiæ mediæ reflexæ attingentis purè suspensivè directam. Probo antecedens. Omnes motivum verè impellens ad aliud, itaut voluntas hoc aliud amplectens redderet illud pro ratione, si rationem rogaretur, est in aliquo vero sensu prius, quam hoc aliud. Sed fieri potest, ut una veritas conditionata sit motivum verè impellens ad alteram, itaut voluntas hanc alteram amplectens, redderet illam pro ratione. Sic Christus Dominus objecit Judæis pœnitentiam conditionatam Sydoniorum, ut illi visis, quæ patrabat, miraculis etiam cœsiperent: illa pœnitentia conditionata Sydoniorum erat motivum impellens Judæos ad hoc, ut sub eadem hypothesi miraculorum Christi, agerent pœnitentiam; sed illa pœnitentia conditionata erat una veritas conditionata libera, & pœnitentia Judæorum potuit esse alia veritas conditionata sub conditione miraculorum Christi Domini; quoniam

potuit simpliciter esse vera hæc propositio. *Judei agerent penitentiam visis miraculis Christi, si scirent, quod Gentiles agerent penitentiam casu, quo viderent illa miracula; ergo una veritas conditionata libera potest esse motivum veræ, ac propriè impellens ad aliam veritatem conditionatam liberam.* Sic infausus eventus conditionatus sub consilio A. v. g. solet movere Deum ad negandum tale consilium (quis enim persuadebit, fore ut Deus largiretur Deiparæ illud ultimum consilium, quod ipsi contulit, si prævidisset illam graviter lapuram cum eo consilio?) ergo hæc veritas conditionata. *Si consilium A. existeret, daretar peccatum, movet ad hanc: Si Deus haberet hoc præscientiam, non conserret consilium A.* Sic Petrus sciens per revelationem, Joannem futurum sibi propitium, si occasiones nactus fuisset, quas ipse Petrus; potest hinc moveri efficaciter, ut proprius sit Joanni, itaut rationem rogatus, hanc redderet; *quaia eodem modo se gereret Joannes mecum, si occasionem affectus fuisset, quam habeo.* Sic demum Ascetici Theologi discipulorum tempore excitate solent monitis quibusdam conditionatis: *Si Deus aliud donaret beneficiis, quibus te cunctularis, perfectius adimpleres ille manus suum:* ergo quia ejusmodi veritates conditionatae objectivæ pares sunt alli-ciendo voluntatem, ut *sub simili libertate similes concipiatur determinaciones, eas non conceptura, deficientibus illis prioribus veritatibus: ergo unæ veritates conditionatae possunt esse priores aliis etiam purè conditionatis.*

## §. V.

199. **R**espondebis 1. Te non negare prioritatem id generis, sed solius dependentiæ non mutuæ. Sed contra 1. quia si semel conceditur aliqua prioritas inter præfatas veritates conditionatas, non est cur tam constanter asseveretur, illas omnes esse in eodem signo collectivo, sicut sunt omnes possibilitates rerum contingentium: ergo non est cur scientiæ divinæ illarum sint in eodem omnino signo: ergo non est cur in eodem signo, in quo scientia media reflexa exprimit directam, quæ existit, exprimat illam absolute: ergo potest illam exprimere conditionatè. Contra 2. quia etiam possunt unæ veritates conditionatae esse priores aliis prioritate independentiæ. *Idem scilicet non mutuæ.* Sic fieri potest (ut Author hic cum multis aliis defen-  
11. cap. 1. dit) ut Deus minimè largiretur auxilium, nisi prævideret illud con-  
ditionatè efficax (in quocumque consistat hæc efficacia) & tamen, quod

quod hoc sit conditionatè efficax , sive Deus daturus esset illud dependenter ab efficacia, sive independenter ; ergo fieri potest , ut decretum conditionatum sub hypothesi efficacis dependeat à consensu salutari sub hypothesi auxilii , & hic consensus sub hac hypothesi non dependeat à decreto illo sub hypothesi efficaciæ : ergo inter has duas determinationes conditionatas liberas datur prioritas etiam dependentiæ non mutua . Respondebis 2. Prioritatem non esse hic inter unam , & alteram veritatem conditionatam , sed inter cognitionem absolutè existentem unius veritatis conditionatæ , & alteram veritatem conditionatam quoque . Sed contra 1. Omne, quod ut tale , atque ut distinctum , licet non ut divisum à sua cognitione , moveat ad aliud, ut tale, est prius illo alio : sed illæ veritates conditionatae , quarum nuper meminimus, ut tales , atque ut distinctæ , licet non ut divisæ à suis cognitionibus movent ad illas alteras ; sicut bonitas objectiva, ut distincta à sua cognitione , est , quæ movet ad amorem , licet ad movendum indigua sit conditione ; & malitia objectiva est , quæ movet ad odium : & finis objectivus est , qui movet ad sui cupiditatem ; cognitiones autem non movent , pressè loquendo , sed sunt applicationes intentionales moventium : unde sicut applicatio physica ignis non est , quæ comburit , nec quæ producit alium ignem ( alias accidens produceret substantiam ) ita applicatio intentionalis non est , quæ movet actus voluntatis : ergo una veritas conditionata objectiva , ut distincta à sua cognitione , licet non ut independens ab illa est prior , quam alia . Contra 2. Per te cognitio unius veritatis conditionalis est prior altera , sed illa veritas conditionalis est prior cognitione sui ipsius , quippe ideo à priori Deus agnoscit illam , quia illa est , aut esset ; non è contra : ergo illa una veritas conditionalis aliquo modo est prior hac altera : ergo immunitò statuitur universaliter , omnes hujuscemodi veritates conditionatas esse in eodem proflus signo .

200. Hinc argumentum contrarium trifariam solves . Primo. Si permittas illud totum : neges verò utilitatem ad rem presentem , ob dicta num. 197. Secundo. Si neges omnes omnino veritates conditionatas liberas esse in eodem indiscriminatim signo propter ea , quæ scripsimus num. 198. Tertio. Si respondeas , Deum tantum posse cognoscere conditionatè illa , que non sunt absolutè , vel sunt in signo posteriore ad talem cognitionem , vel non sunt in signo priore ad ipsum , à qua virtualiter distinguatur . Nam cum objectum absolute visionis sit in signo priore ad hanc , quando ab hac distinguitur virtualiter;

con-

consequens est scientiam nequeuntem esse in signo posteriori ad objectum, à quo distinguitur virtualiter, nequire esse visionem absolutam, atque determinatam illius, quocirca si in illud fertur, fertur solum conditionatè, aut disjunctivè; at quamvis existat scientia media directa, & non sit in signo posteriori ad reflexam, attamen non est in signo priore: ergo quantum existat, & non in signo posteriori, attamen non exprimitur absolute per scientiam medium reflexam. Ad processum illuin infinitum, nego sequelam; quoniam solum potest esse objectiva hypothesis scientiae medie illud, quod fuerit libertas activa; vel hujus constitutivum: ergo quod neque est libertas, neque libertatis constitutivum, non potest esse objectiva hypothesis scientiae medie. At licet ipsa scientia media directa sit constitutivum quoddam divinæ libertatis, scientia reflexa nullius libertatis est constitutivum; ergo licet scientia media directa possit esse objectiva hypothesis aliis scientiæ mediæ, quæ idcirco vocatur reflexa; hæc tamen esse nequit hypothesis objectiva aliis scientiæ mediæ: ergo in scientia primo reflexa sicut progressus: ergo non abit in infinitum. Prætereo tertiam Authoris ejusdem propositionem; tunc ne prolixior sim; cum quia ibi dumtaxat docet divini cuiusdam impossibilitatem decreti: quod licet revera impossibile sit, superiori non officit argumento.

*Idem ibi-*  
*dem cap. 7.*  
*n. 12.*

201. Refragor non minus Doctoribus illis, qui ajebant, libertatem A creatam posse pro casu existentiam suæ evitare majorem illius syllogismi. Tum quia, ut sæpe inculcavi, libertas creata se habet ad scientiam medium reflexam (illam nimurum, cuius objectiva hypothesis est libertas divina constituta per scientiam medium directam, & cuius objectivum conditionatum est aliquod exercitium suæ positivum, sive negativum Deo immediate liberum) sicut libertas divina ad directam. At libertas divina pro nullo casu possibili potest in sensu proprio, & stricto impedire, aut determinare scientiam medium directam; alias hæc non foret scientia media, sed Deo simpliciter libera: ergo libertas A creata ita se habet respectu scientiæ mediae reflexæ, ut in nullo casu possibili, illam determinare strictè, aut strictè impedire queat. Sed major illius syllogismi est actus quidam scientiæ mediæ reflexæ, ut patet: ergo libertas creata in nullo casu possibili potest determinare, aut impedire propriè, ac strictè veritatem illius majoris. Tum quia eadem absurdum, quæ agmine uno eliciunt Nostrates ex eo, quod Deus in aliquo sensu vero, & proprio determinaret, vel impediret scientiam medium directam, eliciuntur

ciuntur ex eo, quod libertas creata, verè, ac propriè determinaret, vel impedit scientiam medium reflexam. Profectò, si directam nequit Deus propriè determinare, vel impedit, nisi adjungendo libertati creatæ, quæ fuerit hypothesis illius, aliquid connexum, & inevitabile ab hac libertate, vel prærequisitum, & inacquiribile, & consequenter, nisi perimendo eamdem libertatem, quam gratiōsē largitur: ita libertas creata non posset determinare, aut impedit verè, ac propriè scientiam medium reflexam; nisi astigendo hypothesis objectivæ illius, quæ est libertas divina, aliquid copularivè conexum, atque inevitabile, & consequenter, nisi libertatis jura divinæ infringendo. Absit, ut libertati præspiciamus creatæ, divinæ immemores. Tum quia omnis modus, quo libertas creata impedit, aut determinare potest scientiam medium reflexam, vel est directus, vel indirectus. Hunc jam refutavimus num. 193. Ille consideret in eo, quod libertas creata posset facere, ut libertas ea divina, quæ fuerit hypothesis scientiæ mediæ reflexæ, pro casu existentiæ suæ eligat potius unum exercitium, quam alterum; sed libertas creata in nullo vero sensu potest facere, quod libertas illa divina individua pro casu existentiæ suæ eligat potius unum, quam alterum: quandoquidem illa pro illo casu est libertas sui juris, subindeoque potens se vertere ad id, quod maluerit, independenter ab aliena prædeterminatione, vel condeterminatione; ergo libertas creata determinare nequit, aut impedit directè scientiam medium reflexam. Et ratio a priori est. Omnis modus faciendi, ut libertas divina pro casu existentiæ suæ potius prodeat in unum exercitium, quam in aliud, est vel determinando formaliter, & immediatè tale exercitium (& hoc manifestè repugnat libertati creatæ impotenti abs dubio exercere se formaliter, ac immediatè per exercitia Deo immediatè libera, vel determinando aliquid intimè connexum cum exercitio illo, & incurabile per arbitrium divinum (si enim connexum non sit, potest Deus adhuc illo posito, suspendere suum exercitium, ad quod determinari diceretur: item si evitabile fuerit, poterit divina libertas ab illo se se explicare, & consequenter non eligere illud extremum, ad quod determinabatur) sed hoc etiam repugnat Creaturæ, quæ per se incapax est, ut Deo subcripat libertatem admovendo illi ullam necessitatem simpliciter antecedentem, quale esset omne connexum metaphysicè cum uno determinatè extremo, & simpliciter inevitabile per libertatem ad illud extremum: ergo omnis modus faciendi, ut libertas divina plenè, ad qua-

quatèque existens, potius le exerceat uno, quam altero exercitio, repugnat Creaturæ. Et hæc eadem ratio, mutatis mutandis, probat, Deum non posse determinare, aut impedire, presè loquendo, scientiam medium directam.

## CAPUT XII.

*Solvitur præcedens Sophisma, & adduntur alia.*

202.



D argumentū respondeo, Syllogismum illū toties incautos decipientem scriptum nūm. 191. fallacem esse. Etenim veritas istius minoris, Deus conserf libertatem A; aut determinatur per libertatem divinam constitutam scientiā mediā de ineffacia; aut per libertatem divinam constitutam scientiā mediā de efficacia libertatis A ad loquendum v. g. (altera namque ex his duabus prælucere debet decreto divino collativo libertatis A, ne quid improvsum, ac de repente contingat Deo: subindeque altera ex illis debet constituere divinam libertatem ad concipiendum decretum collativum præfatae libertatis A.) Si primum; deficit veritas majoris: ergo deficit similitas veritatis præmissarum: ergo structura corruit Syllogismi, cùm veritas consequentis, ut talis, similitudine præmissarum veritati insistat. Probo primam consequentiam: quoties hæc duo conjungantur, Libertas divina constituta per scientiam mediā de ineffacia, & collatio libertatis A creatæ; deficit veritas illius majoris (hæc enim pronunciat fore, ut, si habeat Deus hanc scientiam medium de ineffacia libertatis A, ipsam non conserfet: ergo si præsciens Deus ineffaciā hujus libertatis, hanc nihilominus conserf, procul dubio est falsa illa major, subindeque exulat illius veritas) At quoties largiatur Deus præfata libertatem A per libertatem constitutam Scientiā mediā de ineffacia illius, conjunguntur ea duo, ut patet: ergo quoties largiatur Deus libertatem A per libertatem constitutam Scientiā mediā de ineffacia illius, deficit veritas illius majoris: ergo si veritas minoris determinetur per hujusmodi libertatem, corruit majoris veritas. Sin propterea secundū elegeris, nimirum illius minoris veritatem determinari non quidem per libertatem divinam constitutam Scientiā mediā de ineffacia illius; sed per aliam: veræ possunt esse præmissæ ambo, sed imparēs erunt inferendo consequens: ergo vel præmissæ non sunt simul

*Simul vero, vel consequens non infertur ex ipsis, & utrolibet modo Syllogismi fallacia collabitur.*

203. Probo sequelam primam. Tum quia si veritas illius minoris, nempe collatio libertatis A. creatæ determinatur per libertatem divinam aliam ab ea, de qua fit mentio in majore Syllogismi, ille erit sicut hic. *Si datur libertas A in Petro, non datur consensus loquendi: sed datur consensus bic per libertatem B: ergo non datur libertas A,* qui ut vides frivolus est: ergo ut Syllogismus ille sophisticus legitimus esset, desiderabatur veritatem minoris determinari per libertatem eandem divinam, de qua fit mentio in majore, quo circa desiderabatur, majorem esse falsam. Tum quia, ut ex veritate conditionali rectè arguatur negatio conditionis, opus est minorem subjunctam illi veritati esse oppositum, seu negationem conditionati illius ejusdem. Atqui conditionatum implicitum, vel explicitum illius veritatis conditionatæ, quæ assumitur pro majore, scilicet: *Si Deus haberet libertatem constitutam per scientiam mediæ de inefficacia libertatis A creata, illam non conferret* (ad hunc enim sensum debet revocari illa propositio) non est quævis non collatio libertatis A; sed non collatio oritura determinatè ab ea divina libertate, quæ est hypothesis objectiva: quemadmodum objectivum conditionatum hujus scientiæ mediæ directæ; *Si daretur libertas A, daretur locutio,* non est locutio nascitura à libertate alia disparata, sed illa, quam determinatè ponit libertas A; reddit quippe hunc sensum: si daretur libertas A, ipsa biæ libertas A consentiret in locutionem: ergo, ut ex veritate illa conditionata arguatur defectus conditionis, opus est, minorem illi adjunctam esse collationem libertatis A determinatè nascituram ab ea libertate divina constituta per scientiam medianam de inefficacia libertatis A: ergo opus est, veritatem præfatae minoris determinari per hujusmodi libertatem divinam: ergo si per hanc non determinetur, male colligitur in consequente negatio libertatis hujus divinæ, quæ est objectiva hypothesis illius veritatis conditionalis: ergo vel consequio istius Syllogismi est mala, vel præmissæ non sunt simul vera: ergo duo ista argumenta hujus Syllogismi fallacie rectitudine suffulta in terram decidunt. In hujusmodi autem explicationem non irrvunt redargutiones P. Junii.

204. Hinc i. Ex conditionali vera, & negatione conditionati, tunc solum arguitur negatio conditionis, quando negatur conditionatum, prout affirmabatur in conditionali propositione. Nam si aliter; negetur, contingere propositionem conditionalem, & negatio-

M m m

nem

P Janus  
de prov.  
scit. II. c. 9

nem conditionatis esse duas disparatas propositiones vel concludentes, ut vidisti in Syllogismo illo, quem nuper reposuimus. 2. Propositionis conditionalis inversa correspondens predictae veritati conditionali directa, quae est Scientia media reflexa, est hec. Si libertas divina constituta per Scientiam medianam directam de inefficacia libertatis A ad solutionem loquendi, hanc conferret (en oppositum conditionato alterius directa) ea libertas divina non existet; (en oppositum conditionis) Ceterum Scientia illa media reflexa non connectitur cum veritate, bujus inversa. Tum quia, ut per se patet, veritas hujus inversa est omnino impossibilis, et que implicans in terminis; & nihil possibile connectitur cum impossibili. Tum quia, licet omne metaphysicè connexum cum eo, quodd dato A, datur B, sit metaphysicè connexum cum eo, quodd deficiente B, deficiat A, quando ipsum deficeretur B non est formaliter, aut illativè deficeret ejusmodi fundamentum connexionis conditionatae; at vero quando deficeret rem B sit formaliter, aut illativè deficeret fundamentum ictus connexionis conditionatae, tunc fundamentum hoc non connectitur cum eo, quod deficiente B, deficiat A. Sic veritas hec, si datur libertas A datur consensus (intellige semper in his omnibus libertates naturales ad actiones liberas naturales, intellecturus eodem respectivè modo libertatem ad res altiores, quas madd non disputo) non connectitur cum eo, quod, si deficiente, & simul consensu, deficiat libertas A. Et ratio est, quia si deficiente conditionato objective, deficit fundamentum connexionis conditionatae, propterea quod defectus illius sit formaliter, aut illativè defectus bujus, nihil sua interest, quod tunc deficiat, vel non deficiat conditio objectiva: & sic intelligenda est doctrina illa, quam num. 57. dedimus. At hypothesis assumpta per tu peram propositionem inversam (qua hypothesis est oppositum conditionis prioris) importat secum formaliter, vel illativè defectum prioris veritatis conditionalis reflexæ: ergo haec non connectitur cum hac inversa. Probo minorem: Hypothesis dicta propositionis inversæ est conjunctio illius libertatis divinae, & collationis libertatis A cœreat, ut eam insipienti patebit; sed haec conjunctio importat secum defectum prioris veritatis conditionalis reflexæ, quæ consistit in eo, quod Deus non conseruat libertatem A pro casu, quo haberet libertatem constitutam Scientiam mediæ de illius inefficacia: ergo hypothesis propositionis inversæ importat secum defectum prioris veritatis conditionalis reflexæ: ergo haec non connectitur cum illa inversa.

...

§. II.

## §. II.

205. **H**inc 3. hulla Scientia media , sive directa , hoc est ad libertatem creatam spectans : sive reflexa , hoc est spectans ad libertatem divinam connectitur cum scientia inversa , quæ apprehendi potest , ut correspondens illi , hoc est cum Scientia assumente pro hypothesi contradictorium conditionati , & pro conditionato contradictionum conditionis . Unde non semper valet : Si datur A , datur B: ergo si non datur B , non datur A. Quod ut bene tenes , memento , Scientiam medianam esse notitiam quandam divinam habentem modum tendendi conditionalem enunciacionem futurum aliquod librum sub sola hypothesi libertatis individus totius completar , independentemque ab omni decreto divino subjectivè absoluto , & terminativè conditionato . Primus Scholasticorum , qui Præscientiam hanc conditionatam infallibilem Scholasticos edocuit , fuit P. Doctor Ludovicus Molina , ut testatur M. Albiz Augustinianus primarius quondam Complutensis . Perterriti aliqui exacuerunt illico calamos adversus infallibilem conditionatam Præscientiam : ajentes uni , Deum non agnoscere prædicta futura ; alii vero , Deum nosse quidem illa , sed conjecturali notitia , ut testes sunt ipse Albiz Sectione prima , & Augustinianus alter M. Guevara Salmanticensis Doctor , necnon M. Mendoza , qui strenuè pugnans pro Scientia media Guevaram Præceptorem suum ad finem questionis introducit . Verum cum Schola Societatis rem hanc disputaret non vocularum indigesta multitudine ( occultandæ solidum veritati subservientium ) sed juxta sacri Cognitio- nis lydium lapidem , ea depropmpsit Scripturarum testimonia , quibus sine contumacia labore collectari non posse Adversarii illi catholice veriti sunt . Resilierunt igitur à prima illa opinione , ut viros prios decuit , atque in partem hanc Castrorum Societatis concesserunt , ut meritò scribere potuerit M. Albiz sectione illa prima . Tertia , sit , nosse illa certò . & evidenter ; ita Molina , cui innumeri subscribant . Imò nullus est , qui non assentiatur , nimirum quoad Scientiam infallibilem conditionatam , licet Thomistæ omnes negent , illam esse Scientiam medium . Et nobilis quidam Thomista Complutensis super Primarius fateri non erubuerit pro Scientia Divina conditionata , omnes , aut serè omnes Theologos citari posse . Quod sufficere videtur P. Molinæ .

206. Restat alterum Scientie media attributum , nimirum inde-

M. Albiz  
disput. 7.  
scđ. 1. &  
ultima .

M. Mendo-  
za quod-  
lib. qu. 7.  
Scholasti-  
ca per tot.

DotorCa-  
stell. 2. par.  
quest. 2.

per deitatem ab omni decreto divino subjectivè absoluto, & objectivè conditionato. Eam negant PP. Dominicani, sed illam suadent Jesuitæ fortibus illis rationibus, quibus l'oppositiones omnes metaphysicè connexas cum uno determinatè extremè libertatis, & omnino ineluctabiles per arbitrium creatum, item simpliciter prærequisitas, & prorsus inacquisibiles, necnon prædeterminationem ad illud, quod vocatur materiale peccati, & re ipsa esse videtur formale, formaliter sumptum, repellunt. Cum enī ejusmodi suppositiones stare non posse videantur salva libertate indifferentiæ, quam ab Ecclesia docemur, inde arguitur impossibile omnino esse, illas conjungi cum hac libertate. Sed eam Præscientiam conditionatam esse Deo liberam traheret secum consortium caru[m]d[em] suppositionum cum libertate indifferentiæ: ergo eam Præscientiam esse Deo liberam traheret secum aliquod impossibile: ergo Deum neque posse determinare, neque posse impedire illam Præscientiam nihil aliud est, quam Deum non posse aliquid metaphysicè impossibile respectu illius. Sed Deum non posse aliquid respectu sui impossibile, nec latum unguem mutilat infinitam sui Domini amplitudinem, sicut eum nos possere currere, legere, discere, peccare, mereri, obedire, vovere, mortificari, & alia sexcenta, que potest Creatura, partim indifferentia, partim bona moraliter, partim moraliter mala, non est indecorum sive omnipotentiæ, quin potius indecorum foret illa posse: ergo Deum, neque posse determinare, neque posse impedire dictam Præscientiam, nec minimū laedit Divinum Dominium: ergo illa est independens à decreto Divino subjectivè absoluto; quamobrem Scientia media nihil aliud est, quam Corollarium quoddam ex negata prædeterminatione, & omni alio huic simili derivatum, & consistens in eo, quod cum indifferentia ad utrumvis, quam conservare vult Deus, nequeat conjungere inevitabilem determinationem ad unum.

207. Hæc Scientia media est duplex: una directa, altera reflexa. Directa est illa, cuius hypothesis objectiva est tota, sola, atque individua, singularisve libertas creata, & cuius conditionatum est determinatio aliqua illius ejusdem libertatis, non alius, v.g. si existet libertas A creata, hæc consentieret. Debet esse tota libertas, non una pars illius: quoniam, ne sit veritas disparata, debet esse hypothesis objectiva aliquid, vel per se præcisè connexum cum conditionato, vel per se præcisè potens illud ponere in rebus. At nequit esse connexum, alias Scientia enuncians conditionatum sub illo, non foret contingens, sed necessaria: ergo debet esse per se præcisè potens ponere in rebus

con-

conditionatum. At quod per se præcisè est sic potens, est sola integræ libertas ( in qua omnia omnino imbibuntur prærequisita , tum ex parte Dei , tum ex parte creaturæ ) non verò una tantum libertatis pars : ergo hypothesis objectiva Scientiæ mediæ debet esse tota , & integræ libertas : quamobrem ideo communiter effertur , ut exprimens solum auxilium , quia in hoc potius , quām in alio constitutio-vo libertatis difficultates ebulliunt ; subintelligenda tamen sunt reliqua omnia libertatis constitutiva , quia sub auxilio A solo , quodecumque illud fuerit , existere non potest consensus v. g. quippe qui alia multa præter auxilium præquirit , & solummodo potest verificari , quod illo existente , existet consensus , quatenus existente illo , existent cætera comp̄ principia in consensum influxura . Neque recurras ad paritatem requisitorum , à quibus objectivè præseindit hypothesis formalis Scientiæ mediæ , tametsi necessaria sint ad existentiam consensus . Est enim dispar ratio . Prærequisita constituunt proximam potestatem ponendi consensum : ergo constituunt libertatem in-differentiæ : ergo propositio enuncians futurum consensum liberè , nequit objectivè præscindere ex parte hypothesis ab illis , alias argu-menta recrudescerent , quibus olim adoriebantur aliqui Præscien-tiam conditionatam . Ceterum requisita non constituunt proximam potestatem ; hoc enim est discriminem inter utraque : ergo quamquām conditionatum formale nequeat ab illis præscindere , potest tamen hypothesis formalis . Et ratio mihi à priori in præsentiarum est ; quia quod intelligimus , quando scientiam medium defendimus , est Præ-scientia contingens , & conditionalis assumens pro hypothesis objecti-va totam , solum , individuam , atque singularem libertatem aliquam , & pro conditionato exercitium hujus libertatis .

208. Scientia media reflexæ est non illa , qua Deus videt absolu-tè existentiam Scientiæ mediæ directæ ( ea namque est Scientia visio-nis indistinctæ virtualiter à Scientia ipsa media directa ) sed illa , qua Deus agnoscit quidnam ipse facheret sub hypothesis talis , aut talis li-beritatis integræ , & adæquatæ , constitutæque per scientiam medium directam : v. g. potest esse verū , quod Deus negaret Deiparæ ulti-mam illam libertatem , quām ipsi contulit , si prævidisset eam gra-viter peccaturam . Scientia ergo , qua Deus hanç negationem cognosceret , vocatur Scientia media reflexæ , habetque hunc tendendi mo-dum . Si haberem libertatem constitutam per scientiam medium de pravo usu hujus libertatis A , non conferrem ipsam Mariae . Negat P. Molina id generis scientiam in Deo , sed immerito . Nam in primis nihil pa-test

test fugere perspicaciam infinitam mentis divinæ per se ab intrinseco determinatæ ad cognoscendum omne , ubi primum cognoscibile sit. At fieri potest , quod negaret Deus præfatam libertatem A casu , quo eam prævidisset inefficacem fore : ergo fieri potest , quod Deus sciat , se negaturum fore præfatam libertatem pro illo casu . Sed id non potest scire per scientiam contingentem terminativè absolutam casu , quo nec contingat Deum habere illam prævisionem inefficacem : nec contingat Deum negare libertatem A , alias haberet scientiam falsam : ergo per scientiam terminativè conditionatam assumentem pro hypothesi libertatem divinam tunc non existentem , constitutam , vel constituendam ea prævisione non existente ; & pro conditionato negationem illam . Sed ea scientia terminativè conditionata est contingens , cum non obiciat sibi hypothesim connexam cum condicionato , ut patet : ergo jam habemus , Deum posse cognoscere suam determinationem liberam per scientiam terminativè conditionatam , & contingentem . Tunc sic . Sed haec scientia est omnino independens ab omni decreto subjectivè absoluto , & terminativè conditionato : ergo potest Deus cognoscere suam determinationem liberam sub hypothesi sue libertatis per scientiam terminativè conditionatam contingentem , atque modo dicto independentem . Sed haec est , quam vocamus scientiam medium reflexam : ergo &c. Probo priorem illam minorem , tum quia , si illa scientia penderet à decreto subjectivè absoluto , etiam scientia , qua cognoscit Deus hoc decretum sub hypothesi libertatis ad ipsum , penderet ab alio priore decreto : & scientia insuper , qua hoc prius decretum agnosceret sub hypothesi sue libertatis , penderet ab alio priore decreto ; & sic abiremus in infinitum . Tum quia non omne decretum divinum est essentialiter imperatum reflexè : ergo non omne presupponit aliud , quo Deus efficaciter statuat , illud concipere pro casu libertatis ad ipsum . Sed presupponeret illud , si scientia , qua Deus cognoscit conditionatè suum decretū inniteretur decreto alii subjectivè absoluto , & terminativè conditionato : ergo . Tum quia hic non premunt rationes desumptæ ex Dominio Dei super creaturas , quas urgunt adversarii contra scientiam medium directum , quandoquidem Deus non dominatur sibi iphi . Tum quia ad veritatem scientias jam dictæ unicè desideratur id , quod scieat ipsa enunciavit , & id , quocum connectitur illud , quod scientia enunciavit ; atqui scientia dicta , neque enunciavit istiusmodi decretum subjectivè absolutum , ut patet ex modo tendendi ipsius : neque quidquam connexum cum isto decreto ,

## *Scientia Media Directa, & Reflexa.* 331

cretū nam grātis dicitur, negationē futurā libertatis A pro casū, quo prāvideretur inefficax, connecti metaphysicē cum deo se oī jam præsenti, quāsi hoc foret causa illius decreti divini negantis libertatem A: ergo.

209. Neque rationes, quas obiciunt aliqui graves DD. pares sunt dimovendo nos. Prima est: Deus cognoscere nequit futura conditionata in se ipsis: ergo tantum potest cognoscere illa ex vi supercomprehensionis, qua supercomprehendat voluntatem illam, cui libera fuit illa futura: ergo si voluntatem supercomprehendere nequeat, nec futura hæc cognoscere potest. At licet supercomprehendat voluntatem creatam, non tamen supercomprehendit suam divinam: quoniam supercomprehensionis conceptus postulat, supercomprehendentem exceedere infinitè supercomprehensum: ergo licet possit cognoscere independenter à decreto subjectivè absoluto futura illa, quæ spectant ad voluntatem creatam; non verò, quæ ad divinam. Nego primum antecedens; Scientia namque divina non eget fulcro, aut bacillo aliquo de præsenti existente, cui tamquam languida inficit, sed immediatè in se ipsis exprimit futura purè conditions. Quippe mens divina infinitè perspicax, per se ab intrinseco est determinata ad cognoscendum omne cognoscibile simul, et cognoscibile fuerit, quin prævio lumine, specie, ratione, aut alio quopiam faciem præferente, ne intellectus divinus ad lapidem offendat, indigua sit. Num Deus est similis nobis'nequeuntibus agnoscere absque pædagogo rationis prævia multas veritates? Atqui tales futurum revera esset sub tali conditione, ut ponimus, sive detur, sive non detur supercomprehensio: ergo independenter ad hæc cognoscit Deus tale futurum. Ad hæc. Aliud est, Deum agnoscere futura conditionata in se ipsis, quatenus cognitio enunciet illas existere: Et hoc neque est verum, neque asseritur à nobis. Aliud autem cognoscere futura in se ipsis, quatenus cognitio divina dum taxat enunciet, illa fore sub tali cognitione, & ad hoc non indiget prævia illa ratione, medio, aut manuductione. Et hoc est, quod dicimus.

210. Secunda est, libertatem divinam ad illud decretum conditionatè futurum collapsam iri; Complexum enim ex scientia media reflexa, & existentiâ libertatis illius divinæ, esset metaphysicē connexum cum illo decreto: deinde esset inimpedibile per divisam libertatem, quoniam hæc non potest ullo suo exercitio se interime-re. Hoc argumentum supponit, divinam libertatem constitui per scien-

scientiam medium reflexam, de suo ipsius exercitio, sub hypothesi ipsius libertatis quod falsum est, ob istam eamdem rationem. Igitur complexum istud est impedibile non quidem per aliam dividam libertatem, sed per libertatem ad illud decretum conditionate futurū, quæ est hypothesis objectiva illius scientiæ mediae reflexæ. Probatur. Illa libertas potest impedire hanc scientiam medium reflexam: ergo potest impedire complexum ex illa, & libertate ipsa, in quo stat conuenio cum negatione absoluta libertatis A creatæ. Probo antecedens. Impedire negativè ( hoc est, facere ne unquam fuerit in Deo ) istam scientiam medium reflexam, consistit in eo, quod, existente illa libertate, sub qua enunciat negationem libertatis A creatæ, non detur hæc negatio: ergo illa sola libertas, quæ facere potest, ut, existente illa libertate divina, non detur hæc negatio, est, quæ impedire potest istam scientiam medium reflexam. Sed ista sola libertas divina, quæ est objectiva hypothesis scientiæ reflexæ, est quæ facere potest, ut se existente, non detur illa negatio, siquidem unaquæque libertas est sui juris, atque ad se solam spectat determinare, aut impedire pro suo libito sua exercitia: ergo ista sola libertas divina, quæ fuerit objectiva hypothesis scientiæ mediae reflexæ, est, quæ impedire, aut determinare valet scientiam istam medium reflexam. Quod omni scientiæ mediae commune est, quæ proprie rationem datam, ab illa sola libertate est determinabilis, atque impedibilis, quam asumpserit pro hypothesis. Sed dices: quo pacto est Scientia media Scientia illa reflexa, si pro hætu divinæ libertatis est determinabilis, ac impedibilis? Nonne illud, unumque primarium Scientiæ mediae attributum est, non esse liberam Deo? Si loquaris de Scientiâ mediâ directa, verum est; si de reflexa: falsum. Nam quemadmodum illa solam libertatem creatam assumit pro hypothesis, & solum exercitium illius pro conditionato, qua propter à sola illa est determinabilis, atque impedibilis: ita hæc solam libertatem divinam suspensivè tangit, & solum exercitium illius conditionate enunciat, quamobrem ab illa sola determinabilis est, ac impedibilis. Conveniunt igitur ambae scientiæ in contingentia, modo tendendi conditionato, independentiaque à decreto divino subjectivè absoluto; discrepant autem in libertatibus, à quibus dependent, quoniam directa à Creatura dependet, non à Deo; reflexa à Deo, non à Creatura.

211. Jam Scientia media directa quadrisariam potest considerari  
 1. Affirmativa ex parte conditionis, atque conditionati v.g. *si existet libertas A, consentiret.* 2. Affirmativa conditionis, & negativa con-

## *Scientia Media Directa, & Reflexa.* 353

conditionati v.g. si existeret libertas A, non consentiret. 3. Negativa ex parte conditionis, & ex parte conditionati v.g. si non existeret libertas A, non consentiret. 4. Negativa conditionis, & affirmativa conditionati v.g. si non existeret libertas A, consentiret. Hæc postrema est veritatis impossibilis, penultima veritatis necessariae, quam obrem duæ solæ priores possunt esse, actus scientiæ mediae. Eadē philosophare proportione de reflexa, eadem partitione facta. Quod secundus ille actus non connectatur cū sciëtia inversa sibi respondentे, planum est; quoniam nulla veritas contingens connectitur cum impossibili; at secundus ille est veritas quædam contingens, ut constat; scientia autem inversa illi correspondens est impossibilis omnino veritatis. Probo: Scientia inversa illi correspondens est hæc, *Si libertas A consentiret, non existeret* antiquæ in eodem instanti (Nam cùm actiū illius conditionatum objectivū, quod ibi negatur, non sit cōsensus abstractè, ac ut sic, neque cōsensus producēdus ab alia disparata libertate, sed ponendus, atque determinandus ab ipsa libertate A; idcirco illius implicitum, aut explicitum conditionatum debet esse hoc; *Ipsa non produces consensum: quo circa objectiva hypothesis inversæ debet esse hoc. Si libertas A produceret consensum*) atqui hujusmodi veritas est omnino impossibilis. Probo. Omnis veritas conditionalis, cuius objectiva hypothesis repugnat metaphysicè conditionato objectivo, est veritas impossibilis; Veritas namque conditionalis stat in eo, quod objectiva hypothesis pro casu existentiæ sue coexistat conditionato, quia hoc est, quod conditionalis propositio affirmativa enunciat: unde si hypothesis illa repugnet coexistere conditionato, repugnat veritas conditionalis: at objectiva hypothesis istius veritatis conditionalis repugnat metaphysicè conditionato objectivo: quandoquidem repugnat omnino, quod libertas actiū consentiens non existat in rebus, strictè loquendo: ergo præfata veritas inversa est omnino impossibilis.

### §. III.

122. Probo jam primum illum actum affirmativum ex parte conditionis, & conditionati non connecti cum inversa sibi respondentे, quod num. 205. pollicitus fui, quiq[ue] altè insideat menti; nam ex opposito importunæ oriuntur fallacie contra Scientiam medium. Et quidem loquendo de scientiæ mediæ reflexa, numero proximè superiore probaveram; de directa autem dispergo similiter. Hypotesis objectiva Scientiæ inversæ, vel est sola omissio consensus, à quocumque alio præscindendo, vel est omissione hæc, ut N n n libe.

liberè determinata per libertatem A? Intellige semper, ut sēpe mōnūi exercitium entitatē naturalem. Si hoc secundum; patet, inversa esse impossibiliter veram, quia chymæra est, libertatē A deficere in illo eodē instanti in quo liberè se exerceat per omissionē consensū. Si illud primū; inversa potest esse vera; sed extra chorū saltat. Cūm enim directa, ut jam præmonui, non enunciet futurū esse, ut, existente libertate A, detur consensus per aliam disparatā libertatem, per sed ipsam libertatem A; inversa illi legitimè correspondens assumere debet pro hypothesi non utcumque deficere consensum; sed deficere per libertatem A ergo inversa illa, quæ hanc non assumpserit hypothesis, non est inversa illi directa correspondens; ergo non venit ad rem. Ratio à priori mentem totam patefactura est. Scientis conditionalis inversa vocatur in presentiarum illa, quæ assumit pro hypothesi contradictoriū conditionati scientiæ directæ, & pro conditionato contradictoriū conditionis; sed conditionati scientiæ directæ est re ipsa copulativum resultans ex libertatis A, & consensū existentiis, quia directa pronunciat fore, ut, si detur libertas A, hæc ipsa consentiet, proindequodabitur complexum ex ipsa, & consensu: ergo inversa ipsi correlativa assumere debet pro hypothesi objectiva contradictoriū hujus conjuncti; sed contradictoriū hujus conjuncti est hoc disjunctum. Vel non dabitur libertas A, vel non dubitar consensus: ergo hypothesis objectiva inversa debet esse hoc disjunctum: ergo inversa correlativa directa debet enunciare fore, ut, si vel non datur libertas A, vel non datur consensus, non detur libertas A. Sed hæc non in sensu distributivo, sed in sensu strictè disjunctivo est veritas omnino necessaria, cūm simpliciter sit necessarium, non dari libertatem A sub uno extremo disjunctionis istius, quæ est hypothesis objectiva: ergo inversa correlativa directa vel nulla est, vel impossibilis veritatis, ut paulo ante dicebam, vel necessariæ omnino: ergo nulla inversa est assignabilis correlativa directa, quæ sit contingenter vera: ergo Scientia media sive directa, sive reflexa non connectitur cum inversa ulla contingenter vera. Et hoc modò sufficit ad exenterandum fallax hoc argumentum, & alia quæ postea subiiciam fabricata perperam ex reciproca connexione Scientiæ directæ cum inversa.

213. Sed dices 1. Juxta hanc doctrinam, conditionatum objectivum Scientiæ medie est consensus v. g. reduplicative, ut liber. Sed hoc esse falso contendunt aliqui DD. inferentes inde Scientiam medium fore necessariam, cūm enunciaret libertatem sub hypothesi libertatis ipsius: ergo. Nego minorem, seu potius illationem; quia nulla

nulla Scientia conditionata , cuius objectivum conditionatum potest antecedenter deficere, adhuc posita conditione, est Scientia necessaria . Sed quamvis Scientia media enunciet consensum , ut liberum , seu cum libertatis modo; potest nihilominus antecedenter deficere suum conditionatum , adhuc posita conditione : quia eo ipso , quod non existat in rebus consensus , non existit consensus , ut liber , seu cum modo libertatis: & hac posita fieri potest, ut non existat in rebus consensus: ergo . Quinimò necessarium est, Scientiam medium enunciare extitum consensum liberè , quia enunciat fore , ut , posita illa libertate , ab ea nascatur consensus . Sed hunc ab ea nasci est re ipsa . hunc existere liberè , cum passiva libertas nil aliud sit, quam denominatio oriunda ab activa , vel saltē intime connexa cum hac denominatione : ergo Scientia media enunciatur fore , ut , posita libertate A , existat liberè consensus , seu cum modo libertatis . Porro quod DD. illos decipere potuit, est confudisse has duas tendentias . Si existat libertas A , existet liberè consensus . Si existat libertas A , existet liberè consensus , si ponatur à libertate A . Hæc secunda est veritas necessaria , sed non dicimus Scientiam medium hujus esse tendentia , sed illius primæ , in qua nil aspicitur necessitatis antecedentis . Nam libertas necessaria esset, si dumtaxat enunciaret , quod, posita libertate A , hæc extitura esset ; non tamen si ulterius addit , extitum consensum , siquidem is deficere potest , libertate illa existente . Et hoc est , quod contingit .

214. Dices 2. Ad quam ergo Scientiam spectat veritas illa inversa , quæ afflumat pro hypothesi purum defectum consensus , à quo vis alio praescindendo , & pro conditionato defectum libertatis A ? Respondeo , eam , prout jacet , esse veritatem disparatam ; nam talis est conditionalis illa , cuius hypothesis , neque est per se connexa cum conditionato , neque est libertas sufficiens determinare pro suo libito conditionatum v.g. si Gallus excutit alas Complutii ; Indus plorat Argyropoli . Atqui purus defectus consensus , neque est plena libertas ad talem defectum determinandum : ergo , prout jacet , est veritas disparata : ergo in capax , quæ , prout jacet , enuncietur ab intellectu Divino . Reducitur tamen ad Scientiam medium reflexam , & per hanc cognoscitur à Deo , sicut plerisque aliæ veritates disparatæ ; quoniam implicitè habet hunc sensum : Si Deus haberet præscientiam inefficaciam libertatis A , seu , de eo , quod non existeret consensus , illâ existente , illam non conferret , seu illa non existeret : quacum non connectitur Scientia me-

medi directa, ut dicam infra. Quamobrem veritates disparatae, ut tales, atque, prout jacent, non cognoscuntur à Deo, in cuius perfectissimam mentem cadere nequeunt tam futilles cognitiones: cognoscuntur vero, aut per Scientiam terminativę copulativam, ut illa, quam nuper protuli; aut per Scientiam medium reflexam, eo quod illarum conditionatum ad divinam attineat libertatem: Sic 4. Reg. 2. promissio illa Eliæ, si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petieristi: reddit hunc sensum. Si Deus habeat notitiam de eo, quod videoas me, concipiet decretum absolute collativum boni, quod optas: non quia habeat decretum reflexum subjectivę absolutum, ac terminativę conditionatum largiendi grande illud bonum dependenter ab impertinenti, ac disparata conditione, quod Elisæus respiceret Eliam per aera volantem; minus enim digna Deo videtur hujusmodi disparata voluntio; sed quia divisa libertas constituta per dictam notitiam, cum posset negare, ac conferre illud bonum, potius se exerceret conferendo, quam negando, & hoc præcisè, quia volet: unde veritas illa obiectiva cognita fuit per Scientiam medium reflexam. Similiter illa 4. Reg. 3. altera, si percussis terram quinque, &c. reddit hunc sensum. Si Deus babuisset libertatem constitutam per notitiam quinque percussionum, decretum conceperet adjuvandi te efficaciter usque ad vastationem Syriae: quamobrem veritates disparatae si sumuntur, prout apparent, atque in sensu omnino disparato; longè exulant à mente divina: si in sensu implicito, quem imbibunt, spectant plerisque ad Scientiam medium reflexam, illæ nimisrum, quarum conditionatum est aliquid Deo tantum liberum; & plerique non sunt promissiones, sed prædictiones.

215. Dices 3. Quomodo coheret doctrina numeri 212. cum ea, quam supra dedimus; videlicet omne connexum metaphysicę cum eo, quod, existente A, existat B, esse metaphysicę connexum cum eo, quod, deficiente B, deficiat A? Respondeo, id intelligendum esse quando defectus rei B non sit metaphysicę conexus cum existentia rei A, ut ibidem advertimus: item quando ipsum deficere rei B, seu quando hypothesis inversa non importet secum defectum veritatis ipsius conditionalis directæ: quoniam hujus, quando deficit à rebus, nil interest, quod, deficiente conditionato, deficiat nec ne conditio, id est non connectitur cum eo, quod, se deficiente, detur, vel non detur in rebus conditio. Atqui veritas inversa in præsentiarum, nisi fuerit omnino disparata, aut veritas simpliciter necessaria, assumit pro hypothesis defectum, aut formalem, aut illativum veritatis directæ,

## Scientia Media Directa, & Reflexa. 557

rectæ, ut constat ex num. 212. ergo hujusmodi veritates directæ non inferunt inversas contingentis veritatis. Ob eamdem rationem re-puli supra, ut spurium; secutus P. Izquierdo, Ribadeneyra, & Her-re-ra, syllogismum conditionalem, cuius minor affirmat aliquid sub hypothesis formaliter, aut illativè subvertente veritatem totam ma-joris. Nam, ut doctè ponderat Ribadeneyra, veritas consequentis, ut illati, ex his determinatè præmissis simultanea ambarum veritate fulcitur. Sed si hypothesis unius præmissæ pugnat essentialiter non cum hypothesis alterius, ut inculcat P. Junius ab his Authoribus decli-nans, sed cum tota veritate alterius; nequeunt ambæ esse simul veræ: ergo tunc, vel non sequitur consequens, vel est falsum. Quocirca subdoli sunt, ut notavi disp. 2. Dialecticæ cap. 8. syllogismi illi objici soliti contra Scientiam medium reflexam, & similes alias veritates conditionatas. Primus in prima figura. *Si casus A esset inefficax conditionatè (non quidem absolutè, quia sibi ipsi contradiceret propositio) non existeret; sed si Petrus illi dissentiret absolutè, ille esset inefficax conditionatè, in quocumque consistat efficacia, aut inefficacia, à quo præscindere jubetur: ergo si Petrus illi dissentiret, abscluēt ille, non existeret.* Fallit; quoniam si Petrus dissentiret absolutè illi casui, existerent prævisio divina conditionata inefficacia, & decretum illius casus collativum. Sed hoc ipso esset illa major falsa, quia enunciat forc, ut, si daretur illa prævisio, non daretur illud decretum: ergo si Petrus illi casui dissentiret, absolutè illa major esset falsa. Sed hoc ipso non esset tunc simul veræ ambæ præmissæ: ergo si daretur hic absolute dissensus, deficeret aliquid (nempè simultanea hæc veritas) simpliciter prærequisitum ad veritatem consequentis, ut illati ex illis præmissis: ergo non esset verum consequens, ut sic illatum: Ecce hypothesis istius minoris pugnat cum veritate consequentis, ut illati ex præmissis; quo ergo jure inferre potest illius veritatem? Imò, cù m hypothesis, seu conditio, quam assumit ipsum consequens, sit hypothesis ipsa, quam assumit minor, palam fit, hypothesis con-sequentis esse formaliter, aut illativè falsitatem Majoris; quomodo ergo potest inferri consequens conditionatum sub conditione, quod una ex præmissis sit falsa?

216. Explicatur. Quis dicet, hunc esse syllogismum hoc nomi-ne dignum. *Si petieris à me librum, dabo illum; sed si rensto tua petitioni, petis; ergo si renuo tua petitioni, dabo, seu annuam illi.* Vel hunc. *Si existit A, existit B; sed si est falsum, quod, existente A, existit B, est verum, quod existit C: ergo si est falsum, quod exi-stet.*

*stente A existet B, est verum, quod existit C.* Neuter est syllogismus. Neuter valet quidquam, quia utriusvis minor assumit pro hypothesi falsitatem majoris. Idem in praesenti. Minor illa, si Petrus dissentiret absolute illi casui, assumit pro hypothesi coexistentiam dissensus, & casus illius... Sed casus ille est metaphysicè connexus cum decreto divino collativo ipsius: ergo assumit pro hypothesi aliquid connatum cum coexistentia illius dissensus, & decreti collativi casus illius. Sed in hac coexistentia staret falsitas illius majoris, quippe quæ enunciat fore ut, si futurus esset ille dissensus, non daretur illud decretum divinum: ergo illa minor assumet pro hypothesi falsitatem formalem, vel illativam majoris: ergo syllogismus est illegitimus.

217. Fallit similiter syllogismus ille, qui videtur in secunda. Si libertas A videretur inefficax, non decerneretur à Deo; sed si Petrus ei liberè dissentiret, decerneretur: ergo si Petrus ei liberè dissentiret non esset inefficax. Hypotheses minoris, & consequentis pugnant essentialiter cum veritate majoris, proindeque consequens non inferitur ex præmissis istis. Fallit insuper syllogismus, qui in tertia figura cudi videtur: *Si libertas A videretur inefficax, non existeret; sed si videtur inefficax, Petrus illam babens dissentiret: ergo si Petrus illam babens dissentiret, illa non existeret: ergo si Petrus illi dissentiret, illa non existeret:* quoniam hypothesis consequentis, & conditionatum minoris pugnant cum veritate majoris. Fallit quoque hic, qui conversivus videtur. *Si libertas A existeret, esset efficax; sed si Petrus illi dissentiret, illa existeret: ergo si Petrus illi dissentires, illa esset efficax.* Hypothesis minoris purificata corruit veritas majoris, si quidem Petrum illi dissentire, est libertatem illam existere, & non esse efficacem: ergo, purificata hypothesis minoris, corruit simultanea veritas præmissorum; sed hypothesis consequentis est hypothesis minoris: ergo, data hypothesis consequentis, deficit simultanea præmissarum veritas. Quomodo igitur potest inferri ex hac simultanea veritate, quod, data hypothesis consequentis, dabitur conditionatum, si, data hac hypothesis, deficit illa simultanea veritas? Addit P. Junius, contradictoriā cuiusvis ex dictis conclusionibus conjunctam cum altera præmissa inferre contradictoriā alterius. Sed hoc est falsum, nam ut experietur, qui reducere volet hos syllogismos ad impossibile, hypothesis alius, cuius præmissæ, vel consequentis opponetur veritati alterius præmissæ: ergo in syllogismo reducente adest vitium idem, quod in reducto: ergo tam malus unus, quam alter. Fallit demum propter eam.

eamdem rationem syllogismus ille fieri solitus adversus Scientiam medianam directam. *Si existit libertas A, consentit* (est illam efficacem esse) *sed si dissentit, absolute existit: ergo si dissentit, absolute consentit.* Hypothesis minoris istius, necnon consequentis opponitur essentialiter veritati majoris: quia libertatem A dissentire absolute trahit secum, quod ipsa existat, & non consentiat, & hoc falsificat majorem. Idem proferto judicium de illo, *si existunt extrema, non existit unio* (dato hanc esse veram in sensu mere conjunctivo.) *Sed si existit unio, existunt extrema: ergo si existit unio, non existit unio.* Suppositio minoris importat secum, quod existat unio simul cum extremis, & cum omnis simultas sit reciproca, importat, quod extrema existant simul cum unione. Et ecce falsitatem majoris.

218. Multa in hanc doctrinam opponit P. Junius. Primum est: fore ut syllogismi conditionales non concluderent ex vi formæ. Concedo, si formæ desit aliquod requisitum; nego tamen si omnia ad sint. Unum autem ex requisitis, ut forma arguendi conditionalis sit legitima, est, hypothesis objectivam consequentis non prosternere veritatem totam alterutrius præmissæ, ut probavimus: cùmque in istis omnibus syllogismis accidat oppositum, non servatur legitima forma arguendi conditionaliter; concludit tamen ex vi formæ syllogismus ille conditionalis, quem disponit num. 4. quippe nullius illarum propositionum conditionalium objectiva hypothesis pugnat cum veritate sociarum. Ille autem, quem producit nu. 11. videlicet. *Si sit homo, est animal; sed si sit homo, & non animal, est homo: ergo si sit homo, & non animal, est animal:* est quoque spurius, quoniam hypotheses minoris, & consequentis arcent veritatem majoris. Secundum est: contradictionem conclusionis horum syllogismorum pugnare essentialiter, ac ex vi formæ cum simultanea præmissarum veritate. Annuo, quando hypothesis conclusionis non repugnat veritati illius præmissæ. Renuo, quando alterutri repugnat, quia tunc eodem laborabit vitio unus syllogismus, quo alter. Tertium est. Fieri non potest, quod posito B, ponatur C, & posito A, ponatur B, quin posito A, ponatur C; nam si A poneatur sine C, sequeretur unum ex his duobus, aut B esse sine C, aut A sine B, & utrumque est falsum. Respondeo fieri nequit, quod, posito B, ponatur C: & posito A, ponatur B, quin posito A, ponatur C, quando hoc, quod est poni A, non falsificet formaliter, aut illativè hoc, quod est. quod, posito B, ponatur C: quippe si illud falsificet formaliter, aut illativè, parvum refert, ut vides, quod sequatur B esse sine C.

ex

ex eo, quod A sit sine C, & hoc est, quod supra diximus. Quartus. Conclusio non sequitur ex hypothesibus præmissarum, neque ex veritate unius, & hypothesi alterius, sed ex simultanea præmissarum veritate; atque fieri potest, quod præmissæ duæ sint simul veræ, quando una contradicit hypothesi alterius, siquidem propositio conditionalis potest esse vera, quando sua hypothesis est falsa, & constat in hoc binario præmissarum. *Si sit homo est animal; sed si sit homo. Et nos animal, est homo.* Respondeo: cum hypothesis consequentis sit in præfatis Syllogismis repugnans veritati alterius ex præmissis, non solum rejecimus eos Syllogismos, propterea quod unius præmissæ hypothesis dissentiat veritati alterius; sed præcipue quia hypothesis ipsa consequentis exterminat simultaneam præmissarum veritatem, quo circa simultanea hæc veritas inferre nequit, quod sub illa hypothesis consequentis detur, vel non detur quidquam, quandoquidem, hypothesis illa data, fugit illicet illa simultanea veritas. Igitur nego tibi minorem, quia licet propositio conditionalis posset esse vera, quando sua hypothesis sit falsa, at quando sua hypothesis repugnat veritati alterius præmissæ, nequit fieri, ut ipsa sit vera simul cum altera præmissa, & testis est binarius iste præmissarum nequeuntium veritatem simul consequi. Addit: conclusionem ponere sunum conditionatum immediate sub sua hypothesis, & non sub hypothesis præmissarum. Sed meminisse debuerat, hypothesis conclusionis esse hypothesis unius ex præmissis: ergo eo ipso, quod conclusio ponat sunum conditionatum sub sua hypothesis, ponit illud sub hypothesis unius ex præmissis: ergo sub hypothesis repugnante veritati alterius præmissæ. Claudit hoc Syllogismo. *Si sit homo, et equus, est animal; sed si sit Lapis, non est animal: ergo si sit Lapis, non est homo, et equus.* Verum, cum hic nulla hypothesis opponatur veritati alterius præmissæ, nullum hinc capitum emolumentum.

### §. I V.

219. **D**icces tandem contra assumptum principale. Aut veritas ex suis intrinsecis, quod, deficiente consensu, à quocumque alio praescindendo, detur libertas A; aut hoc ex suis intrinsecis non permittit? Si primum: ergo permittit etiam, quod, data libertate, deficiat consensus: idem namque est, quod, deficiente consensu, detur libertas A, & quod, data libertate A, deficiat consensus, proindeque si ex

si ex suis intrinsecis est illa veritas conjungibilis cum uno, etiam debet esse cum altero : ergo illa veritas est conjungibilis cum sua falsitate, quippe abs dubio esset falsa, si data libertate A, deficeret consensus. Si secundum : ergo ea veritas directa ex suis intrinsecis repugnat cum eo, quod, deficiente consensu, & à quovis alio praesciendo, existat libertas A: ergo ex suis intrinsecis infert, quod, deficiente consensu, non existat libertas A: ergo essentialiter connectitur cum inversa hac assumente pro hypothesi solum defectum consensus: *Si deficit consensus, deficit libertas A.* Et confirmatur: hic Syllogismus est bonus; *si daretur libertas A, datur consensus; sed non datur consensus: ergo non datur libertas A.* Tunc sic: ergo illa major connectitur metaphysicè cum eo, quod, si vera sit minor, verum quoque sit consequens; sed minor illa est conditio, quam assumit scientia inversa, & consequens est conditionatum illud, quod enunciat: ergo illa major est connexa cum veritate inversæ. 2. Omne oppositum metaphysicè coexistentiæ duorum, & non quia privatim opponatur cum uno, est oppositum cum eo, quod, existente uno illorum, existat alterum, ut supra ostensum fuit; quoniam si, existente uno illorum, existeret alterum, ambo coexisterent. At veritas directa est metaphysicè opposita cum eo, quod coexistat libertas A, & carentia consensus, nam si coexisterent, non esset verum, scire, ut in eodem instanti, in quo existeret libertas A, existeret consensus: ergo veritas ea directa est metaphysicè opposita csi eo, quod, existente carentia consensus, à quocumque alio praescindendo, existat libertas A: ergo est connexa cum eo, quod non existat hæc libertas, existente carentia consensus. 3. Hic Syllogismus est rectus: *non conjugentur libertas A, & carentia consensus; sed datur hæc carentia: ergo non datur libertas A.* Tunc sic: ergo ex hypothesi illius majoris, est necessarium, quod, deficiente consensu (ecce minorem) deficiat libertas A (ecce consequens) atqui praefata veritas conditionalis directa trahit secum infallibiliter veritatem illius majoris, ut supra quoque ratiocinabimur: ergo praefata veritas trahit secum, quod, deficiente consensu, deficiat libertas A. 4. Veritas ipsa inversa connectitur metaphysicè cum directa: nam impossibile est, quod sit verum dicere; *si deficit consensus, deficit libertas A, quia sit etiam verum dicere; si non deficit libertas A, non deficit consensus: ergo directa debet etiam connecti cum inversa.*

220. His, & similibus tricis paradoxon protegere poteras eorum, qui dicunt, veritatem hanc: *Si existeret libertas A, non consensiret, connecti*

nekti cum hac inversa veritatis chymærcæ ; Si libertas A consentiret, nos existeret. Nam vel illa veritas permittit ex suis intrinsecis, quod, existente consensu libertatis A, existat hæc : vel non permittit ? Si primum : ergo per tuum argumentum permittit, quod, existente libertate A, detur consensus hujus, subindeque permittit suam falsitatem. Si secundum : ergo per se ab intrinseco repugnat cum eo, quod, existente consensu libertatis A, hæc existat : ergo per se ab intrinseco connectitur cum eo, quod tunc non existat illa : ergo connectitur cum chymæra ; nam chymæra est, quod non existat libertas A in instanti, in quo consentit. Et idem de cæteris formulis opinatur. Igitur quod, deficiente consensu, existat libertas A, bifariam intelligi potest. 1. In sensu absoluto, & sic nil aliud est, quam actualis existentia carentia consensu, & existentia libertatis A, cumque veritas illa directa per se ab intrinseco opponatur huic actuali coexistentiæ, inde sit, illam opponicum eo, quod, deficiente consensu, existat libertas A, sumpto hoc enunciabili objectivo in sensu pure absolute. 2. In sensu conditionato strictè, hoc est præscindente omnino ab affirmatione absolute, tum carentia consensu, tum existentia libertatis A, & unicè afferente fore, ut hæc existat, si illa carentia exerceatur : & sic quadrifaciā sumi potest. 1. In sensu conditionato assumente pro hypothesi implicita, vel explicita Præscientiam divinam carentia consensu sub hypothesi libertatis A, ita ut prædicta inversa reddat hunc sensum : si Deus haberet præscientiam defectus consensus, largiretur libertatem A, & sic non terminat oppositionem ullam, aut connexionem illius veritatis directæ ; nam cum hæc Scientia media reflexa assumat pro hypothesi defectum hujus veritatis directæ, hæc non infert sive existentiam, sive carentiam libertatis A sub hypothesi Scientiæ mediæ reflexæ, quia neutram ex illis infert sub hypothesi sua carentia, 2. In sensu conditionato assumente pro hypothesi defectum consensus, ut determinandum per ipsam libertatem A ; & sic veritas inversa, si deficeret consensus existet libertas A, est simpliciter necessaria, unde oppositionem terminare nequit illius {veritatis directæ, si existet libertas A, existet consensus, quoniam nil possibile opponi potest metaphysicè cum simpliciter necessario, 3. In sensu conditionato assumente pro hypothesi defectum consensus, ut determinandum per aliam quampiam libertatem ; & sic non terminat oppositionem ullam præfata directæ : extiturum namque consensum, posita libertate A, non opponitur cum eo, quod, hac existente, libertas alia non consentiat.

Quod

Quod si illa alia libertas impedit consensum ipsius libertatis A. id est contra hujus integratem, & consequenter haec non est libertas. 4. In sensu conditionato assumente pro hypothesi purum, & merum defectum consensus, à quocumque alio praescindendo. Et sic veritas inversa, est omnino disparata; quandoquidem solus ille defectus non connectitur per se præcisè cum existentia libertatis A, neque est plena, & adæquata libertas ad illam ponendam, aut impediendam. Quocirca per numerum 214. aut non est veritas, aut reducitur ad veritatem copulativam, vel ad Scientiam medianam reflexam. Si ad hanc; jam dixi, non terminare veritatis directæ oppositionem. Si ad illam, terminat sanè oppositionem illius, quia impossibile omnino est, quod stante hac veritate, si existeret libertas A, existeret consensus, accidat, quod absolutè existat libertas A, & simul absolutè deficiat consensus, ut supra num. 63. stabilivi, & argumentum contrarium rejici: unde metaphysicè connectitur veritas directa cum contradictorio hujus copulationis, hoc est, cum eo, quod vel deficiat libertas A, vel deficiat carentia consensus; verum tamen perperam inde argues, connecti cum hac inversa strictè conditionali, si deficit consensus, deficit libertas A, quæ sit contingenter vera: tum ob descensum nuper factum: tum ob rationem num. 212. prolatam.

221. Ad primam confirmationem respondeo, eum syllogismum esse fallacem propter rationem, qua aliud similem rescidi num. 202. Ad secundam distinguo majorem: est oppositum cum eo, quod, existente uno, existat alterum, si existente illo uno, deficiat tale oppositum; nego maiorem: quia ad oppositum cum coexistentia nil attinet, quod detur coexistentia, quando ipsum non est in rebus, quo circa non impedit, quod, existente illo uno, existat alterum, si ubi primum existat illud unum, discedit à rebus ipsum fundamentum oppositionis. Si existente illo uno ipsum non deficiat; permitto majorem, & sic intelligimus doctrinam ibi citatam: concessaque minore, nego consequentiam. Quippe tota ista præcisio à quovis alio tantum potest esse, quatenus ea propositio, deficiente consensus, existit libertas A, nihil aliud à defectu consensus assumat pro hypothesi explicita; attamen implicita necessariò debet esse, aut Præscientia divina defectus consensus sub hypothesi libertatis A, aut defectus ipse, ut oriundus à libertate A modulo suo, aut oriundus ab alio; & quodcumque fuerit, veritas directa non connectitur cum eo, quod defi.

deficiente consensu, deficiat libertas A, ut jam exposui. Ad tertiam respondeo, istum syllogismum fore legitimum, modò in minore fiat mentio de carentia eadem, de qua fit mentio in majore, & modò minoris veritas non prosternat fundamentum veritatis illius copulativæ, quæ ponitur pro majore; nam, si illud prosternat, deficiat veritas majoris simul, ac minor fuerit vera: ergo non coibunt veritates ambæ: ergo non infertur ex illis absoluta veritas consequentis. In præsentiarum autem, vel illa carentia consensus, quam enunciat minor, est carentia determinata per libertatem A, vel per aliam? Si hoc non est carentia, de qua fit mentio in majore. Si illud; veritas minoris sternit fundamentum veritatis majoris; quoniam, si est carentia determinata per libertatem A, coexistunt libertas hæc, & carentia illa: ergo cadit veritas majoris: ergo ex prætensta hujus syllogismi rectitudine nullum elicitur contra nos argumentum. Ad quartam nego majorem, quam meritò negari fateberis, si discurras per explicationes, quas habere potest, quasque paulo ante dedimus, in quarum nulla istam connexionem deteges.

## CAPUT XIII.

*Cætera buc spectantia.*

222.



Octrinâ hucusque prolata sequentibus obviatur argumentis. Quartum igitur est: Hæc scientia media directa, si existeret libertas A, existeret consensus, reciprocum habet connexionem metaphysicam cum haç *Inversa*, si non existeret consensus, non existeret libertas A, quia, cum ex vi directæ fiat impossibilis conjunctio libertatis A, & carentiæ consensus, consequenter redditur necessarium, quod, datâ carentiâ consensus, deficiat libertas A. Unde quatuor proferes argumenta contra stabilita principia capitis decimi. Primum est: esto dari in rebus libertatem A, & esse inefficacem, abesseque propterea geminam hanc veritatem; tunc libertas A plenâ fungitur, atque expedita potestate ad determinandum veritatem directam, ut constat. Sed nullam omnino habet libertatem, ut determinet verè, ac simpliciter *inversum*, quæ tunc non supponitur existens, & sine qua existere non potest directa: ergo stat libertas ad determinandum fundamentum connexionis metaphysicæ citra libertatem determinatricem termini nondum existentis.

Prob.

Prob. minor. Ille solus determinat verè , ac simpliciter veritatem illam *inversam* , qui liberè suspendit libertatem A in instanti , in quo deficit consensus : quemadmodum ille solus determinat, pressè loquendo, veritatem directam, qui liberè ponit consensum libertatis A, quando hæc existit . At libertas ipsa A non est, quæ liberè suspendit se ipsam in instanti, in quo deficit consensus , siquidem non est sibi ipsi passivè libera : ergo libertas A neque determinat veritatem illam *inversam*, neque potens est illam determinare . Secundum est . Pone libertatem A existere, atque esse efficacem , & consequenter neutram ex illis veritatibus impeditam esse : tunc libertas A plenariè potest impedire veritatem directam, ut Nostrates fanciunt. Sed neutquam potest impedire , strictè loquendo, veritatem *inversam* , quæ sanè non præsupponitur tunc impedita : ergo stat libertas impediendi veritatem directam , quæ connexionem terminat metaphysicam *inversæ* , absque libertate ulla impediendi *inversam* nondum impeditam . Prob. minor. Ille solus impedit, pressè loquendo , *inversam* , qui producit, aut conservat libertatem A in instanti , in quo deficit consensus : sicut ille solus impedit veritatem directam , qui ponit carentiam consensus in instanti, in quo datur libertas A. Sed non est hæc, quæ producit , aut conservat se ipsam in instanti , in quo deficit consensus , ut satis constat : ergo libertas A non determinat verè , ac simpliciter veritatem *inversam* , quin neque illam determinare potest . Tertium, & quartum arte concinnabis eadem, si memineris, libertatem divinam impidiere posse , atque determinare veritatem *inversam* ( hæc enim , utpote contingens absolute , alicui esse debet libera passivè , & non est alius , nisi Deus , cuius est humanam libertatem largiri , vel suspendere, prout voluerit, & quando voluerit, præsertim, si nihil adhuc metaphysicè connexum , vel oppositum cum ilius existentia ) cùm tamen impidiere nequeat strictè loquendo , aut determinare veritatem directam , quippe quæ est Scientia media directa .

223. Objiciens aliquando unam ex his formulis , argumentandi solum causâ , audivi à quodam recentiore , veritatem illam directam tantummodo connecti cum eo , quod, se existente , sit vera Scientia *inversa* , quo hiatu patefacto , erumpere fallaciam innoxie putabat . Sed hic nihil video, nisi fugam . Vel dicitis, veritatem illam directam solum, quando existit , connecti cum *inversa*. Et hoc est frivolum : tum quia id sufficit assumpto contrario , & fallacio instaurando , ut quivis experietur , si volet . Tum quia nil speciale profertis ad enevan-

vandum argumentis, cum commune sit omni fundamento connexionis connecti absolute, præcisè quando existit, cum termino suo. Sic physica duorum unio connectitur cum eo, quod ambo illa existant, quando ipsa extiterit, non autem quando non extiterit. Sic Scientia ipsa media præcisè connectitur cum eo, quod, quando ipsa extiterit, sit verum, extitum v.g. consensum sub libertate A; non autem quando ipsa non extiterit; nempe quia fundamenti connexionis nihil refert, quod ipso à rebus exulante detur, vel non detur suus terminus entitativè contingens. Vel dicitis, veritatem præstatam directam connecti dumtaxat cum eo, quod, si deficit consensus, & ipsa perseveret, deficit libertas A, ita ut connexionis sit cum inversa assumente præcisè pro hypothesi defectum consensus, sed cum hac necessaria veritate, cuius objectiva hypothesis sit complexum ex veritate ipsa directa, & defectu consensus, v.g. si deficit consensus, & simul sit verum dicere, extitum consensum, quando existit libertas A, deficit hæc. Quæ, ut video, est necessariò vera, cum hypothesis præferat metaphysicè connexam cum conditionato. Si inquam est id, quod dicitis. Contra 1. quia Scientia ipsa media non tantum connectitur cum veritate simpliciter necessaria, & supra ipsam reflectente, qualis esset illa, cuius objectiva hypothesis sit complexum ex Scientia ipsa media, & existentiâ libertatis A; verum etiam cum veritate simpliciter contingente, atque purè directa, qualis est illa, cuius hypothesis sit sola libertas A plena, & adæquata: ergo similiter non connectitur solidum cum veritate inversa simpliciter necessaria supra ipsam reflectente, qualis est jam memorata; sed ulterius cum inversa simpliciter contingente, istisque immuni reflexionibus. 2. Quia nulla daretur in rebus connexionis cum termino simpliciter contingente, sed omnis foret cum termino simpliciter antecedenter necessario: eadem quippe licentia diceret alias, productionem Petri v.g. dumtaxat connecti cum eo, quod, se existente, existat Petrus: & quod se existente, hic existat, est veritas simpliciter antecedenter necessaria, cum nulla detur potentia, sive sursum, sive deorsum, ut, existente fundamento connexionis metaphysica, deficit terminus. 3. Quia rationes supra expensæ eadem probant energiâ veritatem directam connecti cum inversa, cuius objectiva hypothesis sit defectus solus prioris conditionati, & cuius conditionatum sit defectus prioris conditionis: ergo solutio horum DD. non valet. Simplicior solutio est, negare antecedens istius quartæ fallaciæ, ob rationem datam capite superiore, ubi probationibus illius satisfecimus, & probavimus hanc

Scienciam.

Scientiam medianam directam : si daretur libertas *A* ad loquendum v. g. daretur locutio , non connecti per se metaphysicè cum hac Inversa , quæ sit contingentis veritatis , si non daretur locutio , non daretur libertas *A*

224. Quintum est . Hæc Scientia media directa , si existeret libertas *A* , existeret locutio , reciprocè connectitur cum hac Scientia media reflexa , si non daretur Scientia de efficacia libertatis *A* ad loquendum , hæc non conferretur à Deo . Illa namque infert , quod , existente libertate *A* , sub illa existet locutio ; sed hanc extitaram sub illa , infert Scientiam Divinam de efficacia illius libertatis , in quocumque illa-  
stet efficacia : ergo Scientia illa directa infert , quod , si datur libertas *A* , dabitur etiam Scientia de efficacia illius : ergo per argumenta ar-  
mata , & exarmata capite superiore infert , quod , si non datur Scien-  
tia de efficacia illius libertatis , non datur hæc libertas ad loquendum :  
ergo infert , quod , si Deus non haberet libertatem constitutam per  
Scientiam inefficaciam , non conferret libertatem *A* . Similiter hæc  
Scientia media reflexa connecti videtur cum illa directa : quoniam  
hæc Scientia reflexa infert , quod , si detur Scientia inefficaciam , non  
detur libertas *A* : ergo per eadem argumenta infert , quod , si detur li-  
bertas *A* , non detur Scientia inefficaciam . Sed non dari hanc Scien-  
tiam trahit secum absolutam existentiam Scientiæ de efficacia ; quip-  
pe necesse omnino est , quod si , data libertate *A* , dabitur Scientia de  
efficacia ipsius ad loquendum , data libertate *A* , detur locutio : hanc  
autem dandam , existente libertate *A* , infert absolutam existentiam  
Scientiæ mediæ directæ : ergo de primo ad ultimum præfata Scientia  
media reflexa infert existentiam Scientiæ directæ de efficacia . Hac  
igitur reciproca inter ambas Scientias medias connexione stabilità ,  
attollunt caput quatuor illa argumenta numeri 221 . siquidem Deus  
impedire potest , atque determinare Scientiam medianam reflexam ,  
secus directam , propriè loquendo . E converso autem libertas *A*  
creata potest impedire , ac determinare Scientiam medianam directam ,  
secus reflexam , propriè loquendo , ut sèpè inculcavimus : ergo falsæ  
sunt illæ maximæ capite decimo sancitæ .

225. Nego assumptum . Ad primam probationis partem , con-  
cessio integro syllogismo , nego secundam consequentiam : & ad se-  
cundam , concessio antecedente , nego primam consequentiam , quip-  
pe eviceravimus satis cavillationes , rectitudinem suadentes utrius-  
que consequentiæ . Quod ut altius menti insidet , reminiscere  
illorum duorum actuum Scientiæ mediæ directæ , quos num. 211 .

pro-

proposuimus ( nam alteri duo posteriores non sunt Scientia media per se ) & unumquemque illorum conferens cum unoquoque similiūm actuum Scientia media reflexa , deprehendes , omnem abesse connexionem inter illos . Et primò quidem hujusmodi actus : *Si daretur libertas A, daretur locutio.* *Si daretur Præscientia efficacia libertatis A ad locutionem, daretur decretum collativum ipsius.* Item hos : *Si daretur libertas A, non daretur locutio.* *Si daretur Præscientia inefficacia libertatis A, daretur ipsa libertas A: nullam invicem connexionem, aut oppositionem exercere, perspicuum videtur.* Tota igitur difficultas devolvitur ad eos actus , quos inducit fallax illud argumentum , nempe : *Si daretur libertas A, daretur locutio.* *Si non daretur Præscientia efficacia libertatis A, seu, si daretur Præscientia de inefficacia illius, illa non existeret.* Probo igitur , Scientias directas non connecti per se præcisè cum reflexis . Nulla veritas conditionalis connectitur per se præcisè , atque ex genere suo cum alia veritate conditionali assumente pro hypothesi defectum , sive formalem , sive illativum prioris ipsius ; & pro conditionato aliud , neq; connexum per se , neque oppositum cum illa priore veritate conditionali : quia , cùm nihil connectatur per se præcisè cum eo , quod , se deficiente , detur , aut non detur ; aliud quippiam respectu sui disparatum ; prima illa veritas conditionalis inferre nequit , dari conditionatum posterioris , existente hujus conditione , si hujus conditio objectiva sit deficiente illam primam veritatem conditionalem : & conditionatum , neque sit connexum , neque oppositum cum veritate ipsa priore conditionali . At Scientia hæc reflexa : *si non daretur Præscientia efficacia libertatis A, hæc non existeret;* assument pro hypothesi objectiva defectum illius Scientiæ directæ ; *si daretur libertas A, daretur locutio:* & pro conditionato defectum libertatis A , qui defectus , neque connectitur , neque opponitur per se cum hac Scientia directa , quæ ambo per se patent . Item hæc reflexa ; *si non daretur Præscientia efficacia libertatis A, seu, si daretur Præscientia inefficacia, ea libertas A non existeret;* assument hypothesim , quæ est defectus hujus Scientiæ mediæ directæ ; *si daretur libertas A, daretur locutio* ( hæc enim est Præscientia efficacia ) & conditionatum , quod per se neque opponitur , neque connectitur cum hac Præscientia inefficacia , ut etiam per se constat : ergo neutra ex illis duabus Scientiis mediis directis connectitur per se cum alterutra ex his reflexis . Præterea neutra ex his duabus reflexis connectitur per se cum alterutra ex illis directis : tum quia nulla Scientia purè conditionalis connectitur per se cum absoluta existentia

tie conditionis; aut cum absoluta carentia hujus. At utraque hæc Scientia media reflexa habet pro conditione objectiva defectum. Scientiæ mediæ directæ: ergo neutra connectitur per se, ut pure conditionalis (quod addo propter Authorem, quem deserui n. 197.) cum Scientia media directa. Tum quia connexio reflexæ cum directæ solum potest probari sistendo huc cavillationes illas, quas texui, & retexui capite superiore, persuadentes connexionem veritatis conditionalis directæ cum inversa. Tu, mutatis mutandis, eas, si vacat, instaura, & mutatis quoque mutandis, eas succinde. Fixum tamen maneat, nullam omnino connexionem versari, aut oppositionem inter Scientias medias directas ex una parte, & reflexas ex altera, quatenus veritates sint pure conditionales.

### §. I I.

226. **S**extum est hic syllogismus. *Si existeret libertas A, non se exerceret per locutionem: sed se exercet: ergo non existit:* cuius rectitudinem sophisticè probabis rationibus abutens illis, quibus num. 57. suadebam us: omne metaphysicè connexum cum eo, quodd, data conditione, detur conditionatum, sive positivum, sive negativum, connecti metaphysicè cum eo, quodd, deficiente illo conditionato, deficiat conditio illa. Tunc sic: libertas A potest determinare ambas præmissas, cum ambæ sint illi passim liberæ; sed determinare nequit consequens, quia ad solum Deum spectat, quodd existat, vel non existat libertas creata ad loquendum v. g: ergo datur libertas determinativa fundamenti connexionis absque libertate determinativa termini. Verum tamen explicatione illi annexa num. 160. istum repuli syllogismum conditionalem. Minor evertit majoris veritatem: quoniam hæc importat secum, quodd non coexistat libertas A, & locutio, & minoris autem veritas importat, quodd illa coexistant. Nam libertatem A loqui actu, absolute, est re ipsa existere illam, & locutionem: ergo veritas unius præmissæ reluctatur veritati alterius: ergo non sunt simul vera: ergo ex illis non infertur consequens verum. Quid ergo mirum, quodd libertas A nequies determinare simultaneam præmissarum veritatem nequirit determinare consequens?

227. Septimum est hic alias syllogismus. *Si existeret libertas A, daretur locutio; sed non datur locutio: ergo non existit libertas A.* Ecce præmissa utraque est determinabilis per libertatem A, ut patet. Sed

P p p

hæc

hæc non potest determinare consequens; siquidem non potest se ipsam liberè interimere per suummet exercitium: ergo stat libertas determinandi fundamentum connexionis metaphysicæ absque libertate ulla determinandi terminum: ecce insuper potest Deus impeditre illud consequens, cùm largiti possit libertatem A, & tamen neutrâ præmissam impeditre potest: quia non majorem, cùm sit actus Scientiæ mediæ; non minorem, quia Dei tantum est conferre, vel non conferre libertatem indifferentiæ; hæc verò semel existens, & ex hypothesi, quod Deus efficaciter nolit illam irresistibiliter reflectere in unam partem potius, quam in aliam à se tantummodo, & non ab alio determinatur ad unum potius, quam ad aliud: ergo stat libertas impeditiva termini connexionis metaphysicæ sine libertate impeditiva fundamenti. Respondeo 1. syllogismum istum decipulam esse: nam veritas minoris, vel determinatur per libertatem A, vel per aliam? Si primum; ergo coexistunt libertas A, & carentia locutionis: ergo falsa est major, quæ enunciat fore ut, si existat libertas A, non existat carentia locutionis: ergo corruuit simultanea præmissarum veritas: ergo non sequitur consequens verum. Si secundum; non insertur consequens: major namque non enunciat futurum esse, ut, existente libertate A; detur locutio per aliam libertatem dispositam, v. g. Turcæ; sed ut detur per ipsam libertatem A: ergo minor idonea inferendo defectum conditionis tantum est defectus locutionis per ipsam libertatem A determinandus: ergo defectus per aliam non venit ad rem, proindeque tam germanus est syllogismus iste, quam hic, cui æquivalet in suppositione hac: *Si existeret libertas A, daretur locutio; sed hoc non datur per libertatem B: ergo non datur libertas A:* quamobrem hebetatur utrumque illud ecce. Respondeo 2. libertas A nequit profectò determinare consequens; at neque utramque præmissam simul, in qua simultate radicatur connexio cum consequente. Probo assumptum. Si libertas A utramque præmissam determinaret absolutè simul coniungerentur hæc tria. Scientia vera enuncians libertatem A locuturam, si existeret ipsa libertas A, & libera omission locutionis per ipsam libertatem A. Sed hæc inter se pugnant essentialiter: quia impossibile omnino est, quod, stante illa Scientia Divina terminativè conditionatâ, existat libertas A, & non loquatur: item quod, existente libertate A, & omittente locutionem, dicatur vere illam locuturam, si existeret: ergo si libertas A determinaret absolutè utramque illam præmissam, simul coniungerentur res invicem oppositæ essentialiter: ergo nequit determinare simul

simul utramque præmissam. Quid ergo mirum, quod determinare nequeat consequens? Potest quidem determinare majorem; sed tunc desicerit veritas minoris, quia loquetur libertas A: potest insuper determinare minorem; sed exulabit veritas majoris: quoniam tunc libertas A existens in rebus omittetur liberè locutionem: ergo verum non erit, fore ut illa loqueretur, si existeret. Quorum ratio est: nametsi neutra præmissa per se præcisè opponatur alteri, neque opponatur libertati A, neque hæc per se præcisè opponatur alterutri soli præmissæ; attamen complexum ex ambabus præmissis opponitur per se libertati A, quia per se metaphysicè infert hujus defectum: item libertas A conjuncta cum veritate minoris infert falsitatem majoris; si namque existit libertas A, & non loquitur, falsum est, illam exercendam per locutionem, si existeret: Rursus conjuncta cum veritate majoris infert falsitatem minoris, quoniam bonus est hic syllogismus: *Si existeret libertas A, daretur ipsius locutio; sed exsistit: ergo datur ipsius locutio, en contradictorium tuæ minoris.*

228. Ad secundum illud ecce respondeo. Vel existit in rerum natura veritas majoris, vel non? Si hoc; quamquam Deus impedire possit illud consequens, necessarium non est, quod impedire possit alterutram præmissam; quoniam potestas impeditiva termini tunc solidum trahit secum potestatem impeditivam fundamenti, quando hoc non supponitur impeditum jam. Si illud; potest quidem Deus impedire consequens; at etiam potest impedire minorem: quippe omnis, qui, supposita veritate conditionali, potest purificare conditionem, verâ, & reali fruitur potestate faciendi, ut conditionatum existat in rebus; at positâ hac veritate, si existat libertas A, loquatur, Deus potest conditionem purificare, producendo videlicet libertatem A: ergo aliquâ verâ, & reali fruitur potestate faciendi, ut existat in rebus conditionatum, nempe locutio; sed hoc ipso, quod hæc existat, deficit veritas illius minoris: ergo posito, majorem esse veram, potest Deus impedire minorem; quamobrem aut supponitur impedita una ex illis præmissis, aut gaudet Deus potestate evitandi alteram: ergo subsistit, potentem impedire terminum, aut posse impedire fundamentum, aut hoc præsupponendum esse impeditum: quod non experitur voluntas prædeterminata ad amandum; nam ita dicitur potens impedire amorem, cum quo prædeterminatio connectitur, ut hæc non præsupponatur impedita, sed potius voluntatem actù urgens. Rationem ibi appositam dissipabis, si dixeris, libertatem A existentem, à se sola determinari, ut revera determinatur,

non opponi cum eo, quod aliis, supposita conditionatè determinatio ipius libertatis ab ipsa omnino impedibili, ipsam determinet absolutè ad consensum, seu potius faciat aliquid instar causæ per se, aut permissive dumtaxat, quod non per se præcisè, sed coniunctum cum alio dependente à libertate A, inferat absolutam determinacionem ipsius libertatis. Et hoc accidit in præsentiarum; nam, supposta illa veritate conditionali pendente ab ipsa libertate A soia, producit Deus hanc: complexumque ex hac, atque illa veritate, infert consensum.

229. Octavum est. Næc scientia media reflexa, seu veritas objectiva cognita per creaturam (perinde quippe est unum, ac alterum quo ad rem præsentem:) Si Deus haberet libertatem constitutam per scientiam medium directam de ineffacia libertatis creatæ A ad loquendum, hanc non conferret; est metaphysicè opposita cum eo, quod libertas A absolutè sileat. Sed hæc libertas A habet plenam potestatem silendi absolutè, alias non esset libertas ad silendum; & tamen ullam omnino habet potestatem impediendi eam veritatem, ut fatus probatum est supra: ergo non omnis libertas ad ponendum aliquid metaphysicè oppositum cum alio, seu aliis terminans metaphysicam oppositionem, est ulla tenus potestas ad impediendum illud alterum, contra superius sancta. Prob. major. Omne metaphysicè oppositum cum eo, quod coexistat Scientia media de ineffacia toties dicta libertatis A, & decretum hujus collativum, opponitur metaphysicè cum eo, quod libertas A sileat absolutè. Sed illa veritas opponitur metaphysicè cum ea coexistentia, quia illa, ut talis, consistit in eo, quod, existente præstatâ Scientiâ media, non detur decretum collativum libertatis A, subindeque ex suis intrinsecis repugnat coexistentiæ illorum duorum: ergo illa veritas opponitur metaphysicè cum eo, quod libertas A sileat absolutè. Prob. maior. Omne oppositum metaphysicè cum termino, quem metaphysicè infert hoc, quod est, libertatem A silere absolutè, opponitur metaphysicè cum eo, quod libertas A sileat absolutè (ut supra ostensum fuit) sed omne oppositum metaphysicè cum eo, quod coexistat Scientia media de illa ineffacia libertatis A, & decretum collativum hujus, opponitur metaphysicè termino, quem metaphysicè infert hoc, quod est, libertatem A silere absolutè; nam hoc infert existere decretum collativum libertatis A: alias hæc non existeret, unde nec sileret absolutè: & ulterius infert scientiam medium de ineffacia libertatis A; supradem repugnat, hanc silere absolutè liberè, quin Deus præviderit, futurum

turum suffisse, ut, si illa existeret, fileret : ergo. Et confirmatur obvertendo huc plerosque ex syllogismis, quos adversus prædeterminationem, & reliqua ejusdem conditionis obiicimus. Nam 1. Omnis, qui caret re quadam simpliciter necessaria ad silentium absolutè, necnon potestate adipiscendi illam, caret libertate ad silentium absolutum, neque hoc potest illi verti laudi, aut vituperio. Sic homo privatus caret libertate indicendi conventus generales Regni, atque Ecclesiæ, quia ad primos prærequisitus suprema authoritas politica; ad secundos autem suprema Ecclesiastica, & privatus homo neutram habet, aut potestatem acquirendi alterutram. Sic homo ferreis constrictus catenis, libertate orbus jacet ad currendum, quia cursus poscit expeditionem, quam homo ille non habet, neque industriâ suâ sibi comparare potest.

230 Atqui si, existentente libertate A, existat præfata veritas reflexa, libertas A caret quodam requisito, ut ipsa absolutè fileat ( caret namque veritatis ejus carentia, quæ est simpliciter requisita, ut libertas illa fileat absolutè, cum veritas ea opponatur metaphysicè illi silentio ) & caret insuper potestate acquirendi hanc carentiam, siquidem Dei solius est impedire stricte, ac propriè loquendo illam veritatem : quemadmodum creaturæ solius est impedire stricte scientiam medium directam ex hypotesi, quod Deus velit illam esse liberam : ergo si, existente libertate A, existat ea veritas, libertas A non est libertas ad silentium absolutè. 2. Omnis modus ponendi absolutum silentium, vel est ponendi illud in sensu composito præfata veritatis, vel in sensu diviso faciendo per ipsam libertatem A, vel demum in sensu diviso faciendo per ipsum Deum solum. At primum est impossibile propter metaphysicam oppositionem silentii à libertate. A oriundi cum ea veritate: secundum item, cum libertas A impedire nequeat illam veritatem, stricte loquendo, utpote soli Deo liberam : tertium non sufficit ad conservandam libertatem, ut nos clamamus: ergo posita veritate illa, nullus suppetit modus libertati A ponendo absolutè silentium : ergo posita veritate illa, corruit libertas. 3. Omnis, qui premitur impossibilitate eliciendi voluntariè silentium, & à se excutere illam non valet, premitur impossibilitate simpliciter antecedenti ad voluntarium silentium : & similiter omnis, qui premitur inevitabili necessitate loquendi, premitur necessitate antecedenti ad loquendum. Sed libertas A, præsupposita prædicta veritate, premitur impossibilitate aliqua silendi absolutè, & consequenter necessitate aliqua loquendi, ea nimis necessitate, à qua se expedire non

non valet: ergo libertas A præsupposita hujusmodi veritate, premitur necessitate, ac impossibilitate antecedenti: ergo non est libertas. 4. Eo ipso, quod libertas A ponat voluntariè silentium, infallibiliter deficiet illa veritas absque ulla potentia ad oppositum. Atqui libertas A absolutè existens, atque voluntariè loquens, habet plenam potestatem ad ponendum voluntariè silentium: ergo strictè, ac propriè impedire potest scientiam illam medium reflexam. Cur ergo libertas divina impedire nequit scientiam medium directam? Denique quisquis rationes omnes, quas in prædeterminatores contorquemus, perfunctoriè tantum cœperit, illas omnes in nos ex hac difficultate retorquere posse putabit forsitan. Neque meā sententiā obstruunt hiatum hunc DD. illi, qui docent, libertatem creatam pro casu existentiaz sive posse modò impedire indirectè, modò indirectè determinare Scientiam medium reflexam, quos nu. 192. adduxi, & num. 201. deservi. Neque mihi probantur tres illæ propositiones supra rejectæ, quibus instructus P. Junius cum fallacia concreditur.

### §. III.

231. **Q**uamobrem regiā carpo viam; aliud, est libertas determinativa termini oppositionis metaphysicæ, existens dependēter, licet non per sua intrinseca, ab eo, quod, pro suo libito, & ex mera sua determinatione terminum illū non exercet; aliud autem plurimum diversum libertas determinativa illius termini, existens independenter omnino ab eo, quod, exercitura sit, vel non exercitura illum terminum, idest quæ, inspectis cum intrinsecis suis constitutivis, tum extrinsecis circumstantiis, & quæ existet sive non ponat eum terminum; & hæc est, quæ essentialiter importat secū libertatem aliquā vitandi fundamentum oppositionis nondum sublatum. Illa prima interdum trahit secum hanc libertatem, interdum non. Si pro casu, quo prævideretur à Deo positura terminum illum (habet namque ad hunc ponendum expeditam libertatem) non præsupponeret pro priori ad primum instans sive existentiaz exclusum ilud fundamentum oppositionis, esset procul dubio plena potestas excludendi illud; at verò, si pro illo casu contingere, quod pro priori ad primum instans sive existentiaz, esset jam impeditum fundamentum illud, frustra desiderabis, ejusmodi libertatem importare secum potestatem impediendi fundamentum illud. Ad rem i-

igitur ; supposita ista veritate conditionali , cui fallacia innititur si quam fugiendi ergo solummodo negabis esse possibilem , saltem ut cognitam ab intellectu creato , quidquid sit de speciali repugnancia , quæ excogitari potest respectivè ad mentem divinam ) libertas A existit unicè dependenter , licet non per se ab intrinseco , ab eo , quod ex mero suo placito non tacitura sit ; & quia ex mero suo placito non tacitura est ( confertur namque dependenter à Scientia media de locutione . Scientia autem hoc enunciat fore , ut si existat libertas illa A , illa ex mero suo placito absque ullo irresistibili , atque simul inevitabili impulsu , exercebit se per locutionem ) quia si prævidetur tacitura , seu non locutura , non produceretur à Deo , ut pronunciat ista Scientia media refixa . Præterà si silentium exerceret , ut potest , pro priori ad primum instans suæ existentiæ supponeret exclusam veritatem istam conditionatam : ergo non requiritur , quod potestatem imbibat intra se , ad impediendum illum , quando confertur à Deo dependenter à prævisione infallibili de eo , quod , sola sponte sua non sit tacitura . Probo antecedens : omne quod pro priori ad primum instans suæ existentiæ præsupponeret decretum collativum libertatis A , & scientiam medium de inefficacia hujus libertatis ad loquendum , pro priori ad suam existentiam supponeret exclusam veritatem conditionalem : hæc enim consistit in eo , quod , data illa Scientiæ media , non detur illud decretum ( ut ipsam introsipienti constabit ) quamobrem nusquam fuisset in Deo , si coexisterent illa Scientia , & decretum ; quoniam verificaretur dari illud decretum , existente scientia illa . At casu , quo libertas A fileret , supponeret pro priori ad primum instans suæ existentiæ tum decretum divinum sui collativum , ut patet , tum scientiam medium de sua inefficacia : quandoquidem est impossibile , libertatem A filere absolute , quin pro priori ad suam existentiam detur in Deo præscientia de hoc usu libertatis A , alioquin de repente , ac nil tale cogitanti , & forsan oppositum desideranti Deo obtingeret aliiquid : ergo casu , quo libertas A ex mero suo libito sine impulsu irresistibili fileret , pro priori ad primum instans suæ existentiæ præsupponeret exclusam veritatem illam conditionatam : ergo necesse non est , illam importare secum potestatem excludendi illam veritatem .

232. Ex quibus colliges , libertatem determinativam termini oppositionis tunc solum esse impeditivam fundamenti , quando neque hoc præsupponitur jam impeditum , neque illa per Deum confertur dependenter ab infallibili prævisione conditionata de eo , quod illa

ex

*ex mera sua determinatione* neque determinatura sit terminum oppositionis neque impeditura terminum connexionis , & quando priori ad primum instans suæ existentia , non præsupponeret impeditum tale fundamentum pro casu , quo poneret absolute unum terminum , & impediret alium ; quando vero aut supponitur jam impeditum fundamentum-illud , aut ipsa producitur à Deo dependenter ab eo , quod ex mera ipsius determinatione nil factura est , oppositum illi fundamento necesse non est , quod secum trahat potestam impediendi fundamentum illud . Similiter libertas ad exercendum fundamentum metaphysicæ connexionis , tunc est libertas ad faciendum , quod existat terminus , quando neque hic præsupponitur jam existens , neque libertas illa existit dependenter ab eo , quod ex mera sua determinatione fundamentum illud non exerceat , secus autem si aliquod ex his absit . Jam ratio est ; fallacia hæc nititur in eo , quod libertas illa ad loquendum , & silendum conferatur à Deo dependenter à Scientia media locutionis : ergo nititur in eo , quod libertas illa supponatur locutura ex mera , & pura sua determinatione : ergo necessitas loquendi , & impossibilitas tacendi , quibus premitur , sunt consequentes ad ipsam libertatem : ergo illi non adversantur . Porro doctrinam hanc dexterè non minus , ac feliciter in favorem Prædeterminationis detorquebis , si dixeris , libertatem indifferentia ita conferri , ac predeterminari à Deo dependenter ab eo , quod illa *ex mero suo placito* , non omittat amorem v.g. ut si prævideretur omissura illum *ex mera sua determinatione* , non modò non prædeterminaretur à Deo , verùm neque simpliciter existeret in rebus , ut nos dicimus in hoc casu particulari huius fallaciæ ; aut voluntatem liberam ad amorem v.g. pro priori ad primum instans suæ existentia , exclusam præsupponere essentialiter prædeterminationem ad carentiam amoris dependenter à prævisione conditio- nata de eo , quod ipsa libertas ex mera sua determinatione non omittat amorem : sed jam vides , neutrum coincidere cum predeterminationis quidditate , & unum quodque importare secum , quod prædeterminatio sit vitabilis , & simul inevitabilis per creaturam : id est , sit prædeterminatio physica dependens à Scientiâ mediâ .

233. Hinc in forma , syllogismi præmissas donans , distinguo consequens : non omnis libertas ad ponendum aliquid metaphysicè oppositum cum alio , est ulla tenus libertas ad impediendum hoc aliud , quando vel hoc præsupponitur jam impeditum , vel libertas existit dependenter unicè ( licet non per sua intrinseca ) ab eo , quod ex

ex mera sua determinatione, non ponat illum terminum oppositionis; concedo consequentiam: quando hæc duo absunt; nego. Ad primam confirmationem distinguo similiter majorem, omnis qui caret re aliqua simpliciter necessaria, ut conditione proximè prævia, nec non potestate comparandi illam, caret libertate proxima; item omnis qui caruerit re alia necessaria ad silendum, & potestate comparandi illam, & non existit unicè dependenter ab eo, quod ex mera sua determinatione, non sileat, & casu, quo silentium elicitorus prævideretur, non supponeret jam existentem rem illam pro priori ad ipsum, caret etiam libertatem ad dissensum; & hoc evincunt duo illa objecta exempla, in quibus coeunt hæc omnes conditiones. At cum in nostro casu hæc non concurrant, quandoquidem carentia illius Scientiæ reflexæ non est conditio proximè prærequisita ad voluntarium silentium: & insuper supponitur, prædictam libertatem ad loquendum, & silendum conferri à Deo ex suppositione, quod ipsa libertas ex mera sua determinatione sit exercenda non per silentium, sed per locutionem, idcirco est disparitas ad exempla ista, nec non ad prædeterminationem. Ad secundam respondeo, potestatem silendi in sensu diviso faciendo per solum Deum non sufficere libertati, quando hæc producitur à Deo independenter omnino à prævisione cōditionata de eo, quod non sit tacitura ex mera ipsius determinatione; & quando non contingit, quod hic sensus divisus præsupponatur iam factus pro priori ad primum instans existentiæ libertatis, si prævideretur hæc pro mero suo libito tacitura, quod accidit in prædeterminatione. Potestatem autem silendi in sensu diviso faciendo per solum Deum, pro priori ad existentiam libertatis, quando hæc tacitura esset, & quidem dependenter à prævisione hujus silentii ex mero placito creaturæ, sufficere libertati, quando hæc producitur à Deo dependenter unicè ab eo, quod non sileat ex mera ipsius determinatione; & hoc accidit in casu præsenti. Ad tertiam respondeo, impossibilitatem, atque necessitatem illius generis esse antecedentes, & consequenter nocivas libertati, quando hæc non producitur dependenter unicè ab eo, quod pro suo mero placito non sit tacitura, & quando pro priori ad suam existentiam non supponeret illas ablatas, si tacitura prævideretur; secus in oppositis circumstantiis, quales sunt præsentes. Quocirca hæc libertas A non constituitur per carentiam præfatæ veritatis econditionalis, quippe quæ si existat, cùm illa existit sine carentia illius; sin verò absque illa existat, præsupponit carentiam illius pro priori, ad se: ergo in nullo casu constituitur

per illius carentiam . Ad quartam dico: eo ipso , quòd libertas A ponat silentium infallibiliter defecisset ab aeterno veritas illa conditio nata reflexa pro priori ad primam illius libertatis existentiam ; quoniam fuissent decretum collativum illius libertatis , & divina Praesentia de eo , quòd , si illa libertas A existeret , ex mero suo placito exerceret se per non locutionem : ergo supponeret ab aeterno impeditam illam Scientiam reflexam : ergo necesse non est , quòd ipsa im p ediret illam .

234. Quid autem si Deus nollet veritatem praefatam tunc sus pendere , ut nolle potest , siquidem liber est , & creatura suis exercitiis eam prædeterminare non valet ? Resp. casu , quo libertas A dis sentiret absolutè , nequiret Deus prædictam veritatem conditionatam conservare impotentia quidem non tam consequenti ad usum libertatis creatæ , quām ad exercitium ipsiusmet libertatis divinæ , & consequenter impotentia sociabili cum ipsa libertate divina ; nam casu , quo Deus præsciens inefficaciam libertatis A , ipsam largiretur sponte sua , & citra alienam determinationem , nequiret simul determinare veritatem illam reflexam conditionatam , & quidem impotentia subsequente ad ipsam divinam libertatem (Quoad primum constat , cùm sit chymæra , fore ut Deus non largiretur libertatem A , si præcognosceret eam esse inefficacem ad loquendum , & illam nihilominus largiatur : quicad secundum quoque , nam cùm impotentia determinandi prædictam veritatem conditionalem fundetur in eo , quòd actù conferat libertatem A , quando prævidet illam inefficacem esse , & liberrimè conferat hanc libertatem in eo casu , palam concluditur ejusmodi impotentiam fundari in exercitio consequente ad divinam libertatem . ) At casu , quo libertas A sileret actù absolutè , continget , quòd Deus præsciens inefficaciam libertatis A , ipsam sponte sua largiretur , ut planum est : ergo casu , quo libertas A sileret actù absolutè , nequiret Deus prædictam veritatem conditionatam reflexam determinare ; & quidem impotentia subsequente ad exercitium ipsius libertatis divinæ : ergo nihil indecorum Deo . Ex hucusque dictis habes expositionem legitimam eorum principiorum , quæ capite 10. sanxi mus circa potestates tum determinativas , tum impeditivas modò fundamenti , modò termini , aut connexionis , aut oppositionis ; ex quorum principiorum non vera intelligentia non paucæ procedunt retorsiones contra nostram doctrinam de libertate . Instabis demum : habeat Deus hos duos actus Scientiarum mediæ reflexæ : si libertas A creata non esset efficax ad loquendum , non darem illam ; si esset efficax de-

*amorem illam*. Esto insuper, quod Deus illam det; tunc illa libertas non potest locutionem omittere, quin se ipsam destruat, ut patet; si vera est doctrina data. Respondeo similiter in istis, & ex ipsis suppositionibus, nequit prouersus libertas A omittere locutionem; sed hæc impotentia tantum nocet libertati, quantum impotentia silendi ex suppositione, quod loquatur. Etenim supponis, istam libertatem conferri à Deo ex suppositione Scientia medias directas locutionis: ergo ex suppositione, quod illa libertas ob meram suam determinationem locatura sit: ergo necessitas loquendi, & impotentia tacendi est consequens ad ipsam libertatem A: ergo illi non adversatur. Si hiac lucrum aliquod elicere velis in favorem Prædeterminationis, debes dicere idem: nimur illam ponit à Deo ex suppositione. Scientia medias de eo, quod libertas creata ex mera sua determinazione positura sit amorem v. g. sed hoc jam vides non posse dici. Rursus; aliud est, quod libertas creata possit se absolute destruere libere; aliud, quod absolute possit facere aliquid, quod si factura prævidetur per Deum, illa non extinguet in rebus. Primum est impossibile, & non sequitur ex ista instantia. Secundum sequitur; sed absurdum non est.

## C A P U T X I V.

*Explicato illo principio nostro: Omne connexum, & inevitabile &c. multe solvuntur difficultates Theologicae.*

235.



Uia hoc est unum è principiis, ob quæ nobis non probatur physica Prædeterminatio, nec quidquam aliud simile est prædicatis illis connexionis, & inevitabilitatis, sive intrinsecum, sive extrinsecum sit voluntati humanae, sive ponatur sursum, sive deorsum, sive antrorsum, sive retrosum, sive dextrosum, sive sinistrosum, sive in actu primo, sive in actu secundo, sive in actu intermedio, dummodo inquam his variationibus non deseratur alterutrum ex eis prædicatis. Item quia inter argumentandum hac super re, parcere solemus eis, quæ mox subjiciemus (tum quia syllogismi evaderent plus justo longi; tum quia illa non possunt aptari dictas prædeterminationi, aut similibus aliis; tum quia illa brevitatis gratiâ supponuntur) idcirco ne aliquis invadat hæc principia, preferendo casus aliquos, in quibus falsificari videntur, oportet illos

evolvere , ut constet quid dicamus , & quid non dicamus , item , ut constet principia hæc firma , & inconclusa manere contra illud , contra quod proponuntur : quocirca defendantis personam , non impugnantis ago in his omnibus .

236. Principium igitur nostrum est ; *quoties existit A connexus metaphysicè per se determinatè, absoluè cum locutione v.g. Petri, & simul prorsus inevitabile ipsi Petro , bic non habet libertatem indifferentiæ ad loquendum* . Nec uspiam in tota Philosophia , aut Theologia invenitur quippiam habens hæc prædicata , quod certò absolutè *quoad omnes* , vel saltem respectivè *quoad nos* cohæreat cum prædicta specie Libertatis ; quocirca retorsio nulla fiesi potest . In primis debet existere : quoniam licet cætera omnia habeat prædicata , si illud non existit in rebus , certè illud non tollet libertatem indifferentiæ , sicut neque illud , quod simul est prærequisitum , & inacquiribile , si tametsi præsens sit , atque existens in rebus , qualis est Divina Omnipotencia , quæ tametsi prærequisita sit indispensabiliter ad omnem operationem creaturarum , & insuper hæc non possint facere , quod Deus sit omnipotens , verumtamen non opponitur libertati indifferentiæ ; nempe quia præsens est , atque existens in rebus . Homo autem præ determinatus ad loquendum premitur præsente prædeterminatione , & caret altera ad tacendum , quæ dicitur omnino prærequisita .

237. Debet 2. esse connexum cum uno determinatè exercitio libertatis ; si enim ad utrumvis indifferentes fuerit , perspicuum est , quod , attento hoc principio , non opponitur libertati indifferentiæ , tametsi reliqua omnia prædicata habeat . Sic omnipotentia , decreatum applicativum ejusdem , & potentia ipsa volitiva sunt inevitabiliæ homini , inacquiribilia , simpliciter prærequisita ; & tamen libertati non officiunt , quia non connectuntur cum locutione v. g. 3. Hæc connexio debet esse metaphysica , hoc est divinitus etiam iustificabilis ; si namque fuerit connexio purè moralis , potest stare cum libertate ; quoniam vehementissimam inclinationem exterdam , ac internam ad malum , vel ad bonum ex eis , quæ raro , vel numquam separantur à consensu , potest homo divinâ gratiâ præventus , aut diabolica fraude deceptus superare simpliciter sine ulla contradictione , quamquam non possit excutere à se illam necessitatem moralem .

238. Similiter si connexio fuerit purè physica , tametsi inevitabilis sit homini , stare potest cum libertate indifferentiæ ; ium quia connexio purè physica potest esse resistibilis , atque vincibilis per aliud agens naturale præpotens , ut passim vincitur connexio physica .

sica aquæ cum tua frigiditate, & connexio gravium cum motu deorsum: ergo quamvis voluntas prematur re aliqua physicè connexa cum operatione A, poterit prævalere contra illam, & facere, quod ignis cum aqua, & quod impulsus cum lapide sursum projecto; tum quia licet connexio physica sit ex illis, quæ toti naturæ sunt irresistibiles, potest Deus dare homini, ut caufæ subordinatae, facultatem patrandi miraculum, violandi connexionem illam, sicut de facto largitur multis facultatem absolvendi à peccatis, transubstantiandi panem, & vinum in corpus, & sanguinem Jesu Christi &c. sed homo illa facultate pollens posset omittere illam operationem in sensu composito illius inevitabilis, atque toti naturæ irresistibleis connexionis physicae, ut patet: tūm quia licet Deus non concederet homini eam facultatem, posset tacitus apud se decernere conservacionem illius rei physicè connexæ cum locutione, *tamen si homo fileret*. Et, hoc stante decreto, posset homo, & loqui, & silere pro libito suo: quia connexio violata, aut violanda perinde est, ac si non esset connexio. Sic quamquām habitus gratiæ, & charitatis essent homini inevitabiles, & quamquām sint physicè oppositi cum omni lethali, posset homo justus habere libertatem indifferentiæ ad peccandum, si Deus conciperet hoc decretum: *Volo conservare habitum in homine tamen si peccet, atque indignum se reddat, quæ species conjunctionis miraculosa, habitus gratiæ cum peccato, non redderet Deum auctorem peccati, quamvis eum redderet hæc altera, quæ idcirco repugnat: Volo existere peccatum simul cum gratia: licet enim omnis coexistentia sit mutua, non est idem, velle existentiam rei A pro casu rei B, ac velle existentiam hujus pro casu illius: quandoquidem potest Deus velle existentiam unionis pro casu, quo existant extrema, & non potest velle, quod existant hæc pro casu, quo existat illa, quia esset volitio stolida, utpote volitio rei prorsus necessariæ.*

239. Debet igitur connexio esse metaphysica, qualis est physicæ prædeterminationis. Et insuper debet 4. esse *per se præcisè connexas res illa*, de qua disputatur, sit nec ne opposita libertati; si enim res illa non fuerit *per se præcisè connexa*; sed per aggegatum sui, & aliis rei, fieri potest, quod hæc alia res sit vitabilis libertati hominis ergo tunc connexio rei A, v. g. cum locutione erit vitabilis libertati hominis, si quidem vitabile erit unum constitutivum connexionis: ergo quamquām res A existat, & sit metaphysicè connexa cum locutione, & insuper sit inevitabilis libertati quoad suam existentiam in rebus, cum sit vitabilis quoad connexionem, subiuste potest libertas indifferentiæ.

Ob

240. Ob hanc rationem inter alias , unio hypostatica stat cum libertate ad acceptandum mortem strictè , & rigorosè præceptam ; licet enim ea unio fuerit Christo Domino inevitabilis , utpote non collata ipsi dependenter à suis operibus , ut egregiè ponderat Augustinus contra Massilienses . Item licet fuerit metaphysicè opposita cum omni peccato illius humanitatis Sacrosancto , & consequenter cum non acceptatione mortis præceptæ . Et demum licet fuerit connexa cum acceptatione , verumtamen hæc connexio non identificabatur absolute cum sola ipsa unione , sed cum hac , & cum præcepto ipso paterno (hoc namque solo deficiente , nolitus moriendi non foret peccaminosa , & consequenter unio non opponeretur cum ipsa , & consequenter non connecteretur cum acceptatione mortis . ) At præceptum hoc , ut absolute obligans , erat vitabile per ipsum Christum , quia præceptum non erat terminativè absolute , quia non obligabat Christum , ut se occideret , nec ut provocaret Judæos ad enorme illud scelus ; sed erat terminativè conditionatum obligans tantum , ut mortem acceptaret casu , quo Judæi ultima illa , & individua obstinatione inferrent illi necem ( multoties namque quæsierunt eum ad necem , & Christus sine peccato declinavit illam . ) At causum hunc potuit vitare ; quoniam si cognovissent ipsum , ipsum non crucifixissent , ut docet Paulus . Et Christus potuit facere , ut ipsum cognovissent vocando ad se Pilatum , Annam , Caipham , & ceteram turbam Sacerdotalem , sicut vocavit Matthæum sedentem ad telonium , & sicut vocavit duo Apostolorum paria , nil tale curantium , sed in punctionem incumbentium : ergo absolute oppositio unionis hypostaticæ cum nolitione acceptandi mortem , & consequenter absolute connexio cum acceptatione fuit Christo Domino vitabilis : ergo tametsi unio illa fuerit connexa cum ea acceptatione , & insuper inevitabilis quoad existentiam , Christo Domino , stetit cum hujus libertate : eo quia oppositio , & connexio non identificabatur absolute cum sola unione , sed cum complexo ex hac , & alio , quod erat Christo vitabile .

*Luc<sup>c</sup> 4.  
Joan<sup>s</sup> 8.*

*1. ad Go-  
rini<sup>t. 2.</sup>*

*Mattb. 4.*

241. Quamobrem prænoscens Christus fore ut , si amplius manifestaret Judæis suam divinitatem , non quererent ipsum ad necem ultima illa , & individua obstinatione , & consequenter , quod tunc non teneretur subite necem . Item prænoscens foreut , si non manifestaret suam divinitatem , ipsum quererent ad necem , & tunc teneretur illam acceptare , potuit concipere hunc actum simplicem , atque indivisibilem , licet non possimus illum explicare unico verbo

bo (sicut nec essentias metaphysicas rerum, quae indivisibiles sunt) volo manifestare bis meam divinitatem, & illos vocare ad me, sicut vocavi Apostulos: & quia in hoc casu non inferent mibi necem, & ego non tenebor mori, solo mori. En nolitionem moriendi nostra peccaminosam. Potuit etiam concipere hunc alterum similiter indivisibilem: Nolo bis manifestare meam divinitatem; & quia sic inferent mibi necem, & ego ex paterno precepto tenebor acceptare illam, volo illam acceptare. En actum immediatè liberum in sensu reali, quia suppono, nolitionem manifestandi suam divinitatem, & volitionem acceptandi mortem esse unicum actum, impetum, & motum voluntatis. Et en quoque obedientiam formalem, quia totus hic actus quoad passionem externam acceptatam movetur proximè adæquatè ex paterno precepto, licet quoad externam manifestationem, quæ utique distinguitur realiter à passione externa, habeat motuum aliud: quia non est impossibile, quod unus totus actus quoad A. v.g. moveatur plenè adæquatè ex uno motivo, & quoad B realiter distinctum ab A, moveatur ex alio. Christus igitur Dominus elegit hunc secundum actum propter salutem nostram, nam oblatus est, quia ipse voluit, & nemo sustulit animam ejus ab ipso, sed ipse posuit eam.

*Isai. 53.  
Joan. 10.*

### §. II.

**O**b hanc etiam rationem habitus gratiæ, ac charitatis potest stare cum libertate ad actum pro instanti, in quo urget preceptum, licet opponatur metaphysicè cum lethali, & consequenter connectatur metaphysicè cum actu precepto: & quamquam sit quoad suam existentiam penitus inevitabilis creaturæ. Etenim absoluta illa oppositio, & connexionio non identificantur cum solo habitu, sed cum aggregato ipsius, & unionis physicæ cum anima; solum. Quippe opponitur metaphysicè cum lethali *in persona*, *in qua est habitat ipse per unionem*. At quamquam habitus quoad suam entitatem foret inevitabilis creaturæ, poterat esse vitabilis quoad unionem sui cum anima. Nam pone Deum, utpote supremum Dominum exigentia, ac connexionis habitus cum unione sui ad animam decernere conservare habitum, tametsi homo lethaliter peccet, & consequenter tametsi destruatur unio habitus cum anima: conservare inquam instar principii merè assidentis, non autem informantis, quia ut homo redditur per habitum proximè potens elicere actionem charita-

ritatis non est metaphysicè necessarium, quod habitus informet hominem, sed sufficit, quod sit principium assistens: sicut omnipotencia, & decretum hujus applicativum circa unionem physicam suum anima, hanc constituant proximè potentem ad suas operationes; atqui in hac hypothesi homo lethaliter peccans destrueret unionem habitus, & hunc non destrueret, nec ullum aliud essentiale constitutivum suæ libertatis ad actum charitatis, si quidem illa unio esset quidem naturaliter prærequisita ad actum charitatis, non autem essentiale constitutivum actus primi proximi ad illum, ut explicatur exemplo omnipotentiæ, ac decreti applicativi; ergo quamvis habitus esset metaphysicè oppositus cum lethali, & insuper inevitabilis quoad suam existentiam à creatura, poterat stare cum hujus libertate indifferentiæ. Nempe quia ea oppositio constituitur per unionem ipsius cum anima, & unio illa poterat esse impedibilis, & consequenter habitus foret impedibilis, non quoad existentiam, sed quoad oppositionem cum lethali, & connexionem cum actu præcepto.

243. Imò etiamsi unio hæc esset inevitabilis, & consequenter etiamsi habitus foret metaphysicè oppositus cum lethali, & insuper inevitabilis quoad existentiam, & quoad unionem, stare poterat cum libertate indifferentiæ ad actum præceptum: si nimis præceptum ipsum imponeretur à Deo dependenter à Scientiâ mediâ de actu ipso sub hypothesi libertatis constitutæ per habitum unitum illi personæ (non autem per complexum ex eo habitu, & notitia urgentiæ præcepti, quia libertas illa non esset libertas indifferentiæ ad utrumvis, & scientia conditionata assumens pro hypothesi habitum illum simul cum notitia præcepti esset scientia necessaria, & non media) ita ut præceptum, & hujus notitia essent quid superadjectum actus primo proximo ad eliciendum actum Charitatis v. g. tunc enim libertas illa potens omittere actum charitatis posset facere, ne umquam fuisset Scientia media de actu illo sub hypothesi talis libertatis: ergo posset facere, ne umquam fuisset illud præceptum regulatum per illum actum individuum scientiæ mediæ: ergo potest facere, ne omissione actus illius esset peccaminosa: ergo posset facere, ne habitus opponeretur cum illa omissione: ergo posset facere, ne concreteretur cum actu illo charitatis: ergo de primo ad ultimum substeret habitum illum alias inevitabilem quoad suam existentiam, & unionem, esse vitabilem quoad suam oppositionem cum omissione illius actus. Nempe quia absoluta oppositio illius habitus cum omissione hac constituitur per existentiam, & urgentiam præcepti quod

quod esset impedibile quoad utramque à libertate illa.

244. Debet igitur connexio identificari ad eum quod eo con-  
nexo, quod dicitur adversari libertati indifferentia: unde illud esse  
debet *per se praeceps* connexum cum uno exercitio, qualis est physi-  
ca prædeterminatio. Debet 5. Connexio esse determinata cum uno  
exercitio; quoniam libertas ipsa indifferentia est antecedens ne-  
cessitas disjunctiva ad liberè operandum, vel liberè non operandum;  
& tamen libertas indifferentia, quamvis sit inevitabilis sibi ipso, certè  
non destruit se ipsam. Debet 6. Esse connexio terminativè *absoluta*,  
qualis etiam dicitur connexio prædeterminationis physica. Si enim  
connexio fuerit terminativè conditionata dumtaxat, potest stare  
eum libertate, quamvis inevitabilis sit per hanc; sic connexio cum eo,  
quod existat actio ex suppositione, quod existat, est connexio meta-  
physica, & est creaturæ inevitabilis, quia non est facultas ulla fa-  
ciedi, ne actio connectatur cum sua existentia ex suppositione,  
quod existat; & tamen hæc connexio non officit libertati indiffe-  
rentia: nempe quia sicut veritas, ita connexio purè conditionalis  
nil ponit in esse; & hoc tametsi conditio, sub qua est connexio, non  
cadat sub potestate creaturæ, modò tamen illa conditio non existat in  
rebus. Hæc enim metaphysica veritas conditionalis: *Si datur ne-  
cessitas antecedens amandi Deum, datur amor Dei;* assumit hypothesis,  
quaè certè non cadit sub potestate creaturæ, alias non foret *antecedens  
necessitas*; & tamen hæc veritas, utpote merè conditionalis, merè  
speculativa, & nil ponens in esse stat cum actuali libertate aman-  
di Deum.

245. Hinc solvitur famosa fallacia similis ei, quam scripsi-  
mus cap. 13. num. 228. fieri solita contra scientiam medium tam-  
directam, quam reflexam, nempe. Esto Deum dare libertatem A  
efficacem ad loquendum v.g. cum prævisione, seu scientia media re-  
flexa de eo, quod, si libertas illa esset inefficax ad bonam eam locutio-  
nem, ipse Deus illam non daret: item cum scientiâ mediâ reflexa  
de eo, quod, si libertas illa esset efficax, illam daret; tunc sic. Com-  
plexum ex his duabus scientiis mediis reflexis, est *per se* metaphy-  
sicè oppositum cum non locutione illius libertatis: est namque infal-  
libilis, ut pote Scientia divina, & dicit fore ut ea libertas non exi-  
stet, si non loqueretur. Deinde est inevitabile creaturæ; quoniam  
ficit scientia media directa determinatur a sola creatura; ita reflexa  
determinatur à solo Deo: ergo daretur aliquid *per se* metaphysicè, &  
ac determinativè oppositum cum uno exercitio libertatis creatarum, &

R r r

huic

huic penitus inevitabile, & nihilominus subsisteret libertas crea-  
ta: ergo.

246. Solvitur inquam, & amplius declaratur solutio scripta  
ibidem num. 230, quobiam vel sermo est de solo illo complexo; vel  
de cōplexo quātū reflexo ex illo, & ex decreto collativo illius liberta-  
tis inefficacis ad loquendum; vel de cōplexo ex illis scientiis, & ex de-  
creto collativo illius libertatis efficacis ad loquendū, quod decretum  
inuitat per illam vocem dare. Si primum; complexum illud non est  
per se prēcisē oppositum absolutē cum non locutione illius libertatis  
(quis potest coexistere carentia illius libertatis, siquidē condicio-  
nalis nil ponit in esse, & consequenter potest coexistere non locu-  
tioni libertatis illius) sed conditionatē, nimirum pro casu, quo illa  
libertas existat. Est enim oppositum cum illo silentio, seu nō locu-  
tio ne non utcumque, sed nascens ex libertate A, & per libertatem A. Si  
secundum; ponitur chymæra, nempe coexistentia præscientia infalli-  
bilis divinit̄ de non existentia libertatis A, si esset inefficax ad loquen-  
dum: & decreti collativi libertatis ejusdem inefficacis ad loquendum,  
hoc enim decretum, & hujus libertatis existentia inefficax ad loquen-  
dum falsificaret illam divinam præscientiam; quod est chymæra.  
Si tertium; fatemur complexum ex illis duabus scientiis, & insuper  
ex ipsa libertate A, seu decreto ipsius collativo esse per se metaphysi-  
cā, absolutē, ac determinatē connexum cum locutione, & conseq-  
uer modis eisdem oppositum cum non locutione oriunda ex libe-  
rata eadem; verumtamen tale complexum pendet ex ipsa libertate  
A, & per hanc est vitabile: ergo non producitur quidquam conne-  
xum, & inevitabile, quod stet cum libertate.

247. Probatur minor. Omne complexum, ejus una pars pen-  
det ex libertate A, pendet ex bac; sed tale est istud. Prob. Una pars  
istius complexi est ipsa libertas A, sive decretum collativum ipsius;  
at in casu, juxta quem procedit objectio, ex ipsa libertate A, pendet  
ipsius existentia, & decretū collativum. Prob. Non dicimus, libertatē  
A pendere à se ipsa, quatenus sit à se sicut Deus, nō quatenus se ipsam  
producat: non quatenus possit conjugere cum sua existentia suam  
non existentiam. Absint tres hi barbarismi; sed quatenus est plena-  
proxima, & expedita facultas determinandi aliquid (scilicet silen-  
tium, sive non locutionem) quod si determinatura foret, numquam  
fuisset producta per Deum: non enim est idem esse proximam, &  
expeditam facultatem faciendi aliquid, & illud facere; quandoquidem  
non semper facimus id, quod proximè, ac expeditè possumus fa-  
cere.

cere. At casus, in quo procedit objectio est, quod, si determinatur, fore silentium, non conferetur per Deum, & consequenter, quod si factura esset id, quod facere poterat, non esset collata, seu producere per Deum: ergo posito, quod Deus decrevisset, aut præcognovisset, quod libertatem illam non conferret, si illa non elicitura esset locutionem, ex ipsa libertate A pendet ipsius existentia, productio, & decretum collativum: pendet inquam, non quidem absolute, non directè, non positivè; sed negativè, indirectè, & conditionatè: quantum aliunde supposita, ex mero divino arbitrio, veritate infallibili conditionata de non existentia futura ipsius libertatis sub hypothesi, quod non esset factura, quod poterat non facere libertas illa; quia talis, & ut talis fungitur proxima, expeditaque facultate purificandi eam conditionem, hoc est non faciendi illud, quod ex mera sua determinatione facit. Ut enim advertimus, non est idem posse proximè facere, & facere, aut posse proximè non facere, & non facere. Fateor quod in isto involucro terminorum, & ex suppositione ipsius, non potest ullatenus illa libertas non loqui; sed hec impossibilitas est consequens ad ipsam: quia supponis, illam conferri à Deo sub scientia de eo, quod illa ex mera sua determinatione locutura sit: ex suppositione autem hac certè non potest non loqui; sed suppositio est consequens ad ipsam libertatem. Idem dixi loco isto citato.

248. Hinc 1. Qui dicat complexum ex solis illis duabus scientiis mediis reflexis esse *per se præcisè absolute* oppositum cum silentio illius libertatis A, implicant in terminis, quoniam ex una parte illo sicutagoremate *per se præcisè* excludit omne aliud constitutivum illius oppositionis absolute: & ex altera inquiens silentium libertatis A, includit hanc libertatem, si quidem hanc ex mera sua determinatione silere, seu non loqui essentialiter importat hujus libertatis existentiam, & in casu praesenti importat illam, ut constitutivum essentiale illius oppositionis absolute, ut nuper dicebamus.

249. Hinc 2. hæc doctrina detorqueri nequit in favorem prædeterminationis; quoniam de hac, vel dicis idem, quod de illis Scientiis mediis reflexis, vel non? Si hoc tu ipse das disparitatem. Si illud; ergo cùm complexum ex gemina illa Scientia media reflexa sit conexum cùm existentia libertatis A sub hypothesi, quod hæc prævideatur per Scientiam medium directam futura fore efficax: & sit oppositum cùm ejusdem existentia sub hypothesi, quod per Scientiam medium directam prævideatur futura inefficax, debes idem fateri de

Prædeterminatione : nimirum hanc esse connexam , aut oppositam cum uno determinatè exercitio libertatis creatæ sub hypothesi , quod hæc per Scientiam medium directam prævideatur futura efficax : aut sub hypothesi , quod illa libertas per Scientiam medium prævideatur inefficax : ergo jam deseretur Prædeterminatio , & subsisteret decretum Prædeterminativum libertatis ad loquendum v. g. pendere à Scientia media de usu illius libertatis: sicut posita geminæ illa Scientia media reflexa , decretum collativum libertatis illius regulatur per Scientiam medium de efficacia ipsius ; siquidem ponitur , Deum illam nominaturum , si prævideret illam inefficacem .

250. Debet itaque esse absoluta connexio illius principii , quod oppositum dicetur libertati indifferentiæ . Debet 7. esse principium illud libertate inevitabile quoad suam existentiam , connexionem , & unionem cum illa persona , qualis est prædeterminatio . Si enim illud principium fuerit verè , ac simpliciter vitabile per præsentes vires illius libertatis , potest cum illa stare , tametsi omnibus dictis modis sit connexum cum uno illius exercitio : quoniam exercitium ipsum libertatis eis omnibus modis est secum connexum , & oppositum cum suo contradictorio . Et tamen quia pendet ab ipsa libertate , & est per hanc vitabile , idcirco est necessitas consequens ad ipsam , & cum ipsa stat . Similiter complexum ex Scientia media de locutione v. g. sub libertate A , & ex decreto hujus collativo , est eis omnibus modis connexum cum locutione ; & tamen quia est simpliciter evitabile per illam libertatem , quandoquidem hæc potest facere , ne umquam fuerit in Deo una pars illius complexi , nempe illa Scientia media , hac de causa illud complexum stat cum libertate indifferentiæ . Quamobrem dictum complexum est consequens objectivè ad locutionem , & antecedens subjectivè : sicut cognitio bonitatis finis est consequens objectivè ad hunc ( nam ideo à priori est vera cognitio , quæ enunciatur , finem esse bonum , quia ille bonus est ); & antecedens subjectivè , quia illa cognitio per se movet ad appetitum illius finis , & appetitus ad positionem mediorum efficacium , & hæc media tandem causant finem . Ob hanc rationem stant 1. cum libertate illa principia actus , quæ vocantur redundantia , idest non prærequisita necessariò ad ipsum v.g. imperium respectu actus imperati , prædefinitio efficax , & formalis respectu actus prædefiniti , & similis , quæ vocari solent principia non necessaria ( à cuius locutionis veritate præscindimus modò ) quantumcumque enim connexa sint cum operatione hujusmodi principia , non constituant actum primum pro-

proximum ad operationem ; quoniam ille dumtaxat constituitur p̄s principia , & conditiones hic , & nunc prærequisitas ad operationem , & hujus omissionem : ergo , nisi aliunde probetur obex , ille actus primus proximus plenus , & expeditus ad utrumlibet potest facere , ne existat , aut ne umquam extiterit principium illud redundans : ergo , si hoc existat , erit necessitas consequens ad ipsum actum primum proximum , idest ad libertatem : ergo cum hac non pugnabit .

### §. III.

251. O hanc eamdem rationem evitabilitatis , revelatio futurae absolutæ damnationis facta cum evidentiā in attestante . Si enim non sit credita , vel tantum apprehensa , vel judicata pure probabiliter , vel etiam per actum fidei Theologicæ , sed obscurum , non est difficultas magna , quandoquidem nullum ex his capit necessariò intellectum ad judicandum , aut voluntatem ad volendum , seu nolendum ) stare potest cum libertate ad spem futuræ beatitudinis . Et similis revelatio de beatitudine absolutè futura stare potest cum libertate ad Theologicum timorem non assequendi illam ; & similis revelatio de peccato absolutè futuro cum libertate ad serium , & efficax propositum numquam peccandi . Stare inquam potest primo instanti suæ existentiaz , possit nec ne stare in subsequentibus , in quibus jam est prior , & antecedens respectu operationum tunc exercendarum .

252. Etenim prædictæ revelationes habere possunt hunc modum tendendi ; tametsi modò speras consequi beatitudinem scito tempore omnino damnandum : tametsi modò times tuam damnationem , scito te esse prædestinatum : tametsi modò proponis te efficaciter numquam peccare , scito te postea peccatarum . Et hujusmodi fuit juxta Joannem <sup>ioan. 13:</sup> revelatio facta per Christum Dominum Petro Apostolo . Animam tuam pro me pones ? Amen , Amen dico tibi &c. At quamquam hujusmodi revelationes sint antecedentes , & inevitabiles respectu libertatis , & operationis exitutarum in subsequentibus instantibus , non sunt antecedentes , & consequenter nec inevitabiles respectu libertatis existentis in primo instanti , in quo fiunt , quinimò illamet illius exercitium supponunt in illo primo instanti , & cum libertate ad sperandum ( idem dicitur de cæteris ) & cum spe ipsa actuali coexistunt in primo illo instanti : ergo .

253. Explicatur formando descensum , & ascensum . Posset hoc stat

stat pro libertate : ergo libertas in primo eo instanti est plena potestas ne existat actus ille spei : ergo est potestas faciendi, ne umquam fuerit in Deo visio absoluta illius : ergo faciendi, ne umquam fuerit in Deo individua illa, & singularis libertas ad hanc singularem revelationem, quae libertas constituitur per visionem illius spei : ergo faciendi, ne umquam fuerit in Deo individuum illud decretum oriundum ex individua illa divina libertate : ergo faciendi, ne umquam fuerit illa revelatio externa derivata ex illo decreto : ergo faciendi, ne fuerit evidentia in attestante illius revelationis : ergo de primo ad ultimum haec evidenter est antecedenter vitabilis per illam libertatem : ergo solùm est necessitas consequens ad illam : ergo cum illa non opponitur. Vel ascendendo : libertas illa se exercens per actum spei est facultas ad hunc omittendum : ergo ad faciendum, ne detur divina revelatio illa individua : ergo ad faciendum, ne umquam fuerit individuum illud decretum : ergo ad faciendum, ne umquam fuerit individua illa divina libertas, ex qua procedit illud decretum, & cum qua illud intimè connectitur : ergo unde cumque inspiciatur haec rerum series, nullum detegitur absurdum in eo, quod libertas illa creata fungatur potestate, ne existat individua illa revelatio evidens in attestante : ergo non est, cur haec opponatur cum illa libertate.

254. Imò quamvis revelationes habeant hunc præcissum, & absolutum modum tendendi : *Damnaberis, Adipisceris Beatis in eis, Peccabis*. Cùm enim Deus non teneatur aperire sua motiva, quoties aliquid revelat creaturæ, potest fieri, quod motivum, seu etiam remora illius rei, quam revelat, sit actus aliquis liber ipsi creaturæ. v.g. tale aliquod peccatum, quod tunc committit, quale esset, quia tunc omittit actum spei, aut timoris, aut propositi, quem actum eliceret debebat ; & tamen quod revelatio externa non exprimat talium actum liberum creaturæ. Sed eo ipso, quod motivum, sive etiam remora sit actus liber creaturæ, haec potest facere, ne existat actus ille, & illo non existente, nec extitisset umquam in Deo decretum revelandi intrinsecè respiciens illum actum liberum: & demum, hoc decreto non existente, non extitisset illa absoluta, & præcisa revelatio emanans ex illo decreto : ergo creatura potest facere, ne existat haec revelatio, nec hujus evidentia: ergo, quando haec existat, erit necessitas consequens ad libertatem ipsius creaturæ, si quidem haec potestate fungitur ad faciendum, ne umquam extitisset haec revelatio.

255. Aliter etiam stare possunt prædictæ revelationes factæ cum evidenter in attestante cum prædictis libertatibus respectivè. Fieri nam-

## Revelatio damnat. aut Beatitudinis. 591

namque potest, quod homo culpabiliter omittat actum spei, quem debeat elicere: & quod Deus sic evidenter ei revelet: *quia nunc omittis actum spei culpabiliter, neveris te damnandam esse.* Item quod laudabiliter timeat jacturam æternæ beatitudinis, & quod Deus in præmium sancti hujus timoris sic revelet, *quia nunc sanctum istum timorem habes, neveris te beandum esse.* Item quod omittat efficax propositum numquam peccandi, & quod Deus revelet sic. *Quia non concipis propositum, quod actu concipere debebas, neveris te postmodum graviter peccatum.* Ægrè assignabis duo contradictoria in hujusmodi revelationibus; tunc sic. Quamvis illæ non relinquant libertatem ad illos actus pro instantibus subsequentibus, eo, quod non pendant ab eis actibus pro instantibus subsequentibus, & consequenter non sint vitabiles per libertatem creatam in instantibus subsequentibus; verumtamen pro primo instanti suarum existentiarum pendent essentialiter ab eis actibus liberis, in quos tendunt intrinsecè causalites: ergo libertas ad actus illos, potens utique facere, ne tunc extitissent actus illi, potest eo ipso facere, ne tunc factæ fuissent illæ revelationes: ergo quod hæ factæ sint, est consequens ad ipsas libertates: ergo quod hæ factæ sint, non opponitur cum libertatibus ipsis. Stat igitur, quod absolutæ revelationes prædictorum futuro. cum stare possunt saltem pro primo instanti suarum existentiarum cum libertate ad actus illos, tum quando revelationes habent ten. dentiam illam adversativam tametsi, tum quando habent illam cau.alem quia, tum quando neutram habent.

556. Neque dicas, evidentiam prædictarum revelationum arce. re ab homine judicium probabile de futuritione beatitudinis, v. g. quod est constitutivum libertatis ad sperandum utpote regulativum spei-iphis. Etenim ad prudentem spem sufficit hoc judicium: *Habebo media sufficientia ad obtainendum beatitudinem*, simul cum carentia judicij certi, & antecedentis de non consecutione beatitudinis. At evidentia prædictarum revelationum neque opponitur cum illo judicio, *Habebo &c.* ut patet; neque cum hac carentia: quia licet op. ponatur cum sua carentia, ipsa tamen evidentia non est judicium antecedens de non consecutione beatitudinis, sed judicium consequens ad ipsum actum spei, vel ad ipsius omissionem juxta modum tenendi, quem elegeris ex jam datis: ergo evidentia prædictarum revelationum non opponitur cum judicio sufficiente ad spem prudentem: ergo neque cum judicio constitutive libertatem ad hanc spem, licet opponatur cum judicio probabili de futuritione beatitudinis: quo. nam

niam libertas illa non constituitur necessariò per judicium probabile, sive probabilitate reflexa, & signata, sive directa, & exercita de consecutione finis; sed per illa duo, quæ diximus in majore.

257. Quod explicatur, & probatur. Ut actio aliqua sit peccaminosa, non sufficit, quod coexistat in eodem instanti cum advertentia prohibitionis, sed opus est, quod hæc advertentia præcedat, & sit antecedens instar retrahentis ab actione illa. Sic quando inter comedendum excitatur, comestione ipsa, prohibitionis memoria, licet peccet, si prosequatur, quia respectu hujus prosecutionis jam est antecedens illa advertentia prohibitionis; verumtamen in primo illo instanti, in quo per illam individuam comestionem excitatur memoria illa, non est peccaminosa individua illa comestio. Nam quoties actio non fit contra conscientiam retrahentem non est peccaminosa; at quoties advertentia prohibitionis non præcedit actioni, sed in eodem instanti venit post hanc, idest quoties est effectus, vel quasi effectus illius, illa non fit contra conscientiam retrahentem; siquidem retrahere dicit essentialiter non supponere jam factam actionem; esse autem effectum actionis supponit actionem jam factam: ergo quoties advertentia prohibitionis est consequens ad actionem, seu est effectus ipsius, ipsa non est peccaminosa: ergo ut hæc sit peccaminosa, necesse est, quod advertentia illa præcedat: ergo libertas ad ponendum licet actionem non constituitur per parentiam omnis advertentiae prohibitionis. Quod de actione peccaminosa, & de libertate ad licet ponendum actionem dicimus, etiam de spe imprudente, ac de libertate ad prudentem spem.

258. Ut spes sit imprudens non sufficit, quod coexistat evidentiæ de non futuritione finis (idem respectivè dicendum de timore, ac de proposito) sed necesse est, quod evidentiæ illa præexistat spei; alias non retrahet ab hac, & consequenter hæc non erit imprudens: ergo libertas ad prudenter sperandum non constituitur per parentiam cuiusvis evidentiæ de non futuritione absoluta finis; sed per parentiam evidentiæ antecedentis simul cum judicio hoc, aut alio æquivalente: *Habeo, seu habebō media sufficientia, ut finem hanc adipiscar.* At omnes revelationes evidentes, quas diximus, non sunt antecedentes, sed subsequentes ad libertatem, & sunt effectus, vel quasi effectus actuum libertatis, ut constat ex modis tendendi, quos habent: ergo quamquam omnes excludant suam parentiam, non excludunt ullum constitutivum libertatis ad actus illos. Quod insistas ad prudenter sperandum, opus esse, habere aliquam probabilita.

litatem obtinendi finem , quia stultitia est firmiter sperare id , de-  
cujus consecutione nullam penitus habet probabilitatem . Respon-  
detur concedendo de probabilitate consistente in hoc judicio , *babeo*  
*media sufficientia* , ut finem adipiscar , simul cum carentia judicis certi ,  
atque antecedentis de non consecutione ; negando autem de probabi-  
litate consistente in hoc judicio ; *Probabile est* , me consecuturum hunc  
finem , aut in alio directe , ac immediatè enunciante futuritionem il-  
lius finis , & habito ex motivis tantum probabilibus . Nam certè  
Reprobi , dum adhuc sunt viatores , possunt , & debent elicere spem  
Theologicam suæ beatitudinis ( siquidem præcepta hujus virtutis  
obligant viatores omnes ) & quidem regulatam ex actu fidei Theo-  
logicæ : & neutrum ex ipsis duobus judiciis est actus fidei Theologi-  
æ : ergo .

#### §. IV.

259. **O** B hano eamdem rationem evitabilitatis *Confirmatio in gra-*  
*tia* viatoris alicujus , *Prædestination ad gloriam* , ut coro-  
nam , *Reprobatio ad infernum* , ut pena , stant cum libertate crea-  
turæ , tametsi per se metaphysicè , absolute , ac determinatè sint con-  
nexæ cum uno libertatis exercitio , & oppositæ cum altero . Expli-  
catur . Verum est , quod nulla Creatura potest impedire omnem Con-  
firmationem , qua Deus potest ipsam confirmare in gratia ; nec om-  
nem Prædestinationem , qua Deus potest ipsam prædestinare ad glo-  
riam ; nec omnem Reprobationem , qua Deus potest ipsam propter  
personalia peccata reprobare ab æterna beatitudine . Cæterum Crea-  
tura ex suppositione , quod misericorditer accipiat à Deo libertatem  
indifferentiæ intrinsecè constitutam , corroboratamq; per suam gratiæ  
cujuscumq; disputabilis conditionis hæc fuerit , fungitur juxta nostra  
principia , antecedente libertate ad faciendum , ne unquam fuisset hæc  
individua confirmatio sui in gratia , hæc individua sui Prædestination  
ad gloriam , ut coronam , hæc individua sui reprobatio , ut pena .

260. Quoniam hæc individua confirmatio in gratia stat in de-  
creto , quo Deus præcognoscens per scientiam conditionatam ,  
quæ libertates Deiparæ , v. g. intrinsecè constitutæ per suam gra-  
tiæ fugiant omne peccatum , & quæ succumbent alicui , ex  
pura sua misericordia statuit numquam dare Deiparæ ullam ex  
eis libertatibus , quibus peccaret ; sed semper dare ex illis , qui-  
bus præventa , & adjuta semper operaretur bene ; non autem con-  
sistit in decreto , quo universaliter , ac confusè statuat numquam da-

re libertates , quibus Deipara peccaret , ac semper dare , quibus bene operaretur: hujusmodi namque confusæ universalitates indecernen- do quamvis nobis familiarissimæ , & hac de causa soleamus apprehendere illas in Deo, quia antiquum est hominibus apprehendere in aliis , quod in se ipsis passim experiuntur ; attamen longissime distant ab infinitè comprehensiva mente , ac voluntate Dei : ergo individua hæc Confirmatio in gratia essentialiter presupponet Scien- tiam conditionatam tum de bono usu libertatum concessarum, tum de malo usu misericorditer negatarum . Sed utravis scientia conditionata, juxta nostra principia, quæ modò non disputo, sed suppono, erat vitabilis per illas easdem libertates intrinsecè constitutas per gratiam Dei , juxta principia scientiæ mediæ : ergo individua hæc Confirmatio in gratia erat vitabilis per dictas libertates Deiparæ , et metu hæc non potest evitare omnem aliam possibilem , quam Deus posset tunc concipere : ergo individua hæc Confirmatio , quantumvis essentialiter connexa cum merito , & essentialiter opposita cum peccato Deiparæ hujus libertati non officiebat .

261. Similiter Prædestinatio ad gloriam ut coronam , necnon reprobatio ad poenam , ut poenam, non stant in absoluto decreto, quo Deus sine ulla attentione ad merita , & demerita creaturarum , ad libertatesque indifferentiæ universaliter , ac in confuso apud se statuat unis dare gloriam , ut præmium meritorum , aliis infligere suppli- cium, ut poenam suorum peccatorum , explorando postea media idonea ad unum , & alterum finem , ipsaque conferendo . Absit ; quia sic nec prædestinati haberent libertatem indifferentiæ ( intellige semper in his rebus libertatem intrinsecè constitutam per prævenien- tem Spiritus Sancti gratiam adjuvantem , & corroborantem , cuiuscumque conditionis ex disputabilibus illa fuerit; non autem merum liberum arbitrium naturale ) ad gloriam quoad substantiam : nec reprobi ad vitandam damnationem quoad substantiam ; quandoquidem illud decretum esset utriusque penitus inevitabile , & insuper prorsus connexum cum felicitate unorum , & infelicitate alterorum . Et insuper, quia istæ confusæ generalitatis , quarum nos sumus as- sueti priùs volentes finem , & postea eligentes media , dedecent Deum, ut nuper dicebamus . Stat ergo Prædestinatio strictè , atque schola- sticè sumpta in eo, quod dixit Augustinus , quem Theologi sequun- tur, nimicum, Præscientia , & preparatio beneficiorum , quibus certissi- mè liberantur quicumque liberantur . Cùmque hæc beneficia tandem, tandem sint perseverantiæ in gratia finali : siquidem multi probè vixe-

vixerunt, & improbè mortui sunt, & alii è converso: hac de causa  
Prædestinatio strictè sumpta non quidem pro decreto collativo glo-  
riæ, sed pro decreto præparativo mediorum, quibus certissimè libe-  
ratur creatura rationalis, stat in decreto illo, voluntate, seu æterno  
proposito, quo Deus præcognoscens libertates omnes individuas,  
quibus donatus Petrus in ultima periodo rationalis vitæ, moreretur  
in gratia, & illos omnes etiam, quibus donatus tunc moreretur in-  
lethali, efficaciter statuit, ut misericors Pater ex sua clementia, &  
propter Jesu Christi merita, dare Petro in ea ultima periodo liberta-  
tem, qua præventus, adjutus, & confortatus ex mera sui ipsius de-  
terminatione elicit actum, quo præhabitam gratiam conservabit,  
aut recuperabit amissam, cùm posset Deus dare illi tunc libertatem,  
qua Petrus ex malitia, vel fragilitate amitteret gratiam præhabitam,  
vel non recuperaret amissam. Similiter reprobatio positiva relativè  
opposita huic prædestinationi stat in decreto, voluntate, seu æterno  
proposito, quo Deus præcognoscens libertates omnes individuas,  
quibus donatus Judas in ultima rationalis vitæ periodo, à qua pen-  
det æternitas, moreretur etiam in gratia (non enim est Judas creatura  
essentialiter inconvertibilis, sicut nec ullus ex prædestinatis est essen-  
tialiter impeccabilis) & illas, quibus donatus moreretur in lethali,  
efficaciter statuit, ut severus Judex, & propter arcana motiva, quæ  
à longè revereri debemus, explorare autem prohibemur, dare Judæ  
in ea periodo libertatem, qua in gratia mori posset; ex sua tamen  
malitia, aut fragilitate non morietur in gratia (non enim semper  
fiunt, quæ fieri possunt, sicut nec semper non fiunt, quæ non fieri  
possunt) quin ullam in hoc injustitiam Judæ inferat, juxta totum  
caput 9. ad Romanos, quia Deus est unicus, supremusque Domi-  
nus suorum beneficiorum, quamvis certum sit, quod reprobis non  
confert Deus beneficium, quod confert prædestinatis: quin propte-  
reà sit acceptator personarum in sensu, quem reprobant Apostoli,  
scripturæquæaliæ. Similiter philosophandum est de Prædestinatio-  
ne ad fidem, ac reprobatione correlativè opposita; item de Præde-  
stinazione ad gratiam primam, & finalem; necnon de reprobatione  
correlativè opposita. Sic enim salvantur, ut insipienti constabit,  
etia illa cardinalia puncta. I. Infallibilitas, & certitudo Prædestina-  
tionis, & reprobationis; prædicta enim decreta essentialiter præsup-  
ponunt respectivè infallibilem præscientiam conditionatam (non  
quidem in genere causæ meritoriæ, aut demeritoriæ; sed tamquam  
conditionem, sine qua non, sicut præsupponunt essentialiter Scien-  
tiam

tiam possibilis, atque quidditatis rerum ) de bono, ac de malo usū illarum libertatum : & insuper sunt decreta purificantia conditionem , idest efficaciter intentiva , & executiva earum libertatum . Complexum autem ex veritate conditionata , & purificatione conditionis est absolute, metaphysicè, certò, & infallibiliter connexum cum conditionato .

262. Secundò. Pura misericordia, clementia, & Dominium Dei circa Prædestinationem , & quodd ipse solus ob arcana sua sanctissima motiva discernit *in actu primo* Prædestinatum à reprobo: Solus quippe Deus est, qui potens dare Petro in ultimo illo puncto libertatem, qua periret ex culpa sua, pure misericorditer largitus est illi libertatem , qua præventus , adjutus , & confortatus perseveratus prævidebatur à Deo , qui èvidentissimè prænoscit futura conditionata contingentia , quæ aliquando erunt , & quæ numquam erunt , ut constat ex Scriptura . Et solus Deus est , qui potens dare Judæ in illo ultimo puncto libertatem , qua præventus prævidebatur perseveratus ob arcana sua , & incomprehensibilia judicia, noluit , sed largitus fuit libertatem , qua periturus ex culpa sua prævidebatur . 3. Salvatur libertas indifferentiæ in Prædestinato , & in reprobo : quoniam licet , nec ille possit vitare *omnem* possibilem sui prædestinationem , neque hic *omnem* possibilem sui reprobationem ; verumtamen ille ex hypothesi , quod habeat à solo Deo illam libertatem , quam habet , quamque non habere potuit , & consequenter ad hanc suppositionem ex solo arbitrio divino pendentem ; Reprobis similiter ex hypothesi , quod habeat à Deo illam libertatem , quam habet , potest facere , ne umquam fuerit in Deo illa individua reprobatio: tam enim prædestinatione hæc , quam reprobatio hæc individua essentialiter præsupponunt Scientiam conditionatam de usu illius libertatis , & ea Scientia est impedibilis , ut modò supponimus , ab eis libertatibus ex hypothesi , quod illas Deus conservare velit : ergo etiam est impedibilis ab eis libertatibus individua illa Prædestination , ac reprobatio , licet non sit , ut verè non est , impedibilis ab eisdem omnis possibilis Prædestination , ac reprobatio de facto non existens , sed qua poterat Deus in alia providentia prædestinare , aut reprobare creaturam : quoniam non omnis possibilis Prædestination , ac reprobatio præsupponunt essentialiter individuos illos actus Scientiæ mediæ de Perseverantia sub hypothesi individua libertatis individuæ A, ac de obstinatione sub hypothesi individua libertatis individuæ B, libertas autem , quam habuit Petrus in dicta ultima periodo vite , non fuit omnis libertas pos-

possibilis, sed individua una, & singularis v. g. libertas A, & simili-  
ter de Juda.

§. V.

263. **O**b eamdem rationem evitabilitatis possunt stare in alia Providentia cum libertate proxima ad peccandum unio hypostatica, & visio beata, quamvis per se metaphysicè, absolute, ac determinatè oppositæ cum peccato. Sicut enim quando homo iustus gratia Dei præventus heroicè resistit tentationi ad peccatum grave, tunc in illo eodem instanti, quamvis pro signo posteriore, largitur illi Deus in præmium illius meriti condigni novam gratiam sanctificantem, (alias si moreretur in instanti immediate sequente, restaret sine præmio sui meriti condigni, aut acciperet gratiam sanctificantem, quando jam non est viator, quæ duo sunt contra leges præsentis providentiae) & hoc tametsi gratia sanctificans sit essentialiter opposita cum lethali, ut satis frequens est opinio Theologorum. Ita quando homo specialissimo Spiritus Sancti dono præventus, ac corroboratus heroicè resisteret gravissimæ tentationi ad gravissimum lethale, tunc in illo eodem instanti, quamvis in signo posteriore, poterat Deus largiri ei in alia providentia tamquam præmium illius meriti visionem beatam, aut unionem hypostaticam, quamvis victoriam illam obtinuisse sine subsistentia propria, quæ sane non est metaphysicè necessaria ad operandum; haberet tamen propriam subsistentiam juxta subsistentiæ conceptum, quem dabimus disp. 4. log.) & quamvis victoria illa non esset operatio Theandrica, seu Dei virtutis: quandoquidem non præsupponebat hypostasim divinam, sed ad unionem cum hac præsupponebatur, ut meritum ad præmium; unde non esset operatio personæ ullius, sed humanitatis, & rationalis nature, juxta sententiam decentem, subsistentiam esse quid positivum; juxta sententiam vero nuper citatam, victoria illa foret operatio personæ humanæ, quoniam licet in eo instanti jam esset persona divina, est insigno priore ad illum actionem natura illa humana non unita alii personæ neque capax ex se, ut uniretur naturaliter. In quo stat ratio, & quidditas subsistentiæ, juxta illam sententiam.

264. Res igitur componi potest sineulla metaphysica repugnantia. Prævidens Deus fore ut, si talis humanitas accipiat ab ipso specialissimam quamdam libertatem A in instanti A, in illo eodem resistat heroicè gravissimæ tentationi A, potest concipere unicunq; simili.

plicissimum, ac virtualiter indivisibile decretum, tametsi non explicabile à nobis nisi multis vocibus sic tendens: *volo dare huic instanti A hanc libertatem A:* & quia illà præventus resistit in ea instanti tentationi, *volo etiam in præmium dare illi in eodem instanti visionem beatificam, seu hypostaticam unionem.* Cedo duo contradictiones, quæ non sunt petitio principii; sed hoc ipso unicæ hypostatica, seu visio beatifica erunt antecedenter impedibiles per illam libertatem A; quoniam illa ut libertas, & quia libertas indifferentia posset non resistere, sed cedere illi tentationi: &, ipsa cedente, non habuisset Deus Scientiam conditionatam enunciantem fore, ut resisteret, & non habens Deus hanc Scientiam, non habuisset individuam illam libertatem constitutam per eam scientiam: & non habens Deus individuam illam libertarem non conceperisset individuum illud decretum essentialiter dimanās ex ea libertate: &, non existente hoc decreto, non existaret unio illa, aut visio tunc pendentes unicè ex illo decreto: ergo de primo ad ultimum libertas illa creata fungeretur potestate antecedente ad faciendum, ne resisteret ea visio, seu unio: ergo ambæ essent antecedenter vitabiles illi libertati, quamquam essentialiter oppositæ peccato illius: ergo esset dumtaxat necessitas consequens ad non peccandum: ergo non tollerent libertatem ad peccandum.

265. Dices 1. Supponitur in hoc discursu existentia illius libertatis creatæ, de qua tamen est quæstio; sed contra supponimus id, quod negari non debet: scilicet libertatem illam posse existere in rebus; quod nam enim absurdum obiicitur contra illam specificativè, ac secundum se præcisè inspectam? Postea addimus, quod, supervenienti unione, aut visione illa, subsistit libertas, quoniam non supervenit res prorsus inevitabilis ei, sed res, quam antecedenter potest evitare: ergo res, quæ supervenit, non est necessitas antecedens, sed consequens ad eam libertatem: ergo non est res opposita cum ea libertate: quamobrem aliud est existentia illius libertatis secundum se: aliud verò consortium illius cum prædicta unione, aut visione. Primum supponimus; sed de eo, non est quæstio. De secundo est quæstio; illud tamen non supponimus, sed probamus negativè, explicando nimirum modum, quo unio, & visio non opponuntur ei libertati, scilicet quia non ostenditur repugnatia in eo, quod per Deum concedantur dependenter à libero exercitio libertatis ad peccandum juxta modum tendendi illius decreti.

266. Dices 2. Nil essentialiter oppositum alteri potest per Deum con-

conferri in signo posteriore ad illud , sive tamquam effectus illius ; aliàs carentia Petri posset conjungi in eodem instanti cum illo , scilicet si per decretum simile ei , quod produximus , decernatur à Deo dependenter ab existentia ipsius Petri . At unio hypostatica , & visio beata sunt essentialiter oppositæ libertati ad peccandum : ergo non possunt conferri à Deo in signo posteriore ad illam , seu tamquam effectus , aut præmium exercitii o: iundi ex ea libertate . Confirmatur specialiter contra visionem . Hæc in quocumque instanti existat , excludit ab illa persona , quam beat , omnem cogitationem alliciendi ad offendendum infinitam amabilitatem Dei , quam intuitivè proponit : ergo excludit unum constitutivum libertatis ad peccandum : ergo excludit hanc , quin pro sit prioritas , aut posterioritas : quoniam quæ per se præcisè opponuntur essentialiter , non possunt coire in eodem instanti , sive pro eodem , sive pro diversis signis , sive prioribus , sive posterioribus , ut constat in duobus contradictoriis , quæ juxta nullam signorum combinationem possunt coire in eodem instanti .

267. Resp. aliqua sunt per se præcisè , ac secundùm solas suas entitates , à quocumque alio præscindendo , essentialiter opposita v.g. duo contradictoria ; & hæc neque pro eodem , neque pro diversis signis possunt coexistere in eodem instanti . Alia opponuntur quidem essentialiter ; at non secundùm suas præcisè entitates , sed secundùm ordinem prioritatis , Sic honestas formalis actionis , & plena advertentia malitiæ actionis ejusdem opponuntur essentialiter ; at non secundùm se præcisè , ac absolute ; sed quando advertentia est pro priori ad actionem , ita ut hæc , si fiat , contra conscientiam retrahentem fiat : nam si advertentia oboriat in signo posteriore ad actionem , hanc non inficiat , ut paulo ante dicebamus . Sic necessitas , ac impossibilitas omittendi actionem , opponitur libertati indiferentiæ ; at non semper , & absolute , sed quando est antecedens ; secus quando est consequens , atque in signo posteriore ad libertatem ipsam . Quæ hoc modo opponuntur invicem , non possunt coexistere hoc modo ; possunt tamen , si res non combinentur hoc modo , & patet in his duobus exemplis . Jam unio , & visio illæ opponuntur cum libertate ad peccandum ; at non secundùm se præcisè , ac secundùm meras suas entitates ; sed quando sunt antecedentes ; atque inevitabiles per illam libertatem , quia tunc solum habent genuum illud prædicatum , in quorum simultate stat antecedens necessitas . At casus , in quo loquimur , non est iste , sed potius casus , in

in quo Deus alterutram conferat dependendeter ab exercitio libertatis ad peccandum , & consequenter in quo alterutra sit impedibilis per illam libertatem : ergo . Ad confirmationem distinguo antecedens: excludit cognitionē allientem positivē; concedo propter istam rationem: allientem negativē, id est non proponentem intuitivē infinitam Dei amabilitatem; sed amabilitatē rei prohibitā; nego antecedens : quia in eodem instanti possunt coire duæ cognitiones circa idem penitus objectum , una intuitiva , & altera abstractiva , circa illud , & simul proponens utilitatem , & jucunditatem circa aliud. Et hæc sufficit ex hoc capite ad constituendum libertatem peccati- cem , ni aliunde insurgat speciale aliquod oppositum huic libertati , ut in præsentiarum non probatur insurgere : unde nego conse- quentiam .

268. Debet tandem intelligi principium dictum de *libertate in- differentiæ* solā , non de aliis speciebus libertatis v. g. à *coactione* , à *miseria* , à *peccato* &c. quia pro illa sola , & in favorem illius solius uti- mur dicto principio contra Prædeterminationem : & quod cumque aliud sive *intrinsecum* , sive *extrinsecum* voluntati , quod habeat gemina illa prædicata . Hoc principio sic explicato facile est expli- catu alterum , quo frequenter utimur etiam . Nempe .

### §. VI.

269. **V**oties A, est prærequisitum metaphysicè, absolute, determina- tè , ac per se præcisè ad locutionem v. g. & non existit in re- bus , nec ulla tenus est acquiribilis à creatura , voties hæc caret libertate *indifferentiæ* ad locutionem . Hæc omnia , nullo dem- pto , intelligimus , quando ex hoc latere oppugnamus prædetermi- nations , in quas hæc omnia simul cadunt , quorum si vel unum solum demas , cessabit oppugnatio ex hoc latere . Solemus tamen brevitas gratiâ aliquem ex his terminis prætermittere , eo quod jam intelligantur ; sed ex hac præmissione frequentes nascuntur equivocationes ; & hac de causa placuit hæc principia minutatim explicare . In primis res debet esse *prærequisita* ; si enim talis non fuerit , subsistere potest libertas ad illam , tametsi illa neque existat , nec sit nobis acquiribilis : sic libertatem habemus ad loquendum , ad currendum &c. tametsi non existat aliis sol , nec potestatem habeamus ad illum acquirendum , scilicet non est necessarius ad has opera- tiones , & bene stultus foret , qui diceret ideo se non loqui , non obedire legi &c. quia non splendet aliis sol .

270. 2. Debet esse prærequisita metaphysicè: si enim sit prærequisita dumtaxat moraliter, potest stare libertas, quamvis res illa deficiat, & simul sit inacquiribilis; sic cum tentatio vehementissima, & frequentissima fundet moralem necessitatem succumbendi aliquando: sequitur, quod illius defectus est prærequisitus moraliter ad numquam succumbendum; & tamen licet non detur hic defectus, sed potius existentia dictæ temptationis: & licet non detur facultas abiiciendi illam temptationem, hoc est acquirendi illius defectum; datur tamen libertas indifferentiæ ad numquam succumbendum, alias non peccaret, qui aliquando succumberet. Potest etiam stare libertas, si res illa sit prærequisita solum physicè, ac ex natura rei, quamvis nec detur de præsenti, nec homo habeat potestatem acquirendi illam; si nimis Deus concedat homini facultatem patrandi miraculum, operandi sine naturali prærequisito ad operationem: (sicut de facto concessit multis facultatem consecrandi, mundandi ab originali, absolvendi à peccatis; quæ non sunt parva miracula) tunc enim, licet homo non haberet illud prærequisitum, nec potestatem acquirendi illud, gauderet sanè libertate indifferentiæ ad illam operationem; quia tunc perinde esset, ac si illud prærequisitum non foret, aut præsens esset.

271. 3. Debet esse prærequisitum metaphysicè *absolutè*; si enim prærequisitio fuerit tantum conditionata, potest subsistere libertas: quia prærequisitum conditionatè dumtaxat non est absolutè, ac simpliciter prærequisitum, quando hypothesis non est purificata (secus quando purificata est) sicut esse Regem sub hypothesis legitimæ successionis, aut electionis, non est esse Regem, quando hypothesis illa non est in rebus; alias omnes essemus Reges: ergo quod deficiat nobis hujusmodi prærequisitum, & omnis facultas obtinendi illud, stare potest cum libertate nostra ad operationem. 4. Debet esse prærequisita determinatè; si enim sit prærequisita disjunctivè dumtaxat, subsistere potest libertas indifferentiæ, quamquam deficiat illa res, & simul facultas obtinendi eam: si nimis existat illa altera, quæ extrellum est disjunctionis: vel si hæc non existat; datur tamen facultas obtinendi eam. Sic quia, ut Deus largiatur homini libertatem ad loquendum v. g. in instanti A, iadisponsabiliter prærequiratur ex titulo providentia, ac Sapientia divinæ, quod præcognoscet, an libertas illa exercenda sit per locutionem, an per silentium: ne alterutrum inopinatò accidat Deo, & nil tale cogitanti: quia tamen neutra Præscientia est determinatè prærequisita,

T t t

idcir.

idcirco libertate fruatur Deus ad dandum homini libertatem illam, tametsi in ipso Deo nec existat Præscientia de locutione (quia illa libertas creata non sit exercenda per locutionem) nec potestas acquirendi præscientiam illam, eo quod sit Scientia media, quæ modò supponitur non esse libera Deo, sicut enim non solum non est absurdum, sed est penitus necessarium, quod Deus non possit mereri, non possit pœnitere, non possit nutriti, & non possit multa alia, quæ ob ingenitam imperfectionem possunt creature: quia Deum posse illa, foret, Deum esse imperfectum; ita Deum non posse determinare, seu facere, ut potius una, quam altera existat ex illis duabus scientiis mediis, tam longè abest ab imperfectione, ut potius manifestè convinceretur (quod est chymæra) imperfectionis, si illud posset; fundaretur enim in eo, quod ex hypothesi, quod nollet uti supremo suo Dominio flectendi irresistibiliter creatura in locutionem potius, quam in silentium, sed omnino efficaciter vellet illam relinquere prorsus indifferentem; ex hac inquam hypothesisi, & conjunctim cum illa posset irresistibiliter flectere creaturam in unam partem potius, quam in alteram, quod esset absurdum, contra divinam perfectionem; sicut quod posset occidere unam formicam in instanti A ex hypothesisi, quod efficaciter velit illam conservare vivam in instanti A; sed de hoc alibi.

272. 5. Debet esse modis dictis prærequisita per se præcisæ; si enim sit prærequisita per aggregatum sui, & aliis rei, potest subsistere libertas indifferentia, tametsi neque existat illud prærequisitum, neque facultas obtinendi illud: si nimicrum non existat hæc altera res, per quam constituitur in esse prærequisiti, vel quamquam existat, detur facultas faciendi, ne existat: quia in primo casu illud, quod dicitur prærequisitum, non esset actù absolute prærequisitum, quia deficeret unum constitutivum prærequisitionis; in secundo, esset quidem prærequisitum actù, at sua prærequisitio esset vitabilis, quandoquidem esset vitabilis ea altera res, per quam constituitur prærequisitio. Sic loqui v. g. est modis predictis prærequisitum ad conservandum gratiam habitualem (posito quod sit essentialiter opposita cum lethali) quando detur præceptum sub gravi obligans ad loquendum; nihilominus qui non loquitur, potest gaudere libertate ad conservandum gratiam illam, si vel non urgeat illud præceptum, vel facultatem habeat obtinendi dispensationem illius: quia tota illa prærequisitio non identificatur adæquate cum sola locutione, aut conservatione gratiæ, sed etiam cum præcepto illo, ex quo pro-

provenit, quod locutionis omissio sit lethalis: ergo si deficit præceptum; deficit illa præquisitio: item si, quamquam non deficiat præceptum, possit homo facere, quod cesset ipsius obligatio, aut per revocationem, aut per dispensationem, aut per commutationem, &c. potest etiam facere, quod illa præquisitio deficiat: ergo absolute, ac simpliciter habet libertatem ad conservandum gratiam, libertatem inquam etiam in instanti, in quo non loquitur.

273. 6. Debet res illa non existere, ut in prædeterminato ad loquendum non existit prædeterminatio ad non loquendum pro eodem instanti. Si enim res illa existat, subsistere potest libertas indifferentie, etiamsi res illa sit per se metaphysicè, assolutè, ac determinatè præquisita, & insuper sit penitus inacquiribilis à creatura. Omnipotentia namque divina est omnibus illis modis præquisita ad quamcumq; operationem creatam, & insuper est inacquiribilis creaturæ, & tamen per se precise nō nocet libertati, quia semper necessariò, & ubilibet est præfens. 7. Debet res illa esse inacquiribilis creaturæ, ut dicitur inacquiribilis prædeterminatio; si enim acquiribilis fuerit subsistere potest libertas, quamvis res illa sit dictis modis præquisita, & non existat de facto: defectus quippe illius erit tunc consequens ad ipsam libertatem creaturæ, & hæc sibi imputare debet, quod res illa non existat, quandoquidem supponitur acquiribilis ab ipsa creatura. Sic ut homo liberè canat, est præquisitum omnibus eis modis decretum divinum dandi ei libertatem illam ad canendum ( idem intellige de aliis actionibus liberis ) quam prævidet efficacem ad canendum; Impossibile quippe est, hominem liberè operari, quin Deus velit illi dare libertatem: & similiter est impossibile, quod Deus hoc velit, quin præcognoscat quid facturus, quid non facturus sit homo instructus è libertate, ne de repente, ac inopinatò quidquam obtingat Deo. Rursus quando liberè non canit, certè non existit illud decretum divinum, ut patet; Et tamen liberè non canit tunc homo, nempe quia potest acquirere illud decretum; non quia posse facere, ut de novo, ac in tempore existat in Deo decretum, quod non fuerit ab æterno. Absit. Non item quia possit facere, ut Deus potius ipsi conseget libertatem, quam prævidet efficacem ad canendum, quam illam, quæ inefficax est. Absit hoc etiam; quia hæc electio à solo Deo fit, à solo Deo pendet; sed quia, posito, quod homo libertatem habeat ad canendum ( si enim illam non habeat, deficit suppositum questionis ) potest facere, quod decretum collativum hujus libertatis fuerit cum prævisione cantus. Quod circa aliud est,

conferre potius unam libertatem , quam alteram : & hoc est opus solius Dei , & minimè pendens ab ipsa libertate creaturæ . Aliud verò , quod libertas potius sit prævisa cantatura , quam non cantatura : Et hoc pendet actu absolutè ab ipsa libertate , quando hæc actu absolute existit in rebus . Ubi ne hæreas audiens unam , & alteram , & alteram libertatem in eodem homine , & respectu ejusdem cantus , v. g. aut locutionis : quia licet potentia volitiva , quam in rebus importat libertas indifferentiæ , sit una , & eadem in homine ; verumtamen cogitationes allientes , ac retrahentes , necnon alia constitutiva libertatis licet obliqua , passim sunt diversa in eodem homine , ac respectu ejusdem operationis liberæ ; atque in hoc solo sensu dicimus , diversas libertates in eodem homine , ac respectu ejusdem actus liberi , licet non cum omnimoda proprietate , ac rigore philosophico : siquidem concreta accidentalia non multiplicantur , castigatè loquendo , ob multiplicationem aliquorum , sed solius recti .

274. 8. Debet res illa esse inacquiribilis creaturæ interdum quoad sui unionem cum creatura ipsa , interdum quoad sui existentiam in rebus , quidquid sit de unione ipsius cum creatura . Hæc autem diversitas taxanda est juxta naturam rei , de qua fuerit sermo . Aliando enim est indispensabiliter requisitum , quod res non solum existat ; sed etiam quod existat in homine , seu unita sit illi , ut dicitur de prædeterminatione physicè inhærente homini , quæ , ut præterminet Petrum , v. g. non sufficit , quod existat in rebus ; sed opus est , quod illi sit physicè unita . Aliando verò sufficit , quod res illa existat in rerum natura , & necesse non est , quod physicè unitur homini , ut contingit omnipotentiæ , decreto hujus applicativa scientiæ mediæ de operatione , quam elicitura est voluntas creata , ut præventa , ut adjuta , ut roborata per Spiritus Sancti gratiam , quando operatio illa est conducens ad vitam æternam . Quando præquisitum fuerit ex his secundis , non est necessarium , quod libertas creata possit acquirere illud quoad unionem cum illo , ut patet in exemplo hujus scientiæ mediæ : & ratio est , quia tunc res ipsa , non sicut ipsius unio cum persona operatura prærequiritur ad operandum . Quando præquisitum fuerit ex illis primis ; tunc est necessarium , quod libertas possit acquirere illud præquisitum quoad unionem sui cum illo ( si cætera concurrent huc usque dicta ) quia tunc res , & ipsius unio sunt prærequisitæ .

275. Tametsi res omnibus modis hactenus dictis sit prærequisita

sita, & quamvis sit inacquiribilis à creatura, & quamvis non existat de præsenti, potest adhuc subsistere libertas creata indifferentiæ, si prædicata hæc convenienter illi rei, non quidem secundum diversas formalitates (quia Logicæ præcisiones, ac considerationes nostræ impares sunt composendo, & sedando difficultates objectivas, & reales) sed secundum diversa constitutiva realiter à parte rei distincta. Sic quamvis inspiratio, illustratio; seu motio efficax (in quocumque consistat efficacia hæc juxta diversas Theologorum opiniones) sit omnino prærequisita ad operationem salutarem, ut re vera est: item quamvis sit inacquiribilis à creatura, quia à solo Patre misericordiæ pendet opitulante efficaciter, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quamdiu vult, ut røvera contingit: demum quamvis illa inspirationis species non existat, quando homo peccat, adhuc habet hic libertatem indifferentiæ proximam, completam, & absolutam ad obediendum: quia, juxta opinionem probabilem, à cuius veritate, aut falsitate abstrahimus modò, attributa hæc convenienter ei inspirationi secundum constitutiva realiter inter se distincta. Aliud quippe est, juxta opinionem illam, entitas impulsus, inspirationis, seu motionis; aliud autem energia, sive efficacia ejusdem. Illud primum est prærequisitum, & inacquiribile à creatura, sed adest vere, & realiter, quando homo ille peccat: alias speciem illam peccati resistantiæ contra Spiritum Sanctum non committeret. Secundum non existit de præsenti in homine illo, sed culpæ suæ, quia scriptum est: *Perditio tua ex te Israel, tantummodi in me auxilium tuum:* unde illud secundum est, juxta predictam opinionem, inacquiribile homini impulso, & moto per Deum: ergo concursus trium illorum attributorum non officit libertati indifferentiæ, siquidem non convenienter rei indivisibili, sed rei compositæ ex multis, & convenienter illi secundum diversa constitutiva, & per distributionem accomodam. Hæc dixerimus per modum exempli deduci ex opinione probabili (cujus veritatem, aut falsitatem non examinamus nunc) explicandi gratiâ nonam hanc conditionem.

276. Denique licet res sit modis dictis prærequisita; licet non existat de præsenti; licet non sit hic, & nunc acquiribilis à creatura; & licet sit unica, simplex: ac indivisibilis, potest adhuc subsistere in ea creatura libertas indifferentiæ, si nimis illa inacquiribilitas sit consequens ad ipsam libertatem, ut potest esse. Sic caretia decreti collativi libertatis ad loquendum, v. g. quod decretum sit per se omnino connexum cum locutione, eo quod habeat hanc effi.

efficacem tendentiam : *Volo dare hanc libertatem, quia exercenda est per locutionem; vel hanc alteram, quamvis exercenda est per locutionem.* Carentia inquam hujus decreti est omnino prærequisita ad omittendum locutionem, quia impossibile est illam omittere in sensu composito hujus decreti, quippe quod connexum est omnino cum locutione. Est insuper inacquiribilis à creature; ex hypothesi namque, quod existat hoc decretum, est æternum utrumque, ac inevitabile. Demum non existit ea carentia, quando existit illud decretum; Stat tamen libertas indifferentia ad loquendum, quia consequens est in genere objectivo ad libertatem ipsam (ad quam est antecedens in genere subjectivo, sicut intentio finis est respectu hujus antecedens subjectivè, & consequens objectivè) hoc decretum, & consequenter quod non existat ipsius carentia. Etenim si ipsa non exercenda foret sponte sua, & absque omni impulsu irresistibili per locutionem, Deus non prævidisset illam exercendam fore per locutionem, alias haberet prævisionem falsam. Rursus si Deus non habuisset hanc prævisionem, non habuisset illud decretum, quippe essentialiter præsupponit illam prævisionem, sed habuisset illius omissionem, sive carentiam: ergo quod Deus non habeat hanc, sed illud, pendet ex eo, quod libertas illa creata sponte tantum sua absque omni inevitabili, atque irresistibili impulsu exercenda sit per locutionem: ergo, quod hic, & nunc detur illud decretum, & non sit acquiribilis carentia ipsius, est quid consequens ad ipsam libertatem: ergo stat hæc.

## §. VII.

277. **E**X doctrina data in toto hoc capite colligitur 1. Imperium efficax, & absolutum cohædere posse cum libertate immediata actus imperati, etiamsi cum illo metaphysicè connectatur, si que principium immediatum: Item habitum charitatis cum libertate ad actum in instanti, pro quo urget præceptum. Quia, ultrationem supra datam, eo ipso, quod ambo sint impedibilia per libertatem, cui adjunguntur, illi non nocent; Sed possunt esse impedibilia. Probatur: eo ipso, quod neutrum constituat necessariò illam libertatem, & hæc aliundè possit determinare aliquid metaphysicè oppofitum respectivè cum illis, non est cur nequeat illa impedire; Sed neutrum constituit illam libertatem (quia hæc dumtaxat constituitur per principia immediata prærequisita, & ambo dicta principia

pias possunt esse redundantia, eo, quod neq; actus imperatus præsupponat per se ab intrinseco imperium, neque actus charitatis habetum, ut constat in peccatore eliciente actum perfectæ contritionis, cùm adesse possit specialis omnipotentis applicatio, quæ facere potest, quod habitus) deinde libertas determinare potest carentias eorum actuum non in sensu composito, sed in sensu diviso, quem facere potest, quæ carentia opponuntur respectivè cum eis principiis: ergo non est cur libertates illæ explicare se se nequeant à compedibus illorum comprincipiorum. Dices 1. hoc probare, principia illa stare posse cum libertate; verum non cum libertate immediata; quoniam eo ipso, quod actus procedat immediatè à potentia determinata ad ipsum, non procedit immediatè liberè; sed actus illi sic procedunt immediatè, unus ab imperio efficace, alter ab habitu: ergo quamquam sint liberi; non tamen sunt immediatè liberi. Sed contra, nam inverti terminos: eo ipso, quod actus illi immediatè nascantur à potentiis indifferentibus ad utrumlibet, suat immediatè liberi; Sed quamvis procedant immediatè à potentiis istis determinatis ad unum, nascuntur quoque immediatè à potentiis indifferentibus ad utrumlibet, quandoquidem nascuntur immediatè à potentiis non constitutis per ista principia, quæ ponimus redundantia; & illæ potentia sunt indifferentes ad utrumlibet: ergo quamquam &c.

278. Quocirca juxta hunc philosophandi modum duas imaginari debes potentias ad actum imperatum (eadem proportione opinator de actu charitatis præcepto) unam constitutam independenter prorsus ab imperio; alias hoc non foret principium superabundans, sed prærequisitum: alteram consistentem in ipso imperio. Si sola hæc adesset; cederem argumento isti; at cùm præter istam potentiam adhuc alia constituta præcisè per voluntatem cogitationem allicientem, atque retrahentem, omnipotentiamque specialiter, aut generaliter applicatam, & huic aliis potentia subdatur potentia illa determinata ad unum; idcirco actus evadit liber, & quidem immediatè. Confirmatur. Omois actus ita procedens à libertate activa, ut inter ipsum, & illam nihil mediet immediatius procedens ab illa, procedit immediatè liberè; at actus illi ita procederent à suis libertatibus, ut inter has, & illos nihil mediaret immediatius procedens ab illis: quia non habitus charitatis, cùm is non sit immediatè liber passivè nebis: non imperium, quippe licet hoc sit immediatè liberum, non est tali respectu libertatis ad actum imperatum, sed respectu libertatis ad se ipsum, quæ duæ libertates sunt inadæquate distinctæ: ergo actus

**P. Aldre-** actus illi procedunt immediatè liberè. Quapropter argumentum  
**te disp. 5.** adversum concedendum est ; quando solum existit potentia determi-  
**de pred.** nata ad actum : negandum verò ; quando hoc coexistit in eadem  
**scđ. 2. & 3.** voluntate potentiarum alii ad utrumvis indifferenti , atque arcere poten-  
**P. Junius** ti illam potentiam determinatam ad unum . Multa jaculatur tela  
**scđ. 11. de** P. Aldrete contra consortium libertatis , & principii connexi , licet  
**libertate,** redundantis : ea retundere non juvat , cùm abundè munus hoc præ-  
**& scđ. 6.** de **Prov.** stiterit P. Junius , à quo rem hanc addiscere potes , si volueris . Sed  
**cap. 17.** obiicit hic ex proprio penu , admittens quidem ejusmodi consortium ,  
quando principium redundans est immediatè libertum eidem volun-  
tati ; secus quando non . Principium A ne antecedenter quidem  
potens producere effectum nisi , ut pendentem à principio B imme-  
diato , & proximo , quamvis absolutè non prærequisito , non habet  
præsentem sufficientiam adæquatè distinctam à B : quia nil absolutè  
potest facere sine ejus immediato concurso , esto posset , illo sublate:  
nam sufficientia , quam tunc haberet , & nunc non habet , non po-  
test constituere libertatem absolutam , quam nunc habet , sed condi-  
tionatam , quam tunc haberet , & nunc non habet ; sed , posito prin-  
cipio redundante , quod non sit immediatè liberum voluntati v. g.  
habitus charitatis , illa non est antecedenter potens ponere actum ;  
nisi ut immediatè ab illo pendentem : siquidem nequit , ponendo  
actum , impedire illius principii existentiam , nec impedire quo mi-  
nus illud semel existens non influat in actum , quandequidem nil  
potest ponere distinctum ab omissione actus , quod sit oppositum  
cum illo principio , & illius influxu in actum : ergo , posito illo prin-  
cipio , voluntas non habet sufficientiam ad actum distinctam adœ-  
quatè ab illo principio ; sed illud est determinatè connexum cum  
actu : ergo voluntas non habet sufficientiam ad actum , quæ non  
sit connexa cum illo : ergo non habet sufficientiam , quæ sit libertas  
indifferentiæ .

279. Et hinc disparitatem auspicatur inter imperium , & quod-  
cumque aliud principium redundans puta habitum charitatis ; cùm  
enim imperium sit immediatè liberum voluntati , hoc potest abiice-  
re illud non modò per omissionem actus imperati ; verùm etiam hoc  
existente : ergo potest influere in actum imperatum , quin illud in-  
fluat . Cæterùm cùm habitus non sit immediatè liber voluntati ,  
tantummodò potest abiicere illum per omissionem actus : ergo , stan-  
te hoc , non potest voluntas impedire habitum . Sed quando illa  
ponit actum , existit hic : ergo existit quoque habitus . Sed quando  
hic

hic existit, non potest non influere in actum ratione intime connexionis, quam dicitur habere cum illo: ergo quando voluntas in influenti actum, influere nequit nisi simul cum habitu: ergo non habet potentiam influxivam non constitutam per habitum: Agnosco disparitatem; sed reor, illam esse materialem. Argumentum item esse fallax suadetur 1. Ex eo, quod probet, prærequisitum esse illud idem principium, quod superabundans cognoscit; quia omne principium constituens unicam, seu totam sufficientiam, quæ hic, & nunc datur ad ponendum actum, est hic & nunc prærequisitum ad illum: sed per te istud principium, quod vocas redundans, constituit unicam sufficientiam, quæ hic & nunc datur ad ponendum actum; siquidem ait, voluntatem non habere ejusmodi sufficientiam non constitutam per istud principium: ergo istud principium, quod superabundans vocas, est hic & nunc prærequisitum: ergo argumentum istud non tam probat principium redundans distinctum ab actu immediatè libero opponi cum libertate, quando determinatè constitutur cum uno exercitio hujus, quam non esse possibile principium, redundans distinctum ab actu immediatè libero: quod difficile creditu est. 2. Quia, si istiusmodi principium constitueret intrinsecè sufficientiam, quæ hic & nunc datur, eo ipso, quod illud deficeret, & aliud non subrogaretur, deficeret quoque sufficientia ad actum; sed hoc est planè falsum: nam, deficiente principio isto superabundante, perseverare possunt omnia prærequisita ad actum, & hujus omissionem, quibus omnibus perseverantibus, nullo deserto, perseverat plena ad utrumlibet sufficientia: ergo principium istud superabundans non constituit sufficientiam necessariam, quæ hic & nunc datur: ergo hæc manet ad utrumvis indifferens. Quocirca neganda est universalitas majoris contrariæ; regula namque ad cognoscendum, an sufficientia principii A constituantur intrinsecè per principium B, non est ista; (aliоquin res, quæ hic, & nunc constituitur per B, in aliis circumstantiis non constitueretur per illud, possetque constitutiva mutare veluti vestes) sed an, deficiente B, perseveret principium A cum sufficientia ad suum effectum; an hic prærequisitat essentialiter principium B. Atqui licet voluntas influere nequeat in actum charitatis, existente habitu, quin hic influat; hoc nihilo minus deficiente, retinet voluntas plenam ad actum sufficientiam ex vi specialis applicationis omnipotentiae: & actus ille non præquirit essentialiter determinatè habitum ob eamdem rationem; & constat ex peccatoris se convertente per actum charitatis perfectum.

Vuu

pro

pro priori ad quam non habet habitum charitatis, ut nunc suppono: ergo licet, existente habitu, nequeat voluntas influere in actum absque influxu illius; nihilominus non constituit per illum sufficiens voluntatis.

### §. VIII.

280. **C**olligitur 4. Prædefinitionem efficaciter intentivam consensus, seu pœnitentia ante præsumum peccatum, seu gloria, ut corona ante merita absolute prævisa, non tollere de medio libertatem (quamquam non sit frustrabilis, ut minus verè docuit

*P. Uson*  
*disp. 2. de*  
*P. Uson*  
*scilicet 6. cap.*  
*P. Junius*  
*scilicet 6. cap.*  
*P. Ribade-*  
*neyra*  
*dæ disp. 12.*  
*de Pred.*  
*n. 7.*

licet sit executiva (ut doctè suadet P. Junius, cui assentior quoad hanc partem) ponatur esse principium redundans, eo quod aliud adstet voluntati decretum indifferens applicativum omnipotentia. Eam autem non esse principium prærequisitum, satis efficaciter ostendit P. Ribadeneyra cum multis ex nostris. Ratio collectionis est. Eo ipso, quod hujusmodi prædefinitione sit impedibilis à libertate humana, hanc non tollit; jugum enim, quod à te excutere vales; catena, à qua te expedire potes, non adiuvare tibi libertatem. Sed eo ipso, quod sit principium redundans, est impedibilis à libertate humana, quamquam sit executiva, seu principium immediatum actus, cum hocque intimè connectitur: ergo eo ipso, quod sit principium redundans non tollit libertatem, quamquam efficax, & executiva sit. Prob. vii. In primis libertas intrinsecè claudit potestatem ponendi aliquid metaphysicè oppositum cum ea Prædefinitione, carentiam nimirum consensus: deinde nihil obstat prædefinitionis impeditio: quia non libertas divina ad prædefiniendum; nam licet hæc non permittat, quod, se existente, libertas aliena determinet, aut impedit prædefinitionem; non tamen prohibet, quod, se deficiente, impeditur ab alio prædefinitione. Atqui, si libertas creata impedit prædefinitionem, hoc faceret faciendo, ne unquam fuisset ab æterno in Deo individua illa, & singularis libertas ad individuam illam, & singularem prædefinitionem: quandoquidem faceret, ne unquam fuisset in Deo individua illa Scientia media prærequisita ad prædefinitionem; & constitutiva consequenter libertatis illius divinæ: ergo hæc ex suo conceptu non obstat dæ impeditio. Præterea non libertas ipsa creata; quoniam estensus hæc nequirit ex suis intrinsecis prædefinitionem impedit libere, quantum inde sequeretur, se ipsam liberè interimere; sed hoc non sequitur; siquidem eo ipso, quod prædefinitione ponatur esse principium

pium supervacaneum, libertas creata non constituitur per illam; neque cum illa essentialiter connectitur: ergo, omnibus inspectis, ejusmodi prædefinitio est impedibilis per humanam libertatem: ergo, quidquid dicat P. Aldrete supra citatus, illi non adversatur.

281. Sed dices. Apex totius hujus doctrinæ est, principia hæc redundantia idcirco cum libertate compati, quia sunt extra actum primum proximum; atqui etiam prædeterminantes inquiunt, suam prædeterminationem esse extra actum primum proximum. Ita sanè, sed nihil illis prodest: tum quia simul inquiunt, illam esse omnino inimpedibilem ab arbitrio creato; nos autem fatemur, & positivè defendimus, principia redundantia eo ipso, quod sint extra libertatem, esse impedibilia per eam: ergo est disparitas. Tum etiam quia, licet dicant, prædeterminationem esse extra actum primum proximum; attamen ex prærequisitione, atque inacquiribilitate, quas adhuc agnoscunt in prædeterminatione, arguitur, illam, quidquid sit de blandis vocibus, constituere re ipsa proximam potestatem; alioquin hæc subsistere posset, illa absente. Sed hoc est falsum: tum quia non datur plena sufficientia, ubi deficit aliquid indispensabiliter prærequisitum, aliàs quamquam gratia Dei sit omnino prærequisita ad operationes salutares, & naturæ absit; hæc nihilominus plenâ fungetur ex se sufficientia ad salutariter operandum: ergo si prædeterminationis est indispensabiliter prærequisita ad operandum, ubi illa defecerit, non dabitur plena, prompta, atque expedita sufficientia ad operationem. Tum quia idè præcisè non gaudeo modò sufficientia ad debellandum turicum Imperium, quia ad tantum facinus perpetrandum, ingenti, ac veterano opus est exercitu, quem neque habeo, neque meis viribus comparare possum: ergo, si homo peccans non excitatur prædeterminatione ad resipiscendum, & hæc est indispensabiliter necessaria, & ille hanc suis viribus adipisci non valet, non habebit ille proximam, atque expeditam facultatem resipiscendi.

282. Colligitur 5. Decretum efficax divinum, quod *præscindens* potest dici, necnon decretum *concomitans*, & quodvis aliud non regulatum Scientiâ mediâ, libertati inimicum esse; quia omne connexum, atque inimpedibile, modis dictis, est libertati *indifferentia* inimicum; sed omne efficax decreti divinum non regulatum Scientiâ mediâ in primis est connexum cum uno libertatis exercitio, ut communiter supponitur contra P. Uson; deinde est inimpedibile. Probo. Omnis casus, in quo libertas creata impediare potest ejusmodi decretum, est

aut in *sensu composito* libertatis divinae ad illud , aut in *sensa diviso* ; sed ambo sunt impossibilis libertati creatae . Probo . In primis ne-  
quit haec impedire praesatum decretum in *sensu composito* libertatis

*P. Junius*  
*scilicet 6. c. 9.*  
*n. 12.* aut in hoc articulo ) tum quia de conceptu libertatis est , quod , se exi-  
stente , nemo alias determinet , aut impedit stricte , ac efficaciter suas  
determinationes , sed potius ipse se moveat , & non moveatur irresis-  
tibiliter , ac inevitabiliter ab alio , quod pulchre explicuit Magister  
B. Thomas , discrimen praescribens inter naturam rationalem , atque

*S. Thom. I.*  
*2. q. 1. ar. 3.*  
*corp.* irrationalalem . Illa ergo , quae rationem babent , se ipsa movent ad finem ,  
quia babent dominium suorum actuum per liberum arbitrium , quod est  
facultas voluntatis , & rationis . Illa vero , quae ratione carent , propter

naturalem inclinationem tendunt in finem quasi ab alio moventur , non autem  
a se ipsis , cum non cognoscant rationem finis : & paucis interjectis : & ideo  
proprium est naturae rationalis , ut tendat in finem quasi se agens , vel du-  
cens ad finem ; naturae vero irrationalis quasi ab alio acta , vel dicta . Et  
eidem insistens distinctioni , hujus , quod est moveri a se , & hujus ,  
quod est moveri ab alio , quae naturam rationalem , & irrationalē  
discriminant , tria argumenta contraria solvit . Et & rursus : ad tertium  
*Ibid. q. 80.*  
*art. 1. ad 3* dicendum , quod Deus est universale principium omnis interioris motus  
humani , sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana ,  
hoc directe quidem est ex voluntate humana , & a Diabolo per modum  
persuaderentis . Ubi determinationem stricte talem , atque alienam ,  
abigit a voluntate ; & alibi . Alio modo praeconoscit Deus aliquo in se  
ipsis , velut fienda ab ipso ( & horum est prophetia Prædestinationis , quia  
secundum Damascenum Deus prædestinat ea , quae non sunt in nobis )  
vel ut fienda per liberum arbitrium hominis : & sic est prophetia pre-  
scientia . Ubi tacitas prætereo subtile quasdam tricas , quibus haec , &  
similia testimonia eludi possunt : ergo menti S. Magistri ait in fixum  
erat , proprium esse naturae liberae , quod ab alio non determinetur ad  
propria exercitia ; sed quod ipsa se ipsam agat , moveat , determinet  
que ex suppositione , quod Deus gratiosè velit illam conservare libe-  
ram , ac relinquare in manu consilii sui : ergo impossibile est , libe-  
tatem humanam determinare stricte , ac propriè unum potius , quam  
aliud exercitium libertatis divinae , hac perseverante .

*Idem 2. 2.*  
*q. 174. art.*  
*1. corp.* 283. Tum quia , si hoc ita continget , libertas humana injice-  
ret Deo aliiquid connexum cum impeditione illius decreti , & inau-  
feribile per illam divinam libertatem . Connexum quidem ; alias non  
impedit decretum illud , inauferibile insuper ; nam si Deus posset  
illud

illud auferre , & actū auferret , deficeret libertas creaturæ ad impe- diendum illud decretum ; sed creaturam injicere Deo aliquid hujus naturæ , esset , creaturam dominari libertati divinæ ; quod absit : ergo libertas creata nequit impedire decretum illud *in sensu compo- sito* divinæ libertatis ad ipsum ( ubi impeditio indirecta , & à poste- riore supersedeo , quia satis refutata manet . ) Deinde non *in sensu diviso* : quia impedire decretum in sensu diviso à sua libertate , est , hanc libertatem impedire . Sed si non regulatur Scientiâ mediâ hoc decretum , nequit creatura impedire divinam individuam liberta- tem ad illud ; quoniam hæc nullum includet constitutivum conti- gens , connexum metaphysicè cum opere aliquo arbitrii creati : ergo , si decretum illud non reguletur Scientiâ mediâ , creatura nequit im- pedire libertatem ad ipsum , nisi fortè hæc libertas constituatur Scien- tiâ aliquâ visionis dependente à creatura . Constat ergo , nullum decretum divinum metaphysicè connexum cum exercitio determi- nato libertatis esse cum hac conjungibile , nisi presupponat deter- minatè actum aliquem Scientiæ mediæ , ut ex hac resultet in illud im- pedibilitas possibilis creaturæ : nempe unicus possibilis modus , quo una libertas indifferentiæ potest vitare exercitium alterius , est , quatenus possit vitare aliquod hujus constitutivum ; hæc enim si plenè adæquate existat , faciet quod volet , & à nemine potest irresi- stibiliter determinari . At quando libertas divina ad aliquod indivi- dum decretum non constituitur per Scientiam medium , nullum constitutivum illius libertatis divinæ est vitabile ; vel assigna illud : ergo tunc , nec est vitabile decretum ipsum .

## C A P U T X V .

### *Comparantur Determinationes , Volitiones , ac Nolitiones Fundamenti , & Termini .*

284.



Astam emensi eremum , ad placidiores tandem evadimus campos . Advero primò . Determina-  
tio pressè loquendo est quidquid cum alio conne-  
ctitur . Est triplex : *Moralis* , *Logica* , & *strictè Physica* . Determinatio moralis est quidquid ve-  
hementer inclinat animum , salvâ tamen potestate , ad omittendum  
physicè , atque metaphysicè terminum . Determinatio logica est in-  
tima connexio , seu identitas rei secum ipsa , quamquam interdum  
accid-

accipiatur pro determinatione à posteriori consistente in effectu intime connexo cum causa sua. Determinatio physica est essentialis connexio cum termino, à quo realiter distinguitur. Hæc determinatio physica potest esse à posteriori, ut effectus respectu sui cause: & à priori, ut causa respectu sui effectus. Igitur, ut A sit determinatio strictè Physica rei B, duobus indispensabiliter opus est attributis, ut jam supra notavi cum P. Junio. Primum est, quod intime connectatur cum B. Secundum, quod ita huic præcedat, ut nec subjectivè, nec objectivè per Scientiam contingentem sit posterior re B. Si alterutrum ex his deficiat, non erit determinatio strictè physica: nam si deficiat connexio, dabitur indifferentia, unde exulabit determinatio, quamvis adsit prioritas; sin vero deficiat hæc, & adsit illa, erit determinatio à posteriori, seu à concomitante, seu logica, ut loquuntur Multi, non vero strictè physica, seu à priori.

285. Quid si determinatio strictè physica fuerit mediata, necesse est, medium illud interjacens quatuor donari prædicatis. 1. Terminare connexionem illius, quod dicitur determinare strictè physicè rem B, v. g. 2. Esse purè consequens respectu illius. 3. Esse conexum cum B. 4. Esse purè, ac simpliciter antecedens respectu hujus. Si aliquid expungas, collabitur determinatio mediata. Ob hanc rationem prædefinitio efficax pœnitentia, aut Christi Domini, ut Redemptoris, præcox ante visionem absolutam peccati non est determinatio strictè physica, sed purè logica peccati; duæ namque liae ab illa duci possunt usque ad peccatum: prima per libertatem peccatrixem; secunda per pœnitentiam ipsam, aut Redemptionem. In hac illibatum videbis tenorem connexionis, siquidem Prædefinitio connectitur cum pœnitentia, & hæc cum peccato, sed scinditur filium prioritatis; quoniam licet Prædefinitio præcedat pœnitentia, hæc non præcedit peccato, sed sublequitur. In illa è converso subficit prioritatis series, cùm Prædefinitio sit prior respectu libertatis peccatrixis, & hæc respectu peccati; sed connexio interrupitur: nam quamvis Prædefinitio connectatur cum libertate illa, hæc tamen non connectitur cum peccato: cùmque ulteriòs Prædefinitio illa præcox non sit determinatio formalis, & immediata peccati, quia, nec cum eo identificatur, nec in ipsum immediatè influit; sed, libertate mediante: satis probabiliter concluditur, illam neutiquam esse determinationem subjectivam, atque exercitam peccati, strictè physicam, quidquid sit de purè logica. Quos terminos si bene conjugaveris, atque inflexeris, prout adversæ conjugantur, inflectuntur que

que propositiones, ab argumentis te explicabis, quibus P. Ribade- *P. Ribad.*  
neyra ingruit in hujusmodi Prædefinitiones. Si contra determina- *disp. 8. de*  
tionis conceptum objeceris, libertatem activam, suam determi- *pred. c. 1.*  
nare operationem, citra omnem connexionem; memento conce-  
ptum illum non fuisse datum rei determinanti, sed ipsi soli  
determinationi.

286. Adverto e. Non oportere amorem, & volitionem confun-  
dere, aut odium, & nolitionem. Potest enim dari amor strictus,  
seu simplex delectatio, complacentiave absque volitione. Sic Phi-  
losophi morales jure secernunt peccata meræ, morosæque delectatio-  
nis à peccatis desiderii. Sic Deus se ipsum infinitè amans neque ha-  
bet, neque habere potest volitionem sive existentiæ, omnipotentiaz  
&c. quia de manifesta stultitia postularetur quisquis serio, & arden-  
ter vellet rem simpliciter antecedenter necessariam, cum omnis voli-  
tio, nolitio, desideriumque esse debeat de contingentibus, alioquin  
serio posses velle, te esse animal rationale, serioque nolle, hanc pa-  
pyrum esse equum. Potest insuper dari volitio sine ullo amore rei  
volitæ, sed potius cum odio puro illius: sic Cacodæmon ardenter  
vult decretum divinum reprobavitum hominum, quod tamen non  
amat, sed potius, utpote divinum, odio prosequitur. Rursus dari po-  
test nolitio sine odio: sic licitum est nobis nolle decretum reproba-  
tivum hominum, gemebundique orate: *Ne proicias nos à facie tua;*  
cum tamen nefas sit contra charitatem Theologicam hujusmodi de-  
cretum divinum *odisse*. Demum dari potest odium absque nolitio-  
ne: sic nequam ille spiritus odit decretum divinum, quia divi-  
num, hominum reprobavitum, quin habeat nolitionem illius, sed  
potius flagrans desiderium. Rem explicando opportunum præbet  
exemplum intellectus, qui aliquos procreat actus sistentes in contem-  
platione objecti, nihil omnino affirmando, aut negando de illo (&  
hi vocantur simplices apprehensiones) alias autem efficaciis, &  
compositivæ tendentes in objectum, aliiquid affirmando, vel negan-  
do de illo: & hi vocantur judicia. Simile quid accidit voluntati,  
aliquos actus habet, quibus hæret in delectatione, complacentia,  
approbationeque objecti, cuius notitia suo palato blanditur, nihil  
tamen curans de illius consecutione (& hi vocantur amores stricti,  
sive odia, si solummodo voluntatem tedeat objectorum illorum)  
alios verò efficaces, vividioresque, quibus in objecti adstructionem,  
aut destructionem coenitit; & bi nuncupantur volitiones, aut  
nolitiones.

287. Adverto 3. Multitudinum est volitionum genus, & noti-  
tionum. Volitio namque potest esse, aut formalis, & explicita;  
aut virtualis, implicita, indirecta, atque interpretativa. Volitio for-  
malis est, quæ inclinat, procurat, & quatenus est ex se, causat exi-  
stentiam rei in se ipsa, quæque explicari solet his vocibus *Volo base-  
rem*. Volitionem virtualem ( idem opinare de cæteris vocabulis )  
plurisariam secuit P. Junius, & meritò quidem; potest namque  
esse virtualis virtualitate objectivæ determinationis physicæ, illa ni-  
mitum, quæ directè, atque explicitè fertur in rem, quæ est strictè  
determinationis physica peccati, v.g. atque idcirco exterminamus à Deo  
prædefinitionem illius, quod dicitur materiale peccati materialiter  
sumptum; ac prout non dicit imperfectionem. Nam cum realitas,  
quæ sub his terminis speciosis latere videtur, sic revera, prout alibi  
probatur, determinatio strictè physica malitiae formalis, formaliter  
sumptæ, ac prout dicit imperfectionem, si Deus serio, & efficaciter  
vellet illud, quod vocatur materiale, & re ipsa est malitia ipsa forma-  
lis, vellet quoque virtualiter saltem malitiam formalem. 2. Virtualis  
virtualitate subjectivæ determinationis physicæ videlicet illa volitio,  
quæ ita fertur in A, ut per se subjectivè, atque exercitè sit *connexa*  
cum volitione explicita etiam formalis rei B: sic Prædefinitiones ef-  
ficaces pœnitentia, aut gloria ante prævisa demerita, aut merita, si  
possibles sint, sunt volitio virtualis libertatis A. v.g. creatæ, virtua-  
litate hac: quoniam ita feruntur in sua objecta distincta à libertate,  
ut per se ab intrinseco inducant Deum ad concipiendum efficacem  
volitionem libertatis creatæ, quæ peccatura est, cuius prædefi-  
nitur pœnitentia; & ad meritum, cuius prædefinitur corona:  
Loquor secundum placitum aliorum hic; à principio autem intrin-  
seco sequor P. Doctorem Molinam identificantem etiam virtualiter  
prædefinitionem redemptionis cum permissione peccati, licet circum-  
scribens amplitudinem hujus sententia cum P. Quiròs. Sequor  
item P. Junium identificantem similiter prædefinitionem gloriæ, ut co-  
ronæ, cum decreto collatiyo libertatis, quamvis immerito corripien-  
tem priores illos duos. Puto igitur, quod præcognoscens Deus per  
scientiam medium futurum usum libertatis creatæ, concipere potest  
hujusmodi decreta: *Volo largiri Adamo libertatem A, & quia, eā pa-  
sitā, peccabit; volo mittere Christum, ut tanto malo medeatur. Volo lar-  
giri Petro libertatem ultimam A, & quia cum ea perseverabis in gratia;*  
*volo conferre illi postea gloriam.* Quibus statutis tendentiis, innoxie  
transvolant pleraque hostium jacula. Sed de hoc alibi.

P. Molis.

1 p. qu. 23.

art. 4. &

5. disp. 1.

memb. 7.

Quiros

disput. 22.

num. 38.

P. Junius

sett. 14. c. 6.

num 11. &

sett. 13.

cap. 14.

Identificantem etiam virtualiter prædefinitionem redemptionis cum permissione peccati, licet circum-  
scribens amplitudinem hujus sententia cum P. Quiròs. Sequor  
item P. Junium identificantem similiter prædefinitionem gloriæ, ut co-  
ronæ, cum decreto collatiyo libertatis, quamvis immerito corripien-  
tem priores illos duos. Puto igitur, quod præcognoscens Deus per  
scientiam medium futurum usum libertatis creatæ, concipere potest  
hujusmodi decreta: *Volo largiri Adamo libertatem A, & quia, eā pa-  
sitā, peccabit; volo mittere Christum, ut tanto malo medeatur. Volo lar-  
giri Petro libertatem ultimam A, & quia cum ea perseverabis in gratia;*  
*volo conferre illi postea gloriam.* Quibus statutis tendentiis, innoxie  
transvolant pleraque hostium jacula. Sed de hoc alibi.

288. 3. Virtualis virtualitate objectivæ determinationis moralis : & est volitio illa, quæ fertur in objectum A prohibitum volenti, ob manifestum periculum incidendi in objectum B magis directè, ac immediate prohibitum : siervidus juvenis suos appetitus compescendi rudis dicitur velle virtualiter sedam intemperantiam, quando periculosam domum ingredi vult, quippe ingressus ille est ipsi prohibitus ob proximum periculum transgrediendi præceptum. 4. Virtualis virtualitate subjectivæ determinationis moralis : & est volitio illa objecti A, quæ voluntatem facit obnoxiam periculo volendi objectum B. Sic obstinans adhuc in ultionem vult hanc virtualiter, quando hostem videre vult ; quoniam hæc volitio adigit illum fæcillimè in volitionem ulciscendi inimicum. Aliquantulum inflexis terminis, philosophaberis similiter de nolitione ; hæc enim est formalis, explicita, atque immediata objecti A, quando sic effertur : *Nolo objectum A.* Est quoque quadruplex : Virtualis virtualitate objectivæ determinationis physicæ, quando est nolitio rei simpliciter prærequisitæ ad objectum A: sic Deus nolens conferre peccatori qualitatem illam, quæ dicitur simpliciter prærequisita ad pœnitentiam, quæque ab illo est inacquiribilis, dicetur virtualiter nolle pœnitentiam . 2. Virtualis virtualitate subjectivæ determinationis physicæ, nempe illa , quæ ita tendit in objectum A, ut per se inducat nolitionem objecti B: sic nolitio efficax divina donandi homini libertatem ullam ad merendū, esset virtualiter nolitio præmii, quia cum hac nolitione intimè connecleretur. 3. Virtualis virtualitate objectivæ determinationis moralis; & est illa , quæ fertur in objectum præceptum nolenti , ne deficiat aliud immediatus præceptum : sic nolitio deferendi lectulum , est virtualiter nolitio audiendi saerum, quia, ne hoc prætermittas , juberis à lecto surgere . 4. Virtualitate subjectivæ determinationis moralis, & est nolitio illa unius objecti , quæ te manifesto exponit periculo nolendi alterum : sic nolitio addiscendi tui statūs obligationes est virtualiter nolitio multarum rerum contra illum, quia obiicit te periculo has nolendi.

## §. II.

289. **J**AM dico 1. Neque omnis determinatio sive purè logica, sive strictè physica fundamenti connexionis tantum naturalis est ullatenus determinatio termini. Neque omnis volitio efficax illius

lius est aliquatenus volitio hujus. Neque omnis nolitio hujus est nolitio illius. Neque omnis volitio fundamenti oppositionis pure physicæ est nolitio termini. Neque omnis nolitio illius est volitio hujus. Constant hæc ex supradictis. Nil metaphysicè oppositum cum termino connexionis pure physicæ est ullatenus determinatio, aut efficax volitio illius; sed aliqua determinatio strictè physica, volitioque efficax fundamenti hujus connexionis potest esse metaphysicè opposita termino; ut suadet efficax volitio divina producendi, atque conservandi ignem *absque ullo calore*, quæ cùm sit determinatio strictè physica, volitioque efficax fundamenti connexionis physicæ (& quidem ut connexi physicè, quoniam hæc reduplicatio nil addit igni secundum se, cùm per suam solam essentiam exigat calorem) opponitur metaphysicè termino, nimirum calori: ergo aliqua determinatio strictè physica, volitioque efficax fundamenti connexionis dictæ, nullatenus est determinatio, seu volitio termini. Idem dico de determinatione logica, & à posteriori. Visio namque æterna, quæ Deus intueretur ignem existere absque ullo calore, esset logica determinatio ignis; & tamen neutquam foret determinatio caloris, quo cum ille naturaliter connectitur. Idem exemplum cæteræ complanat; nam hujusmodi decretum divinum est nolitio efficax termini connexionis physicæ caloris scilicet; & tam longè abest, ut sit nolitio fundamenti, quin potius sit efficax volitio illius, quia est efficax volitio ignis. Item eo ipso, quod hujus sit volitio, est volitio fundamenti physicè oppofiti cum parentia omnis caloris; & tamen non est hujus parentiæ nolitio, sed volitio: ergo neque omnis nolitio termini connexionis pure physicæ est nolitio fundamenti; neque omnis volitio fundamenti oppositionis physicæ est nolitio termini. Ultima pars constat; nam cùm fundamentum, ac terminus oppositionis physicæ possint deficere simul, nullus appetet titulus, ob quem nolitio unius esse debeat volitio alterius.

290. Dico 2. Nulla determinatio sive logica, sive strictè physica fundamenti oppositionis metaphysicæ potest esse determinatio termini, aut vice versa; Nolitio autem unius ex his duobus interdum est volitio alterius, interdum non: item volitio unius interdum est nolitio alterius, interdum non. Probo primam partem. Nil metaphysicè oppositum cum illo termino potest esse ullatenus determinatio illius ad existendum; de conceptu enim hujus est connexionis termino, quam habere nequit, quod illi metaphysicè opponitur; sed omnis determinatio sive logica, sive strictè physica fundamen-

menti oppositionis metaphysicæ est metaphysicè opposita illi termino . Probo . Omne metaphysicè connexum cum fundamento oppositionis metaphysicæ est metaphysicè oppositum termino , ut supra ostensum est ; cùm enim , existente prædicto fundamento , nullà potentia existere valeat terminus , & necesse sit existere illud fundatum , quoties affuerit aliquid metaphysicè connexum cum illius existentia ; palam fit , quod , existente hoc connexo , necessariò deficit terminus ille , & consequenter hoc connexionem opponi metaphysicè illi termino . Sed omnis determinatio sive logica , sive strictè physica fundamenti oppositionis metaphysicæ est metaphysicè connecta cum hoc fundamento , cùm hanc connexionem imbibat in suis intrinsecis conceptus determinationis tam logicæ , quam strictè physicæ ; ergo omnis hæc determinatio opponitur metaphysicè illi termino : cùmque metaphysica oppositio indispensabiliter sit reciproca , concluditur , dicendum esse idem viceversa . Explico secundam partem . Oppositio metaphysica interdum admittit medium , interdum non . Quando medium admiserit eo , quia ambo extrema possint abesse simul , non est cur nolitio unius debeat necessariò esse volitio alterius ; quando autem medium non admiserit , defectus unius infallibiliter arguit existentiam alterius : ex alia parte nolitio illius unius est volitio sui defectus : ergo nolitio unius erit volitio alterius eo modo ; quo postea exponemus , quando dicemus , an volitio fundamenti connexionis metaphysicæ sit volitio termini ? Idem proferto judicium de tertia parte . Unum quodque ex oppositis metaphysicè est intimè connexionum cum defectu alterius : ergo efficax volitio illius est , aut non est volitio defectus alterius , juxta regulas , quas mox dabimus . Sed volitio defectus alterius est nolitio ipsius alterius : ergo volitio unius ex his oppositis est , aut non est nolitio alterius , juxta mox dicenda .

291. Dico 3. loquendo de amore , ac odio , ut distinctis à volitio- ne , atque nolitione consentaneè ad num. 247. Non semper purus , ac simplex amor fundamenti connexionis metaphysicæ est amor termini , cogitai ut talis ; semper autem odium termini est odium illius , quod agnoscitur metaphysicè connexionum cum termino illo . Rursus odium unius ex duobus metaphysicè oppositis non semper est amor alterius : neq; amor unius est alterius odium . Probo primam partem . Tum quia homo simplici delectatione morosa peccans amat objec- tum , quod titulo creaturæ cognoscere potest esse intimè connexionum cum Deo ; & tamen delectatione illa morosa non amat , sed potius

offendit Deum absque effugio ignorantiae invincibilis, quam ponon  
dari in homine illo: ergo non semper simplex, ac purus amor  
fundamenti connexionis metaphysicæ est, adhuc virtualiter, & in-  
terpretativè, amor termini cogniti ut talis. Tum quia, cum fun-  
damentum sit adæquatè distinctum à termino, potest animus dete-  
gere in illo aliquam specialem jucunditatem, aliquid attributum  
peculiare voluntatem alliciens, quod in termino minimè detegat;  
Sed hoc ipso voluntas amare potest fundamentum, seu illo delecta-  
ri, & non termino: ergo potest voluntas delectari fundamento, quin  
delectetur termino. Probo secundam. Eo ipso, quod duo obver-  
sentur animo paria quoad malitiam, ægrè admodum apprehenditur.  
voluntatem aversari unum, & non aliud, præsertim quando hoc  
aliud agnoscitur causa illius unius; eodem enim actu; quo volun-  
tas detestatur A propter malitiam, quam in eo deprehendit, detesta-  
tur illud, quod tam pravæ est naturæ, atque conditionis, ut per suam  
essentiam inferat omnino antecedenter ipsum A, neque ab hoc sepa-  
rari possit, quod multis illustrabis exemplis: ergo eo ipso, quod  
oderis terminum connexionis metaphysicæ, odiſſe debes fundamen-  
tum metaphysicæ connexum cum illo, cui aspergitur eadem malitia,  
qua illi, quodque fuerit causa illius. Quod inde etiam patet, cum  
leges omnes, qua aliquid vetant, pariter vetant omnem causam  
metaphysicæ connexam cum illo. Sin verò fundamentum conne-  
xionis metaphysicæ non fuerit purè, ac simpliciter antecedens respe-  
ctu termini, quem detestaris, non est necesse, te illud prosequi odio.  
Sic odiſſe debes peccatum, non verò scientiam visionis, qua Deus  
intuetur illud, neque complexum ex præscientia conditionata illius,  
& decreto collativo libertatis inefficacis; nempe quia licet utrumque  
conneſtatur intimè cum peccato-absoluto; ast neutrū præcedit il-  
li purè, ac simpliciter, cum yisio supponat illud absolutè; complexum  
verò conditionatè.

292. Dices. Licitum est odiſſe æternam damnationem, quia  
propterea licitum sit odiſſe decretum divinum, efficaciter infligens  
hanc pænam; quisquis enim hoc decretum oderit, peccabit contra  
charitatem Theologicam. Atqui decretum hoc est metaphysicæ con-  
nexum cum damnatione, ipsamque purè antecedit, quamquam sit  
posterior peccato: ergo non semper odium termini connexionis  
metaphysicæ est odium fundamenti, licet hoc purè sit antecedens  
respectu illius. Et ratio est. Eo ipso, quod intellectus detegat in-  
fundamento illo alias alias bonas qualitates, potest ipsum amare,  
vel

vel saltem non odisse , eo quod videat unam malam proprietatem aliis bonis temperari . Sed quamquam intellectus videat pessimam naturam fundamenti , quatenus indispensabiliter adducit secum terminum illum odiosum , potest simul detegere in eo bonas alias qualitates , quae illius praeceps connexionis contraponduntur sint : ergo potest ipsum amare , vel saltem non odisse . Respondeo quemadmodum decretum divinum infligens eternam damnationem nulli sanæ voluntati displicere potest , ita nec damnatio in se ipsa , atque simul ut oriunda à decreto illo ; verum tamen ut distincta à peccato:quia illa sic sumpta est actus jurisdictionis divinæ digna , quæ probetur cuilibet creaturæ rationis compoti . Potest vero homo de illa dolere , atque tristari sicut etiam de illo decreto; nam ad hoc sufficit nolitio efficax , & ardens ; odium autem , ac displicantia stricta debet cadere juxta rectam rationem supra solum peccatum , aut supra illud , quod ad peccandum provocat . Unde distinguenda est major , concedendaque de odio laxo , & impropto convertibili cum nolitione ; neganda vero de odio stricto consistente in pura detestatione , affectivâque reprobatione . Ad secundum respondeo . Intellectum inspicere in eo fundamento connexionis bona alia attributa , probare , quidem , posse voluntatem remittere aliquantulum odium , vel etiam concipere simul aliquem amorem ( eo modo , quo agnoscens utilitatem , atque incommoditatem mortificationis potest illam propter primum amare , & propter secundum odisse ) ast non probat , voluntatem suspendere omnino odium circa fundamentum , quod videt summè connexum à priori cum termino , quem ex corde aversatur .

293. Dico 4. Quamquam omnis determinatio fundamenti connexionis metaphysicæ sit aliquatenus determinatio termini ( siquidem cum hoc metaphysicè connectitur ) at vero neque omnis determinatio termini est semper determinatio ullatenus fundamenti : neque omnis determinatio strictè physica fundamenti est determinatio strictè physica termini . Probo illud . Quidquid non connectitur metaphysicè cum fundamento illo , minimè est determinatio illius actualis , & absoluta , de hac sola loquor ; at determinatio sive strictè physica , sive purè logica termini non semper connectitur metaphysicè cum fundamento : cum non semper sit reciproca connexionis inter fundamentum , ac terminum : ergo determinatio hujus non semper est ullatenus determinatio illius . Probo ultimam partem . Omne , quod non fuerit copulativè connexum cum termino , & purè , ac simpliciter antecedens respectu illius , non est determinatio strictè .

strictè physica termini ; sed non omnis determinatio strictè physica fundamenti est copulativè connexa , & purè , ac simpliciter antecedens respectu termini : licet enim semper sit connexa cum hoc , quandoque tamen est consequens respectu hujus , ut patet in determinatione stricta cuiusvis creaturæ , quæ eti semper connectatur metaphysicè cum Deo , numquam hunc anteit : ergo non omnis determinatio strictè physica fundamenti connexionis metaphysicæ est determinatio strictè physica termini .

### §. III.

294. **D**ico 5. Quando fundatum connexionis metaphysicæ neque absolutè , neque conditionatè presupponuerit terminum ut ponendum independenter à volitione , atque determinatione volentis , tunc volitio efficax fundamenti est volitio termini , aut eam inducit ; secùs autem dicendum , quando volens id fundatum præcognoscit pro priori ad volitionem , aut absolutè , aut conditionatè terminum connexionis existere jam , vel extitum ab alio independenter à propria volitione , atque determinatione . Et ob eamdem rationem dicendum est , volitionem efficacem unius ex duobus metaphysicè oppositis esse nolitionem alterius , quando pro priori ad volitionem illius non præsupponitur absolutè , aut conditionatè carentia hujus alterius ; secùs quando præsupponitur . Et similiter quando duo metaphysicè opponuntur , & non admittunt medium , nolitio unius est volitio alterius , quando pro priori ad eam nolitionem non intelligitur absolutè , aut conditionatè existentia hujus alterius . Probo primam partem . Omnis volitio , vi cuius terminus redditur simpliciter voluntarius , & imputabilis ad culpam , si aliàs esset prohibitus , est volitio illius termini , aut eam inducit ; sed omnis volitio fundamenti prædicti non supponens absolutè , aut conditionatè dependenter ab alieno arbitrio ipsum terminum est volitio , vi cuius terminus redditur simpliciter voluntarius , & imputabilis ad culpam , si prohibitus fuerit . Nam quisquis non prævidens terminum jam existere , aut extitum per alienum arbitrium , prorumperet in volitionem efficacem fundamenti , quod agnoscit connexum esse metaphysicè cum illo termino , affectivè amplectetur , quatenus esset ex se , terminum illum , pectaretque in volitione illius fundamenti , si terminus aliàs prohibitus esset , quod patet in volente explodere sclopetum , quando videt obver-

obversum esse homini inermi : ergo omnis volitio fundamenti connexionis metaphysicæ non præsupponens absolutè , aut conditionatè terminum, est hujus volitio , aut inducit eam . Et ratio est , quam supra insinuavi : quidquid ita connectitur cum termino , ut hunc nec absolutè , nec conditionatè præsupponat , sed potius simpliciter antecedat , est determinatio strictè physica termini: ergo omnis volitio illius cogniti ut talis ( si enim adesset ignorantia invincibilis , alter philosophandum esset ) est volitio determinationis strictè physicæ termini . Sed omnis volitio determinationis strictè physicæ termini est aliqua volitio virtualis termini , ut supra explicuimus : ergo omnis volitio prædicti fundamenti est aliqua volitio saltem virtualis termini , & imputabilitati sufficiens .

296. Probo secundam partem . Et quidem , si pro priori ad volitionem fundamenti prævideatur absolutè jam existere terminus , res sine controversia est , volitionem fundamenti , neque formaliter , neque connexivè esse volitionem termini ; alias nequirit D:us efficaciter velle pénitentiam , justificationem , supplicium , & sexcenta alia essentialiter connecta cum peccato , quin hoc vellet : neque nos possemus efficaciter velle ullius creaturæ existentiam , quin stolidam conciperemus volitionem existentiæ simpliciter antecedenter necessariæ Dei , cum qua existentia creaturæ omnes intimè connectuntur . Difficultatis cardo versatur , quando pro priori ad volitionem fundamenti connexionis notitia dicitur prævisio absoluta termini , sed conditionata dumtaxat . Probo igitur conclusionem . Volitio efficax fundamenti per se præcisè solummodo determinat volentem , ut faciat id , quod agnoverit necesse esse ab ipso fieri , ad hoc ut adipiscatur fundamentum illud , quod appetit: ergo per se præcisè non determinat illum ad hoc , ut ipse faciat id , quod præcognoscit priori ad eam volitionem necesse non esse ab ipso fieri , ad hoc ut adipiscatur fundamentum illud . Sed si pro priori ad volitionem fundamenti cognoscit , terminum ponendum esse ab alio citra suam volitionem , atque determinationem , pro priori ad eam volitionem cognoscit , necesse non esse , quod ipse habeat volitionem ullam illius termini ad hoc ut existat fundamentum . Nam quamvis advertat esse necessarium , quod existat terminus ad hoc ut existat fundamentum ; attamen simul cognoscit , non esse necessarium , quod ipse habeat volitionem termini , ut is existat ; nam scit hunc ponendum esse ab alio independenter à propria volitione , atque determinatione: ergo volitio efficax fundamenti per se

præ-

précisè non adigit volentem ad hoc, ut concipiatur volitionem termini, quando pro priori ad eam volitionem agnoscit, terminū non existere quidem absolutē, at extiturum infallibiliter per alium citra propriam volitionem, atque determinationem. Insuper dicta volitio non semper est volitio formalis, immediata, directa, atque explicita termini; quia non semper habet hanc tendentiam: *Volo existere hunc terminum*, ut patet: ergo dicta fundamenti volitio non semper est volitio termini, aut eam inducit. Neque dicas; hunc discursum probare, volitionem ipsam fundamenti non esse determinationem sui ipsius; quoniam pro priori ad ipsam potest scire volens, non esse necessariam hanc volitionem ad hoc, ut fundamentum existat. Id ne dixeris, quia in proximo discursu loquebar de determinatione strictè physica; Volitio autem fundamenti est determinatio logica sui ipsius, cum ipsa sit formalis, explicita, atque immediata volitio fundamenti. Quamobrem retorsio est debilis quo usque probes, volitionem prædictam fundamenti esse pariter volitionem explicitam, formalem, immediatam, ac directam termini, quod ægrè præstabis. Alia dabo inter respondendum argumentis contrariis.

296. Hinc 1. Sponte sua fluunt cæteræ partes: quippe unumquodque ex duobus metaphysicè oppositis est metaphysicè connexum cum carentia alterius: per nullam enim potentiam potest existere absque illa, cum per nullam potentiam possit existere cum illius contradictorio: ergo efficax volitio uniuscujusque illorum est volitio carentiae alterius, quando hæc carentia, neque absolutè, neque conditionatè præsupponatur ad eam volitionem; secus quando præsupponatur juxta proximè dicta. Sed volitio carentiae alterius oppositi est re ipsa nolitio illius alterius: ergo volitio unius est nolitio alterius modo dicto. Præterea quando duo metaphysicè opposita non admittunt medium, seu nullo modo possunt deficere simul, carentia unius est metaphysicè connexa cum existentia alterius; quandoquidem, nec divinitus evenire potest, quod illa carentia datæ, deficiat hæc existentia: ergo volitio illius carentiae est volitio alterius juxta distinctionem datam. Sed nolitio illius unius est volitio suæ caritatis: ergo nolitio illius unius est volitio hujus unius juxta eam distinctionem. Hinc 2. vera est sententia, quam breviter

P. Junius perstrinxit P. Arriaga, & mirificè propagavit P. Junius, & ego supra  
f. 13. c. 3. tetigi: nempe Deum posse absque ulla indecentiæ labe prædefinire  
P. Aldre. pœnitentiam, aut Christum, ut Redemptorem non modò ante vi-  
te disp. 21. de Incarn. peccati in se ipso, ut vult P. Aldrete; verum etiam ante vi-  
sio.

sonem peccati in alio, ut non vult. Item non modò, quando pœnitentia prærequirat vagè peccatum verum, vel existimatum, ut censet P. Ribadeneyra; verùm etiam quando præsupponat determinatè peccatum verè patratum. Et primò sanè ob proximè dicta; quo: P. Ribad.  
disp. 8. de  
Pred.

niam ejusmodi Prædefinitio eatenus dedecret Deum, quatenus forat determinatio strictè peccati, vel hujus volitio formalis, & immediata, vel hanc volitionem inferret, quorum quolibet posito, Deus esset author, & causa per se peccati. At hujusmodi Prædefinitio, neque est determinatio strictè physica peccati (cùm ipsum conditionatè præsupponat, ut determinandum à creatura independenter à divina volitione; siquidem præsupponit Scientiam medium, qua novit Deus fore, ut, si detur libertas A, ipsa se ipsam determinabit ad peccandum independenter prorsus à divina volitione) nec est volitio formalis immediata directa, atque explicita illius, neque hanc infert ob rationem datam numero superiore: ergo. Secundò: quia licet Prædefinitio tantùm conditionatè præsupponens peccatum, præscindensque ex suo modo tendendi ab hypothesis purificatione indecora esset Deo, propterè quodd impelleret ipsum ad conferendum de industria auxilium inefficax, & quia inefficax, ad electionemque medii remoti respectu pœnitentiæ, & propter innumera alia, quæ Authores contrarii agglomerant; at verò Prædefinitio supponens Scientiam medium peccati sub libertate A, & simul per tendentiam logicè priorem purificans hanc conditionem, conferens nimirum libertatem A prævisam aliunde inefficacem, & per tendentiam logicè posteriorem occurrens tanto malo, statuendo nimirum pœnitentiæ, immunis est ab illis absurdis: ut bene docent PP. Grana-  
P. Grana-  
dos.  
do, Ribas, Quiros apud P. Ribadeneyra supra, insistentes vestigiis P. Molinæ, quem jam citavimus. Non enim effingendum est systema, itaut Deus de repente concipiatur Prædefinitionem efficacem pœnitentiæ v. g. & his compedibus jam constrictus, inquirat media necessaria, ut detur peccatum, quod ponitur esse prærequisitum ad pœnitentiæ. Absit. Sed ita, ut inverso ordine disponatur hypothesis: nimirum prævidet Deus per Scientiam conditionatam inefficaciam libertatis A, & hac notitiæ instructus prorumpit in decretum simplex omnind, atque indivisible, licet non nisi multis vocalis à nobis explicabile, sic tendens: *Volo conferre libertatem A, & quia, eā positā, peccabit infelix homo à se, & ex se absque ullo irressibili, & inevitabili impulsu: volo ipsum à peccato per pœnitentiæ resurgere.* Quo prælocantur argumenta contraria suffulta prioritate Prædefini-

Y y y

tia.

tionis respectu decreti collativi auxilii inefficacis. Sed de hoc aliis: ubi statuam, hunc modum volendi remedium ante absolutam malitisionem esse communem satis. Siquidem Patresfamilias præscientes conditionatè fore, ut, si mittant filios suos ad militiam, ad Universitatem &c. illi indigeant pecuniis, antequam mittant; & antequam illi indigeant, & quando adhuc sunt domi, statuunt absoltè sui Patres mittere illos, & quia in eo casu indigebunt pecuniis, statuunt simul per eundem voluntatis actum dare illis per singulos menses tantam, aut tantam portionem.

297. Modò objicies cum P. Ribadeneyra. Translatio hominis à statu indifferentiæ, ut non sit malitia, ad statum connexum cum illa non præsupposita absolute, est determinatio malitiæ; & ideo, qui, non præsupposito termino, vult, & ponit actionem, determinat, & saltem æquivalenter vult terminum; & qui, non præsupposita malitiæ, vult, & ponit materiale peccati, censetur velle, & determinare malitiam. Sed dicta prædefinitio est istiusmodi translatio: ergo. Majorem esse falsam, probat complexum ex præscientia conditionata peccati sub libertate A, & decreto hujus collativo: quod sanè complexum est translatio à statu indifferentiæ ad statum connexum cum malitiæ non præsupposita absolute (intime namque connectitur illud complexum cum peccato non mindùs, quam prædefinitio pœnitentiæ) quin propterea sit stricta determinatio peccati. Igitur transeat, majorem illam esse veram de translatione neque absolute, neque conditionatè præsupponente malitiam, ut determinandâ unicè per alienam libertatem, neque insuper purificante conditionem, sub qua prævidetur peccatum; est tamen falsa, si procedat de translatione per se ab intrinseco regulata per Scientiam mediā erunciantem, peccatum fore determinandum unicè per libertatem alienam respectu Dei, & insuper purificante per tendentiam logicè priorem nuper explicatam, seu conferente hanc libertatem; & talis est prædefinitio, quam defendo. Primum exemplum est dispar. Actio namque productiva termini, enim non reguletur per se essentialiter Scientiâ mediâ, ita connectitur cum illo, ut illum pure, ac simpliciter antecedat, seu potius illum non præsupponat essentialiter; & idem dico de materiali peccati: ergo ambo sunt determinationes strictè physicæ suorum terminorum: ergo qui serid, & efficaciter vult alterutrum benè perspectam habens ipsius natum, vult saltem virtualiter, atque implicitè terminum. At Prædefinitio præsupponit essentialiter Scientiam mediā peccati sub liber-

bertate A: ergo hæc libertas potest illam vitare: ergo illa non est subjective in se ipsa determinatio strictè physica exercitii illius libertatis A. Deinde nil vult, quod sit ejusmodi determinatio; nam, ut iam dixi, solummodo vult pœnitentiam, & libertatem ad peccandum: ibi adest quidem conexio, sed prioritas deest; hic autem deest conexio, licet adsit prioritas: ergo neque in prædefinitione, neque in ullo ex objectis volitis per ipsam, coeunt duo prædicata, connexionis nimis, & omnimodæ antecedentie: ergo neque illa, neque ullum ex suis objectis est determinatio strictè physica peccati.

298. Adde in illo, quod vocatur materiale peccati, aliam latere disparitatem. Etenim sub speciosis vocibus his, *Materiale peccati*, *materialiter sumptum*, ac prout non dicit imperfectionem, non tegitur auda, & sola entitas peccati divisa ab advertentia malitiae; sed ea entitas, ut liberè facta contra conscientiam obligatoriè retrahentem: Illa nempe entitas ab hoc præscindens, neque identificatur cum malitia, neque cum hac connectitur, ut per se patet; materiale autem peccati dicitur à suis Authoribus, aut identificari realiter cum malitia, aut eam infallibiliter fundare. At entitas physica, & realis blasphemiz reduplicativè, us liberè facta contra conscientiam graviter obligatoriè retrahentem, est formals ipsa malitia, quidquid sit de velamine verborum; nam est id, quod formaliter, & immediate prohibetur, & id, propter quod formaliter immediate homo damnatur, & id, quo solo intellecto, à quocumque alio præscindendo, intelligitur malitia formalis, & fundamentum sufficiens ad justam, atque rationabilem reprehensionem: ergo, quidquid sit de velamine verborum, illud, quod dicitur materiale peccati materialiter sumptum est re ipsa formale formaliter sumptum, ac prout dicit imperfectionem: ergo si Deus plenè supercomprehendens illud, quod dicitur materiale peccati, ipsum serio, & efficaciter vellet, sequeretur, quid (quidquid sit de verbis) serio, & efficaciter vellet existere in homine ipsum, quod est formale peccati formaliter sumptum, atque prout dicit imperfectionem: ergo vellet hoc, cùm hoc nihil aliud sit, quam id, quod est ipsum. Cùmque ulteriùs possit Deus præcipere creaturas illud hujus exercitium, quod efficaciter vult, sequeretur, posse Deum præcipere creature, tum quid liberè contra conscientiam retrahentem graviter eliciat physicam entitatem blasphemiae: tum id, ex quo per metaphysicam consequentiam infertur malitia formalis formaliter sumpta, & prout dicit imperfectionem. Cæterum cùm nemo sane mentis dixerit, pœnitentiam, aut libertatem ad peccandum,

dum, quæ sunt objecta volita per nostram prædefinitionem, esse malitiam ipsam formalem, ingens insertur disparitas inter prædefinitionem, atque decretum efficax illius, quod nuncupatur materiale peccati.

### §. I V.

299. **P**ropriunt se aliqui ad latibula distinctionis virtualis, sive rationis: Alii præcisions quasdam appellant, atque formalites, quagum armis præcincti incedunt securi. Sed Disp. I. Logicæ repulimus à creaturis distinctionem istam virtualem, sive rationis. Tum quia, illà admissâ, totum artificium syllogisticum collabitur; non quòd, semel dispositis præmissis benè, non inferatur consequens; sed quia numquam poterunt illæ bene disponi super rebus creatis. Quemadmodum quippe tu dicas, Deum velle efficaciter materiale peccati, sed non omne, quod est hoc materiale (nimirum formale) nempe quia datur hujusmodi distinctione inter materiale, & illud, quod est materiale: & hoc satis totum Mysterium Trinitatis, ubi communicatur Filio essentia; non verò id, quod est essentia, videlicet Paternitas, ob reciprocam distinctionem, quæ datur inter essentiam, & id, quod est essentia. Ita quivis atius oppressus pondere argumenti in quacumque materia, quod identitati, aut distinctioni extremorum insistat, intrudet illicè distinctionem istam in terminis illius argumenti, advocabit idem exemplum, & (quidquid sit de rectitudine consequentiæ) negabit distinctione virtuali protectus alterutram ex præmissis; quo fieri, ut tertio quoque gradu hæreat argumentum, vel detorqueatur ad impugnandam distinctionem virtualem. Sicut ergo dices, tunc deferenda esse opinionem illam purè speculativam, quæ non aliter lenitur, quam ingenti Trinitatis difficultate, & distinctionem virtualem non esse passim ponendam, sed ubi Fides, cui mentes nostras submittere teneamus, doceat; idem dico ego in presentiarum. Tuna ulterius, quia tota difficultas, excellentiaque tota illius Mysterii consistit in eo, quod res simplex, atque indivisibilis communicetur extremis realiter distinctis. At similiter materialis entitas peccati, quæ est unica, communicaretur extremis realiter distinctis: quoniam illa identificatur cum hoc prædicato, *Prædeterminatum in se ipso à Deo*; & cum hoc, *Malitia formalis*, quæ essent realiter distincta, cum unum verè megetur de alio, etiam quando existit utrumque; siquidem est vera  
hec

hæc propositio, *Malitia formalis non est in se ipsa prædeterminata à Deo;* ergo in materiali peccati ponis totam excellentiam, difficultatemque totam Mysterii Sanctissimæ Trinitatis. Absit.

300. Præcisiones autem sunt pulcherrima, & antiquissima Philosophia; verumtamen *Nil est, quo non lædere quisque queat. Igne quid utilius?* Si quis tamen urete testa comparat, audaces instruit igne manus, cecinit ille humanos abusus saepe expertus. Præscindit intellectus extrema identificata; non quia culero sui acuminis identitatem scindat dividens, ac separans unum ab alio; sed quia habet expressionem illam, qua utimur, dum agimus de illo uno, & non habet expressionem, seu cognitionem, qua utimur, dum agimus de alio, neque lumen sufficiens ad deprehendendum hanc expressionem. Sic dicimus præscindere animal à rationali, quia ex vi præcisè hujus expressionis *animal*, qua utimur semper ac de animali ipso objectivo sermocinamur, nequimus devenire in hanc *rationale*, qua etiam utimur, quando de rationali ratiocinamur. Quocirca mentalis nostra præcisio unicè consistit in modis nostris obscuris, inadæquatis, ac imperfectis cognoscendi, & conceptus ipsos objectivos relinquit; perindeac si talis præcisio non daretur. Præscindit quoque voluntas, non quia edœcta ab intellectu, A esse penitus B, & volens existere A interiorum natura nolit existere B; (stultissimè enim sic se gereret) sed quia incitat ipsam ad volitionem, seu amorem potius una cognitione, quam altera. v.g. Homo mollis dicitur amare actionem A, *quia jucundam*, ut jucundam, quatenus jucundam, sub ratione jucundæ, secundum formalitatem jucundæ; & non quatenus actionem præcisè. Porro totus hic verborum turbo nihil aliud importat, quam cognitionem incitantem mollem illum ad amorem, non esse hanc, illa actio est actio; quoniam obscura hæc tendentia nihil patefacit alliciens ad amandum; sed hanc expressiorem, illa actio est jucunda, itaut, si rationem rogaretur, ob quam illi inhiat actioni redderet hanc, *quia est jucunda*; non verò hanc, *quia illa actio est actio*. Ex hac autem circa præcisiones Philosophiæ, quæ una est vera, quamnam venaris utilitatem prædeterminationi materialitatis peccati? Deum formaliter, ac ratione nostra non prædeterminaturum malitiam formalem formaliter sumptam? Transeat hoc esse verum, modò sequatur, Deum prædeterminantem istud, quod vocas materiale materialiter sumptū, prædeterminare quoque realiter à parte rei malitiam formalem, formaliter sumptam: inde quippe sequetur, quod licet Deus formaliter in sensu logico, & ratione nostra non sit causa per se malitiæ formalis,

lis, erit tamen *in sensu reali*, & à parte rei author peccati, quæ propositio in virum catholicum cadere nequit. Deduces ulterius, Deum non moveri ad amandum entitatem peccati ex hac cognitione, *Pec-  
catum est formaliter malum?* Transeat id quoque esse verum, qui nec creatura ipsa peccatrix movetur ex simili cognitione ad peccandum, sed ex utilitate, voluptate, quam sperat: & tamen quia serid, & efficaciter vult illam ipsam entitatem, quam præcognoscit esse prohibitam jure naturali v.g. est causa per se peccati: ergo si Deus vult efficaciter illud, quod prævidet esse prohibitum ( jure naturali, v.g. quod abrogare nequit ) esset author, & causa per se peccati. quamquam ex malitia illius non moveatur.

301. Excursione peracta redeamus ad P. Ribadeneyra. Confirmat ille primò suum assumptum. Qui, non expectatà malitiâ peccati, excludit requisitum essentialie, ut vitetur malitia, determinat eo ipso existentiam malitiæ: sicut is determinaret creaturam ad non operandum, qui, non expectato creaturæ otio, determinaret Deum ad non concurrendum. Sed Deus prædefiniens pñnitentiam, aut redemptionem ante peccati visionem, non expectatà malitiâ, excluderet liberè ejusmodi requisitum; si quidem excluderet carentiam hujus prædefinitionis: ergo. Major est vera de exclusione connexa cum malitia, & simpliciter antecedente; non verò de exclusione præsupponente essentialiter Scientiam conditionatam malitiæ ut determinandæ per solam creaturam, & simul purificante conditio-  
nem, sub qua malitia prævidetur: & hujusmodi est prædefinition. Confirmat 2. Nolitio actûs præcepti, vel volitio actûs prohibiti, est conditionatè peccatum interdum supponat, est ejus determinatio, non alio sanè titulo, quam quia est exclusio actûs, vel omissionis requisitæ ad vitandum peccatum, & connectitur cum peccato non præsupposito: nec aliâ de causâ productio termini est ejus determinatio: ergo si prædefinition &c. Nego antecedens; ratio enim non est ista, sed quia volitio illa est actus, quo voluntas formaliter, directè, atque explicitè amplectitur malitiam, quam videt. Quod si neuter actus fuerit efficax, neuter erit determinatio malitiæ objectivæ; sed dumtaxat malitiæ formalis in ipsis actibus consistentis: & hoc, quia identificantur secum ipsis, & ipsi sunt prohibiti, immediateque liberi. Confirmat 3. Imponere necessitatem objectivè vagantem inter duo, & excludere unum illorum, est determinare alterum; sed Deus donans libertatem ad peccandum imponit necessitatem vagan-tem inter ipsum peccatum, & hujus omissionem; deinde prædefi-  
niens

niens pœnitentiam liberè excludit omissionem peccati : ergo hoc determinat. Major est vera, quando illa exclusio sit metaphysicè opposita cum illo uno, & connexa cum altero. *& simul sit purè ; ac simpliciter antecedens respectu alterius utrius*, distributione accommodà ; falsa autem, quando exclusio illa præsupponit essentialiter Scientiam conditionatam de eo, quod tale unum pro mero libito aliùs excludetur, & simul purificat conditionem, sub qua prævidetur exclusio illius unius. *Quia*, ut supra statui, de conceptu determinationis strictè physica sunt duo prædicata, connexio nimirum, & pura antecedentia : item de conceptu prudentis volitionis est non præsupponere essentialiter notitiam de eo, quod obiectum infallibiliter determinabitur ab alio solo independenter à propria volitione ; Prædefinitio autem est hujusmodi.

302. Confirmat 4. Decretum supponens possibilitatem peccati, & inferens ejus non præsuppositam futuritionem conditionatam ; vel excludens requisitum, ut hæc futuritio deficiat, hanc determinat : ergo decretum supponens futuritionem conditionatam, & inferens absolutam, non præsuppositam, atque excludens requisitum, ut ipsa deficiat, ipsam determinat. Distingue, si placet, tò *inferens*, & tò *excludens* terminis jam datis ; vel si mavis, consecutionem negato. Quoniam decretum solummodo præsupponens possibilitatem peccati non esset impedibile à creatura, cùm impedibilis non sit Scientia possibilitatis : ergo cùm ulteriùs esset connexum cùm futuritione conditionata, sequeretur esse connexum, & simul simpliciter antecedens: ergo esset determinatio strictè physica illius futuritionis. Decretum verò futuritionem conditionatam sub hypothesi libertatis creatæ præsupponens essentialiter impedibile est à creatura, quæ admodum futuritio ipsa cōditionata: ergo non est purè, ac simpliciter antecedens: ergo non est determinatio strictè talis futuritionis absolutæ. Replicabis. Totum hoc utcumque conducit ad medendum plaqè imminentí ex hac prædefinitione libertati; nonverò ad vitandum, quod illa sit determinatio strictè physica peccati. Sed contra. Quoniam sunt plagæ mutuò cōvertibiles: si enim prædefinitio esset determinatio strictè physica peccati, libertatem prosterneret, & consequenter esset chymérica: ergo si hanc non prosternit, non est determinatio strictè physica peccati, quidquid modò sit de determinatione purè logica, & quidquid item sit de volitione. Quippe in præsenti non expedio argumenta suadentia, illam esse volitionem formalem, aut virtualem peccati ; sed suadentia, illam esse determinationem illius ut

ut contradistinctam à volitione. Confirmat 5. Peccatum fore, si Deus excluderet requisitum, ut deficiat, est illud determinari conditionatè per Deum: ergo peccatum esse, Deo absolutè excludente tale requisitum, est peccatum à Deo determinari absolutè. Concedo antecedens, si sermo sit de exclusione simpliciter antecedenti; nego autem, si sit de consequenti, atque evitabili per creaturam, qualis est hæc prædefinitio: & explicò similiter consequens. Quid ergo dicendum, si prædefinitio ita præsupponeret Scientiam conditionatam, ut direstè, ac immediatè ferretur in peccatum? Respondeo, illam valdè alienam fore à Deo non ex capite determinationis strictè physice, quod caput in præsentiarum versamur, sed ex capite amplectendi affectivè peccatum in se ipso; Determinatio autem strictè physica non foret, quia impedibilis à libertate ipsa peccatrice.

P. Junius  
supra cap.  
6. z. 5.

303. P. Junius succenset Patri Quirðs, quia hoc argumentum hædquam aspernandum diminutè proposuit, & veluti contempnit solvit. Atque idcirco numero 8. confirmat illud. Determinatio activa principii remoti connexa intrinsecè cum non prærequiri determinazione activa principii proximi, est determinatio passiva stricta licet mediata effectus non præsuppositi, denominans ipsum passivè grammaticaliter determinatum. Sed prædefinitio hæc est hujusmodi, cùm sit determinatio Dei ad dandam nobis libertatem, & connectitur intrinsecè cum hujus libertatis determinatione ad peccatum: ergo. Respondeo, illa determinatio activa principii remoti est determinatio passiva effectus, quando fuerit purè, ac simpliciter antecedens respectu illius; secus quando per se essentialiter præsupposuerit determinationem conditionatam sub hypothesi solius principii proximi illius, independenter omnino à determinatione illius principii remoti: quod prædefinitioni contingit, cùm persuam intimam essentiam præsupponat Scientiam medium enunciantem, fore ut, si detur libertas A creata, ab ipsa sola determinabitur strictè peccatum. Confirmat 7. Hæc prædefinitio est aliqua peccati determinatio; sed non formaliter, qua videlicet res determinatur à se ipsa, quandoquidem prædefiniuntur distinguitur adæquate à peccato. Non purè logica, O. à posteriori; quia est verè antecedens ad peccatum, & verè conducit ad ejus existentiam, tamquam causa saltim mediata ipsius: ergo est determinatio strictè physica. Nego hanc consequentiam: quoniam conceptus hujus postulat puram, & omnimodam antecedentiam absque mixtura posterioritatis. Si enim creatura posset expedire sese ab illa, impropiè valde diceretur, Deus deter-

determinare, illà mediante, creaturam; quibuscumque enim constrictus sis catenis, liber simpliciter diceris, si facillimè possis te ab illis explicare. At quamquam Prædefinitio non sit determinatio purè logica, puritate expungente omnem prioritatem; nihilominus neque est purè, ac simpliciter antecedens, cùm libertas creata liberissimè possit vitare illam; vitando scilicet scientiam medium, à qua Prædefinitio pendet essentialiter: ergo subsistit, illam non esse determinationem strictè physicam. Quid si reclames, libertatem creatam, utpotè oriundam, ex hac Prædefinitione hanc vitare non posse, alias se ipsam liberè perimeret. Respondeo, hanc esse difficultatem decreti collativi libertatis, connexi determinatè cum uno exercitio hujus, & solitariè existentis, quam difficultatem jam exenteravi ad calcem capitatis antecedentis.

## C A P U T X V I .

### *Argumenta aliorum Doctorum.*

304.



ulta illa sunt, sparsa per libros, & quæ affatim collegit P. Junius ubi supra, ea solummodo annectam, quæ DD. postea excogitarunt vulgo parcens reliquorum. Objicit i. P. Moncada: Intentio efficax finis nequit determinare ad electionem medii requisiti purè remotè, nisi mediante electione, ac amore medii requisiti immediatè, & proximè. Sed permisso peccati purè remotè conductit ad pœnitentiam pœnitentiam, nimisq[ue] penes conducentiam, quam habet ad ipsum peccatum; hoc autem proximè, & immediatè conductit: ergo intentio pœnitentia non potest determinare ad electionem permissionis, nisi mediante electione peccati. Majorera conspicuam ex terminis vocat, & perpetuâ inductione notam; quippe ex intentione efficace sanitatis nullus umquam moveretur ad accersendum Medicum, nisi applicationem medicamentum pœnamaret: nempe quia Medicus non aliter conductit ad sanitatem, nisi quatenus, prescribendo medicamina, ad horum applicationem conductit, quæ sola immediatè ad sanitatem est utilis; Idem est in aliis exemplis: ergo cùm permisso passiva peccati non aliter conductat ad pœnitentiam, nisi quatenus ad peccatum est utilis, & hoc solum sit, quod immediatè conductit ad illam; Prædefinitio non determinabit ad electionem permissionis, nisi mediante electione.

P. Moncada contr  
11. de incar.  
c. 1. n. 4.

Z z z

pec.

peccati . Confirmat 1. vel ea Prædefinitio antecedens decretum permissivum peccati haberet vim determinandi amorem peccati, vel non ? Si primum ; eligeret Deus existentiam peccati . Si secundum ; ergo neque haberet vim determinandi ad electionem permissionis , ac proinde frustabilis esset . Probatur . Intentio negligens determinare ad amorem medii proximè , ac immediate requisiti ad finem , eo ipso nequit determinare ad amorem medii remoti , quodque solum conductus mediante proximo : ergo . 2. In permissione peccati nulla prorsus est utilitas ad pœnitentiam ; nisi ea sola , qua utilis est ad peccatum , in cuius positione tam penitus consumit totam suam utilitatem erga pœnitentiam , ut , peccato semel posito , nihil jam ipsa conductus ad pœnitentiam : sicut , semel peracta calami temperatura , nihil jam conductus cultellus ad scribendum ; unde sic dupliciter insurget : 1. Sed ex intentione pœnitentia nequit Deus moveri , ut eligat permissionem propter utilitatem , quam habet ad peccatum , quia id esset amare peccatum : ergo neque , ut eam eligat propter utilitatem ad pœnitentiam ; siquidem tota hæc utilitas formaliter consistit in utilitate ad peccatum . 2. Sic : sed Deo adhuc intendentis pœnitentiam nullatenus placet , quod ponatur peccatum : ergo neque permissione , quæ solum prodest pœnitentia , quatenus prodest peccato , quod Deus nullatenus vult .

305. Confirmat 3. Cui non est amabilis finis non est amabile medium titulo conducentia , quam habet ad eum finem : sic quia non est finis tibi amabilis comburi , non est tibi amabile hoc , quod est proiici in ignem , titulo conducentia , quam habet projectio , ut comburaris . Sed Deo etiam ut prædefinienti non est amabile , ut ponatur peccatum : ergo nec medium permissionis titulo conducentia , quam habet ad pœnitentiam prætentam , cum hæc conducentia sit re ipsâ illa . 4. Ex amore finis medium non est amabile , nisi secundum conducentiam , quam habet ad finem ; quælibet enim alia bonitas , quæ detur in medio , impertinens est intendentis finem , nisi sit bonitas utilitatis ad finem : quia sicut medium non est bonum ad finem , nisi quatenus conductus ad eum , totaque bonitas medii , ut medii , est utilitas ad finem ; ita medium non est amabile propter finem , seu ex amore finis , nisi ratione utilitatis , quam habet ad finem : ergo , ut electio permissionis sit propter pœnitentiam , seu ex amore hujus , debet amovere permissionem , quia utilem ad peccatum . Sed hoc est amare peccatum : ergo . 5. Qui efficaciter amat finem ,

finem, vi hujus intentionis cogitur, ut potius eligat medium, quod vide: conduceens, & necessarium ad ipsum, quam medium, quod licet in se longe melius; pro fine tamen non sit necessarium, aut conduceens. Sed quodd debeat eligere medium, quod videt necessarium, utile ad finem, non aliunde provenire potest, nisi quia ea utilitas sibi intendentis finem est bona, & amabilis, secus quævis alia bonitas medii: ergo Deo ut intendentis pœnitentiam non est bona, nec amabilis permisso, nisi bona ipsi sit, & amabilis ea utilitas, quam habet ad pœnitentiam: ergo vel hanc utilitatem amat ( ac proinde utilitatem ad peccatum, quæ est ipissima cum illa, ac proinde ipsum peccatum ) vel ex prætentio fine non descendit ad electionem permissionis: ergo frustrabitur intentio.

306. Respondeo 1. Argumentum cum tota confirmationum prole falsæ suppositionis vitio laborare; supponit namque, prædefinitionem pœnitentia esse priorem permissione peccati, seu decreto electivo medii remotè conducecentis ad pœnitentiam, ad ipsumque decretum determinare strictè Deum. At hoc esse falsum constat ex num. 258. ad finem, ubi diximus, Deum non prodire affectu repentino in prædefinitionem, & postea secernere inter media utilia, atque inutilia, ita ut illorum electio dimanet à prædefinitione; sed potius inverso ordine accidere res. Præcognoscens quippe Deus pravum usum libertatis A, si hæc existat, eam nihilominus ob fines suss providentia producit; illius tamen misertus libertatis statuit eodem decreto pœnitentiam reparaturam peccati ruinam; itaut prædefinition non habeat hanc tendentiam. *Volo pœnitentiam, & quia ad hanc est necessaria permisso peccati, volo hanc permissionem, in qua forte radicatur aliquorum deceptio;* sed hanc: *Volo conferre homini libertatem A ( propter ipsius v.g. humiliationem, vel aliorum exemplum)* & quia cum ipsa peccabit, volo illum à peccato resurgere. Ubi 1. Pœnitentia non est finis impetu primo intentus, & occasione ipsius permissione peccati; ut hi DD. opinantur; sed è converso finis primarius est gloria Dei. v. g. Hinc descendit permissione peccati, & huic malo volens Deus occurtere statuit per idem decretum pœnitentiam, aut redemptionem. Ubi 2. pro priori ad prædefinitionem hujus nondatur absoluta visio peccati; nam licet complexum ex præscientia conditionata, & decreto collativo libertatis A sit metaphysicè conexum cum peccato, & si volueris, sit visio sui ipsius, & etiam peccati; attamen cum hoc complexum non præcedat adhuc virtualiter decreto pœnitentia, siquidein decretum hoc est realiter, ac virtualiter

ter collativum libertatis A ; inde fit , non prælucere huic decreto visionem absolutam peccati; nisi censueris , formalitatem indistinctam virtualiter à prædefinitione huic præcurrere . Ubi 4. hujusmodi prædefinition non vocatur talis respectu permissionis , sed respectu visionis peccati , quatenus videlicet libertas divina ad prædefinitionem non constituitur intrinsecè per visionem peccati . Ubi 4. Nulla est durities in eo, quod duas præstatæ formalitates in unico simplici , atque indivisiibili decreto coeant . Sicut neque in eo, quod prævidens Deus per scientiam naturalem , fore ut, si ignis existat , petat innatè calorem , habeat hoc decretum indivisiibile , licet nonnisi multis verbis per nos explicabile . *Volo existere ignem , & quia exigit tunc calorem , volo producere illum cum calore tunc .* Neque in eo , quod præsciens similiter fore ut, si homo baptizetur, erit dignus gloria , concipiatur hoc simplex decretum , *volo hunc baptizari , & quia jam baptizatus erit dignus gloriæ tamquā bæreditate , volo illi conferre gloriam .* Neque in eo, quod prævidens tu ipse futurum esse, ut tuus servus obvium habeat Petrum Madriti; si Madritum mittatur, sic te geras . *Volo , te in Madritum , & quia ibi occurret tibi Petrus , ut infallibiliter scio per revelationem: v.g. volo te alloqui illum .* Neque in eo , quod præcognoscens Deus per scientiam medium , Petrum salutariter consenserunt , si ipsi conferatur in ultima vitæ periodo libertas A , sic decernat imparte . *Volo largiri Petro libertatem A , & quia cum illa consentiet , volo conferre ipsi gloriam in præmium ; ubi jam vides , actus intrinsecè causaliter tendentes in talia objecta , quin hypotheses sint pro priori ad ipsos purificatæ: & consequenter , quin presupponant scientiam absolutam illarum rerum .*

307. Qua tendentiâ alienâ valdè à remuneratione , quam Massilienses comminiscabantur ( siquidem illa abiiciebat positivè conditionem , sub qua prævidebantur merita ; hæc autem positivè ipsam purificat ) nec non à meritis in spe , ac purè conditionatis ( cum hæc præscindant à purificatione conditionis ) defendo , possibilem esse electionem ad gloriam , ut coronam ante absolutam prævisionem meritorum . Profectò nullam hactenus afflicatus sum repugnantiam in mixtura harum tendentiarum super dictarum . Ubi 5. Hujusmodi decreta possunt tendere intrinsecè causaliter per illam tendentiam quia tum in peccatum , tum in meritum , tametsi neutrius supponant absolutam visionem . Quoniam licet hujus generis tendentia appungi nequeat decreto supponenti dumtaxat scientiam conditionatam , & præscidenti ab hypothesis purificatione ; potest tamen adiici decreto,

creto, quod per tendentiam logicè priorem purificet hypothesim, sub qua Præscientia evinciet vel peccatum, vel meritum, ut constat exemplis paulò ante productis. Prioritatem autem purè logicam param esse fundando illam tendentiam causalem ( quidquid refragetur *P. Junius* ) constat in scientia, qua Deus se intuetur, quæ cùm amori *supra c.4. num.9.* necessario sui ipsius tantum logicè præluceat, fundat nihilominus hanc veritatem; *Quia Deus se cognoscit, se amat.* Constat item in prædicato rationalis, quod, cùm non sit prius risibili in sensu reali, sed logico dumtaxat, & ratione nostra, occasionem præbet huic veritati potius, quām inversæ: *Quia homo est rationalis, est risibilis:* ergo prioritas purè logica aliquid refert ad hujusmodi tendentias causales. Constat demum, quoties objectum formale actus distinguitur sola ratione nostra ab objecto materiali. Sed dices. Si hæc decreta non presupponunt visionem absolutam peccati, aut meriti, qui fieri potest, ut ferantur in peccatum absolutum, aut meritum absolutum? Dicatur igitur clarè illa ferri in peccatum, & meritum purè conditionata, & consequenter plagam purè conditionatam sufficere ad applicationem absolutam medicinæ, & peccatum purè conditionatum sufficere ad absolutam inflictionem supplicii, & obsequium purè conditionatum ad absolutam remunerationem; unde innumeræ ebullient absurdæ.

308. Solemnis æquivocatio. Putant aliqui objecta esse in *scis* ipsis à parte rei absolute, aut conditionata, & similiter putare poterant, objecta esse in *se ipsis* à parte rei disjuncta, distributa, affirmata, negata. Decipiuntur figuratæ locutione, satis tamen antiquâ in scholis, qua objectis solet attribui proprietas, seu conditio actuum, sicut Soli tribui solet Ecclipsis, quam non ille, sed nos patimus: & sicut nautæ dicunt terræque, urbesque recedunt, cùm ipsi sint, qui recedunt, non verò urbes, aut terræ: meminisse tamen debuerant, hujusmodi denominations tantummodo residere, pressè loquendo, in actibus ipsis, ad objecta verò impropriè solum, & per figuratam locutionem transfundi, eo modo, quo dicere solemus, potentiam, v.g. visivam esse materialens, cùm tamen, utpote identificata cum anima rationali sit spiritualis omnino; sed dicitur materialis, eo quia visio ipsa sit materialis, & hinc potentiam eodem nomine notamus. Item dicere solemus, intellectum esse potentiam necessariam, cùm tamen, utpote indistinctus realiter à voluntate, libertate quoque fruatur; Verumtamen quia cognitiones expertes sunt libertatis passivæ immediatæ, hinc ansam sumimus

qd

ad dicendum, intellectum, cuius usitatum connotatum sunt cogniciones, non esse potentiam liberam. Igitur quemadmodum licet detur à parte rei objectum, quod est disjunctum, distributum, affirmatum, universale &c. non est à parte rei universale, affirmatum, distributum, disjunctum, cùm hæ sint denominationes à quibusdam actibus intellectus oriundæ: ita licet detur à parte rei objectum, quod est absolutum, aut conditionatum; attamen non est à parte rei conditionatum, aut absolutum; sed dependenter à cognitionibus modum tendendi absolutum, vel conditionatum habentibus. Quid si dixeris, objecta à parte rei esse absoluta, aut conditionata objectivè vel fundamentaliter, per me licet, quid in terminis ludas. Quamobrem dum dicis, præfata decreta tendere in objecta conditionata, & non in absoluta, vel intelligis has denominationes ex parte ipsorum objectorum (& sic nego suppositum) vel solùm inquis illa decreta tendere in Scientiam ipsam, per quam regulantur: & sic cùm non dirigantur Scientiæ tendente absolute, sed solùm conditionatè, transeat illa tendere in scientiam conditionatam; verùm id quoque est falsum, cùm non reflectant necessariò in praescientiam sui ipsorum regulatricem. Vel demum inquis, illa dum taxat tendere causaliter in objecta quæ exprimuntur solè scientiæ conditionatæ? Et hoc est verum: cæterum cum scientia illa purè conditionata coexistat purificationi conditionis, potest decretum per tendentiam logicè posteriorem tendere in aliud objectum præquirens absolutam existentiam primi sine absurdis, quæ congregantur in consequente, ut suadent producta exempla.

## §. II.

304. **S**ed aggrediamur hostes intra sua ipsorum castra, quod tamen non est necessarium, cùm prædefinitio, quam defendimus, non sit antecedens permissioni peccati; sed decretum divinum per tendentiam logicè priorem permittens peccatum v. g. *volo dare libertatem A: Et quia peccabit, volo dare postea libertatem efficacem ad paenitentiam, ut fiat paenitentia.* Nego majorem objectionis: tum quia licet A nequeat determinare ad B, quin determinet ad C, quando B identificatur realiter, aut verè connectitur cum C; at quando neutrum contingit, cur nequit A determinare ad B, quin determinet ad C? Sed elec̄tio medii remoti, nempe collatio libertatis prævisæ inefficacis, nec realiter identificatur, nec metaphysicè connectitur

Et si cum electione medii proximi, videlicet peccati; quandoquidem de facto habet Deus illam electionem, & non hanc: ergo non est, cur intentio finis determinare nequeat electionem medii remoti, quia determinet electionem medii proximi. Tum quia etsi non omnis connexio sit stricta determinatio; omnis tamen stricta determinatio claudit connexionem, ut supra statutum est. At intentio efficax finis, ut talis intentio, potest essentialiter connecti cum electione, ac volitione medii remoti, quin connectatur cum simili electione medii proximi. Fieri namque potest, ut finis intentionis essentialiter prærequirat illam, & non hanc (ut accidit in nostro casu, ubi pœnitentia essentialiter prærequirit collationem libertatis inefficacis ad vitandum peccatum, quæ libertas per te est medium remotum, & nullatenus prærequirit divinam volitionem peccati, ut constat.) Quo fiet, ut præintentio efficax finis connectatur cum electione medii remoti, & non cum electione medii proximi: ergo ex eo, quod præintentio determinet ad illam, perperam arguitur determinare quoque ad hanc. Et ratio est. Præintentio efficax finis formaliter, & immediatè solùm nequit voluntatem cum fine; mediata autem cum eis, quibuscum finis connectitur. Aliæ verò connexiones ad libitum arguentum ponuntur, & consequenter fidenti animo negandæ: ergo prædefinitio pœnitentia non connectit divinam voluntatem cum eo, quod neque est pœnitentia ipsa, neque hujus terminat connexionem. At quamquam electio medii remoti connexionem terminet pœnitentiam, quatenus hæc connectitur cum peccato, & hoc cum libertate, & hæc cum decreto sui collativo; electio verò medii proximi, nimirum peccati, neque identitatem, neque ullam connexionem terminat pœnitentiam: ergo, quamquam hujus prædefinitio voluntatem divinam connectat cum electione medii remoti: non tamen cum electione medii proximi.

310. Si malueris, distingue illam majorem objectionis. Nisi mediante electione medii proximi, quando hoc est necessarium, & neque prævidetur possum, neque infallibiliter ponendum ab alio; concedatur (quia intentio efficax connectit voluntatem cum fine, hic connectitur cum medio proximo, hoc cum eo, quod determinetur ab intendente, vel ab alio: quocirca si intendens neque prævidet medium illud esse determinatum jam, neque determinandum iri ab alio, quatenus est ex se, per intentionem se obligat, ut ipse determinet medium illud) quando hoc licet necessarium, & non dum possum prævidetur infallibiliter ab intendente ponendum esse unicè ex

ex aliena determinatione; negetur. Quippe sicut non est necessarium, intendentem eligere medium proximum, quando advertit illud jam esse positum ab alio, ac proinde intentio non determinat tunc intendentem ad electionem illius medii; ita non est necessarium, intendentem eligere illud medium, quando clare præcognoscit, illud determinandum unicè ab alio independenter prorsus à propria electione, seu volitione: ergo intentio finis non te determinat in ea rerum peristhasi ad electionem medii illius, siquidem nos te determinat ad electionem, quam evidenter prævides supervacaneam ad finem, qualis foret tua tunc electio illius medii. Cùm igitur Deus pro priori ad prædefinitionem clare noverit per scientiam me-diam medium proximius ad pœnitentiam, nimirum peccatum infallibiliter determinandum à libertate creata, independenter prorsus à divina determinatione, atque volitione (hoc enim est, quod scien-tia illa enunciat) idcirco prædefinitio illa non adgit divinam volu-tatem in volitionem illius proximicris medii.

311. Et hinc alia consurgit ratio ad negandam universalitatem adversæ majoris. Intentio efficax finis præcisè te determinat ad eum actum concipiendum, quem pro priori ad intentionem prævides ne-cessarium, ut finem adipiscaris; non verò ad illum; quem pro priori ad intentionem prævides, nullatenus esse necessarium ad eum finem; alioquin seria, & efficax volitio subveniendi pauperi impeheret te ad cantandum, vel ad aliud simile disparatum in ordine ad eum fi-nem. At Deus pro priori ad prefatam volitionem prævidens omnes veritates necessarias, prævidet, electionem permissionis peccati esse sibi possibilem, atque necessariam omnino ad finem pœnitentiæ ex-torquendum; electionem autem peccati, nec esse sibi possibilem, nec necessariam ullatenus ad eum finem obtinendum: ergo licet illa prædefinitio determinet Deum ad electionem permissionis, & liber-tatis inefficacis, non tamen ad electionem peccati. Neque inducio contraria rem evincit: aliud quippe est, quod regulariter accidit in hominibus; aliud autem, quod est simpliciter necessarium. Com-muniter accidit, quod homines necessitati ad eliciendum permis-sionem, aut volitionem, hanc eligant, quando objectum importat se-cum utilitatem ad pœnitentium finem. Ast id esse simpliciter ne-cessarium, unde probatur? Quo circa ex desiderio salutis solum deri-vatur in ægroto necessitas, ut permittat, aut velit tum adventum medici, tum applicationem medicamentorum, quando tam permis-sio, quam volitio sufficiens fuerit ad hæc duo: quod si determinat-  
vult,

Vult, & non tantum permittit alterutrum ex his duobus, sibi imputet, non autem desiderio salutis, quod quolibet illorum actuum contentum est, præsertim si ægrotus certissimè sciat, utrumque extitum absque sua volitione. Similiter in casu præsenti: Prædefinitione pœnitentiaæ constringitur Deus ut velit, vel permittat peccatum, quod pœnitentia postulat: nam alterum ex his est simpliciter necessarium, ut existat peccatum, & quodvis sufficiens esset, ut peccatum existeret. At constringi determinatè ad volitionem, quæ pro�us repugnat Deo, unde probatur, cùm permisso sufficiat, & cùm evidenter præcognoscat Deus extitum peccatum, quin ipse illud velit?

312. Ad primam confirmationem respondeo, secundum esse verum, negoque istam consecutionem. Ad probationem nego antecedens, juxta proximè dicta, vel distinguo illud: si tamen determinat ad illud, quod unicè sufficit, ac requiritur ut existat medium proximum; nego (& hoc evenit in præsentiarum, quia licet illa pœnitentia determinare nequeat amorem medii proximi; potest determinare illius permissionem, quæ una requiritur, & sufficit, ut existat medium illud proximum.) Si neque ad illud determinare possit; concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad secundum, omisso antecedenti multis litibus obnoxio, nego primam minorem: quia, ut pervia suadent exempla, potest voluntas intrinsecè, aut extrinsecè moveri ex aliquo objecto, quin ipsum amet, sed potius oderit. Sic rectus Judex ad volitionem pœnæ movetur ex crimen rei, & tamen crimen detestatur. Sic homo misericors ex inopia pauperis movetur ad opitulandum illi, quin diligit inopiam, quam potius abiicere conatur suis eleemosynis. Potest igitur Deus moveri intrinsecè, vel extrinsecè ex utilitate in actu secundo permissionis respectu peccati, hoc est, ex actuali conjunctione auxillii cum peccato, & tamen eam odisse, intendereque illius eversionem; & quamvis eam actualem utilitatem amaret, non continuò amaret peccatum.

313. Sicut enim res mala, dignaque odio potest constitui per aliquid bonum; (puta malitiam formalem constitutam per libertatem activam, & consequenter per omnipotentiam divinam in ea libertate involutam: item actualem oppositionem peccati cum legge constitutam per ipsam legem) ita res bona constitui potest per aliquid malum, v.g. justificatio, quæ bona est, constituitur per peccatum tamquam per terminum à quo: ergo, potest Deus amare,

Aaaa

ali-

aliquid complexum , & odiisse partem aliquam illius : ergo ex eo præcisè, quod Deus amaret prædictam utilitatem actualem constitutam per peccatum , perperam arguitur , illum amaturum esse peccatum . Adde , argumentum altero quoque pede claudicare : quoniam esto utilitatem totam permissionis respectu poenitentia confidere unice in utilitate respectu peccati : esto insuper , Deum non posse eligere permissionem , quia utilem ad peccatum , & consequenter , quia utilem ad poenitentiam ; quid inde ? Vel poenitentia est per se ab intrinseco capax , ut existat absque volitione divina permissionis , quia utilis ad ipsam ; vel incapax ? Si primum ; cum prædefinitio solummodo determinet ad poenitentiam , ut talem præcisè , necesse non est , quod determinet volitionem permissionis , quia utilis ad poenitentiam : quia , ut sœpè inculcavi , tantum determinat id , quod fuerit simpliciter necessarium , ut existat poenitentia secundum se ; nam ipsa secundum se præcisè est , finis intentus . Si secundum : ergo , cum de facto detur poenitentia de facto dabitur divina voluntatio permissionis , quia utilis ad ipsam . Ubi tu videris tuum argumentum . Cætera dilues similiter : ea namque eò tendunt , ut probent , opus esse , quod prædefinitio determinet Deum ad electionem permissioni , quia utilis ad poenitentiam , & hoc esse impossibile . Verumtamen illud primum negatur , quia prædefinitio dumtaxat impellit voluntatem ad illud , quod prævidetur necessarium , ut existat poenitentia ; ad hoc autem non est necessaria determinatio illa reflexio supra utilitatem dictam , nam absque illa potest dari decreatum collativum libertatis inefficacis . Quod si non signifiques reflexionem affectivam volitionis supra utilitatem dictam , sed meram dimanationem à decreto prædefinitivo ; non rixabor , quia inde nullum emergit absurdum .

314. Verum sapiens idem Magister Gaspar Moncada Cöplutenus cardinalem nostræ sententiæ rationem positivam sic evellere conatur (cardinalem inquam in suppositione arbitraria , & neutiquam necessaria , quod prædefinitio dicta sit positivè antecedens permissionem peccati .) Intentio efficax finis solidum quidem determinat volitionem necessariam , quæ sufficit , ut existat finis , *ex industria* , & *influxu ipsius intentionis* ; at est falsum , solidum determinare ad volitionem sufficientem , ut quomodo cumq; existat finis . Hinc progreditur . Sola volitio permitendi peccatum est quidem sufficiens , ut existat poenitentia quomodo cumque : at non sufficit divisa à volitione ipsius peccati , ut existat *ex influxu* , ac *industria intentionis* : ergo falsum est dicere , hanc solam

Iam determinare ad eam volitionem permittendi peccatum. In primis quamvis hic Theologus voti præsentis compos fieret, nihil contra me obtineret, cum adhuc mihi solidior supersit ratio, negativa scilicet, ac contraria argumenta solvens. Sed positivè respondeo 1. licet volitio efficax finis, ut extituri ex influxu, & industria ipsius intentionis determinet ad id, quod est necessarium, ut finis existat ex influxu &c; at volitio efficax solius finis secundum se, & secundum solam suam realem entitatem præcisè determinat illud, quod necessarium est, ut existat secundum se, & secundum suam entitatem realem præscindendo ab istis reflexionibus: tum quia contrarium non probatur: tum quia præcisè adaequit formaliter, & immediate voluntatem fini formaliter intento; mediately vero his, quæ finis ut intentus postulat: ergo, si finis formaliter intentus est sola entitas physica, & realis pœnitentia, v. g. & non hoc ut extitura ex vi, industriaque intentionis; solum determinabit pœnitentia ad illud, quod fuerit necessarium, ut existat physicè, ac realiter; non autem ad id, quod ulterius desideratur, ut existat ex vi, influxuque intentionis. Tum quia nec præceptum obligat ad actiones, ut ponendas ex vi, & motione ipsius, cum illi satisfiat per se loquendo, licet alio, vel aliis motivis ponatur actio: nec imperium ad similem ponendi actum imperatum modum impellit; nam licet hoc sit possibile, non est necessarium, quod solum aunc contendo: atqui tandem disputamus in præsenti ad prædefinitione pœnitentia secundum solam suam entitatem physicam, non ut extitura dependenter à vi, influxuque ipsius prædefinitionis; ergo quamquam alia prædefinitione pœnitentia non posset determinare, nisi ad id, quod est necessarium, ut pœnitentia existat ex vi proprii influxu; non tamen ea, de qua loquor. De hoc iterum redibit sermo.

315. 2. Intentio non potest determinare ad id, quod est necessarium, ut finis existat immediate ex vi, influxuque ipsius intentionis, sed solum mediately; at quamvis prædefinitione pœnitentia non ceterminet volitionem strictam peccati, sed meram pœnitentiam, hæc sufficit, ut pœnitentia existat ex influxu, atque industria talis intentionis. Prob. Pœnitentia existet ex vi, & influxu (suo modo) peccati, hoc ex vi, influxuque libertatis, hæc ex vi sui decreti collativi, quod permisso activa nuncupatur, hoc demum ex vi, determinationeque prædefinitionis: ergo de primo ad ultimum pœnitentia existet ex vi, influxuque prædefinitionis, tametsi hæc non determinaret volitionem peccati. Explicatur. Sanè non potest

conducere potius volitio, quam permisso peccati, ut pœnitentia existat ex vi, & influxu prædefinitionis, nisi quatenus hæc determinet illam volitionem, volitio inferat peccatum, & hoc moveat ad pœnitentiam. At idem habet mera permisso; prædefinitione enim determinat permissionem, hæc libertatem infert prævisam inefficacem; complexum ex hac libertate, & illa prævisione infert peccatum, & hoc tandem ad pœnitentiam vocat; ergo non minus potest permisso mera, quam volitio peccati deservire, ut pœnitentia existat ex vi, & influxu prædefinitionis: ergo hæc: quatenus est ex le, atque ut talis, non determinat volitionem potius, quam permissionem, etiam admisso, quod determinet illud, quod necessarium fuerit, ut existat pœnitentia, ex vi, & influxu ipsius prædefinitionis.

316. Aliam num. 10. arripit viam, ut secundam rationem nostram à priori, doctrinæ cardinem in hac secunda via infringat. Intentio efficax finis solùm determinat volitionem necessariam medium, quando hæc volitio potest dimanare ab ea intentione, quia dimanet alia non necessaria; secus quando non potest. At prædefinitione efficax pœnitentiae non potest determinare volitionem permissionis, quia determinet volitionem peccati, ut supra probarat: ergo. Itaque, inquit, aliud est, quod requirit finis intentus secundum se. Et sic fatetur, illum ex se indiguum non esse volitione peccati, quia sèquè habebit locum pœnitentia, si per solam volitionem permissionis peccatum ponatur. Aliud autem est illud, quod effigit finis intentus ratione præintentionis efficacis. Ratione autem hujus jam ad pœnitentiam requiritur volitio peccati, quia non nisi medià hac potest prædefinitione impellere ad volitionem permissionis; ideoque si ad eam peccati volitionem non determinet, frustrabitur: vel si non frustratur; erit per accidens respectu sui, quoniam per accidens erit respectu sui, quod permisso existat, & per accidens peccatum, unde & pœnitentia. In majori non leviter involvitur contradic̄tio: si enim non potest determinari volitio necessaria, quia determinet non necessaria, hæc erit non necessaria, ut ait; deinde erit necessaria ad finem: quia hic non potest existere ex vi, & influxu intentionis sui, quia hæc intentione determinet volitionem istam necessariam; sed per te non potest determinare volitionem necessariam, quia determinet illam, quam dicas non necessariam: ergo finis nequit existere ab intentione sui, quia determinetur volitio illa, quam non necessariam vocas: ergo hæc est necessaria, ut finis existat à sui intentione. Ex alia parte dicas, non

non esse necessariam: ergo implicas in terminis. Sed hoc spreto; nego minorem, quam subsumis, & nos supra refutavimus, qua refutatione utpote jam scripta supersedemus. Unum autem mente insidet. Finem ut intentum, ac reduplicative ut existentem, vel extitum ex vi, influxu, determinatione, industriaque intentionis, nihil aliud importare, quam entitatem ipsam finis, & suæ præintentionis. Ad illud, jam fateris, necessariam non esse volitionem peccati; ad intentionem autem, ut talem, dumtaxat est necessarium id, quod necessarium fuerit ad finem secundum se, quia hujus solius secundum se est intentio: ergo si ad illum secundum se non est necessaria volitio peccati, nec necessaria erit ad illius præintentionem: ergo neque ad finem ut intentum.

### §. III.

317. **V**erum contra incidentes aliquas propositiones supra dilaclus replicabis. Omne, in quo reperiuntur haec duæ conditiones, esse intimè connexum cum A, & esse verè, realiterque ad ipsum conducens, vel illo prius, est determinatio strictè physica rei A. Sed prædefinitio, de qua loquimur, est talis: nam in primis verè connectitur cum peccato, cum per se inferat pænitentiam connexam cum peccato: deinde illa est prior, quam hoc & ad ipsum conduit, nam est talis respectu libertatis inefficacis, que prior est, ac conducens respectu peccati: ergo in hac prædefinitione coeunt connexio, & antecedentia respectu peccati: ergo est determinatio strictè physica peccati. Respondeo. Omne intimè connexum cum A, & conducens, sive antecedens purè, & simpliciter respectu ipsius, ita ut neutquam ipsum presupponat, est determinatio strictè physica illius: secus illud, quod licet connexum, atque verè antecedens subjectivè, est tamen objectivè consequens, quatenus essentialiter presupponit scientiam medium enunciantē peccatum v.g. sub hypothesi suæ propriæ libertatis. Hujusmodi est prædefinitio. Replicabis 2: tametsi possis moveri ex A, quin ipsum ames, aut velis, quando expellis conditionem, sub qua illud prævides, aut saltē hanc pon purificas; at imperceptibile est, quod ex A movearis ad excendam hypothesisim, sub qua illud extitum præcognoscis, quia illud ames, aut velis; omnes enim afferunt, Deum virtualiter prædefinire nostrum salutarem consensum, quando efficaciter vult libertatem, sub qua eum prævidet; aut saltē ex eo, quod in primo casu non ames A,

per.

perpetam arguitur idem pro secundo, cum vastum adeo sit discri-  
men purificandi in hoc hypothesim, sub qua prævidetur A, secus in  
illo. Et hoc accidit in exemplis illis: *volo conferre elemosynam Pe-  
tro, quia est pauper: volo te punire, quia peccasti: collatis cum hac divina  
volitione volo tibi largiri libertatem A, quia est inefficax*. In hac ulti-  
ma, & non illis datur tendentia purificativa conditionis, sub qua  
prævidetur res, ut per se patet: ergo est ingens disparitas.

318. Respondeo quando movearis ex A, ut purifiques hypothe-  
sis, sub qua illud prævides, & ulterius volitioni executivas hypo-  
thesis admisceatur complacentia aliqua, amor, aut desiderium ipsius  
A, vel in locum horum affectuum sufficiatur obligatio manus tem-  
perandi à purificatione, tunc habebis volitionem formalem, aut  
virtualem saltem rei A. Et ob primam rationem Deus conferens li-  
bertatem prævisam efficacem dicitur prædefinire virtualiter nostrum  
consensum, proiiciens autem libertatem prævisam inefficacem non  
dicitur prædefinire virtualiter peccatum: nempe quia illud primum  
decretum admiscetur complacentia, amori, aut volitioni nostri  
consensus (quod si nihil tale contingeret, immerito diceretur præ-  
definire tamquam causa per se in actu secundo nostrum consensum,  
quidquid sit de causalitate per se in actu primo.) Secundum autem  
immune est horum affectuum respectu peccati, cum potius imbibat  
odium illius, & præterea non tenetur Deus vitare libertatem præ-  
visam inefficacem. Ob secundam rationem, qui suus conscius fra-  
gilitatis prævidens lapsum sub actione A, eam nihilominus exercet,  
dicitur velle virtualiter lapsum suum: scilicet quia tenetur occasio-  
nem illam fugere. Sed quamvis Deus libertatem velit, quia est  
inefficax (quod sanè non accidit) purificetque conditionem, sub qua  
inefficacem præcognoscit, nihilominus neque tenetur vitare condi-  
tionem illam, neque decreto purificativo illius complacentia ulla-  
subrepit, amor, aut desiderium inefficacia: ergo quamvis detur ista  
disparitas materialis inter affectus istos, compares nihilominus sunt  
quoad rem præsentem.

319. Obiiciunt 2. DD. alii Complutenses. Intentio efficax de-  
terminat ad amandam permissionem amore electivo ordinante eam  
ad pænitentiam; sed hic amor est amor peccati. Prob. Hic amor  
ex utroque capite insinuato debet esse amor permissionis, ut utilis  
ad redemptionem, ly ut significante rationem formaliter amatam,  
& rationem objectivam moventem. At eo ipso claudit amorem  
peccati; nam hæc utilitas stat in futura conjunctione auxilii cum  
pec-

peccato, quæ conjunctio includit peccatum, ac proinde hoc amabitur, si ea conjunctio amat: ergo. Major probatur 1. Ea utilitas est ratio movens ad eam electionem ( si enim rogaretur eligens, cur dat hoc mediū? Responderet, quia utile est ad finem) ergo electio tendit iu utilitatem, ut talem, ly ut reduplicante rationem moventē. 2. Electio nascens ex intentione in eam fertur bonitatem, ad cuius amorem determinat, & non movet finis ut intentus; at hic non determinat ad amandam aliam bonitatem ab utilitate, quævis enim alib est impertinens ad finem: ergo. 3. Bonum dividunt Philosophi in honestum, utile, ac delectabile; docentque honestum, ac delectabile esse objectum proprium intentionis, atque fruitionis; utile vero esse objectum, in quod tendit electio: ergo sicut honestas, & delectabilitas est ratio objectiva directè, ac formaliter amata per intentionem; ita per electionem est utilitas amata, ut ratio objectiva movens: quamobrem S. Thomas supponit sèpè, electionem specificari à bonitate utilitatis, tamquam à ratione objectiva formaliter attacha: ergo debet in eam ferri. 4. Amor procedens ex inclinatione, aut determinatione alicujus virtutis tendit, tamquam in rationem moventem, & amatam, in eam bonitatem, ad quam determinat virtus, & solùm attingitur ut conditio illud, quod se habet instar conditionis requisita ad existentiam talis bonitatis. ( Unde quia actus misericordiae procedit ex inclinatione ad honestatem, sublevandi miseriam, ideo attingit tamquam rationem amatam eam, honestatem; tamquam conditionem verò miseriam pauperis, quæ requiritur, ut detur honestas sublevationis. ) At utilitas medii ad finem non se habet per modum conditionis, ut detur in medio ipso bonitas, ad quam inclinat intentio; sed est ipsa bonitas, in quam inclinat per actus electivos ponendam: ergo.

320. 5. Deus eligendo permissionem ex præintentione pænitentia debet esse causa per se pænitentia; at si Deus esset tantum permis- sor peccati, non esset causa per se pænitentia, præscindendo à quovis alio influxu: præcisè namque influeret in eam per modum causæ remota. Sed causa remota non aliter influit in effectum, quam influit in causam proximam: ergo, si in hanc, scilicet peccatum, solùm permissivè, & non influit Deus solùm permissivè, & non per se per se influeret in pænitentiam. 6. Licet intentio efficax finis non determinet intendentem, ut ponat media prærequisita, quando prævidet ea penitus ab alio ponenda independenter à propria cooperatione, & prærequisitorum positione; ast quando prævidet illa non penitus ab

ab alio ponenda, sed dependenter à propria cooperatione, & præquisitorum positione, abs dubio determinat, ut in hæc prorumpat, motus ex utilitate, quam hæc habet ad finem directè intentum. At hoc accedit in præsentiarum, ut est certum: ergo prædefinitio determinat Deum, ut prorumpat in cooperationem, & auxilium, motus ex utilitate, quam hæc habent ad peccatum. Sed in hoc involvitur amor peccati: ergo.

321. 7. Falsum est, electionem nascentem ex intentione finis non debere esse amorem hujus, & electionem mediorum propter utilitatem, quam habent ad finem. Tum quia oppositum docuit S. Magister Thomas inquiens. *Id, quod est ad finem (medium scilicet) in quantum bujusmodi, non est volitum, nisi proprius finis.* Item: *in ea, quæ sunt ad finem, in quantum bujusmodi non potest ferri (voluntas) nisi feratur in ipsum finem.* Tum quia electio, ad quam intentio-determinat suâpte naturâ est motus, & tendentia intentionalis ad asequendum finem intentum, & est amor mediæ, ut mediæ, ipsum ordinans ad finis asecutionem. Sed hæc tendentia, & ordinatio in nullo alio potest stare, quam in modo eligendi medium, *ut sit finis,* & propter finem: ergo electio nascentis ex intentione non solum tangit medium, *quia utile;* sed ulterius utilitatem vult, ut sit finis, & propter finem. At hæc involvitur amor finis: ergo. 8. Falsum est, etiam electionem permissionis solum velle medium, *quia utile,* attingendo tantum utilitatem remotam auxilii, quæ quidem attingi potest absque amore peccati; nam electio permissionis oriens ex intentione ferri debet in utilitatem eam, per quam permissione constituitur in esse mediæ eligibilis, & necessarii ad finem intentum. At sola utilitas proxima constituta per peccatum constituit permissionem, ac libertatem in ratione mediæ talis: ergo in hanc ferri debet: ergo & in peccatum illam constituens. Majorem vocat certam, & probat minorem. Quia altera utilitas, idest remota, invenitur etiam in libertate extrinsecè efficace; & tamen neque est medium necessarium, neque eligibile ex prædicta intentione: ergo. Addit manifestum, ut ipse ait, discriben inter exemplum adductum ensis, & auxilii: Habilitas illius ad percutiendum non constituitur per ipsam percussionem, ideoque potest dari amor habitatis, quin sit amor percussionis; utilitas vero permissionis constituitur per ipsum peccatum: ergo in eam ferri non potest, quin etiam in hoc feratur. Hæc est tota doctrina ferè ad verbum transcripta, qua hi authores suam sententiam stabilire, nostramque everttere conantur.

Sed

322. Sed frustra i. Quia haec omnia supponunt prædefinitionem præcurrere decreto permisivo peccati, ita ut hoc decretum sit medium, aut quasi medium electum, ex prædefinitioneque dimanans; at non ita eveniunt res, ut saepe dixi, sed contrario fermè modo. Præcognoscens quippe Deus pravum usum libertatis A, finetque alios nobis occultos intendens, eam nihilominus largitur, sed infelici libertati consulere volens, unicum simplex, atque indivisibile concipit decretum, & collativum libertatis A, & prædefinitionum pœnitentia temperatur: peccatum sub ea libertate prævisum: quod decretum rudi hac nostra minerva explicari potest. Ut tuam agnoscas fragilitatem, volo tibi conferre libertatem A, & quia cum ea peccabis, volo te pœnitere peccati: Ubi ante visionem absolutam peccati datur prædefinition pœnitentiae, quia non sit prior decreto electivo permissionis peccati tamquam medio necessario, ne inferatur vis prædefinitioni; sed potius est unicum decretum etiam indistinctum virtualliter à decreto permisivo, imò hoc logicè præsupponens. Vide num. 267. & sequentes: ergo machina tota prioritati innixa prædefinitionis respectu decreti permisivi corruit. 2. Quia tametsi affectata hæc daretur prioritas, adhuc argumentum non concluderet. Aliud namque est, decretum permisivum tendere in libertatem inefficacem, quia utilem, atque ut utile ad pœnitentiam signatè; nimur quatenus hunc habeat modum tendendi: *Volo conferre hoc auxilium, quia utile est, vel ut utile sit ad peccatum,* & consequenter ad pœnitentiam præsupponentem peccatum. Aliud autem tendere in libertatem illam, quia utilem in sensu merè negativo, videlicet quatenus non eligeret Deus libertatem illam, si non prævideretur inefficax. Illud primum sèpè dixi esse falsum (& est, quo indigebat probaturus prædefinitionem propellere Deum ad volendum peccatum) quoniam intentio efficax finis per se præcisè (quidquid sit de eo, quod homines nulla necessitate constricti facere solemus, sed tantum pro nostro libito) dumtaxat obligat intendentem, ut ipse faciat illud, quod certissimè præcognoscit, necesse non esse ab ipso fieri. Atqui ut Deus à creatura extorqueat finem prætentum pœnitentia, non est necessarium, quod velit libertatem inefficacem, signatè quia inefficax est; imò Deus præcognoscens pro priori ad prædefinitionem omnes veritates necessarias, hanc quoque detegit.

323. Probatur. Eatenus necessaria esset hujusmodi volitio ad prætentum finem pœnitentia, quatenus necessaria esset, ut existimat peccatum, quod necessarium est ad illum finem. Sed, ut dicitur

tur peccatum, non est necessaria; quandoquidem de facto datur peccatum passim ab hominibus, sui, & Dei oblitis perpetratum, quin de facto detur istiusmodi volitio: ergo illa necessaria non est, ut detur prætentus finis pœnitentia; imò Deus pro priori ad prædefinitionem id novit: ergo prædefinition non cogit Deum, ut velit signatè libertatem inefficacem per id generis tendentiam: *Volo libertatem A, quia est inefficax*: ergo neque cogit Deum, ut velit illam libertatem signatè, quia utilis est ad peccatum. Tantùm igitur contingit secundum, prædefinitionem videlicet determinare Deum ad voluntum libertatem peccatrixem, quia utilem in sensu merè negativo: quatenus determinat Deum, ut conferat libertatem illam, quam prævidet lapsuram, non collaturus illam, si non prævidisset sub illa peccatum. Hoc autem non dedecet Deum: tum quia possibile est, quod si Deus haberet libertatem constitutam per scientiam medium de efficacia libertatis A, ipsam non largiretur, siquidem illa libertas divina non esset necessitata ad eam largitionem; sed pro mero suo libito, & consequenter citra omnem indecentiam non largiretur illam libertatem pro eo casu, cùm hujusmodi veritas ad scientiam medium reflexam spectet, quæ à solo Deo determinatur, aut impeditur: ergo potest Deus determinare citra indecentiam omnem hoc, quod est fore ut, si libertas A creata esset efficax, non existeret: ergo nec minima Deo aspergitur indecentia ex eo, quod prædefinition inferat, Deum non electurum libertatem A, si eam prævidisset efficacem, & consequenter, nisi eam prævidisset inefficacem, utilemque, proinde negativè tantùm ad pœnitentiam instar removentis prohibens. Tum quia nulla sequitur indecentia ex eo, quod prædefinition determinet Deum ad eos suos actus internos, quos sanctissime concipere potest; atqui sanctissime concipere potest volitionem libertatis efficacis, & volitionem libertatis inefficacis, & juxta non paucos, nec ignobiles Theologos, etiam reduplicative, ut talium: ergo ex eo, quod prædefinition determinet Deum, ut velit libertatem, quia inefficacem, & quia utilem ad pœnitentiam in sensu merè negativo nulla resultat indecentia in ipsum Deum.

324. Hinc prona est veritas ad repellendas rationes contrarias. Ad primam probationem falso illius majoris respondeo, illam utilitatem esse rationem moventem in sensu merè negativo, & tamquam removentem prohibens; non autem in sensu positivo, quia sine hac motione dari potest peccatum, & consequenter, si cætera adstant, pœnitentia. Ad & distinguo minorem: & finis determinat amorem

## Prædefinitio Pœnitentiaæ. 651

rem illius utilitatis, quando præcognoscit intendens, non esse necessarium, se concipere eum amorem; nego: Unde si intendens rogaretur rationem, ob quam apponenter illud medium (quidquid sit de responso, quod alius daret minùs addicetus legibus prætentio-nis) posset respondere 1. Quia sic volo, sic jubeo: ita ut pro ratione esset voluntas; in actibus quippe immediatè liberis præcipue voluntatis divinæ alia ratio à priori non desideratur. 2. Quia hoc medium est necessarium ad finem, & consequenter utile negativè dum-taxat, quatenus removet suam carentiam prohibentem finem præ-tensem; non verò positivè, quasi peccatum conducat, ut detur pœnitentia, cùm potius, ut pote huic oppositum, huic resistat, quam diù perseverat. Et arceatur quofo ræquivocatio confundens utilita-tem positivam cum purè negativa, seu necessitatem fundatam in-mera connexione cum vero, & positivo influxu: transeat medium positivè utile, atque necessarium amandumiri ab intendente; non tamen est necesse, quod hic semper velit medium utile purè negati-vè, seu utile præcisè, quia terminat connexionem finis; præser-tim quando tale medium prævidetur jam positum, vel ponendum ab alio independenter à propria determinatione. Sic in sententia re-ciprocam admittente connexionem inter cuncta possibilia, possilitas hujus papyri est medium utile negativè, idest purè necessarium, ut detur pœnitentia; & tamen hujus intentio non determinat volitio-nem seriam illius utilitatis, ne mpe quia hæc prævidetur suo modo existens independēter à propria determinatione. Idem respectivè eve-nit in nostro casu. Ad 3. respondeo, utilitatem esse rationem amatam per electionem, hancque specificari ab illa, quando intendens præ-cognoscit esse necessarium, quod ipse amet, aut velit tales utilita-tem, ut hæc existat in rebus; secus quando infallibiliter prævidet, tales volitionem non esse necessariam. Quid si nihilominus in eam prodeat volitionem, sibi imputet, aut suæ inconsiderationi; non au-tem naturæ intentionis ab affectibus superfluis præscidentis. Ad 4. distingo minorem. Utilitas est bonitas ipsa, ad quam amandam, seu volendam inclinat semper intentio finis; nego: ad quam exer-cendam in rebus inclinat intentio; permitto. Potest autem exerceri in rebus præfata utilitas absque ullo amore, aut volitione ipsius; quo-niam eo ipso, quod Deus permittat existere utilitatem illam (hoc est peccatum sub libertate A) existet; sed absque his affectibus potest Deus permettere, illam existere in rebus: ergo absque illis potest exi-stere utilitas præfata.

325. Quinta secum ipsa pugnat. Vel loqueris de Deo, ut prædefiniente pœnitentiam, vel præscindendo omnino ab omni id generis affectu etiam inefficace, & virtuali? Si hoc; qua ratione adductus esse veras, illum esse causam per se pœnitentiae? Si illud; en disparitatem inter effectum remotum, & proximum. Nempe te supponere intentionem efficacem effectus remoti, qui est pœnitentia; non vero effectus proximi, scilicet peccati, quia de hoc est questio. Quapropter explicanda est illa minor subjunction, & concedenda, quando certa fuerint paria; neganda vero, quando fuerint imparia, ut sunt in præsenti, quoisque aliud probes. Ad sextam dicatur, illam prævisionem conjunctam cum intentione pœnitentiae obligare quidem Deum, ut cooperetur, & concurrat ponendo media eo modo, quo ipse scit, necesse esse se concurrere; non autem eo modo, quo scit necesse non esse, quod ipse concurrat. Cumque sciat Deus, non esse necessarium, quod velit auxilium inefficax signare, & positivè, quis utile ad peccatum: idcirco solum determinatur ad hoc permittendum, & non ad aliud, quia hoc, & non aliud desideratur, ut existat peccatum. Ad 7. negetur major, si præscribat legem universalem, & id propter significet tendentiam electionis reflectentem supra finem. Neque Sanctus ille Pater aliter docuit, quandoquidem intentio finis negavit per se præcisè determinare intendentem ad actum, sive modum actus, quem præcognoscit non esse necessarium, ut obtineat finem; & potest contingere, ut modo contingit, quod intendens præcognoscit, non esse necessarium ad finem obtainendum, quod eligat medium electione reflectente supra finem, eo quod sine hac reflexione electionis possit existere illud medium. Igitur id propter, & annexa telenomia tantum significant medium electum ad finem non eligendum esse, nisi prævideretur utile; quoniam hoc, & non reflexiones illæ, est, quod requiritur ad finem. Ad pœnitentiam enim prærequisitur peccatum, ad hoc libertas prævisa inefficax; prævisa autem efficax obstat peccato: ergo necesse est non eligere libertatem A si prævideatur efficax: ergo eligi libertatem prævisam inefficacem. Octavae parco, quia innoxie transcurrit.

*Finis Disputationis Quintæ.*

DIS-

## DISPUTATIO SEXTA. DE POSSIBILI, ET IMPOSSIBILI.

Disputatio non tam veterum, quām præsentis sœculi Doctorum contentionibus in immensum producta. Apertè fallor, ni plerque ex difficultatibus hincinde tonantibus vocum acceptioni innituntur. Alii enim verborum cortici tenaciū, quām par esset adhærentes, simul, ac voculam illam *Est* audiunt, aliquid physicum, crassum absolutum, atque præsentaneum ibi latere autumant, qua imaginatione correpti possibilitatem, impossibilitatem, carentias, futuritionesque rerum non alibi profectò, quām in venerandis Dei attributis collocant. E' regione alii altius, ut sibi videntur, rem attingentes, verborum spreto crepitū, unam rerum substantiam, & quidditatem contemplantur. Undequaque harum emanet questionum difficultas, gravissima illa est, quia controversiis de Scientia media, rerumque futuritionibus affinis valde. Principiis nostris studentes levissima explicatione grandia solvere argumenta conabimur, ut locum habeat quod ille cecinit.

*Hi motus animorum, atque hoc certamina tanta*

*Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.*

Igitur sex Capitibus divisam disputationem dabimus; aspirantes enim ad explicationem Principiorum Scholæ, Principia de Possibili, & Impossibili, sicut de Ente, & non Ente præterire non possumus.

**Caput I. Explicatis terminis Fallacie quædam rescinduntur. N. i**

**Caput II. In quonam consistat physicè, & in quonam non consistat possibilitas rerum. Num. 9.**

**Caput III. Expositis locutionibus priscis circa possibilitatem, offendicula amoventur. Num. 31.**

**Caput IV. Solvuntur objectiones. Num. 43.**

**Caput V. In quonam consistat physicè, ac ex parte rerum ens rationis, seu impossibile. Num. 66.**

**Caput VI. Arduæ objectiones repelluntur. Num. 79.**

CA.

## C A P U T P R I M U M.

*Explicatis Terminis Fallacie quædam rescinduntur.*

i.  Possibile . Substractum possibilitatis . Possibile ut quod, in recto, materialiter, sive subjectivè sumptum; Verba quidem sunt diversa , sed idem proorsus significant : objectum nimirum , quod modo suæ naturæ proportionato existere potest . Rursus possibilitas . Possibile ut quo . Possibile formaliter . Abstractum possibilitatis, voces item sunt diversæ , idem verò significant , scilicet formam eam , seu rationem , vi cuius existere potest id , quod potest existere . Possibile abstractè sumptum est in multiplice differentia : aliud enim est possibile metaphysicè , aliud physicè , aliud moraliter . Possibile metaphysicè est illud , quod neque includit , neque infert prædicata opposita , ut opposita . Possibile physicè , seu naturaliter est id , quod circa miraculum existere potest . Possibile moraliter est id , quod absque alla prædenti admiratione existere valet . Præterea Possibile metaphysicum , trifatiam accipitur . 1. Pro Possibili absoluto , atque exercito ; & est illud , quod non tantum potest existere , verum etiam existit modo suæ naturæ proportionato . 2. Pro Possibili præcisivè : & est illud , de quo dumtaxat affirmamus posse existere , præscindimus tamen ab eo , quod absolutè existat , vel non existat . 3. Pro Possibili purè tali : & est illud , quod potest quidem existere , actu tamen non existit . Quo circa pura possibilitas est complexum quoddam ex possibiliitate formalis , & carentia Petri : cumque ea possibilitas non distingatur ab existentia absoluta , ut postmodum dicemus ; inde est , puram possibilitatem esse complexum ex carentia , & existentia non simul , sed seorsim existentibus , proindeque puram possibilitatem nusquam existere posse absolutè , adæquatè , & quoad omnes suas partes ; potest nihilominus existere modo suæ naturæ proportionato : quia id unicè consistit in eo , quod verificetur , rem posse existere , & simul verificetur , eam non existere , quod sane passim contingit .

2. Sic quamquām Petrus existere nequeat identificatus cum lapide , quia verò existens potest distinctus à lapide , & hic , non ille est modus existendi suæ naturæ proportionatus , idèò absolutè , & simpliciter est possibilis . Similiter puram possibilitatem existere adæquatè , & quoad omnes partes simul est modus improportionatus suus

## Explicantur termini, ac fallacie. 655

sue naturæ : ergo licet hoc modo non valeat existere ; nihilominus absolutè , & simpliciter est possibilis . Neque retundi potest hic discursus in chymæra , ex Petro , v. g. & carentia ejusdem , quæ existere poterit modo suo naturæ proportionato , nimirum existente una ex illis duabus post alteram , unde consicetur , eam chymæram esse absolutè possibilem . Etenim cum coexistentia chymærica existentia , & carentia intrinsecè claudat simultatem gemini contradictionii , modus existendi ipsi proportionatus esset , non quod existentia , v. g. exerceretur post carentiam , sed quod ambo simul darentur in rebus . Quod in pura possibilitate non contingit . Demum hac eadem doctrina extricandum est simile sophisma , quod instrui potest adversus mutationem entis naturalis , & universa tota successiva , ut prioritas diei hodierni ad crastinum , & similia , quorum constitutiva nequeunt existere simul . Jam Possibile metaphysicè , & transcendentaliter tale , sic definiendum est : *Id, quod neque involvit , neque infert duo contradictoria* , seu id , cuius prædicata ut talia non opponuntur invicem . Quapropter Possibilitas formalis , atque immediata est *forma illa, vi cuius prædicata, quibus ut talibus res consti-*  
*tuitur, non opponuntur mutuo* . Similiter impossibile est *illud, quod includit, vel infert duo contradictoria* . Impossibilitasque formalis , & immediata est *Forma, vi cuius opposuntur mutuo prædicata, ut talia, alicuius rei* . Quamobrem conceptum aliquem objectivum esse possibile stat formaliter , & immediate in eo , quod prædicata , quæ includit , ut talia non sint invicem opposita . E converso esse impossibilem consistit in eo , quod sint opposita essentialiter prædicata , quæ involvit . Hæ definitiones non sunt obnoxiae angustiis illis , quibus aliqui adoriantur conceptus antiquos ; scilicet *Possibile est illud, quod si existeret non sequerentur duo contradictoria* . Impossibile est id , quod si existeret , sequerentur duo contradictoria . Ceterum quia Authores eunt frequentes in has definitiones , oportet contraria argumenta evolvere .

3. Obiicies ex P. Herrera . Hic ultimus conceptus Possibilitatis q. I. n. u. II. conuenit huic chymæra , *Petrus verus, & realis, qui non sit Petrus verus, & realis* . Probatur . Si existeret hæc chymæra , non existerent duo contradictoria . Probatur . Si existeret Petrus verus , & realis ; non existerent duo contradictoria ; nam is est conceptus possibilitatis : at si existeret prædicta chymæra , existeret Petrus verus , & realis utpote intrinsecè componens talem chymæram : ergo si existeret prædicta chymæra non existerent duo contradictoria . Confir .

firmatur 1. Si existeret praefata chymæra , neutrum ex duobus contradictoriis existeret : ergo non existerent ambo : evidens namque videtur, non existere duo, quando ambo deficiunt . Probatur antecedens . Si existeret ea chymæra , existerent duo contradictoria : ergo neutrum ex contradictoriis existeret . Probatur consequens . Existere Petrum , v.g. est deficere hujus carentiam: item existerere hujus carentiam est deficere Petrum : ergo existerere simul Petrum , & hujus carentiam est deficere simul Petrum , & hujus carentiam : ergo si ea chymæra existeret, deficerent simul ambo contradictoria . Confirmatur 2. Si existerent duo exclusiva simultatis duplicitis contradictoriis non existeret simultas duplicitis contradictoriis ; sed si existeret praedita chymæra existerent duo exclusiva realia , & vera simultatis duplicitis contradictoriis : existeret namque Petrus verus, & realis, nec non carentia vera , & realis Petri , quorum quodvis est exclusivum simultatis duplicitis contradictoriis : ergo . Confirmatur 3. Hæc est bona consequentia : Chymæra involvit duo contradictoria ; ergo non existit : ergo etiam hæc est bona, chymæra existit : ergo non involvit duo contradictoria . Siquidem ab opposito consequentis benè arguitur ad oppositum antecedentis ; sed hoc ipso est vera hæc propositio, si chymæra existeret non involveret duo contradictoria ; ergo de chymæra verificatur praedictus conceptus possibilitatis.

4. Confirmatur 4. Hic conceptus, *chymæra possibilis*, est chymæricus ; sed non foret, si ad possibilitatem sufficeret, non involvere duo contradictoria pro casu existentiæ . Probatur : hic conceptus pro casu existentiæ non involveret duo contradictoria ; nam participat conceptum possibilitatis ( in hoc enim stat , quod sit conceptus chymæricus ) subindeque verificari oportet de ipso conceptum possibilitatis . Confirmatur 5. Si chymæra esset possibilis , non sequentur duo contradictoria ( nam si esset possibilis participaret conceptum possibilitatis, qui per se consistit in eo , quod non sequantur duo contradictoria ) ergo possibile est , chymæram esse possibilem . Confirmatur 6. Si existeret Petrus identificatus cum sua impossibilitate , non sequerentur duo contradictoria ; sed Petrus identificatus cum sua impossibilitate esset chymæra ; ergo si existeret aliqua chymæra, non sequerentur duo contradictoria . Probatur major . Si existeret Petrus identificatus cum sua impossibilitate , hac impossibilitas esset impossibilis ; ergo possibilitas Petri necessaria esset possibilis; siquidem necessaria impossibilitas alicujus subjecti infert necessariam ejusdem possibilitatem : ergo si existeret is Petrus , non sequer-

## Explicantur termini, ac fallacie. 657

querentur duo contradictoria, quoniam in hac non illatione stat conceptus possibilitatis. Sed ille Petrus esset chymericus; ergo de aliqua chymæra verificatur, quod si existeret, non sequentur duo contradictoria. Confirmatur 7. Conceptus impossibilitatis stat in eo, quod ex subjecto impossibili sequantur duo contradictoria; sed ex eo, quod existant duo contradictoria, sequitur, quod etiam non existant, ut supra ostensum est; ergo conceptus impossibilitatis stat in eo, ex quo sequitur, non extitura duo contradictoria pro casu existentiæ subjecti impossibilis. Sed non extitura duo contradictoria est conceptus possibilitatis; ergo conceptus impossibilitatis stat in eo, ex quo sequitur, subjecto impossibili competere conceptum possibilitatis. Confirmatur 8. ex hypothesi chymærica inferuntur omnia: ergo ex eo, quod chymæra existeret, tam sequentur, quam non sequentur duo contradictoria: ergo immixtè explicatur conceptus possibilitatis potius per illationem, quam per non illationem duplicitis contradictorii; quandoquidem tam inferrentur, quam non inferrentur duo contradictoria.

50. Speciosæ formæ arguendi; verūm & quæ probantes conceptum hominis per omnes admissum esse illegitimum. Fingamus hanc chymæram, *Homo equus*. Huic chymæræ convenit esse animal rationale, quia est homo, proindeque giuderet conceptu quidditativo hominis: ergo si conceptus quidditativus hominis est animal rationale, equus ille identificatus cum homine esset animal rationale; ergo is conceptus conveniret aliis à suo definito; ergo esset malus: definitum enim hujus termini *homo* non sunt chymææ. Duo igitur respondeo. Primum est istas argutias non labefactare conceptus possibilitatis, impossibilitatis à nobis exhibitos in num. 2. ut eos regenti constabit; quandoquidem illi non dantur per istos terminos, si existeret; casu quo existeret, in quibus fundantur argutiæ istæ. Secundum est: in istis omnibus casibus verum est, non sequi duo contradictoria; quin propterea concludatur, subjecta ista esse possibilia; ita enim ex illis non sequuntur, ut simul sequantur duo contradictoria. Neque hoc est eludere tuum argumentum; si enim sermo est de chymæris clarè, formaliter, & exprestè implicantibus geminum contradictorium, quid mirum, quod numquam unum solum concedatur, sed utrumque simul? Profectò recursus ad illationem, & simul non illationem duplicitis contradictorii est merum effugium, quando prudenter vertitur in dubium impossibilitas materia, de qua instituitur sermo: quandoquidem frivolus iste recursus penitus

corrum pit formam syllogisticam , quæ erat medium unicum indagandi possibilitatem , aut impossibilitatem materiæ , de qua disputatur . Cæterum quando ex sola terminorum apprehensione evidens est subjecti impossibilitas (ut in istis exemplis accidit ) & consequenter de hac non ambigitur prudentes , opportunus est , atque necessarius recursus ad illationem , & non illationem simul duplicitis contradictorii , non quidem in materia extranea , & disparata ; sed in ipsa , de qua est sermo .

6. Hinc ad objectionem nego assumptum , & probationem , ad hujus probationem distinguo majorem : si existeret Petrus verus , & realis *situs* ; non existerent duo contradictoria ; concedo : conjunctus cum sua carentia ; nego majorem : & eadem proportione distinguta minore , nego consequentiam . Petrus verus , & realis præcisus à sua carentia est exclusivum gemini contradictorii , quamobrem , ipso sic existente , non existerent duo contradictoria . At Petrus verus , & realis simul cum sua carentia , quod est chymæra , de qua loqueris , non est exclusivum , sed inclusivum duplicitis contradictorii , unde eo sic existente darentur duo contradictoria . Ad primam probationem , permisso antecedenti , nego consequentiam : quoniam licet evidens sit , non existere duo , quando ambo deficiunt , si ea duo non sint formaliter contradictoria ; attamen , si contradictoria fuerint , idem est ambo simul deficere , ac ambo simul existere propter eamdem rationem , qua tu bene probas , idem esse , ambo simul existere , atque ambo simul deficere . Ad 2. probationem distingo majorem . Si existerent simul duo exclusiva , quæ mutuò sunt contradictoria simultatis duplicitis contradictorii , non existeret hac simultas ; nego : ( nam , si utrumque exclusivum est reciprocè contradictorium , & simul existit utrumque ; simul existunt duo contradictoria , proindeque datur simultas contradictioriorum ) si ea exclusiva non sint mutuò contradictoria ; concedo majorem , & pariter explicata minore , nego consequentiam . Verum est , Petrum verum , & realem esse exclusivum simultatis dictæ , item carentiam veram , & realem ; sunt tamen invicem contradictoria , unde si existerent simul , haud dubie daretur simultas contradictoriorum .

7. Ad 3. nego secundam consequentiam esse bonam . Ad proportionem dico . Ab opposito consequentis arguitur bene ad oppositum antecedentis , quando oppositum consequentis non est chymæricum , ut in Dialectica disp. 2. cap. de consequentia notamus ; at vero quando chymæricum est , cum æquè connectatur cum opposito antecedenti-

## *Explicantur Terminis, ac Fallaciæ. 659*

dentis, ac cum ipso antecedente, non est cur potius arguitur ad oppositum antecedentis, ac ad ipsum antecedens. Hoc contingit in presentiarum; nam existentia chymæra, qua existentia est oppositum antecedentis, est chymærica: quo circa ex ipsa existentia non arguitur præcisè exclusio contradictiorum. sed exclusio, & simul inclusio eorumdem, quæ sunt contradictoria reflexa. Ad 4. nego minorem, distingoque antecedens probationis; non involueret, verum simul involueret duo contradictoria; concedo: quippe ita ponis istum conceptum possibilem, ut etiam sit chymæricus: non involueret præcisè; nego antecedens. Ad 5. distinguo similiter antecedens; non sequerentur, & simul sequerentur duo contradictoria; concedo: non sequerentur præcisè; nego antecedens, & consequentiam. Neo mirum esse debet, nos uti contradictoriis reflexis, cum tu loquaris de chymæris quoque reflexis. Ad 6. nego majorem, ad probationem, aliis nunc parcens, nego ultimam consequentiam. Quoniam ita Petrus esset possibilis, ut simul ponas illum identificatum cum sua impossibilitate; ergo ita participaret conceptum, impossibilitatis excludendo genuinum contradictionem, ut simul particeps foret conceptus impossibilitatis includendo duo contradictoria: ergo non excluderet absolute, & simpliciter duo contradictoria. Ad 7. datis præmissis, distinguo primum consequens: conceptus impossibilitatis stat in eo, ex quo sequitur non extitura, & simul extitura duo contradictoria pro casu existentia subjecti impossibilis; concedo: non extitura præcisè; nego. Ad 8. concessa prima consequentia, nego secundam. Nam cum æquè inferri, ac non inferri duo contradictoria directa, sit re ipsa inferri duo contradictoria reflexa, aut reflexè inferri duo contradictoria; merito dicunt prisci Scholastici, quod, positæ chymæra, potius inferretur, quam non inferretur par contradictionum.

8. Verum contra hanc doctrinam sic insurgit laudatus Author. Vel dantur termini apti ad significandum rem, de qua dubitatur, sic nec ne possibilis; vel non dantur? Si hoc; numquam ex conceptu impossibilitatis elicere poterimus, rem eam esse possibilem. Si illud; assigna tales terminos, & cessabit prolixa distinctionum, & subdivisionum reflexarum series. Urgetur. Esto me tibi negare, Antichristum esse possibilem. Quod si mihi objicias, fore ut, si ille existat, non sequantur duo contradictoria, distinguam sic: non sequerentur, & simul sequerentur; concedo: non sequerentur præcisè; nego. Quod si assumens terminos instes sic: non sequerentur

contradicторia præcisè ex Antichristi existentia. Iterum distinguamus non sequerentur præcisè, & simul sequerentur præcisè; concedo: non sequerentur præcisè; nego. Quo siet, ut numquam probes positivè, Antichristum esse possibilem. Respondeo: vel sermo est de subiecto clare, evidenter, atque ex terminis ipsis impossibili; vel de subiecto aut clare possibili, aut saltem non evidenter impossibili? Si primum; uti oportet superioribus distinctionibus, atque subdivisionibus: absurdum enim hinc illatum, videlicet nullam restare formam syllogisticam ad probandum subiectum esse possibile, nullum est; quandoquidem forma syllogistica non eo inducta est, ut abutatur illà probaturi esse possibile subiectum, quod clare, & ex terminis ipsis est impossibile. Jam cùm subiecta, de quibus Author contrarius loquitur in suis argumentationibus, clare, & evidenter sint impossibilia; inde est, quod prædictis distinctionibus, & subdivisionibus utendum est nobis. Sin verò subiectum, de quo est sermo, non fuerit clare, & evidenter impossibile; abstinendum est à prædictis distinctionibus: quoniam locus relinqui debet probando, seu disputando possibilitatem illius subiecti. Atque datis eis distinctionibus, & subdivisionibus omnino corrumpitur forma syllogistica, neque locus relinquitur disputando possibilitatem prædicti subiecti: ergo. Unde soluta manet replica, & urgentia.

## CAPUT SECUNDUM.

*In quonam consistat physica, & in quonam non consistat Possibilitas rerum.*

9.



Ico 1. Tametsi possilitas Petri v.g. illativa, remota, radicalis, activa, virtualis, æquivaleens (harum omnium examen vocum idem in præsenti significat) consistat formaliter, & immediatè in attributis necessariis Dei, eo quod haec per se ab intrinseco sint connexa metaphysicè cum possilitate formalis, & immediata Petri, attamen possilitas formalis, atque immediata ejusdem, hoc est, forma, seu ratio, quæ per se solam, præscindendo à quovis alio, præstat, Petrum esse possibilem, non stat formaliter, & immediatè in attributis necessariis Dei, ut censet P. D. Gaspar Ri-

Lib. de  
Possibili  
q. 30. per  
tot.

Ribadeneyra'. Probo conclusionem tum ab absurdis, tum à ratione. Si contraria sententia esset vera, sequeretur Petreitatem, animalitatem; hinnibilitatem, entitatem Petri, identitatem secum ipso, nec non maliciam formalem, atque immediatam mendacii identisicari cum atributis necessariis Dei; hoc est fallum: ergo, & sententia contraria. Probo majorem, & loquamur de malitia formalis peccati, ratiocinaturi eodem modo de ceteris abstractis metaphysiciis. Ideo per te Possibilitas consistit in attributis necessariis Dei; quia semper, ac necessariò existere debet: & rursus ideo semper, ac necessariò existere debet, quia semper, ac necessariò verificat hunc actum, si Petrus existeret, non importaret secum duo contradictiones; etiam malitia formalis peccati semper, ac necessariò verificat actum æternæ ac necessariæ veritatis, hunc nimirum, si mendacium liberè eliciatur contra conscientiam erit malum: quoniam actus hic verificatur ab ea forma, qua mendacium formaliter, & immediate erit malum sub hypothesi, quod liberè eliciatur contra conscientiam: & forma per quam formaliter immediate est malum sub hac hypothesi, est malitia formalis, quæ sub hac hypothesi daretur: ergo.

10. Quod si dixeris, hunc actum necessariæ veritatis non verificari immediate à malitia formalis extitura sub prædicta hypothesi, sed ab aliquo divino connexo cum ea malitia. Reponam similiter hunc actum, si Petrus existat, non sequentur contradictiones, non verificari à possibiliate formalis, & immediata; sed ab aliquo divino connexo cum ea possibiliate: quo siet, ut consistat in attributis Dei possibilitas non formalis, & immediata, de qua est quæstio; sed possibilitas illativa, remota, & radicalis. Infertur 2. ex contraria, opinione, Petrum modò non existentem non esse verè, & propriè possibilem, sed dumtaxat futurum esse possibilem, aut esse impropriè possibilem. Ratio videtur plana. Hic effectus formalis Possibile, seu hoc, quod est, Petrum esse possibilem, & quod intrinsecè, atq; essentialiter dicit subjectum, ac formam: ergo quemadmodum tu dicas, fore ut non sit verè, ac propriè possibile; sed tantum futurum possibile illud subjectum, cuius possibiliitas non existit absolutè, & simpliciter, sed præcisè existeret sub quadam conditione: ita dicet alius, non fore verè, ac propriè possibile subjectum, quod non existit absolute, & simpliciter; sed præcisè existeret. Si autem respondeas, verissime, ac citra omnem alienationem esse possibile subjectum, quod non existit; nimirum, quia hoc, quod est subjectum esse nunc verè, & propriè possibile, non importat actualem existentiam ejus subjecti:

Et i: similiter dicimus nos , hoc , quod est, subjectum esse possibile ; non importare actualem , exercitamque existentiam possibilis ; quamobrem verè , proprièque est possibile subjectum , tamen si acta non existat possibilitas , sed tantummodo existeret sub quadam conditione .

*Lib. de  
Necessar.  
q.36.n. 84*

*q. 37. c. 4.*

*n. 59.*

11. Insertur 3. ex doctrina contraria , Nil , præter Deum , esse formaliter , ac intrinsecè per se ipsum conexum cum termino ullo ; siquidem ratio formalis constitutiva illius in esse connexi non est ipsius natura ; sed attributa necessaria Dei. Ita expressè ipse P. Ribadeneyra , ex quo principio legitimè concluditur , creaturam non esse per se ipsam intrinsecè connexam cum Creatore , quod verbis conceptis defendit coactus consequentiâ legitimè illatâ ex suis principiis .

Sed hoc est fallum. Probatur breviter. Vel creatura per suam solam entitatem , à quolibet alio præscindendo , est impotens existere sine Deo ; vel non ? Si primum : ergo per solam suam entitatem , à quolibet alio præscindendo , est connexa cum Deo , subindeque non modò est connexa , ut saretur P. Ribadeneyra , verùm , & est connexionis ipsa . Si 2. parcens aliis , tria sequuntur absurdia . Primum est , nullam creaturam pendere à Deo per se ipsam , sive per suam intime essentiam , & consequenter naturam , & essentiam cuiusvis creaturæ , quatenus est ex se , permettere , Deum numquam existere in rerum natura : nam quanquam dicas , creaturam esse connexam cum Deo , addis tamen quæstione citata , illam , non esse connexam per se ipsam cum Deo , seu non esse id , quo formaliter constituitur in esse connexione cum Deo : ergo attentâ solâ suâ essentiâ permittit , non dari talēm connexionem , itidemque permittit , non dari Deum . Quemadmodum etsi hodie homo sit albus ; quia tamen non est per identitatem , neque per intrinsecam determinationem ratio illa , qua formaliter constituitur in esse albi ; propterea juxta communem mortalium sensum dicitur consentire ex suis intrinsecis , numquam esse album . Ratio solutiunculam quamdam præveniens est . Omnis entitas permittit ex solis suis intrinsecis , quodd numquam existat illud , quo cum ex suis intrinsecis neque identificatur , neque connectitur . Abstineo à probatione hujus propositionis , quia ex terminis nota videtur ; ergo si creatura ex solis suis intrinsecis neque identificatur cum Deo , ut est certum ; neque cum illo connectitur , ut hic Author asseverat , creatura ex solis suis intrinsecis permittit , Deum numquam existere .

12. Secundum absurdum : Creaturas non modò non esse connexionis .

nexioneum ipsam cum Deo ; verum neque esse , strictè loquendo , connexas cum Deo ; sed solum aggregatum ex ipsis , & Deo esse illud , quod re ipsa connectitur cum Deo ; sicut complexum ex lapide , & cucurbita connectitur cum lapide . Nam sicut lapis , neque identificatur cum connexione cum cucurbita , neque per suam essentiam est determinatus ad hanc connexionem : ita creatura , neque identificatur cum connexione cum Deo , neque ad hanc connexionem est per suam essentiam determinata : alioquin in hac quasi reflexa connexione habetabuntur argumenta tua : ergo tandem tandem non magis connexam cum Deo imaginaris creaturam , quam lapidem cum cucurbita . Tertium est . Sola prædicata intrinseca creaturæ non esse medium idoneum demonstrando Creatoris existentiam , contra communem omnium sententiam , & contra perspicua testimonia tum Pauli , tum Sapientiæ . Si enim sola intrinseca prædicata creaturæ , neque sunt connexioni cum Deo , neque determinatio ad hanc connexionem , quo pacto ex vi horum dumtaxat prædicatorum demonstrare valemus existentiam Creatoris ? Sanè Petrus non alias ob causam est improportionatus ad demonstrandam existentiam Pauli , nisi quia ex vi suæ solius essentia , neque identificatur , neque connectitur cum hoc . Neque hic datur recursus ad duplicem connexionem creaturæ cum Deo unam subjectivè necessariam identificatam cum solo Deo , alteram subjectivè contingentem identificatam cum creatura ipsa , quam fugam adornabant aliqui ex discipulis hujus Magistri soppresso nomine citati ab ipso : quippe ab hoc effugio declinat ipse . Neque declinat impetum argumenti solutio , quam scribit , ubi ait : *Creatura per sua intrinseca , ut sublunt huic cognitioni claræ . Creatura existit , est medium demonstrans Creatorem . Quia sic infero : ergo haec cognitio , Creatura existit , repræsentat connexionem creaturæ cum Deo , ut ex creatura demonstretur existentia Dei .*

13. Concedit illationem ibidem . Sed haec cognitio dumtaxat repræsentat creaturam , & hujus existentiam , ut patet ex terminis : ergo vel sola creatura , vel ejus existentia sunt connexioni cum Deo ; aut dicendum est , istam claram cognitionem imparèm esse demonstrando existentiam Dei . Neque demum juvat exemplum , quo ibidem se protegit , desumptum ex eo , quod licet creatura habeat per suam essentiam cognosci à Deo , nihilominus non identificatur cum ratione formaliter constitutiva ipsius in esse cognitæ , scilicet non identificatur cum cognitione , qua à Deo cognoscitur . Non inquam prodest ; namque dum dicimus , creaturam habere per suam essentiam

1. ad Cor.  
19.  
Sap. 13. 5.

Cap. cit.  
n. 53.

Num. 54.

tiam cognosci à Deo, non affirmatur identitas creaturæ cum divina cognitione, sed cum determinatione, necessitateque ut à Deo agnoscatur. Quod, si nobis concederis in prætentiarum, inferemus sic: ergo creatura identificatur cum determinatione, seu connexione cum ista connexione subjectivè necessaria, qua connectitur cum Deo: in ea igitur connexione quasi reflexa, quam creaturæ adscribis, deficiunt argumenta, quæ in præsenti elaboras. Infertur demum ex opposita sententia, tam contingens fore, & accidentale. Petro hoc, quod est, esse possibilem, quam hoc, quod est esse alba. Quoniam ideo hoo secundum est penitus contingens Petro secundum se inspecto, quia neque identificatur cum albedine, neque cum ulla intrinseca, & essentiali determinatione, ut habeat albedinem. Sed per te neque identificatur cum sua formalis, atque immediata possibilitate, neque cum ulla intrinseca, & essentiali determinatione, ut sit possibilis; nam si cum hac determinatione identificaretur; cum hac intrinseca, & essentialis determinatio sufficienter distingueret Petrum à chymæra; jure optimo esset possibilitas immedia ta, & formalis Petri, unde Petrus cum hac determinatione identificatus identificaretur cum sua possibilitate formalis, & immediata.

14. Respondebit aliquis absurdis notatis in num. 9. ingens esse discrimen inter possibilitatem ex una parte, & cæteras formas metaphysicas, & logicas, quarum ibi meminimus; quapropter licet possibilitas consistat in attributis Dei; non tamen malitia formalis peccati, Petreitas &c. Porro discrimen est. Etiam si Petrus neque existat, neque umquam extiturus sit; nihilominus verissimè, propriissimè, ac sine ulla alienatione est possibilis. Cæterum si non existat absolute non est verè, & propriè homo, neque animal: quia quod non est, nil est: item si mendacium non existat, absolute non est malum, sed est malum: ergo quamquā ratio formalis constitutiva Petri in esse possibilis necessariò debeat existere in rebus semper, ac pro omni casu possibili; non tamen ratio constitutiva Petri in esse hominis, nec ratio constitutiva mendacii in esse mali; ergo quamquā possibilitas consistat in attributis Dei, non tamen cæteras formæ, quas supra adduximus. Contra 1. Vel sermo est de his propositionibus in sensu absoluto, nullâ prorsus limitatione adjecta; vel de illis in sensu conditionato? Si primum; tam falsa est haec proposition, Petrus est possibilis, quando Petrus non existit, quam haec, Petrus est homo; Mendacium est malum &c. In sensu enim absoluto significat actualem, & exercitam identitatem inter Petrum, & possibilem cum-

cumque , Petro non existente , deficiat ea actualis , atque exercita identitas , ideo , Petro non existente , falsa est ea propositio . Si secundum ; tam æternæ , ac necessariæ veritatis sunt unæ , quæ alteræ propositiones , ut patet . Quapropter eodem sensu , & proprietate , qua , Petro non existente , dici potest , eum esse possibilem , dici quoque potest , eum esse hominem , mendacium esse malum &c. & qua proprietate dici non potest , mendacium esse malum , quando non existit ; nec dici potest Petrum esse possibilem , quando is non existit .

15. Contra 2. omittendo propositiones æquivocas , & loquendo de eis , quæ expressè sunt conditionatae . Hæc propositio , si mendacium liberè eliciatur contra conscientiam , erit malum , non minùs est necessariæ veritatis , quæ hæc , si Petrus existat , non sequentur duo contradicitoria : ergo verificativum illius semper , ac necessariò debet existere juxta tua principia : sed verificativum est ratio formaliter constitutiva mendacii in esse mali pro casu , quo existat ; ergo ratio constitutiva mendacii in esse mali pro casu , quo existat , debet semper , ac necessariò existere : sed ratio constitutiva mendacii in esse mali pro casu , quo existat , est malitia ipsa formalis ; ergo malitia ipsa formalis consentaneè ad tua principia debet necessariò existere : ergo consistit in attributis necessariis Dei , quod est ingens absurdum .

16. Probo jam ratione superiorem conclusionem . Ideo juxta hunc Authorem possibilitas formalis , & immediata Petri statuenda est in attributis Dei necessariis , quia ut Petrus sit nunc de præsenti , verè , propriè , ac sine ulla alienatione possibilis , desideratur , possibilitatem nunc verè , & propriè existere , neconon , ut hæc propositio , Petrus est possibilis , sit absolute , & simpliciter vera . Quisquis valde politos hujus Magistri discursus attente leget certus manebit , hanc esse radicem eorum omnium . At quamquam possibilitas non existat nunc de præsenti absolute , & simpliciter , nihilominus Petrus verè , & propriè est possibilis : item hæc propositio , Petrus est possibilis , absolute , & simpliciter est vera . Probatur notissimis exemplis , quæ etiam explicant , & probant determinativum objectivum formale Scientiæ mediæ , in quo est eadem penitus difficultas . Hæc Scientia Divina , si Tyrii , & Sydones vidissent miracula Christi , egissent pænitentiam , non solum esser ; verum etiam est absolute , & simpliciter vera ; & tamen suum verificativum objectivum formale , & immediatum non existit modo . Nam licet dicat , Scientiam hanc verificari per formalitatem à se indistinctam , hoc probat , Scientiam esse verificativum subjecti . Dis. 28.  
num. 9.

ym sui ipsius ; non autem objectivum : quippe verificativum objectivum formale , & immediatum prædictæ Scientiæ est forma illa , seu ratio formaliter , ac immediate constitutiva Tyriorum in esse conversorum pro casu miraculorum Christi : atqui Scientia non est hæc forma , sed potius conversio ipsa vera , & realis tunc extitura : quemadmodum ratio formaliter constitutiva objecti in esse albi , non est Scientia , qua Deus videt , parietem esse album , sed albedo ipsa . Quod si , vitandi gratiâ idem argumenti , dicas , non conversionem , non formam constitutivam Tyriorum in esse conversorum esse verificativum objectivum præfatae Scientiæ ; sed formalitatem quamdam à se indistinctam : debes consequenter dicere , verificativum hujus Scientiæ divinæ , Petrus est possibilis , esse formalitatem quamdam indistinctam ab hac scientia ; non verò possibilitatem ipsam formalem , atque immediatam . Unde inferam , quod licet non detur in rebus possibilitas formalis , & immediata ; potest nihilominus esse vera hæc Scientia ; ergo ex eo , quod hæc Scientia absolutè , & simpliciter sit vera , malè arguis , possibilitatem formalem , & immediatam existere nunc de præsenti .

17. 2. Hæc propositio , Petrus vivit Madriti , non tantum Madriti , verum etiam hic , ubi absolutè profertur , est absolutè , & simpliciter vera ; & tamen hic non existit suum verificativum objectivum formale , & immediatum , seu non existit hic vita , & præsentia Madritensis Petri , quæ ambæ sunt id , quod enunciat hæc propositio . Quemadmodum ergo à vita , & præsentia existentibus non hic , sed Madriti verificatur formaliter , & immediate hic prædicta propositio ita à carentia contradictiorum , quam haberet Petrus casu , quo existaret , verificatur formaliter , & immediate hæc propositio , si Petrus existeret , non sequerentur duo contradictiones . Respondet , hanc propositionem verificari per decretum divinum statuens , Petrum vivere Madriti , cùmque hoc decretum titulo immensitatis sit hic ; idcirco verificativum hujus propositionis datur hic , ubi propositio est vera . Sed contra primò . Hæc propositio , Paries est albus , non verificatur formaliter , & immediate per decretum divinum , sed per albedinem unitam parieti , quam enunciat : ergo similiter hæc , Petrus vivit Madriti , non verificatur formaliter , & immediate per decretum divinum ; sed per vitam ipsam , & præsentiam , quas enunciat . Contra 2. Vel censes verificativum objectivum formale , & immediatum actus esse id , quod actus enunciat ; vel non ? Si primum ; cùm hic actus , Petrus vivit Madriti ; enunciet vitam , & præsentiam

tiam Madritensem ; non verò decretum divinum , verificabitur à virtute , & præsentia formaliter , & immediatè ; non verò à decreto divino . Si secundum ; ergo tametsi enunciet possibilitatem hic actus , Petrus est possibilis ; nihilominus suum verificativum non est possibilitas : ergo ex eo , quod nunc , & de præsenti adsit suum verificativum objectivum , formale , & immediatum , perperam arguis , nunc de præsenti existere possibilitatem formalem , ac immediatam .

18. 3. Homo nonagenarius adhuc vivus , non tantum fuit , sed etiam de præsenti est senex ; & tamen non existit nunc de præsenti adæquatè forma , seu ratio formaliter constitutiva ipsius in esse senis : quia hæc forma est adæquatè , vel saltem inadæquatè complexum ex omnibus retroactis durationibus , quod complexum modò non existit . 4. Petrus , qui heri duxit Mariam , non solum fuit , verùm etiam est modò absolutè , & simpliciter , ac circa ullam alienationem maritus Marie , quin propterea modò existat absolutè , & simpliciter ratio constitutiva ipsorum in esse conjugum : siquidem ratio hæc est reciprocus amborum validus consensus externè manifestatus , qui modò non existit , sed extitit . 5. Religiosus senex non modò fuit olim , sed nunc quoque verissimè , ac propriissimè est Religiosus , cùm modò non existat ratio formaliter constitutiva illius in esse Religiosi ; quoniam ratio hæc est professio , quæ quidem suo tempore facta fuit , nunc autem non fit actiù , & præsentialiter . 6. Philippus nunc de præsenti est Rex ; & tamen nunc de præsenti non existit physicè , sicut hæc papyrus , acclamatio , juramentumque fidelitatis , quod est ratio formaliter , & immediatè constitutiva ipsius in esse Regis ; ergo fieri potest ut subjectum sortiatur verè , & propriè absque ulla alienatione denominationem aliquam , per formam nunc de præsenti non existentem physicè : ergo ex eo , quod Petrus nunc de præsenti sit possibilis , male arguitur nunc de præsenti adesse physicè possibilitatem : item ex eo , quod possilitas nunc non existat , sed tantum existeret , sinistrè infertur , fore ut non sit possibilis , sed dumtaxat esset possibilis .

## §. II.

19. ET ratio à priori ex natura , & qualitate denominationum determinanda est . Quemadmodum enim sunt aliquæ denominations , quæ ut verificantur , absolute , & simpliciter poscunt , subiectum  
D d d z

Etum absolutè existere , ut denominatio *calidi*, *frigidi* &c. ( alia autem , quæ minimè id requirunt ; ut denominatio *cogniti*, *laudati*, *reprobensi* &c. alia autem determinatè petunt , subjectum denominationum non existere verè , & propriè ut denominatio *futuri*, *præteriti*, *deficientis* &c. Cujus diversitatis unica est ratio natura , & quidditas earundem denominationum : ita sunt aliquæ denominationes exigentes formam sui ipsarum constitutivam absolutè , & simpliciter existere , ut denominatio *albi*, *calidi*, *Sancti* &c. alia id non exigentes , ut sunt illæ , quarum nuper meminimus ; alia denique poscant formam dominantem non existere verè , & præsentialiter , saltem adæquatè , & denominatio *prioritatis*, *temporalis*, denominatio *deficientis* &c. Jam denominatio possibilis est secundi generis : quippe subjectum esse nunc absolutè , per se , simpliciterque possibile non poscit nunc absolutè , & simpliciter existere possibilitatem formalem , & immediatam (sicut nec illæ , formæ , quas memini numero 18.) hæc enim , ut postea probabo , stat formaliter in identitate , quam habent prædicata Petri , si existerent , quæ identitas existeret sanè , at non existit modò . Et hinc subsumitur ratio à priori contra cetera media universalia , ex quibus hæc argumenta deponunt contrarii , quam rationem promptum erit cuique applicare .

20. Respondet I. P. Ribadeneira distinguendo duplarem possibilitatem , unam subjectivè necessariam , quam vocat *primariam* , & hanc dicit identificari cum attributis necessariis Dei ; alteram subjectivè contingentem , quam vocat *secundariam* , & de hac pronunciat identificari cum attributis ipsius rei possibilis . Sed contra I. vel loqueris de possibilitate illativa , remota , & radicali : vel de possibili- tate formalis , atque immediata ? Si primum : fatemur , illam esse subjectivè necessariam , identificarique cum attributis necessariis Dei , sed hoc non venit ad rem : disputamus namque de sola possibilitate formalis , atque immediata , seu de ratione formaliter constitutiva . Petri in esse possibilis . Si secundum ; ergo quemadmodum tu distinguis duplarem istam possibilitatem formalem , atque immediatam : ita distinguere oportebit geminam malitiam formalem , & immediatam , geminam Petreitatem , animalitatem , identitatem Petri secum ipso , unam contingentem , atque secundariam consisten- tem in creaturis ipsis , alteram primariam , & subjectivè necessariam . Ideo quippe istam possibilitatem primariam , & subjectivè necessariam inducis , ut consonum verificativum adscribas huic eternæ , & ne- cessariæ veritati . Si Petrus existeret , non sequerentur duo contradic- toria .

ria: ergo eodem jure, ut huic aeternæ veritati, si mendacium profertur liberè contra conscientiam, erit malum, consonum assignemus verificativum; debemus inducere in Deum quamdam malitiam subjectivè necessariam, quam vocabimus *primariam*.

21. Contra 2. Isti possibilis subiectivè contingens, quam vocas *secundariam*, sufficiens est verificando propositionem nuperam aeternæ veritatis; ergo superfluit ista altera subiectivè necessaria, quam *primariam* appellas. Probitus antecedens. Idem possibilis subiectivè contingens non sufficeret, quis nequirit propositio esse nunc absolute, & simpliciter vera, quin absolute, & simpliciter existeret nunc suum verificativum; sed potest, ut constat exemplis productis à num. 16. Et constat ulterius in hac propositione, *Petrus est filius Joannis*, quæ modo absolute, & simpliciter est vera, quin modò existat absolute, & simpliciter ratio formaliter constitutiva Petri in esse filii, eo quod ratio hæc sit re ipsa generatio, quæ modò non egreditur à Joanne: ergo. Et ratio est. Dux absimiles valde possunt hic discuti propositiones, una est hæc: *Si Petrus existaret, non sequentur duo contradictoria*, itaut nihil aliud enunciatur. Altera est: *Si Petrus existaret, non sequentur duo contradictoria, & nunc de praesenti datur hoc, quod est, non sequi duo contradictoria pro casu existentia Petri*. Hæc secunda abs dubio poscit aliquid de praesenti existens, ut de praesenti sit vera; poscit quippe id, quod enunciat; enunciat autem nunc de praesenti dari hoc, quod est non sequi duo contradictoria &c. Ceterum de ea non loquimur, ut pote contingenter vera, sed de sola prima, quæ, cum nil enunciet de praesenti existere; non petit suum verificativum objectivum, formale, & immediatum existere de praesenti: quemadmodum quia hæc propositito, *Petrus est albus*, non enunciat Petrum currere, idcirco ad sui veritatem non exigit cursus Petri: & confirmatur exemplis supra adductis, quæ similiter explicant determinativum, hoc est, verificativum objectivum formale, & immediatum hujus scientiæ mediæ, v. g. *Si existat libertas A, peccabit*, non esse aliquid de praesenti existens; sed dum taxat peccatum illud, quod existaret per libertatem A, si hæc existaret, quoniam illud, & non ullam aliam rem enunciat actus ille; quod si fingas aliud enunciare contingens, ut actu existens; actus ille non est scientiæ mediæ; sed quod tu volueris.

22. Pleraque ex illis, cum adeo nota sint, non latebant hunc Magistrum. Igitur respondet, præfatas denominations non esse physicas; unde mirum non est, illas sumi à formis de facto non exi-

existentibas physicè, præsentialiterque; sed purè, & præcisè moraliter. Quo circa forma, inquit, constituens Petrum in esse Mariti Mariæ est quidem reciprocus consensus: quia verò is constituit eam denominationem in genere formalis habituali, seu morali; idcirco necesse non est, illum consensum existere physicè, est tamen necessarium, quod de præsenti existat illa moralitas sive habitualitas, quæ juxta ipsum nil aliud est, quam scientia, aut decretum divinum, tendens in has formas: unde infertur, quod, dum dicimus, *Petrus de præsenti, actualiterque est maritus Mariæ*; intelligenda est hec propositio, ne falsitatis arguatur, sic: *de præsenti, suo modo, in suo genere, juxta suam naturam, nempe moraliter*. Ne autem suam ipsius doctrinam jugulate videatur sic eam flectit. Vel Petrus, qui non existit modò, & de præsenti, denominatur possibilis physicè, ac in esse entis; vel solum moraliter, ac in esse veri. Si primum: ergo datur physicè, actualiterque possibilitas Petri non existentis. Si secundum: ergo saltem ea moralitas, aut quasi moralitas, seu veritas datur physicè, & pæsentialiter: ergo Petrus nequit esse nunc, & de præsenti possibilis, quin detur aliquid de præsenti, quo posito, nequeat non esse possibilis, sive illud vocetur possibilitas, sive moralitas, sive veritas possibilis, de quo ait, nullam sibi curam esse, modò illud sit ab entitate Petri distinctum. Sed doctrina hac, quam ipsa veritatis vis ab hoc Authore extorsit, pleraque ipsius placita, succiduntur.

23. Nam 1. Loquendo de Petro, qui verè sit maritus Mariæ, nullum prorsus adest verificativum hujus propositionis falsæ, *Petrus non est verè, & propriè maritus Mariæ*; & tamen per te non datur absolute, & de præsenti ratio formaliter constitutiva ipsius in esse mariti, consensus nempe matrimonialis, quæ ratio est verificativum objectivum formale, atque immediatum hujus propositionis veræ, *Petrus verè, ac propriè est maritus*: ergo fieri potest, ut nullum omnino adsit verificativum alicujus propositionis, quin propterea existat absolute, & simpliciter verificativum propositionis contradictionis: ergo tametsi nullum existat modò verificativum hujus actus falsi, *Petrus est impossibilis*, inde non colligitur, fore ut modò existat physicè absolute verificativum objectivum formale, & immediatum hujus actus, *Petrus est possibilis*, contra principium, ex quo elicis multa argumenta. 2. Ex ista solutione sequitur, Petrum non esse verè, & propriè; sed dumtaxat moraliter, atque alienativè filium Iohannis, Meritamque suæ uxoris. Probatur. Ideo ex nostra doctrina elicis,

elicis, fore ut Petrus non sit verè, & propriè possibilis; sed moraliter tantummodo, impropriè, atque alienativè, quia censemus, formam constitutivam Petri purè possibilis in esse possibilis non existere modò, verè, & propriè; sed tantum conditionatè, atque impropriè: ergo si forma constitutiva Petri in esse filii Joannis, nempe generatio à Joanne egrediens, non existit modò verè, & propriè; sed tantum extitit, sequeretur, Petrum non esse; sed fuisse filium Joannis. Item si forma constitutiva Petri in esse mariti suæ uxoris, consensus videlicet matrimonialis, non existit nunc, sed solùm extitit Petrus non est modò verè, ac physicè, sed moraliter solùm maritus suæ uxoris.

24. Quapropter sicut tu dicas, Petrum verè, ac sine alienatione ulla esse filium Joannis (eadem proportione discurrendum est de aliis denominationibus) licet modò non existat verè, & propriè generatio egrediens à Joanne, recurrendo ad naturam hujus denominationis; scilicet quia hoc, quod est esse verè, ac sine ulla impropriate filium Joannis, unicè consistit in eo, quod verè ac sine ulla improprietate fuerit genitus à Joanne homo ille, qui modò existit. Et quamquam modò non existat ea generatio; nihilominus verè, ac sine ulla impropriate Petrus fuit genitus à Joanne. Similiter dicimus nos. Petrum purè possibilem non impropriè, non moraliter tantum, aut tantum conditionatè esse possibilem; sed absolute, & simpliciter, & absque omni impropriate esse possibilem, tametsi non existat de præsenti possibilitas. Nempe quia hoc, quod est, esse impropriè possibilem, statet in eo, quod pro casu suæ existentia excluderet impropriè, alienativè, & dependenter ab alia hypothesis extranea duo contradictoria: esse autem verissimè, propriissimè, citra omnemque improprietatem possibilem stat in eo, quod pro casu suæ existentia verissimè, propriissimè, ac præscindendo ab omni alia hypothesis extranea, excluderet duo contradictoria. Sed quamvis modò non existat possibilitas quippe quæ identificatur cum homine illo, quem supponimus non existere, sed esse purè possibilem; nihilominus Petrus pro casu suæ existentia, verissimè, propriissimè, ac præscindendo ab omni hypothesis, excluderet duo contradictoria: ergo quamvis modò non detur possibilitas, nihilominus &c. Neque prodest recursus ad actualem, præsentaneamque existentiam moralitatis, seu habitualitatis prædictarum formarum. Tum quia juxta principia tua non existit absolutè, & simpliciter de præsenti id, quod constituitur peraliquid de præsenti non existens. At habi-

habitualitas actus præteriti , juxta communio rem Philosophiam ; & Theologiam constituitur per actum præteritum , qui profectò de præsenti non existit ; ergo habitualitas hæc , strictè loquendo , non existit de præsenti juxta principia ista .

25. Tum quia allud est loqui de hac denominatione , *Petrum esse moraliter* , seu *habitualiter filium Joannis* ; aliud autem de hac , *Petrum esse filium Joannis* . Transeat , primam constitui per moralitatem , habitualitatemque filiationis ; at secunda unicè constituitur per generationem ipsam , quoniam hac sola intellecta , præscindendo à moralitate , habitualitateque , intelligitur unum esse filium alterius . Sed generatio ipsa non existit de præsenti , quamvis moralitas existat : ergo hoc , quod est , *Petrum esse filium Joannis* , constituitur per aliquid de præsenti non existens . Et tamen verè , castigatè pressèque loquendo sine ulla alienatione , aut metaphora , Petrus est filius Joannis : ergo quamquam possilitas non existat de præsenti ; nihilominus Petrus verè , & propriè est possibilis : Tum denique quis idem , quod tu dicis de eis denominationibus , quas tibi obiicimus , dicemus nos de denominatione possibilis ; etenim sicut tu dicis Petrum nunc verè , ac propriè esse maritum suæ uxor is , tametsi nunc non existat forma , seu ratio formaliter constitutiva ipsius in esse mariti , nempe quia licet ea non existat , existit tamen habitualitas , seu moralitas dictæ formæ : & addis hanc moralitatem , seu habitualitatem consistere in Sicutia divina : similiter dicemus nos , Petrum verè , ac citra omnem improprietatem esse possibilem , quamquam modò non existat forma , seu ratio immediate constitutiva illius in esse possibilis , modò existat conditionalitas hujus formæ . Porò conditionalitas nil aliud est , quam scientia divina conditionata , qua Deus agnoscit , fore ut , si Petrus existat , non sequantur duo contradictionia . Quamobrem post prolixos discursus , post tota discrimina rerum , tantum concludis existere nunc de præsenti scientiam divinam conditionatam , hancque distingui à Petro . Hoc quis negat ? Quæstio est de possibilitate ipsa objectiva formalis , atque immediata , non de Scientia possibilitatis , quæ Scientia licet sit possilitas remota , illativa , atque radicalis ; ast non est possilitas ipsa objectiva , formalis , & immediata : quemadmodum licet Scientia , qua Deus novit , parietem esse album , sit albedo illativa , quantumcum albedine connectitur ; non tamen est ipsa albedo formalis , & immediata . Unde terminis bene discussis nil concluditur contra nos . Hinc habes explicatum , ac probatum determinativum objectivum ,

vum , formale , ac immediatum actuum conditionalium , è quorum numero sunt actus omnes Scientiarum mediæ , non esse necessariò , ad semper a liquid physicè , absolutè existens de præsenti ; ut enim monui num. 16. eadem difficultates adoruntur unum , quæ alterum , & eodem modo solvendæ sunt . Cùmque illæ contra determinatum Scientiarum mediæ sint ratione materiæ satis graves , hæ contra possibilitatem non sunt leves .

26. Dico 2. Possibilitas formalis , atque immediata non distinguitur prædicativè ab existentia absoluta , si distinctio prædicativa fuerit distinctio *positiva* ; secus si fuerit distinctio merè *negativa* . Probo primam partem . Quoties omnia omnino , nullo dempto , quæ verè prædicantur de uno in eodem sensu , & terminorum acceptione , verè prædicantur de altero , ea duo non distinguuntur mutuò *positivè* ( videtur certum : nam quoties id contigerit , ea duo in omnibus , & per omnia convenient . Unde in nullo discrepant ; proindeque nequeunt mutuò distingui *positivè* ; ad hanc quippe distinctionem indispensabiliter requiritur aliquid in individuo convenire uni , quod in eodem sensu , eademque terminorum acceptione verè negetur de altero ) sed omnia , quæ verè affirmantur de possibiliitate , essentiæque conditionata in eodem sensu , terminorumque acceptione verè affirmantur de existentia , essentiæque absolutis , & quæ verè negantur de his in eodem sensu , verè negantur de illis . Probatur breviter . Propositiones , quæ de possibilitate enunciant necessitatem , indefectibilitatem , eternitatemque , vel habent modum tendendi purè , & simpliciter absolutum ; vel conditionatum . Si primum ; tam falsæ sunt , dum procedunt de possibilitate , essentiæque conditionata , ac si procederent de existentia absoluta : quemadmodum enim fieri potest , ut non detur in rebus existentia absoluta , ita fieri potest , ut non existat absolute , & simpliciter in rebus possibilitas , essentiæque conditionata , quamquam verificant propositiones conditionatas eternæ , ac necessariæ veritatis . Si secundum ; tam verae sunt , dum procedunt de existentia absoluta , ac si de possibilitate procederent : sicut enim est prorsus necessarium , quod si existat possibilitas , aut essentia , verè existat ; ita est necessarium , quod si exerceatur existentia , verè existat . Adde , legítimum sensum harum utrarumque propositionum infra explicandum esse , ubi constabit nil omnino verificari de possibilitate , quod in eodem sensu non verificantur de existentia . Immerito igitur dicuntur distingui prædicativè , si distinctio prædicativa sit positiva .

Eee

Pro-

27. Probo secundam partem. Possibilitatem, atque existentiam absolutam distingui *negativè*, consistit in eo, quod non exerceatur absolute, & simpliciter utriusque identitas. At fieri potest, quod si non exerceatur, nempe quando neutra existit in rebus: sicut neque exercetur absolute, & simpliciter modò identitas inter praedicata. Antichristi, quia illa non existunt absolute, & simpliciter, & illa ipsissima sunt sua identitas: ergo possilitas, atque existentia distingui possunt *negativè*: ergo & *prædicativè*, si distinctio *prædicativa* fuerit merè *negativa*. Hinc satisfactum est argumento, quo P. Junius suadet distinctionem *prædicativam* inter possilitatem, atque existentiam. Scilicet. Existentia verè negatur de possilitate; si quidem verè dicimus, *Petrum posse esse Regem*, non est eum esse Regem. *Iudam potuisse bearis*, non est esse beatum &c. ergo possilius distinguitur *prædicativè* ab existentia. Respondeo. Omne, quod verè negatur de alio absolute, ac simpliciter existente, distinguitur realiter positivè ab illo. Præterea omne, quod negatur de alio non-existente in rebus, distinguitur *negativè* ab illo; ast non semper distinguitur positivè. Constant hæc tria ex disp. I. Logice à num. 97. Jam hoc, quod est, *Petrum esse Regem*, verè negatur de hoc, quod est *posse esse Regem* (& loquimur de possilitate formalis, & immediata; non de remota, & radicali; nam ab haec distingui perspicuum est) Verùm hoc provenit ex eo, quod neutrum existat in rebus; si quidem modò neque datur hoc, quod est, *esse Regem*, neque hoc, quod est, *posse esse Regem* possilitate formalis, & immediata; quippe hoc cum illo identificatur. Cætera argumenta, quæ objici possunt, soluta invenies loco citato Logice num. 81.

### §. III.

28. **D**ico 3. Possibilitas formalis, & immediata Petri v. g. in nullo alio consistit formaliter, & immediatè, nisi in praedicatis ipsis summè intimis, atque essentialibus ipsi Petro, proindeque in essentia ipsius. Ratio à priori est. Possibilitas formalis, atque immediata Petri consistit in identitate suorum praedicatorum: sed hæc identitas consistit formaliter, ac immediatè in praedicatis ipsis: eo quod omnia, quæ identificantur, per se sola identificantur, & quæ identificantur, per se sola identificantur, si existerent: ergo possilitas formalis, atque immediata consistit in praedicatis ipsis Petri. Probatur major. Possibilitas formalis, & immediata confluat

## *Explicantur termini, ac fallacie.* 675

*Sit in non oppositione prædicatorum Petri: sed identitas eorumdem est formalissimè eorumdem non oppositio: ergo consistit in eorumdem, identitate. Major est certa. Nam cùm , Petrum esse possibilem , sit formaliter non involvere prædicata opposita , possibilitas debet consistere formaliter in eo , quòd prædicata Petri non sint opposita , & consequenter debet consistere in non oppositione eorumdem prædicatorum . Præterea minor est quoque certa : tum quia summa , & totalis convenientia duorum est formalis non oppositio eorumdem : atqui identitas vera , & realis est summa convenientia : ergo . Tum quia quemadmodum ea , quæ opponuntur , per solas suas essentias , atque naturas opponuntur ; ita ea , quæ non opponuntur ; per solam suam essentiam , & naturam non opponuntur ; ergo non oppositio prædicatorum Petri stat formaliter , & immediatè in essentia , & natura ipsorum .*

29. Confirmatur 1. Petrus per solam suam essentiam distingui-  
tur à chymæra : ergo ipsa est sua distinctio formalis , vel illativa à  
chymæra : ergo & sua possibilitas . Probatur antecedens . Petrus per  
solam suam essentiam habet aliquid , quod per solam suam essentiam  
qualemcumque non habet chymæra ( habet namque per solam suam  
essentiam hoc , quod est esse Petrum : chymæra autem non per suam  
essentiam habet esse Petrum ) ergo per solam suam essentiam distin-  
guitur , vel realiter simpliciter , vel virtualiter dumtaxat à chymæra:  
sed non virtualiter dumtaxat . Probatur . Distinctio purè virtualis  
intrinsecè , & constitutivè dicit realem identitatem eorum extre-  
morum , quæ purè virtualiter distinguuntur : ergo si Petrus per  
solam suam essentiam haberet distingui à chymæra purè virtualiter ,  
per solam suam essentiam haberet identificari realiter cum chymæ-  
ra : sed non habet per solam suam essentiam identificari realiter cum  
chymæra , ut patet : ergo per solam suam essentiam habet distingui  
realiter , simpliciter à chymæra . Confirmatur 2. Omne , quod ex suo  
conceptu formali , & metaphysico habet esse possibile , per solam suam  
essentiam est possibile , unde etiam est sua possibilitas , siquidem est  
sua essentia , & sua essentia est id , quo est formaliter possibile . Sed Pe-  
trus ex suo conceptu formali habet esse possibile : tum quia tran-  
scenditur formaliter ab ente reali , & à possibili : tum quia ex suo  
conceptu habet constare prædicatis non involventibus contradicitionem , nempe his *Animal rationale* : ergo . Probo majorem . Omne  
possibile habet per se ipsum , à quocumque alio præscindendo , con-  
stat eis prædicatis essentialibus , quibus constat ( alias homo non ha-

haberet per suam essentiam constare his prædicatis *Animal rationale*, proindeque ex solis suis intrinsecis esset indifferens, ut esset animal rationale, vel bellua) sed prædicata, quæ res habet ex suo conceptu formalí, & metaphysico, sunt ipsi penitus essentialia: ergo omnes possibile habet per suam essentiam constare ex eis prædicatis, quæ ex suo conceptu metaphysico habet: ergo omne, quod ex suo conceptu metaphysico habet esse possibile, per suam solam essentiam habet esse possibile: ergo est sua possibilitas. Tacita prætereo alia argumenta, quia si hæc infirma videntur, cetera nullius momenti cense.

30. Ex dictis inferuntur duo. Primum est, possibiliterem formalem, atque immediatam Petri non distingui realiter ab existentiis absoluta, & contingenti ejusdem; quia, ut manet probatum, non distinguitur ab Essentia Petri; sed existentia absoluta, & contingens est hæc essentia in sensu postea explicando: ergo possibilitas non distinguitur ab existentia: quapropter, deficiente existentiâ, deficit absolute à rebus possilitas, non quia Petrus existere nequeat; sed quia non existit absolute, & simpliciter in rerum naturâ formalis, atque immediata possilitas, quæ non requiritur ad verificandum propositionem enunciantem, Petrum esse possibilem, scilicet quia talis propositio non enunciat absolute possibiliterem existere, ut multis illis exemplis aperiuimus supra: & esset omnino falsa illa propositio, si semper, ac universaliter enunciaret possibiliterem formalem immediatam physicè existere de praesenti. Sicut essent falsæ haec: *Petrus est filius Joannis: est maritus Mariae: est senex &c;* si enunciant physicè de praesenti existere illas formas. Secundum est. Ex his antecedentibus, *Verè, & propriè Petrus est possibilis: Nunc est absolute possibilis: Nunc est vera hæc propositio Petrus est possibilis. Nunc deficit omne verificativum hujus actus falsi, Petrus est impossibilis. Nunc deficit omne falsificativum hujus actus veri, Petrus est possibilis.* De praesenti repugnat, quod Petrus repugnet in ratione hominis. Ex his inquam antecedentibus, aliisque familibus, quorum prava intelligentia aliquos in sententiam oppositam impulit, perperam arguitur nunc, & de praesenti existere possibiliterem in rebus. Tum quia hæc omnia antecedentia unicè significant, prædicata Petri non esse mutuè opposita, cumque hæc formalis, & immediata non oppositio confusat in summa identitate, quam haberent, si existerent; inde est, quod prædictæ propositiones tantum enunciant dictam identitatem conditionatè. At ex eo, quod prædicta identitas absolute, & necessariò daretur, non sequitur, quod modò detur: ergo ex veritate istarum pro-

propositionum non sequitur , quod modò detur identitas prædicatorum Petri : ergo neque sequitur , quod modò detur possibilitas formalis , & immediata : tum quia jam expono has locutiones .

## CAPUT TERTIUM.

*Expositis locutionibus priscis circa Possibilitatem,  
offendicula amoventur .*

31.  Evocanda est in memoriam doctrina , quam non semel insinuavimus . Prisci Authores multas invenerunt locutiones , quæ licet præferant distinctionem , imò & oppositionem inter eos terminos , de quibus est sermo , attentè perpens , atque introspetæ , neque oppositionem , neque ullam distinctionem inter subjecta , de quibus est disputatio , evincunt . Patet i. in specie determinationis quoad individuum , minimè autem quoad speciem , quin propterea gradus specificus dissocietur ab individuali : nempe quia Deum determinare quoad individuum A v. g. unicè consistit in eo , quod neget concursum suum ad cetera omnia individua amoris præter A ; quocirca illa non est determinatio *positiva* , sed *negativa* , qualis foret determinatio ad scribendum calamo A , quando cœteri omnes tibi subciperentur : item non determinare quoad speciem , consistit in eo , quod non neget suum concursum ad cœteras species ; negare autem suum concursum ad cœtera individua amoris , & non ad speciem odii v. g. , concludis cœtera individua amoris distingui à specie odii , non verò individuum A à specie amoris . Patet etiam in specie identitatis , atque præcisionis formalis : dicimus animal esse formaliter principium sentiendi , & non esse formaliter principium discursus ; & tamen non distingui inter se ambo hæc principia : scilicet quia animal esse formaliter principium sentiendi stat in eo , quod hæc expressio *animal* præbet lucem sufficientem huic judicio proferendo , *Animal est principium sentiendi* . Item animal non esse formaliter principium discursus consistit in eo , quod hæc eadem expressio non præbeat fundamentum huic assertioni , *Animal est principium discursus* : hanc verò apprehensionem præbere lucem unius judicio , & non alteri , probat unum , & alterum judicium esse distincta ; ast nec minimum lœdit summam identitatem inter principium sentiendi , & principium discurrendi . Patet demum in eis omni-

bus

bus exemplis, quæ disputatione citata tetigimus, solventes argu-  
menta, quibus multi suadere conantur distinctionem formalem ex  
natura rei, aut distinctionem virtualem, & quibus alii impugnant  
præcisionem formalem, atque objectivam, quæ doctrina huc addu-  
cenda est.

32. Hoc idem in præsentiarum. Multas per manus Majorum  
aceperimus locutiones circa possibilitem, & esse alias rerum ( quat  
locutiones latè urget P. Ribadeneira ex illis compingens plura su-  
pra viginti argumenta pro sua opinione ) quæ tametsi concludere  
videantur, distinctionem inter possibilitem, essentiam, atque exi-  
stentiam ; nihilominus attente examinata ( & quidem non ad cu-  
jusque libitum, sed juxta conceptum formalem quidditativum, at-  
que metaphysicum terminorum, de quibus est sermo ) nec latum un-  
guem lèdunt identitatem inter utramque . Igitur permitti potest  
1. possibilitem Petri esse simpliciter antecedenter necessariam, æter-  
nam, indestructibilem : è converso existentiam esse contingentem,  
temporaneam, destructibilemque; quin propterea inferatur, possibili-  
tatem ab existentia secerni . Ratio est. Ita primæ locutiones tan-  
tum enunciant, numquam extitisse , existere, aut existere posse con-  
tradictionem in prædicatis Petri ; ( in hoc enim præcisè consistit, quod  
possibilitas sit æterna , necessaria , indestructibilisque : quod si aliud  
enuncient ex propositiones, falsæ erunt ) Item secundæ proposicio-  
nes præcisè enunciant, carentiam Petri aliquando extitisse , existere,  
aut existere posse ; quia haec est tota contingentia existentia . Ex eo  
autem , quod contradiction in prædicatis Petri numquam extiterit, aut  
existere possit ; carentia verò aliquando extiterit, aut existere pos-  
sit, tantummodo concluditur , carentiam non esse illam contradic-  
tionem ; perperam autem existentiam non esse possibilitatem . Ex-  
plicatur. Præstatæ locutiones unum de duobus inferunt , nempe  
vel possibilitatem, & existentiam distingui mutuò , vel carentiam  
Petri non esse contradictionem in prædicatis hujus: quovis enim ex  
his salva subsistet veritas prædictarum locutionum ) at certius est,  
carentiam non esse oppositionem in prædicatis Petri, quam possibi-  
litem distingui ab existentia : ergo potius tenendum est , præstatæ  
locutiones inferre illud primum, quam hoc secundum .

33. Unde ad hunc , & similes Syllogismos. Omne necessarium,  
et indestructibile per Deum distinguunt à contingente ; sed possibilitas  
est necessaria , atque indestructibilis per Deum ; existentia autem contingen-  
tia : ergo . Distinguenda est major : si necessarium , & contingens  
re-

referantur ad eosdem terminos ; concedo : si ad diversos ; nego : in præsenti autem materia ad diversos referuntur ; quoniam , ut dixi , possibilitatem esse necessariam ; unicè consistit, non in eo, quod nuncum dari possit oppositio , sive contradic̄tio in prædicatis Petri : unde si illa propositio est vera prout assertur , debet enunciare necessitatem purè *negativam* ; secus *positivam* ; existentiam autem esse contingentem stat in eo, quod dari possit aliquando carentia Petri : ex his autem duabus præmissis solummodo infertur , carentiam non esse oppositionem in prædicatis Petri . Similiter ad hanc formam arguendi *Eſe necessarium* , & *non eſe necessarium simpliciter sunt duo contradictoria* ; sed de possibilitate verificatur *eſe necessarium* , de existentiaque non *eſe necessarium* : ergo . Respondendum est , prædicata ista esse contradictoria , quando connotent eosdem terminos ; secus quandā diversos . ut nunc contingit : quandoquidem una propositio connotat oppositionem in prædicatis Petri ; altera autem solam carentiam Petri . Eadem ratione extirpanda est hæc etiam forma . *Eſe necessarium est aliquid* ; sed hoc verificatur de possibilitate , quod idem non verificatur de existentia : ergo aliquid verificatur de possibilitate , quod non verificatur de existentia . Dicendum est , hoc , quod est , esse necessarium , esse quidem aliquid ; sed reddens sensum diversum , quando enunciatur de possibilitate , ac quando de existentia : eo quod quando enunciatur de possibilitate significat oppositionem in prædicatis Petri , numquam posse existere ; quando vero enunciatur de existentia , significat carentiam Petri nunquam exerceri posse : qui sane sensus plurimum diversi sunt .

34. Præterea si dicatur juxta hanc doctrinam foreut hic Syllogismus expositorius non concludat , scilicet : *Hæc possilitas est necessaria* ; *Hæc existentia est bæc possilitas* : ergo *bæc existentia est necessaria* . Advertendum est , hunc syllogismum non esse legitimum ob doctrinam , cui modò insisto ; etenim prædicatum consequentis est valde diversum à prædicato majoris , unde variatur extremitas major . Quod autem sit diversum ostenditur ex dictis . Necessitas , quæ enunciatur de possibilitate , unicè consistit in eo , quod nuncum exerceri possit oppositio in prædicatis Petri ( alicquin si enunciatur necessitas positiva , falsa erit major . ) Item quæ enunciatur de existentia , consistit in eo , quod nuncum exerceri valeat carentia Petri ( alias verum erit consequens , & legitima consequentia ) atqui unum ex his plurimum distat ab altero ; ergo distincta est necessitas , quæ enunciatur in consequenti ab ea , quæ enunciatur in majore : ergo syl-

syllogismus, qui expositorius videtur, non est legitimus. Demum omnes hæ argutias retorquendas sunt in exemplo determinationis quoad individuum, & non quoad speciem, necnon in ceteris, quæ nuper tetigimus, latiusque in disputatione de identitate, & distinctione.

35. Sed replicabis 1. Juxta hunc modum discurrendi nullum argumentum suadens duorum distinctionem erit satis firmum; nam similiter poterit aliis ita detorquere propositionum sensum, ut tandem probetur distinctione aliorum conceptum; non verò eorum, de quibus tunc disputatur. Respondeo, similem instantiam instrui posse contra exempla adducta supra. Addoque: quando efficaciter suadetur ex una parte identitas objectorum, de quibus disceptatur; & ex altera medium assumptum per Adversarios explicatur non-juxta cujuscumque placitum; sed juxta legitimam terminorum acceptiōnē, juxtaque conceptum formalem, & metaphysicum eundem terminorum, jure optimo exponendæ sunt propositiones contrarie, & detecta equivocationis radice, ostendendum, eis propositiones non inferre distinctionem eorum objectorum, de quibus disputatur, sed aliorum. Hoc in præsenti. In primis. Ratiōnibus non tenuibus probavimus indistinctionem possibilisatatis, atque existentiæ: deinde expositio adversariorum propositionum, quam obtulimus non ad libitum, sed ad conceptum metaphysicum terminorum, de quibus agimus, formata est. Nam Petrum esse possibilem stat formaliter, & immediatè, & totā proprietate, rigorōque loquendi, in eo, quodd non includat prædicata opposita, proindeque in eo, quodd sua prædicata non sibi aduersentur: ergo esse necessarium, quodd Petrus sit possibilis est, esse necessarium, quodd prædicata ipsius non opponantur: ergo est esse necessarium, quodd numquam data, aut danda sit oppositio in suis prædicatis; ergo est, quodd oppositio in suis prædicatis, neque detur, neque dari possit: ergo expositio, quam damus ex conceptu ipso metaphysico possibilisatatis erat est. Si similes circumstantiae in aliis casibus occurrant, similis doctrina abs dubio usurpanda est, secus si dissimiles.

36. Replicabis 2. Carentia Petri, & oppositio in prædicatis ejusdem sunt idem: ergo præfatae propositiones non connotant diversos terminos. Probatur antecedens 1. Possibilitas, & existentiæ sunt idem: ergo idem est contradictoriū possibilisatatis, atque contradictoriū existentiæ: sed oppositio in prædicatis Petri est contradictoriū possibilisatatis, carentia autem contradictoriū existentiæ: ergo.

Pro

Probatur 2. Oppositio dicta est formalis, & immediata carentia Petri; siquidem is est sua identitas: ergo est formalis, & immediata carentia existentiae. Ad replicam nego antecedens, quod si verum foret, quoties datur carentia Petri, daretur oppositio in suis praedicatis; unde Petrus deficiens, seu morieas converteretur in chymam. Ad 1. probationem, concessio antecedenti, distinguo consequens: idem est contradictorium absolutum possibilis, ac contradictorium absolutum existentiae; concedo consequentiam: idem est contradictorium conditionatum possibilis, atque absolutum existentiae; nego consequentiam: & distinguo subiectam minorem, oppositio in praedicatis Petri est contradictorium conditionatum possibilis; concedo: absolutum; nego. Carentia autem est contradictorium absolutum existentiae non conditionatum. Igitur & possibilis, & existentia geminum habent contradictorium unum absolutum, scilicet hoc, quod est non existere absolute, & simpliciter in rerum natura, quemadmodum existit haec papyrus; & hoc vocamus vulgo carentiam: alterum conditionatum, videlicet ipsum non existere datam hypothesis sua existentiae; & hoc dicitur oppositio in praedicatis. Ex eo, quod possibilis, atque existentiae sunt idem, arguitur optimè, contradictorium absolutum unius esse contradictorium absolutum alterius: item contradictorium conditionatum unius esse contradictorium conditionatum alterius; sed perpteram deducitur, contradictorium conditionatum unius esse contradictorium absolutum alterius. Sicut ex eo, quod existentia ipsa evidenter sit ipsa existentia, non arguitur, contradictorium absolutum sibi, nempe carentiam, esse contradictorium conditionatum ejusdem, scilicet oppositionem in suis praedicatis; alias quoties carentia existeret suo modo, existeret etiam praedicta oppositio.

37. Ad 2. probationem respondeo similiter, oppositionem in praedicatis Petri esse formalem, & immediatam carentiam conditionatum identitatis eorumdem praedicatorum; non vero carentiam absolutam ejusdem: nam modò datur suo modo carentia absoluta identitatis praedicatorum Antichristi; (eo quod modò non detur absoluta, & simpliciter talis identitas praedicatorum non existentium) & tamen modò non datur oppositio in his praedicatis. Permitti potest tamen, Deum esse connexum cum possibiliitate: existentiae Petri, & oncum existentia absoluta, quin propterea arguatur praetensa distinctione in his abstractis metaphysicis. Ratio est. Quemadmodum

F fff

di-

divina determinatio quoad individuum non est positiva, sed meret negativa, quatenus videlicet Deus exercitio suæ voluntatis negat concursum ad cætera individua amoris præter A, v. g. ita connexio, quam Deus dicitur habere cum possibilitate, essentiâque Petri, non est positiva, qua si Deus ex suis intrinsecis inferret, actu dari existiam, aut possibilitem; sed negativa dumtaxat stans in eo, quod Deus ex suis intrinsecis repugnet contradictioni in prædicatis Petri, & distinctioni hujus ab animali rationali. Præterea Deum non connecti cum existentia absoluta stat in eo, quod per se ab intrinseco non repugnet carentia absolute Petri. At ex eo, quod per se ab intrinseco repugnet contradictioni in prædicatis Petri, & non repugnet carentia ipsius Petri, tantummodo sequitur, hanc carentiam non esse illam contradictionem; non vero sequitur, existentiam distingui à possibiliitate, essentiâve; ergo. Explicari potest hæc doctrina exemplis supra allatis: item contra eam instrui possunt argumenta, quas nuper confutavimus.

38. Permitti potest 3. Possibilitatem esse necessariam ad scientiam simplicis intelligentiaz; secus existentiam; quia hoc in eo stat, quod prædicta scientia sit connexa cum possibilitate, & non cum existentia. Porro sic esse connexam tandem resolvitur in hoc, quod est, prædictam scientiam potius habere hunc modū tendendi. *si Petrus existeret, non importaret contradictionem;* quām hunc, *Petrus exsistit:* quod demum probat, hos modos tendendi intellectualiter esse mutuo distinctos, non autem existentiam distingui à possibiliitate. Similiter. Permitti potest possibilitatem, secus existentiam esse prærequisitam ad producendum Petrum; hoc enim non significat proximam potestatem productivam Petri constitui intrinsecè per hoc, quod est, actu exerceti, & existere possibilitem, sed præcisè contradictionem in prædicatis Petri fore impedimentum, & quidem inauferibile, ad ipsum producendum: existentiam vero non esse sic prærequisitam, consistit in eo, quod carentia absoluta, aut non sit impedimentum, aut non sit inauferibile. At ex eo, quod contradictione præfata fore impedimentum inauferibile, carentia vero non sit impedimentum inauferibile tantum concluditur, carentiam non esse præstatam oppositionem, seu contradictionem: ergo. Jam ratio à priori est. Quando de possibiliitate Petri non existentis, consequenterque quando de possibiliate non existente absolute, & simpliciter loquimur; prædicatum propositionis non est accipendum positiæ quasi directæ, atque immediate caderet supra possilitatem ipsam ( sic enim evadet

dent falso omnes istæ propositiones, quæ aliæ sunt verae, & pleraque necessariò verae; sed negatiæ nimirum pro exclusione contradictionis inter prædicata ipsius Petri: ad modum, quo dum dicimus, Deum determinare quoad individuum A, non est intelligendum de determinatione positiva, sed merè negativâ, scilicet de exclusione ceterorum individuorum præter A.

39. Denique argumenta huc usque prolata, & alia similia, quæ ex frequentibus locutionibus carpit hic author, bifariam repellendi possunt. 1. Dando præmissas, & negando consequentias: recurrendo q. 26. c. 7.  
*Lib. de Possibili*  
 scilicet ad legitimum sensum, germanamque expositionem præmissarum ex conceptu metaphysico possibilitatis erutam, & ostendendo illas præmissas non inferre distinctionem, possibilitatem inter, ac existentiam; sed inter carentiam absolutam Petri, & contradictionem in prædicatis hujus: omnes namque illæ præmissæ alterutrâ ex his duabus distinctionibus contenta est: cùmque distinctione inter carentiam, & præsatam contradictionem sit indubitata; distinctione autem inter existentiam, & possibilitatem reddatur dubia saltem ob nostras rationes; idcirco absolute pronunciandum est, præmissas eas inferre determinatè distinctionem inter carentiam, & contradictionem; non verò inter possibilitatem, atque existentiam. Quod explicari, & levigari oportet exemplis initio hujus capitinis adductis, & innumeris aliis, quæ ex tota Philosophia corradi possunt. Eadem argumenta possunt 2. refelli, distinguendo præmissas; concedendo illas, si procedant in sensu negativo, & relatè ad contradictionem in prædicatis Petri (quæ contradictione est connotatum, quod negatur per conceptum metaphysicum possibilitatis) negandoque illas, si procedant in sensu positivo, & relatè ad carentiam possibilitatis absolutam v. g.

40. Nil deest absolute, & simpliciter sub ea ratione, sub qua absolute, & simpliciter est necessarium: sed Petrus est absolute, & simpliciter necessarius sub ratione repugnantis implicare contradictionem (quandoquidem absolute, & simpliciter repugnat, quod Petrus implicet contradictionem) ergo Petrus nequit deesse sub ratione repugnantis implicare contradictionem: ergo absolute, & simpliciter existit sub ratione hac. Sed ratio hæc est formalis, & immedia ta possibilitas: ergo absolute, & simpliciter existet formalis, & immedia ta possibilitas. Gravis hujus Doctoris distinguo major em, nil deest absolute, & simpliciter sub ea ratione, sub qua est absolute, & simpliciter necessarium necessitate positiva, directa, & excludente carentiam

absolutam : concedo : necessitate purè negativa , indirecta , & exclusive  
dente solum contradictionem in suis prædicatis ; nego : quoniam fieri  
potest , ut res absclutè , & simpliciter desit , seu non existat quamquam  
necessarium sit absolutè , & simpliciter , quod in suis prædicatis non  
admittat contradictionem : hæc namque necessitas est formaliter  
identitas illa , summa , & totalis , quam haberent prædicata ejus rei ,  
si existerent : hæc autem identitas necessariò existeret , verum modò  
potest non exsistere absolutè , & simpliciter . Et similiter explicata mi-  
nore cum sua probatione , nego cetera .

41. Observa 2. Tametsi ex parte objecti , independenter ab om-  
ni actu intellectus , Petrus sit possibilis , deturque fundamentum  
proximum hujus veritatis , si Petrus existeret non sequentur duo  
contradictoria , intima nimicum connexio conditionis cum suo con-  
ditionato . Attamen conditionalitas possibilitatis seu hoc , quod est ,  
si Petrus existat , non sequentur duo contradictoria , ut tale , enunci-  
abile est , non datur ex parte objecti plusquam fundamentaliter . Exem-  
pla sunt pcrvia : A parte rei existit , vel non existit Petrus , & hoc  
est penitus necessarium ; sed hæc vagitas , aut disjunctio formalis ,  
atque immediata , non datur ex parte objecti : est namque denomi-  
natio proveniens formaliter , & immediatè à quodam actu intelle-  
ctus sic tendente , Petrus existit , vel non existit . Rursus à parte rei  
independentè à nostris cognitionibus Petrus caret existentiâ , quan-  
do desit ; et non continuò sequitur , dari à parte rei aliquid , quod  
subjectivè in se ipso sit carentia , seu sit hoc , quod est , Petrum non  
existere . Præterea à parte rei datur id , quod est distinctio virtualis in  
divinis , capacitas videlicet suscipiendi duo contradictoria ; ceterum  
hæc capacitas non est à parte rei distinctio , sed summa identitas aqui-  
valens distinctioni &c. Similiter id præsentiarum : verum est , Pe-  
trum esse à parte rei possibilem , & eum , qui non importaret contra-  
dictionem , si existeret . Ceterum non datur à parte rei conceptus  
ullus , qui subjectivè in se ipso sit formaliter , & non tantum funda-  
mentaliter hoc , quod est : quod si Petrus existeret , non importaret con-  
tradictionem ; hic enim est conceptus existens formaliter , & imme-  
diatè in actu quodam intellectus habente prædictum modum ten-  
dendi conditionalem . Cernens quippe intellectus summam conve-  
nientiam , quæ intercedit inter prædicata Petri , prorumpit in illud  
judicium conditionatum : quo circa conditionalitas , quæ est propria  
actus intellectus , non secus ac disjunctio ; ipsi actui intellectus , &  
non objectis adscribenda est ; fundamentum vero illius est conve-  
nien-

nientia , & identitas inter prædicata Patri , quæ ab solutè existeret , si Petrus existeret .

42. Ad hanc æquivocationem offendere videntur non pauca argumenta contraria , dum conserunt hoc , quod est , si Petrus existeret , non sequerentur duo contradictoria , cum hoc . quod est , Petrum existeret : quasi ex parte objecti daretur unum , & alterum . Negan- da sunt igitur supposita harum propositionum , vel detegenda æqui- vocationum radix , concedendo , dari ex parte rerum conditionali- tatem , seu possibilitem , seu connexionem istius hypothesis cum con- ditionato , quando detur existentia ipsa ; secus quando non detur . Observa 3. Nulla propositio poscit ad sui veritatem id , quod neque enunciat , neque terminat connexionem illius , quod enunciat ( ex- cepta dumtaxat ipsa propositione : si enim hæc non extiterit , neq; ue- vera , neque falsa est ) quæ regula nisi firma , & sancta sit , qua ratio- ne confutabitur , qui dixerit veritatem hujus actus , Petrus currit , cantu galli indiguam esse ? Cùm igitur hæc propositiones , Petrus est possibilis : si existat , non sequentur contradictoria , & alio id generis , licet enunciant aliquid intimè connexum cum attributis necessariis Dei (enunciant enim possibilitem creaturæ , quæ sanè possibilis non esset , si Deus aliquo ex attributis necessariis careret ) at non enunciant possibilitem ipsam formalem , & immediatam de præ- senti existere ; alias vel essent falsæ , vel contingenter vere , ut supra notatum est : inde provenit veritatem etiam æternam , & necessariam earum propositionum non inferre , possibilitem actu existeret , licet inferat actu existeret attributa necessaria Dei : quod explicatur paritate earum propositionum , & denominationum , quarum me- minimus .

## C A P U T Q U A R T U M .

### *Solvuntur Objectiones .*

43.  Tende: omnes illæ æquæ militant contra verificati-*vum*, id est, contra determinativum Scientiæ me-*Possibili-* diae. Objicies 1. Argumentum , cui multum fudit *q.26.c.3.* P. Ribadeneyra eadem formâ dispositum , qua per ipsum instruitur , de cuius opposito contra alios que-  
titur. Deficere omne verificativum hujus actiis , Petrus non est possi-  
bilis , est adesse , seu existeret aliquod verificativum hujus contradic-  
cen-

*concl. Petrus est possibilis.* Sed semper absolutè, & simpliciter existit illud deficere: ergo semper absolutè, & simpliciter existit hoc adesse, seu existere verificativum hujus actus, *Petrus est possibilis*: àequi verificativum hujus actus est possibilitas: ergo hoc semper existit absolutè, ac simpliciter. At existentia Petri non semper existit absolutè, ac simpliciter: ergo possibilitas, & existentia distinguuntur. Discursum per partes suadet. Et majorem sic probaverat capite 2. Deesse omne verificativum alicujus propositionis est penitus, & re ipsa adesse aliquod verificativum propositionis contradictoriz. Probatur. Deesse omne verificativum alicujus propositionis, est non dari id, per quod illa verificetur; sed non dari id per quod illa verificetur, est dari id, per quod verificetur contradictoria, subindeque est dari verificativum contradictoriæ: ergo. Probat jam minorem primi syllogismi. Quoties de subjecto verè negatur hoc, quod est existere absolutè, & simpliciter, debet absolutè existere hoc, quod est ipsum deficere; at de omni verificativo hujus falsæ propositionis, *Petrus non est possibilis*, verè negatur hoc, quod est existere absolutè quoniam id verè negatur de omni chymæra, & omne verificativum dictæ propositionis esset chymæra: ergo. Major probatur. Quoties de subjecto verè negatur existere absolutè, aliquo modo datur hoc, quod est ipsum deficere, seu non existere; at non sufficit, quod debetur pure possibiliter: nam sic subjectum illud poterit quidem deficere, verum non deficit actu: neque rursus sat est tale deficere dari pure conditionatè: sic enim de subjecto eo verificabitur, quod deficit, si certa quædam adesset conditio; ast nequibit verificari, quod actu deficit: ergo quoties de subjecto verificatur, quod actu absolutè deficit, debet existere actu, & absolutè hoc, quod est ipsum deficere: ergo quoties de subjecto verè negatur &c.

44. Confirmatur 1. ut subjectum absolutè, & simpliciter existat, non sufficit dari pure possibiliter, aut pure conditionatè suam existentiam ( alioquin modò existeret absolutè, & simpliciter Adamus; quandoquidem sua existentia, & est possibilis, & exerceretur, si certa quædam adesset conditio, nimirum voluntas efficax Dei. ) Præterea ut subjectum absolutè, & simpliciter deficiat, non sufficit, suum defectum esse possibilem, aut dari conditionatè ( alias papyrus hæc modò deficit absolutè, & simpliciter; siquidem suus defectus est possibilis, necnon exerceretur, si quædam conditio daretur, scilicet voluntas Dei: ) ergo si de omni verificativo hujus actus falsi, *Petrus non est possibilis*, verificatur, quod absolutè, & simpliciter deficit,

cit, sicut defectus dari debet, nec pure possibiliter, nec pure conditionatè: ergo debet dari *absolutè*. Confirmatur 2. *Absolutè*, & simpliciter datur defectus illius subjecti, quod non solum potest deficerere, nec solum deficeret, si certa quedam poneretur conditio; verum etiam est simpliciter actù remotissimum à veris rebus. Atqui repugnantia Petri non tantum potest deficerere, neque tantum deficeret, si certa adesset conditio; verum etiam actù simpliciter deficit, estque à veris rebus remotissima: ergo *absolutè*, & simpliciter datur defectus illius repugnantiarum. Atqui defectus hic est possibilis formalis, & immediata hominis non existentis modò (de hoc procedit argumentum:) ergo 3. *Absolutè*, & simpliciter datur repugnantia illius subjecti, quod non tantum potest repugnare, nec tantum repugnat sub quadam hypothesi adhuc contingente, verum etiam actù simpliciter, & *absolutè* repugnat. Sed Petrum esse chymaram, aut repugnare in ratione hominis, non tantum potest repugnare, nec tantum repugnaret, si certa quedam poneretur conditio; verum etiam actù, simpliciter, & *absolutè* repugnat: ergo actu, & simpliciter datur repugnantia quasi reflexa hujus, quod est Petrum repugnare in ratione hominis. Sed haec quasi reflexa repugnantia est re ipsa possibilis formalis, & immediata: ergo haec actù, *absolutè* datur.

45. Si haec legitima forent, determinativum objectivum Scientiarum media foret aliquid de praesenti existens. Igitur ad objectionem respondeo, majorem, & minorem primi syllogismi esse falsas: *Majorem* quidem; nam fieri potest, ut desit omne verificativum aliquus propositionis, quin propterea existat *absolutè*, & simpliciter verificativum objectivum formale, & immediatum propositionis contradictiorum. In hoc loco deficit omne verificativum hujus actus, quem ponamus esse falsum, *Petrus non vicit Madriti*; & tamen in hoc loco non datur verificativum objectivum formale, & immediatum actus contradictorii; licet enim P. Ribadeneira opinetur, decretum divinum esse verificativum actus contradictorii, addatque id decretum titulo immensitatis existere quoque in hoc loco; nihi lominus tale decretum non est plusquam verificativum illativum, & remotum, quatenus intimè connectitur cum verificativo formalis, & immediato, quod sane est vita, & praesentia Madritensis Petri (siquidem haec est ratio formaliter constitutiva Petri in esse viventis Madriti) qua vita, & praesentia non dantur in hoc loco. Rursus modò deficit omne verificativum hujus propositionis falsæ, *Petrus non*

*Non est religiosus*; & tamen non datur modò verificativum formale, & immediatum propositionis contradictoriz; quoniam hoc verificativum est forma, quæ immediate per se ipsam constituit Petrum in esse religiosi, quæ forma est professio ipsa olim facta, & acceptata, quam immēritō censebit existere modò præsentialiter, cùm sufficiat extitisse. Præterea nunc de præsenti abest omne verificativum hujus actū falsi etiam, *Petrus non est filius Joannis*; & tamen nunc de præsenti non existit generatio essentialiter egrediens à Joanne, quæ utpote forma immediate constitutiva Petri in esse filii Joannis est formale, ac immediatum falsificativum dictæ propositionis, formaliterque, & immediatum verificativum contradictoriz. Idem continet in cæteris exemplis, quæ capite secundo tetigimus.

46. Quid si responderis, verificativa formalia, & immediata harum propositionum non esse formas per me assignatas; sed decreta, aut Scientiam Divinam, aut aliud quidpiam. Reponam ego verificativum formale, & immediatum hujus actū, *Petrus est possibilis*, non esse formam, quæ immediate, ac ratione sui constituit Petrum in esse possibilis, proindeque non esse possibilitatem: quocirca quamquam modò existat absolute, & simpliciter verificativum hujus actū veri, falsificativumque formale, & immediatum actū contradictorii, non existit modò possibilitas formalis, & immediata. Et ratio est. Deficere omne verificativum alicujus propositionis per se præcisè, neque arguit, illam esse veram, neque arguit, illam esse falsam; unde non arguit similiter, contradictoriā illius esse veram, neque arguit, esse falsam: etenim regula ad dignoscendum veritatem, & falsitatem est id, quod enunciat propositio: ergo quemadmodum propositio dumtaxat enuncians, Petrum currere, neque redditur vera per albedinem ejusdem, neque per parentiam albedinis: ita propositio, quæ minimè enunciat existere de præsenti suum verificativum objectivum, formale, & immediatum, neque vera, neque falsa redditur per actualem existentiam, aut per actualem parentiam sui verificativi objectivi, formalis, & immediati. Jam hæc propositio, *Petrus non est possibilis*, non enunciat, suum verificativum objectivum, formale, & immediatum existere modò: neque hæc, *Petrus est possibilis*; quoniam hæc, aut reddit sensum merè conditionatum, & negativum, scilicet *numquam fuisse*, *eſſe*, *ex posſe eſſe contradictionem in prædicatis Petri*: aut ulterius reddit sensum absolutum, & alicujus objecti affirmativum? Si primum; perspicue patet, illam non enunciare actualem existentiam sui objecti, proin-

proindeque posse veram esse, tametsi actū de præsenti non existat suum objectum. Si secundum; requireret sanè ad sui veritatem aliquam actualitatem existentiae, verum non loquimur de illa in secundo sensu; nam sic, vel est falsa, vel contingenter vera: idem dico de hoc actu Scientiæ mediæ, si existeret libertas A, consentiret, qui non poscit verificativum objectivum actū existens ob eandem explanationem, & rationem.

47. Rursus minor primi syllogismi objecti num. 43. est falsa etiam: aliud namque est modò, ac de præsenti deficere omne verificativum hujus actūs. Petrus non est possibilis: aliudque longè diversum modò, & de præsenti dari defectum talis verificativi in phrasē hujus Authoris. Primum est verum, & secundum falsum, nec ex primo infertur: quemadmodum nunc, & de præsenti deficit omne verificativum hujus actūs, quem ponamus esse falsum, Petrus non est religiosus, quin propterea nunc, & de præsenti existat defectus hujus verificativi; quoniam juxta phrasim hujus Authoris is defectus nil aliud est, quam verificativum formale, & immediatum actūs contradictorii; hoc autem verificativum est ratio formaliter constitutiva Petri in esse religiosi. Hæc demum forma est professio ipsa religiosa, quæ sanè nunc, & de præsenti non existit: similiter in hoc loco deficit omne verificativum hujus falsæ propositionis, Petrus non vivit Madriti; & tamen in hoc loco non existit defectus hujus verificativi, quia ob similem discursum hic defectus est vita, & præsentia Madritensis Petri, quæ non datur in hoc loco: ergo ex eo, quod nunc, & de præsenti deficiat omne verificativum hujus actus, Petrus non est possibilis, perperam infertur, nunc, & de præsenti existere defectum hujus verificativi.

48. Et ratio est. Nunc, & de præsenti deficere omne verificativum prædicti actus falsi, tandem consistit in eo, quod nunc minimè detur oppositio in prædicatis Petri, neque in ullo casu possibili danda esset. Præterea nunc, & de præsenti dari defectum ejusdem verificativi, esset, juxta Adversarium, quod nunc, & de præsenti daretur positiva non oppositio formalis, & immediata eorumdem prædicatorum: cùmque positiva non oppositio formalis, & immediata duorum sint ea duo; nam quæ essentialiter non opponuntur, per se immediatè non opponuntur; sicut quæ essentialiter opponuntur per se immediatè opponuntur; inde est; quod de primo ad ultimum, dari nunc præfatum defectum esset, dari nunc prædicata Petri absolute, & simpliciter. At ex eo, quod neque detur modò, neque

umquam danda sit positiva oppositio in praedicationis Petri, non arguitur, dari modò absolutè, & simpliciter eadem praedicata: ergo ex eo, quod nunc deficiat absolutè, & simpliciter omne verificativum illius actus falsi, non arguitur, dari modò absolutè, & simpliciter defectum illius. Hinc ad probationem minoris positam etiam num. 43. nego majorem, ad hujus probationem, nego minorem. Etenim ob rationem nuper datam modò deficit absolutè, & simpliciter impossibilitas Petri eo ipso, quod hic sit modò absolutè, & simpliciter possibilis: hic autem erit modò absolutè, & simpliciter possibilis eo ipso, quod sua praedicatae identificanda sint pro casu, quo existant: ergo talem identitatem dari conditionate sufficit, ut modò absolutè, & simpliciter deficiat impossibilitas. Sed talis identitas est defectus impossibilitatis Petri ob nostram rationem à priori: ergo defectum impossibilitatis dari conditionate sufficit, ut modò deficiat absolutè impossibilitas.

49. Hinc ad tres confirmationes neganda est generalitas modū assumpti: licet enim ex propositiones formaliter, aut æquivalentes universales plerūmque sint veræ; non tamen in re præsenti ob rationem ex terminorum explicatione erutam. Aliter repellere potest haec objectio cum primis duabus confirmationibus; dicendo scilicet, nunc, & de præsenti dari absolutum defectum omnis verificativi hujus actus falsi, *Petrus non est possibilis*, & omnis falsificativi hujus actus veri, *Petrus est possibilis*, hoc est, nunc, & de præsenti dari defectum absolutum impossibilitatis Petri. Hinc tamen non sequi nunc, & de præsenti dari possibilitatem absolutè, & simpliciter: quemadmodum ex eo, quod nunc detur defectus impossibilitatis chymæ utpote indistinctæ ab ipsa chymæ, male colligitur nunc dari absolutè ejusdem chymæ possibilitatem: nempe quia nunc, & de præsenti neque datur absolutè, & simpliciter possibilis, neque impossibilitas chymæ; similiter nunc, & de præsenti neque datur absolutè, & simpliciter possibilis hominis non existentis, neque impossibilitas ejusdem.

50. Sed replicabis. Deficere unum contradictorium est existere alterum: ergo quoties absolutè, & simpliciter deficit repugnantia, seu impossibilitas Petri, absolutè existit non repugnantia, seu possibilis ejusdem. Sed per nos absolutè, & simpliciter deficit repugnantia, impossibilitasque Petri: ergo modò existit absolutè, & simpliciter possibilis ejusdem Petri. Major universaliter sumpta, quæ in istas inconcavæ principiæ objici solet, est falsa, vel saltē ambigua juxta

juxta doctrinam dandam disp. 3. Dialecticæ; Etenim cùm D. Petrus, ut talis, atque adæquatè sumptus intrinsecè constet anima, contradictorium hujus est quoque contradictorium illius, ut talis, atque adæquatè sumptus. Atqui modò deficit absolutè, & simpliciter tale contradictorium animæ D. Petri; siquidem modò existit talis anima: ergone modò existit absolutè D. Petrus, ut talis, atque adæquatè sumptus? Mala consequentia. Dicere illam, ut talem, modò existere absolutè, licet tantum inadæquatè, est ludere terminis, & re ipsa dicere, cum non existere verè, & simpliciter. Præterea cùm carentia Petri, juxta plerosque, sit purum nil, & apud me nullum sit ex parte rerum objectum, quod subjectivè in se ipso sit carentia; planè deducitur, carentiam esse incapacem existentiaz absolutè, & simpliciter talis: ergo deficere Petrum non est existere absolutè, & simpliciter suam carentiam. Quamobrem bifariam potest explicari antecedens instantia 1. Negando illud, si procedat de contradictoriis objectivis ( scilicet quia agentes de carentiis dicemus, non dari contradictoria objectiva, eo quod neque conceptibile sit ab intellectu objectum ullum, quod subjectivè in se ipso sit carentia pura, neque objectum, quod in se ipso sit impossibile: omnis namque cognitio objectum est quid positivum, verum, & reale, tametsi multoties cœletur terminis aliud inuentibus;) concedendo tamen illud, si procedat de contradictoriis mentalibus. Igitur catenus est verum, quod deficere unum contradictorium sit existere alterum, quatenus esse falsam unam propositionem est esse veram suam contradictoriam. Unde esse falsam hanc, *Petrus non est possibilis*, est esse veram hanc, *Petrus est possibilis*; verum ex eo, quod nunc de præsenti sit vera hęc, male arguitur, nunc, & de præsenti existere possibilitatem, ut fusè dictum est supra.

51. Secundò. Deficere unum contradictorium est existere alterum distributione accomoda. Idest deficere unum contradictorium absolutum est existere absolutè alterum contradictorium absolutum; quo circa cùm modò de præsenti deficiat absolutè impossibilitas Petri, modò de præsenti existit contradictorium absolutum illius, nempe carentia formalis, & immediata hujus impossibilitatis: hoc autem non sufficit, ut modò existat absolutè possibilitas; quoniam etiam latur modò carentia absoluta impossibilitatis chymæ, utpote indistinctæ ab ipsa chymæ, quin modò existat possibilitas chymæ; it verò deficere unum contradictorium conditionatum non est existere absolutè, sed tantum conditionatè alterum contradictorium.

Conditionatum. Atqui possibilias Petri tantum est contradictorium conditionatum impossibilitatis, eo quod hæc consistat in eo, quod, si Petrus existeret, sequerentur contradictionia; illa verò in eo, quod, si Petrus existeret, non sequerentur contradictionia: ergo quod modò deficiat impossibilitas Petri, dumtaxat infert, modò existere conditionatè possibilitem. Quod translatum esse verum, quia modò existere conditionatè possibilitem unicè consistit in eo, quod modò sit vera hæc propositio, si Petrus existeret, non importaret secum duo contradictionia, quæ, ut sèpè dixi, potest esse vera, tametsi de præsenti non existat possibilis; siquidem non enunciat, illam absolute existere. Prima solutio est expedita magis. Præterea aliud est non repugnantia *positiva* Petri, nimirum pura, & realis identitas suorum prædicatorum: aliud non repugnantia merè *negativa*, scilicet carensia oppositionis inter prædicata ejusdem Petri. Illa non repugnantia est possibilis; verùm tamen non est contradictorium impossibilitatis, sed contrarium, quo circa ex eo, quod impossibilitas deficiat, sinistram colligitur, existere possibilitem absolute, ac simpliciter, aut non repugnantiam *positivam* Petri. Non repugnantia merè *negativa* est contradictorium formale, atque immediatum impossibilitatis, & illa pro suo modulo existit de præsenti; ast illa non est possibilis formalis, & immediata Petri; de præsenti namque existit non repugnantia merè negativa chymæra, seu carentia absoluta oppositionis suorum prædicatorum; quandoquidem non existit de præsenti oppositio ea; & tamen nulla possibilis chymæra existit de præsenti: ergo non repugnantia purè negativa alicujus rei non est possibilis immediata ejusdem: hinc, permisso dubio antecedenu, distinguendum est consequens, concedendumque de non repugnantia merè *negativa*; ( ubi negabis tò, seu ) negandum autem de non repugnantia *positiva*.

### §. I I.

52. **O**bijices 2. ut hæc propositio, *Petrus est possibilis*, de præsenti sit vera, opus est, quod de præsenti detur aliquid, quod de præsenti non daretur, si de præsenti esset falsa: ergo abs jure negamus hoc. Prob. antecedens; tum quia ut de præsenti sit vera, necesse est, illam dari de præsenti: cumque ipsi, utpote necessarium vera sit metaphysicè connexa cum suo objecto, sequitur dari de præsenti aliquid metaphysicè connexum cum objecto hujus propositionis; tum quia si de præsenti est vera, de præsenti datur hoc, quod est)

est ) esse potius veram, quam falsam : quod de praesenti non daretur, si de praesenti esset falsa . Tum quia, si de praesenti est vera, de praesenti datur carentia hujus, quod est, ipsam esse falsam ; Si enim de praesenti non daretur carentia hujus, quod est, ipsam esse falsam, de praesenti daretur hoc, quod est, ipsam esse falsam : unaquaque namque res existit, quando non existit sua carentia . Sed si de praesenti daretur, ipsam esse falsam, non esset de praesenti vera, ut patet: ergo, si est de praesenti vera, de praesenti datur carentia hujus, quod est, ipsam esse falsam . At carentia hec est re ipsa possiblitas immediata . Petri : ergo, si de praesenti est vera illa propositio, de praesenti datur possiblitas Petri . Doctus hoc argumentum à P. Ribadeneyra quidam recentior Complutensis Thomista illud plausibile reddidit, probans determinativum objectivum scientie medie debere esse quid de praesenti existens . Non dicimus, illam propositionem esse de praesenti veram, independenter omnino, ac universaliter ab omni de praesenti existente : perspicuum quippe est, illam non fore de praesenti veram, si de praesenti non existerent attributa necessaria Def, sine quibus, ut de praesenti existentibus, impossibile est, Petrum esse possibilem . Praterea non dicimus esse veram independenter constitutivè ab omni de praesenti existente, & connexo cum eo, quod Petrus sit possibilis : siquidem ut haec propositio de praesenti sit vera opus est, ipsam existere de praesenti, quæ abs dubio est constitutivum formale, & immediatum suæ veritatis formalis, intimèque connexa cum sua veritate objectiva . Quapropter dum taxat doceimus, illam esse veram independenter ab omni de praesenti existente, quod sit verificativum, objectivum, formale, ac immediatum ipsius propositionis . Quam doctrinam exemplis, & ratione firmavimus num. 16. quo repulsa manet prima probatio ambigui illius antecedentis .

53. Ad secundam nego illam, quæ ad lapidem equivocationis sacerdotium offendit . Aliud est, quod de praesenti verificetur, illam propositionem esse potius veram, quam falsam : aliud, quod de praesenti detur, existatur in rebus aliquid, quod in se ipso sit, illam potius esse veram, quam falsam . Primum transeat esse verum, quia nil prohibet formari reflexam propositionem enunciantem esse veram propositionem directam . Secundum autem est falsum, neque infertur ex primo : quoniam præstatam propositionem directam esse de praesenti veram duo dicit : unum illam tantum enunciare, Petrum esse possibilem : alterum, quod Petrus re ipsa sit possibilis, seu quod sua prædicata non sibi mutuò contradicant, seu, quod idem est, sua prædicata

dicata reciprocè identificari ( hæc enim identitas reciproca est summa eorumdem convenientia , formalisque, immediata, & positiva non oppositio ipsorum ) At quamquàm de præsenti detur hoc , quod est, propositionem directam enunciare, *Petrum esse pulsibilem* ; non datur de præsenti necessariò hæc positiva non oppositio, seu identitas eorum prædicatorū, cùm non existant absolute, & simpliciter hæc prædicata, à quibus non distinguitur ipsorum identitas; sicut quamquàm hic in hoc loco, ubi ego sum, detur, atq; existat hoc, quod est *Exsuscicare Regem degere Madriti*; attamen hic, in hoc loco non datur, neq; existit aliquid, quod in se ipso sit *formalis, & immediata vita, & præsentis Regia Madritensis*: ergo quamquàm detur de præsenti una pars hujus, quod est, illam propositionem esse veram; non tamen datur altera, neque propositio reflexa id enunciat : ergo non datur absolute , ac adéquatè hoc, quod est, illam propositionem esse veram; quamquàm reflexè sit verum illam esse veram . Sic veræ possunt esse illæ omnes denominationes, de quibus memini à num. 16. etiam si non detur absolute, & adéquatè in rebus hoc , quod est, illas esse veras : nemp̄ quia plus requirit hoc, quàm illud ; hoc namque reposcit absolute existentiam; illud autem existentiam absolutam non petit , cùm illam non enunciet .

54. Ad tertiam nego primam , & secundam propositionem ob dicta simili argumento num.47. Adjunctum principium sicutà sua evidentiâ decipiet incautos . Permitto , unamquamque rem existerre, quando non existit sua parentia, si res illa fuerit veritas quæpiam *absoluta* ( & id quoque pressè loquendo , est falsum : nam licet arrendo jure communi, vulgarique modo loquendi , cognoscibile sit ab intellectu objectum , quod in se ipso sit parentia ; at tale objectum neque existit , neque ab intellectu est cognoscibile , ut suo loco explicabo ) ceterum, si sermo fuerit de objecto , quod sit veritas quædam *conditionata* , ut in præsentiarum, falsum est , rem illam existere quoties non detur sua parentia ; nam prædictam propositionem esse falsam, consisteret in eo, quòd pro casu existentia Petri daretur oppositio in prædicatis illius : ergo eo ipso, quòd pro illo casu non detur illa oppositio, non est de præsenti falsa dicta propositio , & consequenter non datur de præsenti hoc, quod est , illam esse falsam . Sed quamvis non detur de præsenti parentia hujus, quod est , illam esse falsam ; nihilominus pro illo casu non daretur illa oppositio : ergo quamquàm non detur de præsenti physicè absolute parentia hujus, quod est , illam propositionem esse falsam ; nihilominus illa non est de

de praesenti falsa, subindeque non datur de praesenti hoc, quod est, illam esse falsam. Probo minorem. Carentia hujus, quod est, illam propositionem esse falsam, est juxta hos DD. possibilis ipsa formalis, & immediata Petri; ergo est positiva non oppositio praedicatorum hujus (nam, tem esse possibilem, consistit formaliter, ac immediatè in eo, quod prædicata, quæ includit, ut sic inclusa non sint contradictoria formaliter, aut æquivalenter;) sed positiva non oppositio illorum nihil aliud est ex parte rerum, quam prædicata ipsa, ut supra ratiocinabamur; ergo de primo ad ultimum carentia hujus, quod est, illam propositionem esse falsam, nihil aliud est ex parte rerum, ab actis vocibus, quam prædicata ipsius Petri. Sed quamquam hæc prædicata non existant de praesenti; nihilominus illa non sibi contradicunt, neque contradicent pro casu existentia Petri: ergo quamquam non detur de praesenti carentia hujus, quod est, illam propositionem esse falsam; nihilominus prædicata Petri neque modò, neque umquam sibi contradicunt. Sed eo ipso non est de praesenti falsa illa propositio: ergo quamquam non detur de praesenti carentia hujus, quod est, illam esse falsam; nihilominus illa non est de praesenti falsa, & quod idem est, non datur de praesenti hoc, quod est, illam esse falsam. Ecce nubem dissipatam solè vocum explicatione; & similiter dissipatum simile argumentum ad probandum, determinativum objectivum scientiæ mediæ esse quid de praesenti existens.

55. Potes insuper distinguere inter eam carentiam positivè sumptam, & carentiam merè negativè acceptam juxta num. 51. concedere dari de praesenti carentiam purè negativè acceptam hujus, quod est, esse falsam dictam propositionem; secus carentiam positivè sumptam, idest positivam non contradictionem, seu positivam convenientiam reciprocam praedicatorum Petri: tamenque possibilis consistat formaliter, ac immediatè in hac carentia, & non in illa, ut ibidem exposui: idcirco argumentum istud non suadet, dari de praesenti possibilitatem formalem, & immediatam rei non existentis, tametsi suadeat dari aliud, quod non est possibilis. Eadem arte abigere potes illas tres confirmationes P. Ribadeneyra scriptas n. 44. concedendo videlicet, dari nunc absolute, & simpliciter tum defectum omnis verificativi hujus actus falsi, *Petrus non est possibilis*; tum defectum omnis falsificativi hujus actus veri, *Petrus est possibilis*; tum defectum repugnantia Petri: dari inquam hæc sumpta in sensu merè negativo eo modo, quo nunc de praesenti datur puta carentia chymæræ; ast quem.

quemadmodum pura carentia hujus non est hujus possiblitas, & ex eo, quod nunc de praesenti detur hec pura carentia, perperam colligitur, nunc de praesenti existere chymerae possibilatem; necnon ex eo, quod hac actu repugnet, perperam arguitur, dari actu praesentialiter ipsius repugnantiam, non secus ac papyrus haec; ita ex eo, quod de praesenti existant praefati defectus in sensu mere negativo, male arguitur, de praesenti existere possibilatem formalem, & immediatam: necnon ex eo, quod absolute, ac simpliciter repugnet, Petrum esse chymeram, seu repugnare in ratione hominis, male colligitur de praesenti dari hanc quasi reflexam repugnantiam. Nempe quia, rem esse possibilem, non consistit formaliter in istis defectibus negativè dumtaxat acceptis; (alioquin cum de praesenti detur similis defectus chymeræ, de praesenti quoque datur illius possiblitas) sed in eis positivè sumptis, hoc est in positiva non contradictione predicatorum Petri, que ex parte refutum nihil aliud est, quam summa eorundem identitatis inter se, & consequenter nihil aliud est, quam predicata ipsa. Cumque maxime iste generales non probent, dari de praesenti hec predicata, ideo non probant, dari de praesenti possibilitem, tametsi aliud probent.

*Lib. cit. g. 26.c.7.*

56. Obiicit 3. idem P. Ribadeneyra. Multa verificantur de possibilite, que verificari nequeunt de existentia. Nam 1. de illa verificantur esse necessarium absolute, & simpliciter (siquidem absolute, & simpliciter est necessarium, quod potius sit verum, quam falsum hoc enunciabile, si Petrus existaret, non sequerentur duo contradictiones, cum penitus sit impossibile, illud esse falsum) sed existentia, & predicata Petri sunt penitus contingentia: ergo. 2. Absentia falsitatis predicti enunciabilis determinata est, ut sit, etiam deficiente Petro; alias, hoc deficiente, non abesse; sed adesse illius judicii falsitas. At existentia, & predicata Petri, dum hic deficit, non sunt determinata ut sint, sed solum ut essent: ergo aliquid convenit absentia falsitatis illius judicii, quod non convenit predicatis Petri. At absentia falsitatis illius judicii tandem est possibilitas formalis, atq; immediata Petri: ergo. (Hæc minor erit vera, si procedat de absentia sumpta in sensu positivo juxta superius dicta; falsa, si de absentia illa sumpta in sensu mere negativo: & hæc sola est, qua determinationem habet, ut suo modulo sit, deficiente Petro) 3. Possibilitas formalis Petri aliquid importat actu existens; importat namque repugnantiam quasi reflexam de eo, quod Petrus contradictionem imbibat. At non importat eam reflexam repugnantiam, ut

ut merè possibilem, neque ut conditionatè solùm existentem; quòd niam sic posset quidem repugnare; aut sub quadam conditione repugnaret, quod Petrus esset chymæra; veruntamen non repugnaret actu, & absolutè, Petrum esse chymaram: ergo possilitas formalis importat eam repugnantiam ut actu existentem. At prædicata Petri, dum is non existit, nihil important actu existens: ergo. Solutum fuit hoc argumentum à num. 47. 4. Nihil deest sub ea ratione, sub qua est necessarium: ergo sub ea ratione non deest. Sed deest sub ratione existentis absolutè; ergo hæ sunt diversæ rationes. Jam monui totam hanc necessitatem possilitatis, & rationis repugnatiæ implicandi duo contradictionia non esse positivam, & relatè ad existentiam absolutam possilitatis, atque rationis illius; sed negativam dumtaxat, relatèque ad oppositionem in prædicatis rei possibilis, quatenus nunquam dari potest hujusmodi oppositio. Unde, admissis objectivis carentiis, tantum infertur, dari semper, ac necessariò carentiam merè negativam prædictæ oppositionis: hæc autem mera carentia negativa, & absoluta non sufficit ad possilitatem; alioquin modò daretur possilitas chymætæ, cùm modò non existat absolutè, ac simpliciter oppositio suorum prædicatorum (nisi dixeris modò existere absolutè, & simpliciter chymaram ipsam) & consequenter existat modò pura carentia hujus oppositionis.

. 57. 5. Possibilitas formalis Petri est per se requiesita ad scientiam naturalem, qua Deus agnoscit, Petrum esse possibilem; repugnat enim, Deum scire, Petrum esse possibilem, quin ipse sit possibilis. At existentia absoluta non est per se requiesita ad illam scientiam, cùm Deus sciat, Petrum esse possibilem, etiamsi hic non existat: ergo. Trisariam confirmat hanc speciem loco citato num. 97. sed confirmationes prætereo, quia verbis dumtaxat discernuntur. 6. Possibilitas est constitutivum proximum divinæ potestatis ad Petrum producendum; sed existentia non est tale constitutivum, si quidem proxima potestas productiva termini distinguitur adæquatè ab eodem: ergo. 7. Possibilitas est antecedens omnem determinationem, liberam Dei, namque velit nolit Deus (si fas sit ita barbarè loqui) Petrus semper est possibilis; sed existentia non est sic antecedens, sed potius consequens liberam Dei determinationem: ergo. Major esset vera, si procederet de antecedentia merè negativa, relativaque ad contradictionem in prædicatis rei possibilis, quatenus contradictione hæc terminare nequit divinam volitionem; falsa autem, si procedeat de antecedentia positiva connotante absolutam existentiam: nam,

H h h

quem-

quemadmodum pendet à divina voluntate , quòd hic , & nunc existant absolute in rebus prædicata Petri ; ita dependet , quòd absolute existat hic , & nunc in rebus possibilitas ejusdem . 8, Revelatio divina assertens , Spiritum Sanctum potuisse carnem assumere , sed illam non assumpsisse , est metaphysicè connexa cum possibilitate unionis hypostaticæ Spiritus Sancti : & tamen non est connexa cum existentia talis unionis , imò potius eidem existentiæ opponitur metaphysicè : ergo . Omnes has vetustas locutiones , quas hic Doctor pro sua sententia congerit explicui juxta bonam Philosophiam , & juxta germanam terminorum notionem supra Capite 3. quam explicationem si relegaris , deprehendes , ex priscis istis phrasibus non deduci distinctionem inter possibilitatem , atque existentiam , seu prædicata Petri ; sed inter absolutam carentiam hujus , & oppositionem in prædicatis illius . Hoc sit supremum , & maximum monitum: non accipere sine examine vulgares locutiones: introspicere legitimum illarum sensum , & quidem non ad libitum unjuscujusque , sed juxta quidditativum rerum conceptum : non transferre communem , laxum , frequentemque modum loquendi ad scholasticum rigorem ; quoniam hi duo loquendi modi toto Cœlo distant inter se ut disp. 1. Logice num. 218. luculentis Sacri Canonis testimonij fanciam . Igitur vel accipis locutiones istas juxta explicationem datam eo capite tertio , vel non ? Si primum ; sunt veræ ; at non evincunt assumptum istud . Si secundum : nego absolute illas .

*Quæst. &c. cap. cit. n. 84.* Objicit 4. Idem Author . Quoties de aliquo subiecto verificatur esse tale secundum quid , verificatur existere absolute , & simpliciter constitutivum illius in esse . talis secundum quid . At , Petro non existente , verificatur de illo existere secundum quid , nimurum existere conditionatè , seu possibiliter , seu in esse non involuturi duplex contradictionum pro casu existentiæ suæ : ergo , eodem non existente , verificatur existere absolute , ac simpliciter constitutivum illius in esse existentis secundum quid , aut conditionatè , aut possibiliter . Sed tale constitutivum est primaria possibilitas ; ergo . Majorem probaverat quæst. 6. de Impossibili cap. 1. à num. 12. ex eo principio . Omne secundum quid reducitur ad aliquid simpliciter . Tum quia Äthiopem esse album secundum quid importat habere absolute aliquam partem albam , dentes nimurum . Facinora præterita existere secundum quid modò in memoria Principis , importat , existere absolute , atque propriè memoriam Principis . Finem , Salutem æternam , Observationem legis esse secundum quid , nempe cum his additamentis ,

tis, in intentione; in desiderio, in voto contritionis, importat existere, absolute, ac simpliciter intentionem, desiderium, votum. Casarem existere modò secundum quid in sua imagine importat absolutam existentiam talis imaginis. Hominem esse equum objectivè in intellectu importat existentiam absolutam rationis constitutivæ ejusdem hominis in esse identificati intentionaliter cum equo, nempe importat existentiam erronei judicii mentaliter identificantis hominem cum equo. Stannum esse argentum secundum quid, & aurichalcum esse aurum secundum quid, intrinsecè claudit existentiam illius, videlicet similitudinis, quod constituit illa in esse talium secundum quid. Idem iugi experieris inductione: ergo omne secundum quid reducitur ad aliquid simpliciter.

59. Rationem à priori exhibet num. 16. Quoties de subjecto negatur verè esse simpliciter, & verificatur esse secundum quid, est verum, illud subjectum esse secundum quid, & falsum, illud esse simpliciter. At unica ratio hujus discriminis esse potest, quoniam deficit essentia hujus, quod est illud subjectum esse simpliciter, & non deficit absolute, sed potius existit essentia ( qualiscumque illa fuerit ) hujus, quod est illud subjectum esse secundum quid. Nam si æquè deficeret ratio constitutiva subjecti in esse existentis secundum quid, quām constitutiva illius in esse existentis simpliciter, tam non existeret secundum quid, quām non existit simpliciter: proindeque tam falsum foret, subjectum illud existere secundum quid, quām falsum est illud existere simpliciter, ut alibi ponderat: ergo, si est verum, subjectū illud existere secundum quid, & est falsum, illud existere simpliciter, erit, quia existit ratio constitutiva illius in esse existentis secundum quid, & deficit ratio constitutiva ejusdem in esse existentis simpliciter. Sic quāc verificatur subjectum esse album, & non esse frigidum, unicè potest hoc provenire ex eo, quod existat albedo, secus frigus in subjecto; quia si æquè deficeret una, ac altera qualitas, æquè non esset album, ac non est frigidum subjectum illud: ergo quoties subjectum existit secundum quid, debet existere absolute, ac simpliciter ratio constitutiva illius in esse existentis secundum quid. Confirmatur. Quando de subjecto negatur existere absolute ac simpliciter; verificaturque existere secundum quid, & impropiè, vel convenit illi impropiè, ac per reflexam improprietatem hoc, quod est existere secundum quid, & impropiè; vel propriè & citra ulteriorem, reflexamque improprietatem? Si hoc: ergo verè, ac citra alienationem datur hoc, quod est, subjectum illud existere secundum quid, tametsi neque-

Lib. de  
Posibili  
q. 25. c. 39.

detur hoc , quod est illud existere, neque hoc , quod est, illud exister-  
re propriè: modo, quo etiam si non detur hoc , quod est prata ridere,  
propriè; datur nihilominus hoc , quod est, prata ridere metaphoricè:  
Si illud primum : vel ea ulterior , & reflexa improprietas impro-  
prietatis existit propriè (& sic tandem resolvitur in aliquid verè , &  
propriè existens ) vel existit impropriè: & sic abibimus in infinitum  
reflexarum improprietatum .

### §. III.

60. **B**isariam solvi potest argumentum 1. Permittendo , existere  
absolutè rationem formaliter constitutivam Petri in esse  
existentis conditionatè , seu secundum quid . Etenim juxta notatum  
num. 41. quemadmodum objectum constituitur formaliter in esse  
affirmati , negati , disjuncti , copulati , distributi per actus quosdam  
intellectus habentes hos modos tendendi , à quibus oriundæ sunt  
hæ denominations , quæ profectò non dantur adæquatè à parte rei:  
ita Petrus constituitur in esse existentis conditionatè per actum  
quemdam intellectus tendentem modo conditionali nempe hoc , si  
*Petrus existat , non opponentur invicem sua prædicata* ; qui sanè actus de  
præsenti existit , neque hoc probandum est Adversario , quippe li-  
benter conceditur ( cùmque is actus sit , in quo stat formaliter con-  
ditionalitas , frustra agglomerat alibi tot argumenta , probaturus con-  
ditionalitates existere de præsenti: quoniam si de objectivis condi-  
tionalitatibus loquatur ; negandum est suppositum : si de formalis-  
bus concedendum est illicid assumptum , & argumentorum turba su-  
pervacanea est ) cöterum tametsi actus hic sit conditionalitas subje-  
ctiva , actusalisque , nec non sit ratio constitutiva Petri in esse exi-  
istentis conditionatè , non est possibilitas formalis , & immediata .  
Sicut quamquam cognitio hæc , *Petrus identificatur cum animali* , per  
se immediatè constituit Petrum in esse animalis affirmati ; attamen  
non est ipsa animalitas objectiva Petri : similiter prædicta tendentia  
conditionalata constituit sanè Petrum in esse existentis conditionatè ;  
est non est possibilitas ipsa objectiva Petri , quia hæc stat formaliter  
in formali , atque immediata non oppositione , sive identitate reci-  
proca prædicatorum Petri , quæ nil aliud sunt ex parte rerum , quam  
prædicata ipsa . Quòd si dixeris , hanc conditionalitatem , quam  
concedo de præsenti existere , infallibilem nimirum scientiam con-  
ditionatam , esse unicam , & sufficientem possibilitem , quin alia  
ulte-

ulterior desideretur; reponam decretum, & scientiam eternam de eo, quod paries sit albus in tempore, fore quoque sufficientem albedinem parietis, quin desideretur forma alia, quæ immediatè per se ipsam constituat parietem in esse albi: quod apertè falsum est: similiter in præsenti ob rationes non semel dictas.

61. Secundò negari potest Principium illud universaliter sumptum, & concessis exemplis, quæ arguens congerit, nego, idem dicendum in præsenti, sicut non contingit idem in exemplis, quæ ego produxi num. 16. Porro disparitatem erutam ex naturis ipsarum denominationum dedi num. 19: ergo maxima ista non est universalitas vera. Ad rationem à priori nego minorem; quoniam ratio illius discriminis solum consistit in eo, quod una propostio (videlicet quæ enunciat, subiectum existere simpliciter) habet modum tendendi absolutum, subindeque ad sui veritatem indispensabiliter poscit aliquid absolute existens; altera vero nihil enunciat absolute, ea nimurum, quæ dumtaxat enunciat, subiectum existere conditionat, seu possibiliter: quia solum habet modum tendendi conditionatum, (alioquin aut esset falsa, aut contingenter vera, & utrovis modo non esset propositio, quam nunc disputamus) & consequenter nihil ponit in esse: unde potest esse vera, etiamsi non detur absolute, & simpliciter essentia hujus, quod est existere secundum quid. Adjuncta probatio est fallax; confundit enim disparem denominationum naturas, quarum unæ petunt, existere absolute, ac simpliciter formas, à quibus diuinantr, quales sunt istæ, quas objicis: aliæ id non efflagitant, quales sunt illæ, quas modò versamur: recognoscere explicationem datam prædicto num. 19. Ad confirmationem respondeo, secundum dilemmatis membrum esse verum; nego tamen sequelam propter redargutiones, quas in hunc Doctorem contorsi num. 23. Etenim Petro convenite verissime, propriissime que absque reflexa ulla improrietate hoc, quod est, existere impropriè, seu pure possibiliter, unicè stat in eo, quod verissime, ac sine improrietate ulla non opponantur mutuò ipsius prædicata, sed pure identificantur in vicem casu, quo existerent. At quamquam de præsenti non detur physicè, crassè, ac præsentialiter essentia hujus, quod est existere conditionatè, impropriè, ac pure possibiliter; propriissime tamen, & absque ulla alienatione prædicata illa non opponerentur reciprocè, sed potius summè identificantur, si existerent: ergo quamquam non detur propriè, & physicè essentia hujus, quod est existere impropriè, conditionatè, & pure possibiliter; propriissime

mè tamen , & absque ulla alienatione convenit Petro existere conditionatè , impropriè , & purè possibiliter . Intraspicere oportet naturas , & conditiones rerum , neque unas confundere cum aliis . Exemplum risus prati est verum ; sed minimè idoneum probando propositionem universalem ; nam , ut sape ingeminatum est , oppositum evenit in aliis casibus , & pro conditione denominationum concedendum , aut negandum est , illas petere aliquid de praesenti existens .

62. Objicies 5. Si possibilitas Petri identificaretur cum Petro , impossibilitas chymæra ob eamdem rationem esset quoque penitus indistincta à chymæra . Hoc secundum est falsum . Prob . si impossibilitas chymæra esset indistincta à chymæra , hæc esset possibilis . Prob . omne id , cuius impossibilitas est chymærica , necessariò est possibile . Sed si impossibilitas chymæra esset indistincta ab ipsa chymæra , impossibilitas chymæra esset chymærica : ergo si impossibilitas chymæra esset indistincta ab ipsa chymæra , hæc esset possibilis . Prob . major . Omne id , quod esse impossibile est chymæra , necessariò est possibile : etenim non est chymæra , sed prorsus necessarium , quodd sit impossibile illud , quod impossibile fuerit : quapropter si fuerit impossibile , quodd conceptus aliquis sit impossibilis ; conceptus ille proculdubio non est impossibilis , sed possibilis . At omne id , cuius impossibilitas est impossibilis , est illud , quod esse impossibile est chymæra , seu impossibile . Videtur perspicuum ; nam quia est impossibile mendacium Dei , est impossibile Deum mentiri , & quia est impossibilis intelligentia lapidis , est impossibile , lapidem esse intelligentem . Et ratio est . Objectum esse impossibile est ipsa impossibilitas , seu quidam quasi effectus formalis ipsius : ergo si impossibilitas ipsa fuerit impossibilis , rem esse impossibilem , erit quoque impossibile : quemadmodum si est impossibilis albedo , etiam est impossibile subjectum esse album : ergo . Et confirmatur . Non aliâ ratione Petrus est necessariò possibilis , nisi quia sua impossibilitas est impossibilis , proindeque est impossibile ipsum esse impossibilem : ergo si impossibilitas chymæra est impossibilis , chymæra est necessariò possibilis . Ex dicendis mox prompta eruitur solutio fallaciæ . Nego minorem , distinguoque probationem : chymæra esset possibilis objectivè , seu entitativè ; concedo : Nam quod vulgo dicitur chymæra , seu ens rationis non distinguitur sumptum secundum se , ac ex parte objecti à rebus possibilibus , ut jam trademus . Eset possibilis verificativè , hoc est relativè ad actum necessariò dissonum suo objecto ; nego probationem , Pro .

Profecto objectum hujus actus chymæra non est spectrum ullum ; seu phantasma , quod subjectivè in se ipso independenter à fictione intellectus sit chymæra ; sed potius sunt res ipsæ possibiles sub hac larva latentes . Unde possilitas chymæræ , & ipsa chymæra ( quidquid sit de verborum cortice) sunt subjectivè in se possibiles . Verum de hoc postea .

63. Indulgens tamen Logicorum vulgo . Respondeo 2. Negando minoris probationem : sequentis syllogismi distinguo majorem . Omne id , cuius impossibilitas est impossibilis eo solo titulo , quod ab ipso subjecto indistinguatur , est possibile ; nego : alio titulo ; concedo majorem , & pariter distincta minore ; nego consequentiam . Ex duplice capite provenire potest , quod impossibilitas subjecti A. sit impossibilis , aut ex eo , quod penitus identificetur cum illo , aut ex alio titulo : sic impossibilitas Petri est sanè chymærica , sed non ex eo , quod identificetur cum Petro ; quoniam juxta sententiam , cui modò indulgeo , est adæquate distincta à Petro . Igitur si impossibilitatem subjecti A esse impossibilem ex eo unicè provenerit , quod neutiquam distinguatur ab illo subjecto , talem impossibilitatem esse impossibilem tam longè abest à probando illud subjectum fore possibile , ut potius manifestè convincat illud impossibile esse . Abs dubio namque est impossibile illud , quod per solam suam identitatem , seu indistinctionem ab altero , hoc reddit impossibile . Sed impossibilitatem chymæræ esse impossibilem unicè provenit ex eo , quod talis impossibilitas sit penitus distincta à chymæra : ergo impossibilitatem chymæræ esse impossibilem tam longè abest à probando , chymæram esse possibilem , ut potius apercè ostendat , illam impossibilem esse . Hac doctrina instructus ceteris syllogismis obviam ito , nectio confirmationi adjunctæ .

64. Obji. 6. Si rem esse possibilem esset , rem esse existentem ; quotiescumque res esset possibilis , res esset quoque existens : quemadmodum , quia subjectum esse hominem est illud esse rationale , quoties verum est illud esse hominem , verum infallibiliter est illud esse rationale . At falsum est , rem esse existentem , quotiescumque est possibilis : ergo rem esse possibilem non est , rem esse existentem : ergo possilitas non est existentia ; sed quid ab illa distinctum . Terminorum abusus . Aliud est , quod quotiescumque existat simpliciter in rebus hoc , quod est , rem esse possibilem , existat quoque hoc , quod est , rem esse existentem ( & hoc est verum , sequiturque ex indistinctione possibilitatis , atque existentiarum ) aliud , quod quotiescumque

ve-

verificatur illud, verificetur hoc secundum; proindeque quotiescumque res est possibilis, sit etiam actū existens: & hoc est falsum, neque sequitur ex dicta hypothesi; nam cùm veritas formalis actuum claudat intrinsecè actus ipsos, veritas formalis hujus, quod est, rem esse possibilem, claudit intrinsecè actum enunciantem possibilitatem, hoc est, actum habentem modum tendendi formaliter, aut æquivalenter conditionatum: & veritas formalis hujus, quod est rem esse existentem, claudit actum enunciantem existentiam, idest actum habentem modum tendendi *absolutum*. Sed hi duo actus sunt plurimum diversi, capacesque ut unus sit falsus, quando alter est verus, etiamsi ferantur in idem objectum: ergo veritas formalis istorum duorum enunciabilium importat actus diversos: ergo ex eo, quod verum sit, rem esse possibilem, perperam arguitur, verum quoque esse rem existere, etiamsi objectum sit idem: ad decernendum quippe veritatem formalem non debes attendere solis objectis, sed modi insuper tendendi, quo funguntur actus: & quamquam objectum sit idem; modi tamen tendendi duorum praedictorum actuum sunt valde diversi. Sic quamquam juxta veriorem Philosophiam idem omnino sit objectum hujus actus, Petrus existit; quod hujus, Petrus non existit: & idem hujus, Petrus existit, vel non existit; quod hujus, neque existit, neque non existit, eo quia sunt actus contradictiorii, qui eo ipso debent esse ejusdem de eodem secundum idem; atamen ex eo, quod primi sint veri, non nisi sophisticè argues, secundos esse quoque veros. Nempe quia, licet objectum sit idem, modi tendendi sunt diversi, & auscultandi sunt modi tendendi propositionum, ut securè decernatur earum veritas; & hinc disparitatem dabis exemplo adducto; Homo namque, & rationale sunt idem, & ex alia parte modus tendendi actus pronunciantis, subjectum esse hominem, non est alienus à modo tendendi actus pariter enunciantis, subjectum esse rationale: ergo quoties verum fuerit, esse hominem, est quoque verum, esse rationale. Denique objectio ista solum probat, Rem esse possibilem non semper esse positivè, rem esse existentem, quod est verum; quia cùm non semper existant physice ista duo, non semper datur illorum identitas physica absoluta; sed minimè probat, non semper esse negativè idem; hoc est non probat dari unquam positivam, & realem distinctionem inter utrumque.

65. Discessurus ab hac quæstione semel, ac iterum monitum te velim 1. Illam esse affinem controversiis arduis de scientia media necnon de veritate propositionum circa futura contingencia tum absolu-

soluta, tum conditionata, independenter ab omni de praesenti existente conexo cum eventu futuro, quodque sit verificativum objectivum formale, ac immediatum earundem propositionum. In omnibus his disputationibus altè tibi insidet, veritatem propositionis pure, ac præcisè conditionatæ non esse ullo indiguam de praesenti absolutè existente, distinctoq[ue] à propositione ipsa. Cujus ratio à priori philosophica (ad sunt Theologicæ ex conceptu libertatis depromptæ) est, hujusmodi propositiones pure, ac præcisè conditionales non enunciare quidquam absolutè existere de praesenti; alias non erunt pure conditionales, & consequenter neque illæ, de quibus est quæstio: quamobrem sicut propositio affirmans, hanc papyrum esse albam, & nihil aliud non poscit ad suam veritatem hujus papyri motum, nempe quia ex suo modo tendendi ab illo præscindit: & sicut propositio afferens Regem degere Madriti, nec indiget ejusdem praesentia Complutensi: ita præfatæ propositiones cùm nihil enuncient de praesenti existere, idcirco non verificantur formaliter, & immediatè ab ullo de praesenti existenti: quia tam disparatum est respectu ipsarum illud de praesenti existens distinctum ab ipsis, & ab attributis necessariis Dei, quæ motus papyri hujus respectu propositionis solummodo afferentis illam esse albam: quod exemplis à num. 16. conglobatis levigandum est. Quapropter verificativum objectivum formale, ac immediatum, quod vocari solet, determinativum hujus scientiæ mediæ: *Si existat libertas A, peccabit, non est quidquam actu de praesenti existens, quippe nil tale: si mat; sed dumtaxat, peccatum oriturum ab illa libertate, si illa existeret.* 2. Priscorum locutiones Philosophorum suscipiendas esse, nec temerè abiiciendas; caute tamen intelligendas, & juxta conceptum metaphysicum eorum objectorum, de quibus controversia fuerit, ne in pudendos barbarismos laboris, si phrases illas indiscriminatim, & a *busto*, ut ajunt, accipias. Illis mente sagaci introspectis, deprehendes, verbalem dumtaxat esse distinctionem inter objecta, quæ alioquin realiter distincta videbantur. Recognoscet cap. 3. ubi videbis necessitatem, eternitatem, indestructibilitatem, & alia id generis, (quæ boni anti qui passim tribuebant possibilitati, & negabant existentiam, quæque copiosam argumentorum suppelleatilem obtulerunt P. Ribadeneyræ) esse talia in sensu merè *negativo*, & alludente ad contradictionem in prædicatis rei possibilis, quatenus videlicet hæc contradictione neque existit, neque extitit, neque existet, neque existeret, neque unquam adhuc divinitus existere potest: (Ubi tantum invenies di-

stinctionem inter eam contradictionem, atque carentiam absolutam, non verò inter possibilitatem, ac existentiam ) esse tamen falsa in sensu *positivo*, quasi possibilitas existat absolute & simpliciter semper in rebus, non secus, ac Deus ipse Optimus, Maximus; de hoc namque est quæstio, & non licet supponere probandum . 3. Modum loquendi vulgarem, laxum, metaphoricum sèpè, ac fermè concionatorum, non esse confundendum cum scholastico, rigido, formali, & uni soli veritati obsequente, quo circa abiiciendum esse, aut presè capiendum in scholasticis disputationibus, quæ ferro, & ense accinctæ vulgaribus locutionibus non parcunt . 4. Conditionalitates non secus, ac disjunctiones, universalitates, affirmationsque, aut negationes, consistere formaliter, & immediatè in actibus intellectus, & non dari ex parte rerum plusquam merè fundamentaliter, quo circa falsæ suppositionis vitio laborant hic multæ propositiones. Neque audiendus est Adversarius clamans, se juxta hanc intelligentiam disputare: quia non raro id paciscuntur initio disputationis, hujus autem decursu ambo obliviscuntur pacti, & fallacia incaute dissimulata ad extremum disputationis triumphat . Redigendus igitur in ordinem est quæm primum, qui fuerit fallax Adversarius, nec quidquam ei condonandum, ne postea improvida indulgentia ruborem tibi offundat .

## CAPUT QUINTUM.

*In quonam consistit physicè & ex parte rerum Ens Rationis, seu Impossibile.*

60.



Ost explicatum Possibile aggredimur suum oppositum, scilicet Impossibile (quod etiam prædere solet multa principia metaphysica) seu Ens rationis objectivum, quod vulgo definitur sic . *Quod tantum habet esse objectivè in intellectu: cùmque definitio hæc ut talis cadere nequeat in possibile ullum uttate: inde est, quod Impossibile, atque Ens rationis sint termini convertibiles, de quibus eodem modo philosophari statuo.* Gravis est quidem præterita disputatio de possibili, sed graviorem hanc reddiderunt acerrima DD. ingenia, gravissimam autem phrases, ac locutiones, quibus assidue imbuimur . Plerūmque de rebus positivis, absoluteisque sermocinamur, unde objectorum id generis copiosiores habemus species . Et hinc deceptionis origo in quæstionibus de carentiis,

tuis, de possibilibus, necnon de Ente rationis. Mens quippe locutionibus, de objectis physicis, atque absolutis assuefacta, ni reflexa veritatis consideratione cohibeatur, prona est ad apprehendendum quid crassum, praesens, positivum, physicum in his controversiis, & demum, quod voces ipsae praeferunt. Ceterum Philosophi est velum, quod substantiae rerum verba protendunt, amovere. Non est dubium quia potior, & major Nostratum factio Eximii Doctoris *P. Suarez.* vestigia premens entia rationis distincta adæquatè ab omni possibili *disput. 54.* agnoscat: sed non propterea opposita sententia optabili *metaph.* autoritatis prædio nuda censenda est. Eam docuisse, videtur S. Magister Thomas scribens. Nullum intellectum posse concipere illud, quod implicat contradictionem; *Id enim, quod contradictionem implicat, verum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere:* ergo nullius cognitionis objectum implicat contradictionem: ergo objectum cognitionis efformantis ens rationis est re ipsa in se possibile: ubi prætereo Cajetanum. Consonat gravissimus Theologus Scotus inquiens: *Ex hoc apparet, quod falsa est imaginatio querentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo unum vel intelligibile, vel qualecumque ens, sit ex se formaliter impossibile,* sicut Deus ex se est neceſſe esse *eſe formaliter.* Hos antesignanos sequuntur Durandus, Mirandulanus, Mayo, Aureolus, (licet hic obscurè) citati per P. Ribadeneyra. *Durand.* Ex nostris autem eidem sententiæ adhærent PP. Herice, Perezius, Sparsa, Ribadeneyra, Eminentissimusque P. Pallavicinus, & ad ipsum deflectunt quotquot cum P. Junio censem, ens rationis non distinguunt entitatè, sed prædicativè solùm à possibili. Demum eam sententiam corroborat Reverendissimus in Christo P. Tyrsus, quem ad supremum Societatis Jesu culmen non tam aliena suffragia, quam propria merita olim evexerunt.

67. Brevitati studens unicam bimembrem conclusionem profero. Stando vulgariter, communique modo loquendi, impossibile, seu objectum cognitionis efformantis ens rationis est adæquatè distinctum ab omni possibili: si autem Scholastico rigore perpendamus rem, objectum omnis omnino cognitionis sive divinæ, sive creatæ, etiamsi efformet ens rationis, est quid subjectivè in se ipso possibile, licet eis terminorum involucris cœlatum, ut appareat esse adæquatè distinctum ab omni possibili. Prima pars videtur plana: quoniam juxta vulgarem, frequentemque modum apprehendendi, atq; loquendi objectum hujus actus, Alter Deus repugnat, est aliquid, quod in se ipso est independenter à fictione intellectus, alter Deus: & ob-

Etum hujus actus erronci, *Homo identificatur cum equo*, est aliquid, quod subjectivè in se ipso independenter à deceptione intellectus est amborum identitas, seu aliis identitatis chymærica applicatio, ut loquuntur alii. Sed objectum, quod in se ipso esset alter Deus, item, quod in se ipso esset hominis, & equi identitas, seu hujus identitatis applicatio objectiva, & quasi reflexa identitas, esset objectum adæquatè distinctum ab omni possibili: ergo juxta vulgarem, communemque modum loquendi cognoscibile est ab intellectu objectum distinctum adæquatè ab omni possibili: ergo tale est objectum cognitionis efformantis ens rationis. Et confirmatur, quia nullus frequentior locutio, præsertim extra hauc controversiam, quam illa, quæ de chymæris, de ente rationis, quæ talia sint subjectivè in se ipsis, procedit. Si autem cognoscibile foret ab intellectu objectum, quod in se ipso esset chymæra sive in genere, sive in specie, sive in individuo abs dubio esset cognoscibile ab intellectu objectum adæquatè distinctum ab omni possibili, cum multæ ex chymæris, quas passim disputamus, non sint termini complexi, sed simplices, ut mendacium Dei, alter Deus &c.

68. Ad secundam partem conclusionis totum difficultatis pondus devolvitur, sic illam probo. Si aliqua cognitio efformans ens rationis haberet objectum distinctum adæquatè ab omni possibili maxime hæc, *Homo est lapis*; aut hæc, *alter Deus est impossibilis*. Sed objectum terminativum harum cognitionum non est, stando scholasticos rigor, (juxta quem intelligito omnia, quæ sequuntur) aliquid adæquatè distinctum ab omni possibili, sed vera ipsa distinctio realis inter hominem, & lapidem, cui distinctioni obducit intellectus pro suo libito fingendi hunc terminum, *Identitas*. Item objectum secundi actus est sola unicitas vera, & realis Dei, quam intellectus pro suo quoque libito vestit hoc termino, *Alter Deus*: ergo: Probaturus postea minorem prius illam appositum, nisi fallor exemplis declaro. 1. Aliud est, quod appetit esse objectum hujus actus, *Datur carentia Petri*; aliud, quod re ipsa est tale objectum: appetit quidem esse objectum hujus actus aliquid, quod in se ipso sit carentia Petri, at juxta longe veriorem Philosophiam, quam multi quoque ex adversariis amplectuntur, nosque postea stabilierimus, objectum hujus actus non est quippiam, quod in se ipso independenter ab omni actu intellectus sit carentia, sed ipsa existentia vera, & realis, quam intellectus negat, proponitque hoc termino negativo *carentia*. Profecto non capio, quo iure nobis dissentiant in hac contro-

troversia entis rationis illi, qui carentias objectivas relegant, & ajungunt objectum terminativum, atque verificativum actus negativi esse ipsam existentiam objecti: quia principia utrobique sunt eadem, & contrariae rationes minimè dispares. Similiter in praesentiarum. Aliud est, quod apparet esse objectum praedictorum actuum; aliud, quod re ipsa est tale objectum. Apparet quidem esse objectum illorum aliquid, quod in se ipso sit identitas hominis cum lapide, aut alter Deus, aut aliud simile monstrum, proindeque apparet esse objectum distinctum adæquatè ab omni possibili, quo circa objectum exercitum illorum, idest objectum, prout exprimitur per actus eos distinguitur adæquatè ab omni possibili; est objectum signatum, illud, quod re ipsa est objectum actuum illorum, nihil aliud dicimus esse præter veram, & realem distinctionem hominis à lapide; veram insuper, & realem unitatem Dei, quas terminis disquisitio proponit intellectus.

69. 2. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus apprehensionis, *Prædicabile de uno tantum*: aliud, quod re ipsa est objectum illius. Objectum exercitum, seu quod apparet esse objectum illius est res, quæ de uno tantum prædicari possit; at cum apprehensio illa constitutat universalem rationem individui secundo intentionaliter sumpti, objectum signatum, quodque re ipsa est illius objectum, est prædicabile de multis; alioquin non esset universale: hanc autem naturam de multis prædicabilem (multa enim sunt quibus competit hoc, quod est esse prædicabile de uno tantum) proponit præfatus actus instar *prædicabilis de uno tantum*. 3. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus erroris; *Inter hominem, & equum datur identitas vera, & realis, nulloque modo sive directo, sive reflexo impossibilis*; aliud, quod re ipsa est objectum signatum illius. Apparet tandem esse objectum illius identitas vera, & realis, nulloque excogitabili modo chymérica inter hominem, ac equum: id enim præsestet verborum cortex. Dicetis vero, objectum illius esse in se ipso hujusmodi identitatem? Absit. Sed esse identitatem proorsus chymericam, quam terminorum larvâ illorum tegit intellectus, ut incautos decipiatur, & oportere, quodd viri, larvis perterrefacientibus pueros, non concutiantur, sed potius, illis spretis, intueantur, quid sub illis lateat. Idem nos in praesentiarum dicimus. 4. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus Judicii, *Incognoscibile est incognoscibile*; aliud, quod re ipsa est objectum. Apparet procul dubio esse objectum illius aliquid, quod subjectivè in se ipso sit incognoscibile; id namque verba  
fo.

sonant; verumtamen est in se ipso aliquid capax, ut cognoscatur; imò actū cognitum isto eodem actū, dissimulatum autem illo termino mentali, *Incognoscibile*. Quamobrem prædictus actus, qui juxta communem loquendi modum est identicus; in rigore scholastico est falsus, implicatoriusque, quia supponit objectum, quod in se ipso sit *incognoscibile*, & simul exercitè reddit ipsum cognitum, affirmando, aut negando de illo. Eamdem pronuncio sententiam de his, & similibus actibus, *Alter Deus non est possibilis: Mendacium Dei non est ipsius veracitas*, nempe illos in rigore Scholastico esse falsos. quoniam supponunt objecta, quæ in se ipsis sint alter *Deus, mendacium Dei*: cùmque de hoc sit quæstio, & sit quod nego; inde est; quod hujusmodi actus supponunt id, de quo est quæstio, quodque à nobis negatur. Quocirca quamvis evidentes appareant, constanter negandi sunt, quemadmodum neganda est veritas illius, *Incognoscibile est incognoscibile*, tametsi videatur ex terminis evidens; nempe quia omnes hi actus supponunt falsum, supposito tamen admisso, veri sunt. Sicut etiam est falsus hic, *Omnis homo est omnis homo*, tametsi videatur identicus. Non semper est credendum cortici Verborum.

70. Sed dices. Prædicti actus sunt falsi juxta scholasticum rigorem: ergo contradictorii sunt veri in eodem rigore. Atqui contradictorius primi est: *Incognoscibile non est incognoscibile*, qui implicat in terminis: & contradictorius secundi est, *Alter Deus non est impossibilis*; & contradictorius tertii est, *Mendacium Dei est ipsa veracitas*: ergo hi actus sunt veri in rigore scholastico. Nego minorem; quoniam sicut contradictria hujus propositionis, *Petrus albus currit*, non est hæc, *Petrus albus non currit*, eo quod ambæ supponunt idem, & consequenter ambæ possunt esse falsæ; sed est hæc, *Non Petrus albus currit*, quæ præponendo negationem toti propositioni totum negat & equivaletque huic, *Vel non est albus Petrus, vel non currit*. Ita contradictria illarum trium propositionum non sunt, quas assignas, quia cùm negatio subsequatur subjectum, indemne relinquit hujus suppositionem: ergo omnes illæ supponunt idem: ergo si hoc suppositum sit falsum, omnes illæ falsæ erunt: ergo non sunt contradictria. Sicut neque hæc, *Universale à parte rei est substantia*, *Universale à parte rei non est substantia*, cùm utraque supponat falsum, quippe quæ supponit universale à parte rei: qua propter contradictria prima debet esse hæc, *Non incognoscibile est incognoscibile*, quæ reddit hunc sensum disjunctivum, *Vel non est objectum incognoscibile*, *Vel*

*vel illud non identificatur secum ipso, quæ disjunctio ratione primi membra necessariò est vera. Item contradictoria secundæ est, non alter Deus non est possibilis, quæ similiter vertitur in hanc disjunctiō nem, Vel non est cognoscibile objectum, quod subjectivè in se ipso sit alter Deus; vel illud est possibile: quod etiam est verum ratione primi membra. Rursus contradictoria tertia est hæc, non mendacium Dei non est ipsius veracitas, cujus expositio est, Vel non est cognoscibile objectum, quod in se ipso sit mendacium Dei, vel illud est divina veracitas, cujus primum membrum est verum: ergo quamquam predictæ propositiones sint juxta rigorem scholasticum falsæ ob falsam, qua laborant, suppositionem; non sequitur suas legitimas contradictoriæ esse quoque falsas. Hæc doctrina explicationem tibi suggeret aliarum propositionum, quæ hic objici solent. Neque ægrè feras novos indagari sensus, & plerūmque imp̄exos exponendi ergo istiusmodi propositiones, cùm idem vulgò faciant Doctores, ut expli cent similes propositiones de veritatibus chymæricis, quibus Aliqui illudere solent tyronibus. Ego sanè eamdem hīc, quam ibi, & non aliam intueor difficultatem.*

### §. I I.

71. **S**ED redēamus ad explicationem illius minoris. 5. Aliud est, quod apparet esse objectum signatum, & terminativum actuum conditionalium, sc disjunctivorum: aliud autem, quod re ipsa est tale objectum. Videtur quidem esse objectum illorum aliquid in se ipso conditionatum, & aliquid in se ipso vagum, proindeque objectum exercitum eorum actum, & prout per illos appetens est modò conditionatum, modò disjunctum, & vagum: ceterum re ipsa tale objectum non est in se ipso quidquam conditionatum, aut vagum independenter ab actibus intellectus (cùm immēritò adstruas ex parte rerum conditionalitatis, aut vagitatis) sed entitates ipsæ absolutæ, atque determinatæ, quas intellectus induit modò terminis conditionalibus, modò disjunctivis. 6. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus apprehensionis, *Homo*; aliud, quod re ipsa est objectum illius. Apparet esse objectum illius aliquid, quod sit unum, atque indivisum; at quod re ipsa est objectum re ipsa est multiplex, atque divisum; sed hanc multiplicitatem, atque divisionem humanæ naturæ tegit intellectus termino illo adunativo *Homo*. 7. Aliud est, quod apparet esse objectum harum apprehensionum,

num, Nullatenus verum, Nullatenus falsum. Distinctam adæquatè ab omni possibili, & impossibili: aliud verò, quod re ipsa est objectum illarum. Apparet quidem esse objectum illarum aliquid, quod in se ipso independenter ab actibus intellectus sit nullatenus verum, nullatenus falsum &c. quia vocum tinnitus id sonat; ceterum quod re ipsa est objectum primæ apprehensionis est illud, quod re ipsa est capax terminandi cognitionem aliquam veram; & objectum secundæ illud, quod in se ipso capax est terminandi cognitionem aliquam falsam; & objectum tertiam illud, quod in se ipso, aut est determinatè possibile, aut determinatè impossibile, quidquid reclamat P. Aldrete: quamquam fœcunditas fingendi indita intellectui à natura of fundat illis realitatibus caliginem illorum terminorum, quibus ita dissimulantur objectivæ realitates, ut facile decipient inexpertos.

P. Aldre.  
te disp. 7.  
Metap. c. 2  
n. 35.

Hoc, & non aliud est, quod in præsenti dicimus; videlicet apparere esse objectum eorum actuum, quos num. 67. proposui. aliquid, quod subjectivè in se ipso sit identitas hominis cum lapide: aliquid, quod in se ipso sit alter Deus, proindeque apparere objecta eorum actuum esse distincta adæquatè ab omni possibili. At verò quod re ipsa est illorum objectum esse veram, & realem distinctionem hominis à lapide larvatam terminis identitatis, summamque unitatem Dei larvatam, similiter terminis illis, Alter Deus, quod sic probo.

72. 1. Quia nullum est fundamentum ad assertandum, cognoscibile esse ab intellectu objectum, quod subjectivè in se ipso, præscindendo à fictionibus intellectus, sit alter Deus v. g. (& idem de ceteris). nam si aliquid, maximè quia id apparent esse objectum præfati actus, Sed hoc minimè probat objectum signatum, & terminativum prædicti actus esse aliquid, quod subjectivè in se ipso sit alter Deus, ut constat septem illis, quæ concessi, exemplis, & multis aliis, ad quæ passim offendit in Metaphysica: ergo. Profectò apprehensio ex frequenti modo loquendi orta, & inter Scholasticas disputationes adulta in contrariam sententiam vergit tota, multisque propterea indiget habenis, quibus intra rationis orbitam cohabeatur. 2. Per vos objectum hujus tendentiae, alter Deus, est aliquid, quod in se ipso sit alter Deus: rogo, aut est aliquid, quod verè possibiliter, ac sine ulla fictione intellectus sit alter Deus: aut aliquid, quod chymicè tantum, fictitiè, ac impossibiliter sit alter Deus? Si hoc secundum: ergo ipsa unicitas realis, & vera Dei potest esse objectum prædicti actus; cùm nihil magis chymicè, magis fictitiè, magis im-

impossibiliter sit alter Deus, quām unicitas ipsa Dei secum ipso. Ut quid ergo communis minimi phantasmatia alia, quae sunt praedicti actus objectum? Si illud primum; parcens duræ assertioni de eo, quod agnoscibile sit ab intellectu objectum ullum, quod in se ipso sit verum, possibiliter, ac circa omnem fictionem alter Deus, sic infero: ergo alter Deus non est ens rationis objectivum. Probo. Per vos ens rationis est illud, quod tantum habet esse objectivum in intellectu, id est, illud, quod nullo prolsus alio gaudet praedicato praeter hoc, quod est ab intellectu cognosci: ergo illud, quod habuerit praedicatum aliud, non est ens rationis. Sed, ut modò concedis, alter Deus habet praedicatum aliud, nimurum, esse verum, possibiliter, ac sine ulla fictione directa, aut reflexa alterum Deum: ergo alter Deus non est ens rationis.

73. Si dixeris 1. totam hanc veritatem, possibilitatemque essendi alterum Deum esse objectivum tantum in intellectu: id esset, eligere secundum membrum dilemmatis superioris; nam re ipsa est dicere, objectum praedictæ tendentiae esse aliquid, quod chymaricè, fictitiè, atque impossibiliter sit alter Deus: esse namque verum, ac possibiliter alterum Deum; sed veritate, ac possibilitate chymarica habente esse objectivum tantum in intellectu, est ludere terminis, vel est re ipsa dicere, objectum praedictæ tendentiae esse chymaricè, fictitiè, atque impossibiliter alterum Deum. Si dixeris 2. membrum illud secundum probare similiter, Bucephalum esse objectum praedictæ tendentiae, quandoquidem ille etiam est chymaricè, ac fictitiè alter Deus. Contra 1. Nam licet valida esset redargutio, subsistebat adhuc meum assumptum: quoniam esse chymaricè, fictitiè tantum, ac impossibiliter alterum Deum, est re ipsa, & ab actis frivilis vocibus, non esse alterum Deum: ergo si concedis, objectum illius actus esse fictitiè tantum alterum Deum; concedis re ipsa (quidquid sit de sonitu vocum) objectum illius actus non esse re ipsa alterum Deum: & hoc intendo. Contra 2. tametsi Bucephalus etiam sit chymaricè, ac fictitiè alter Deus; at potior est ratio, ut objectum tendentiae illius sit unicitas Dei, quām Bucephalus; quippe tendentiae mentales oppositæ debent habere idem objectum. Sed haec tendentia, alter Deus, non est opposita huic *Bucephalus*; sed huic *unicus Deus*: ergo illa debet habere idem objectum, quod hæc: ergo si objectum hujus est unicitas Dei, etiam debet esse objectum illius. Quod si argumentum regesseris inquiens, objectum hujus fore alterum Deum, eo quod est objectum illius, tenebris fateri hanc tendentiam, *unicus Deus*, efformare ens rationis, imò & omnem actum necessariò verum,

quemadmodum pura carentia hujus non est hujus possiblitas, & ex eo, quod nunc de praesenti detur haec pura carentia, perperam colligitur, nunc de praesenti existere chymerae possibilitem; necnon ex eo, quod haec actu repugnet, perperam arguitur, dari actu praesentialiter ipsius repugnantiam, non secus ac papyrus haec; ita ex eo, quod de praesenti existant præfati defectus in sensu mere negativo, malè arguitur, de praesenti existere possibilitem formalem, & immediatam: necnon ex eo, quod absolutè, ac simpliciter repugnet, Petrum esse chymeram, seu repugnare in ratione hominis, malè colligitur de praesenti dari hanc quasi reflexam repugnantiam. Nempe quia, rem esse possibilem, non consistit formaliter in istis defectibus negativè dumtaxat acceptis; (alioquin cum de praesenti detur similis defectus chymeræ, de praesenti quoque datur illius possiblitas) sed in eis positivè sumptis, hoc est in positiva non contradictione prædicatorum Petri, que ex parte rerum nihil aliud est, quam summa eorundem identitatis inter se, & consequenter nihil aliud est, quam prædicata ipsa. Cumque maxime iste generales non probent, dari de praesenti haec prædicata, idè non probant, dari de praesenti possibilitem, tametsi aliud probent.

56. Obiicit 3. idem P. Ribadeneyra. Multa verificantur de possibiliitate, que verificari nequeunt de existentia. Nam 1. de illa verificantur esse necessarium absolutè, & simpliciter (siquidem absolutè, & simpliciter est necessarium, quod potius sit verum, quam falsum hoc enunciabile, si Petrus existeret, non sequerentur duo contradictiones, cum penitus sit impossibile, illud esse falsum) sed existentia, & prædicata Petri sunt penitus contingentia: ergo. 2. Absentia falsitatis prædicti enunciabilis determinata est, ut sit, etiam deficiente Petro; alias, hoc deficiente, non abesse; sed adesse illius judicii falsitas. At existentia, & prædicata Petri, dum hic deficit, non sunt determinata ut sint, sed solum ut essent: ergo aliquid convenit absentia falsitatis illius judicii, quod non convenit prædicatis Petri. At absentia falsitatis illius judicii tandem est possibilis formalis, atq; immediata Petri: ergo. (Haec minor erit vera, si procedat de absentia sumpta in sensu positivo juxta superius dicta; falsa, si de absentia illa sumpta in sensu mere negativo: & haec sola est, qua determinationem habet, ut suo modulo sit, deficiente Petro) 3. Possibilis formalis Petri aliquid importat actu existens; importat namque repugnantiam quasi reflexam de eo, quod Petrus contradictionem imbibat. At non importat eam reflexam repugnantiam, ut

*Lib. cit.  
q.26.c.7.*

ut merè possibilem, neque ut conditionatè solùm existentem; quóniam sic posset quidem repugnare; aut sub quadam condicione repugnaret, quod Petrus esset chymæra; veruntamen non repugnaret actù, & absolutè, Petrum esse chymaram: ergo possilitas formalis importat eam repugnantiam ut actù existentem. At prædicata Petri, dum is non existit, nihil important actù existens: ergo. Solutum fuit hoc argumentum à num. 47. 4. Nihil deest sub ea ratione, sub qua est necessarium: ergo sub ea ratione non deest. Sed deest sub ratione existentis absolutè; ergo hæc sunt diversæ rationes. Jam monui totam hanc necessitatem possilitatis, & rationis repugnatiæ implicandi duo contradicitoria non esse positivam, & relatè ad existentiam absolutam possilitatis, atque rationis illius; sed negativam dumtaxat, relatèque ad oppositionem in prædicatis rei possibilis, quatenus numquam dari potest hujusmodi oppositio. Unde, admissis objectivis carentiis, tantum inferritur, dari semper, ac necessariò carentiam merè negativam prædictæ oppositionis: hæc autem mera carentia negativa, & absoluta non sufficit ad possilitatem; alioquin modò daretur possilitas chymæræ, cùm modò non existat absolutè, ac simpliciter oppositio suorum prædicatorum (nisi dixeris modò existere absolutè, & simpliciter chymaram ipsam) & consequenter existat modò pura carentia hujus oppositionis.

57. 5. Possibilitas formalis Petri est per se requiesca ad scientiam naturalem, qua Deus agnoscit, Petrum esse possibilem; repugnat enim, Deum scire, Petrum esse possibilem, quin ipse sit possibilis. At existentia absoluta non est per se requiesca ad illam scientiam, cùm Deus sciat, Petrum esse possibilem, etiamsi hic non existat: ergo. Trisariam confirmat hanc speciem loco citato num. 97. sed confirmationes prætereo, quia verbis dumtaxat discernuntur. 6. Possibilitas est constitutivum proximum divinæ potestatis ad Petrum producendum; sed existentia non est tale constitutivum, si quidem proxima potestas productiva termini distinguitur adæquatè ab eodem: ergo. 7. Possibilitas est antecedens omnem determinationem, liberam Dei, namque velit nolit Deus (si fas sit ita barbarè loqui) Petrus semper est possibilis; sed existentia non est sic antecedens, sed potius consequens liberam Dei determinationem: ergo. Major esset vera, si procederet de antecedentia merè negativa, relativaque ad contradictionem in prædicatis rei possibilis, quatenus contradictione hæc terminare nequit divinam volitionem; falsa autem, si procedeat de antecedentia positiva connotante absolutam existentiam: nam,

H h h

quem-

quemadmodum pendet à divina voluntate , quòd hic , & nunc existant absolute in rebus prædicata Petri ; ita dependet , quòd absolute existat hic , & nunc in rebus possilitas ejusdem . 8. Revelatio divina afferens , Spiritum Sacrum potuisse carnem assumere , sed illam non assumpisse , est metaphysicè connexa cum possibilitate unionis hypostaticæ Spiritus Sancti : & tamen non est connexa cum existentia talis unionis , imò potius eidem existentiæ opponitur metaphysicè : ergo . Omnes has vetustas locutiones , quas hic Doctor pro sua sententia congerit explicui juxta bonam Philosophiam , & juxta germanam terminorum notionem supra Capite 3. quam explicationem si relegeris , deprehendes , ex priscis istis phrasibus non deduci distinctionem inter possilitatem , atque existentiam , seu prædicata Petri ; sed inter absolutam carentiam hujus , & oppositionem in prædicatis illius . Hoc sit supremum , & maximum monitum : non accipere sine examine vulgares locutiones : intropicere legitimum illarum sensum , & quidem non ad libitum uniuscujusque , sed juxta quidditatium rerum conceptum : non transferre communem , laxum , frequentemque modum loquendi ad scholasticum rigorem ; quoniam hi duo loquendi modi toto Cœlo distant inter se ut disp. 1. Logicæ num. 218. luculentis Sacri Canonis testimonij sanciam . Igitur vel accipis locutiones istas juxta explicationem datam eo capite tertio , vel non ? Si primum ; sunt veræ ; at non evincunt assumptum istud . Si secundum : nego absolute illas .

*Quæst. &c. cap. cit. n. 84.* Objicit 4. Idem Author. Quoties de aliquo subjecto verificatur esse tale secundum quid , verificatur existere absolute , & simpliciter constitutivum illius in esse . talis secundum quid . At , Petro non existente , verificatur de illo existere secundum quid , nimurum existere conditionatè , seu possibiliter , seu in esse non involuturi duplex contradictionum pro casu existentiæ suæ : ergo , eodem non existente , verificatur existere absolute , ac simpliciter constitutivum illius in esse existentis secundum quid , aut conditionatè , aut possibiliter . Sed tale constitutivum est primaria possilitas : ergo . Majorem probaverat quæst. 6. de Impossibili cap. 1. à num. 12. ex eo principio . Omne secundum quid reducitur ad aliquid simpliciter . Tum quia Aethiopem esse album secundum quid importat habere absolute aliquam partem albam , dentes nimurum . Facinora præterita existere secundum quid modò in memoria Principis , importat , existere absolute , atque propriè memoriam Principis . Finem , Salutem æternam , Observationem legis esse secundum quid , nempe cum his additamentis ,

tis, in intentione; in desiderio, in voto contritionis, importat existere, absolute, ac simpliciter intentionem, desiderium, votum. Casarem existere modò secundum quid in sua imagine importat absolutam existentiam talis imaginis. Hominem esse equum objectivè in intellectu importat existentiam absolutam rationis constitutivæ ejusdem hominis in esse identificati intentionaliter cum equo, nempe importat existentiam erronei judicii mentaliter identificantis hominem cum equo. Stannum esse argentum secundum quid, & aurichalcum esse aurum secundum quid, intrinsecè claudit existentiam illius, videlicet similitudinis, quod constituit illa in esse talium secundum quid. Idem jugi experieris inductione: ergo omne secundum quid reducitur ad aliquid simpliciter.

59. Rationem à priori exhibet num. 16. Quoties de subiecto negatur verè esse simpliciter, & verificatur esse secundum quid, est verum, illud subiectum esse secundum quid, & falsum, illud esse simpliciter. At unica ratio hujus discriminis esse potest, quoniam deficit essentia hujus, quod est illud subiectum esse simpliciter, & non deficit absolute, sed potius existit essentia ( qualiscumque illa fuerit ) hujus, quod est illud subiectum esse secundum quid. Nam si æquè deficeret ratio constitutiva subiecti in esse existentis secundum quid, quām constitutiva illius in esse existentis simpliciter, tam non existeret secundum quid, quām non existit simpliciter: proindeque tam falsum foret, subiectum illud existere secundum quid, quām falsum est illud existere simpliciter, ut alibi ponderat: ergo, si est verum, subiectū illud existere secundum quid, & est falsum, illud existere simpliciter, erit, quia existit ratio constitutiva illius in esse existentis secundum quid, & deficit ratio constitutiva ejusdem in esse existentis simpliciter. Sic quanc' o verificatur subiectum esse album, & non esse frigidum, unicè potest hoc provenire ex eo, quod existat albedo, secus frigus in subiecto; quia si æquè deficeret una, ac altera qualitas, æquè non esset album, ac non est frigidum subiectum illud: ergo quoties subiectum existit secundum quid, debet existere absolute, ac simpliciter ratio constitutiva illius in esse existentis secundum quid. Confirmatur. Quando de subiecto negatur existere absolute ac simpliciter; verificaturque existere secundum quid, & impropriè, vel convenit illi impropriè, ac pér reflexam improprietatem hoc, quod est existere secundum quid, & impropriè; vel propriè & citra ulteriore, reflexamque improprietatem? Si hoc: ergo verè, ac citra alienationem datur hoc, quod est, subiectum illud existere secundum quid, tametsi neque-

Lib. de Possibili  
q. 25. c. 39.

detur hoc , quod est illud existere, neque hoc , quod est, illud existere propriè modo, quo etiam si non detur hoc , quod est prata ridere, propriè ; datur nihilominus hoc, quod est, prata ridere metaphoricè . Si illud primum : vel ea ulterior , & reflexa impropositas impro- prietatis existit propriè (& sic tandem resolvitur in aliquid verè , & propriè existens ) vel existit impropriè: & sic abibimus in infinitum reflexarum impropositatum .

### §. III.

60. **B** Isariam solvi potest argumentum 1. Permittendo , existere absolute rationem formaliter constitutivam Petri in esse existentis conditionatè , seu secundum quid . Etenim juxta notatum num. 41. quemadmodum objectum constituitur formaliter in esse affirmati , negati , disjuncti , copulati , distributi per actus quosdam intellectus habentes hos modos tendendi , à quibus oriundæ sunt hæc denominations , quæ profectò non dantur adæquatè à parte rei: ita Petrus constituitur in esse existentis conditionatè per actum quemdam intellectus tendentem modo conditionali nempe hoc , si Petrus existat , non opponentur invicem sua prædicata ; qui sane actus de præsenti existit , neque hoc probandum est Adversatio , quippe libenter conceditur ( cùmque is actus sit , in quo stat formaliter co- ditionalitas , frustra agglomerat alibi tot argumenta , probaturns con- ditionalitates existere de præsenti : quoniam si de objectivis condi- tionalitatibus loquatur ; negandum est suppositum : si de formalibus ; concedendum est illico assumptum , & argumentorum turba su- pervacanea est ) cœterum tametsi actus hic sit conditionalitas subje- ctiva , actualisque , nec non sit ratio constitutiva Petri in esse exi- stentis conditionatè , non est possibilitas formalis , & immediata . Sicut quamquam cognitio hæc , Petrus identificatur cum animali , per se immediate constituat Petrum in esse animalis affirmati ; attamen non est ipsa animalitas objectiva Petri : similiter prædicta tendentia conditionata constituit sane Petrum in esse existentis conditionatè ; est non est possibilitas ipsa objectiva Petri , quia hæc stat formaliter in formalis , atque immediata non oppositione , sive identitate reci- proca prædicatorum Petri , quæ nil aliud sunt ex parte rerum , quam prædicata ipsa . Quod si dixeris , hanc conditionalitatem , quam concedo de præsenti existere , infallibilem nimisrum scientiam con- ditionatam , esse unicam , & sufficientem possibilitem , quin ali- ulte-

ulterior desideretur; reponam decretum, & scientiam eternam de eo, quod paries sic albus in tempore, fore quoque sufficientem albedinem parietis, quin desideretur forma alia, quæ immediatè per se ipsam constituat parietem in esse albi: quod aperte falsum est: similiter in præsenti ob rationes non semel dictas.

61. Secundò negari potest Principium illud universaliter sumptum, & concessis exemplis, quæ arguens congerit, nego, idem dicendum in præsenti, sicut non contingit idem in exemplis, quæ ego produxi num. 16. Porro disparitatem erutam ex naturis ipsarum denominationum dedi num. 19: ergo maxima ista non est universalitas vera. Ad rationem à priori nego minorem; quoniam ratio illius discriminis solum consistit in eo, quod una propostio (videlicet quæ enunciat, subjectum existere simpliciter) habet modum tendendi absolutum, subindeque ad sui veritatem indispensabiliter poscit aliquid absolutè existens; altera vero nihil enunciat absolutè, ea nimurum, quæ dumtaxat enunciat, subjectum existere conditionatè, seu possibiliter: quia solum habet modum tendendi conditionatum, si aliquoquin aut esset falsa, aut contingenter vera, & utrovis modo non esset propositio, quam nunc disputamus) & consequenter nihil ponit in esse: unde potest esse vera, etiam si non detur absolute, & simpliciter essentia hujus, quod est existere secundum quid. Adjuncta probatio est fallax; confundit enim dispartes denominationum naturæ, quarum unæ petunt, existere absolute, ac simpliciter formas, à quibus diuinant, quales sunt istæ, quas objicis: aliæ id non efflagitant, quales sunt illæ, quas modo versamur: recognoscere explicationem datam prædicto num. 19. Ad confirmationem respondeo, secundum dilemmatis membrum esse verum; nego tamen sequelam propter redargutiones, quas in hunc Doctorem contorsi num. 23. Etenim Petro convenire verissimè, propriissime que absque reflexa ulla improrietate hoc, quod est, existere improrietè, seu purè possibiliter; unicè stat in eo, quod verissimè, ac sine improrietate ulla non opponantur mutuò ipsius prædicata, sed purè identificantur invicem casu, quo existerent. At quamquam de præsenti non detur physicè, crassè, ac præsentialiter essentia hujus, quod est existere conditionatè, improrietè, ac purè possibiliter; propriissimè tamen, & absque ulla alienatione prædicata illa non opponerentur reciprocè, sed potius summè identificantur, si existerent: ergo quamquam non detur propriè, & physicè essentia hujus, quod est existere improrietè, conditionatè, & purè possibiliter; propriissime

mè tamen, & absque ulla alienatione convenit Petro existere conditionatè, impropriè, & purè possibiliter. Infraspicere oportet naturas, & conditiones rerum, neque unas confundere cum aliis. Exemplum risus prati est verum; sed minimè idoneum probando propositionem universalem; nam, ut sàpè ingeminatum est, oppositum evenit in aliis casibus, & pro conditione denominationum concedendum, aut negandum est, illas petere aliquid de praesenti existens.

62. Objicies 5. Si possibilitas Petri identificaretur cum Petro, impossibilitas chymæra ob eamdem rationem esset quoque penitus indistincta à chymæra. Hoc secundum est falsum. Prob. si impossibilitas chymæra esset indistincta à chymæra, hæc esset possibilis. Prob. omne id, cuius impossibilitas est chymærica, necessariò est possibile. Sed si impossibilitas chymæra esset indistincta ab ipsa chymæra, impossibilitas chymæra esset chymærica: ergo si impossibilitas chymæra esset indistincta ab ipsa chymæra, hæc esset possibilis. Prob. major. Omne id, quod esse impossibile est chymæra, necessariò est possibile: etenim non est chymæra, sed prorsus necessarium, quod sit impossibile illud, quod impossibile fuerit: quapropter si fuerit impossibile, quod conceptus aliquis sit impossibilis; conceptus ille proculdubio non est impossibilis, sed possibilis. At omne id, cuius impossibilitas est impossibilis, est illud, quod esse impossibile est chymæra, seu impossibile. Videtur perspicuum; nam quia est impossibile mendacium Dei, est impossibile Deum mentiri, & quia est impossibilis intellctio lapidis, est impossibile, lapidem esse intelligentem. Et ratio est. Objectum esse impossibile est ipsa impossibilitas, seu quidam quasi effectus formalis ipsius: ergo si impossibilitas ipsa fuerit impossibilis, rem esse impossibilem, erit quoque impossibile: quemadmodum si est impossibilis albedo, etiam est impossibile subjectum esse album: ergo. Et confirmatur. Non aliâ ratione Petrus est necessariò possibilis, nisi quia sua impossibilitas est impossibilis, proindeque est impossibile ipsum esse impossibilem: ergo si impossibilitas chymæra est impossibilis, chymæra est necessariò possibilis. Ex dicendis mox prompta eruitur solutio fallacie. Nego minorem, distinguoque probationem: chymæra esset possibilis objectivè, seu entitativè; concedo: Nam quod vulgo dicitur chymæra, seu ens rationis non distinguitur sumptum secundum se, ac ex parte objecti à rebus possibilibus, ut jam trademus. Esset possibilis verificativè, hoc est relativè ad actum necessariò dissonum suo objecto; nego probationem.

Pro.

Profecto objectum hujus actus chymæra non est spectrum ullum ; seu phantasma , quod subjective in se ipso independenter à fictione intellectus sit chymæra ; sed potius sunt res ipsæ possibiles sub hac larva latentes . Unde possilitas chymæra , & ipsa chymæra ( quidquid sit de verborum cortice) sunt subjective in se possibiles . Verum de hoc postea .

63. Indulgens tamen Logicorum vulgo . Respondeo 2. Negando minoris probationem : sequentis syllogismi distinguo majorem . Omne id , cuius impossibilitas est impossibilis eo solo titulo , quod ab ipso subjecto indistinguatur , est possibile ; nego : alio titulo ; concedo majorem , & pariter distincta minore ; nego consequentiam . Ex dupli capite provenire potest , quod impossibilitas subjecti A. sit impossibilis , aut ex eo , quod penitus identificetur cum illo , aut ex alio titulo : sic impossibilitas Petri est sanè chymærica , sed non ex eo , quod identificetur cum Petro ; quoniam juxta sententiam , cui modo indulgeo , est adæquate distincta à Petro . Igitur si impossibilitatem subjecti A esse impossibilem ex eo unicè provenerit , quod neutiquam distinguatur ab illo subjecto , talem impossibilitatem esse impossibilem tam longè abest à probando illud subjectum fore possibile , ut potius manifestè convincat illud impossibile esse . Abs dubio namque est impossibile illud , quod per solam suam identitatem , seu indistinctionem ab altero , hoc reddit impossibile . Sed impossibilitatem chymæra esse impossibilem unicè provenit ex eo , quod talis impossibilitas sit penitus indistincta à chymæra : ergo impossibilitatem chymæra esse impossibilem tam longè abest à probando , chymæram esse possibilem , ut potius aperte ostendat , illam impossibilem esse . Hac doctrina instructus ceteris syllogismis obviam ito , neconon confirmationi adjunctæ .

64. Obj. 6. Si rem esse possibilem esset , rem esse existentem ; quotiescumque res esset possibilis , res esset quoque existens : quemadmodum , quia subjectum esse hominem est illud esse rationale , quoties verum est illud esse hominem , verum infallibiliter est illud esse rationale . At falsum est , rem esse existentem , quotiescumque est possibilis : ergo rem esse possibilem non est , rem esse existentem : ergo possilitas non est existentia ; sed quid ab illa distinctum . Terminorum abusus . Aliud est , quod quotiescumque existat simpliciter in rebus hoc , quod est , rem esse possibilem , existat quoque hoc , quod est , rem esse existentem ( & hoc est verum , sequiturque ex indistinctione possibilitatis , atque existentiae ) aliud , quod quotiescumque

ve-

verificatur illud, verificetur hoc secundum; proindeque quotiescumque res est possibilis, sit etiam actū existens: & hoc est falsum, neque sequitur ex dicta hypothesi; nam cùm veritas formalis actuum claudat intrinsecè actus ipsos, veritas formalis hujus, quod est, rem esse possibilem, claudit intrinsecè actum enunciantem possibilitatem, hoc est, actum habentem modum tendendi formaliter, aut æquivalenter conditionatum: & veritas formalis hujus, quod est rem esse existentem, claudit actum enunciantem existentiam, idest actum habentem modum tendendi *absolutum*. Sed hi duo actus sunt plurimum diversi, capacesque ut unus sit falsus, quando alter est verus, etiamsi ferantur in idem objectum: ergo veritas formalis istorum duorum enunciabilium importat actus diversos: ergo ex eo, quod verum sit, rem esse possibilem, perperam arguitur, verum quoque esse rem existere, etiamsi objectum sit idem: ad decernendum quippe veritatem formalem non debes attendere solis objectis, sed modis insuper tendendi, quo funguntur actus: & quamquam objectum sit idem; modi tamen tendendi duorum prædictorum actuum sunt validè diversi. Sic quamquam juxta veriorem Philosophiam idem omnino sit objectum hujus actus, Petrus existit; quod hujus, Petrus non existit: & idem hujus, Petrus existit, vel non existit; quod hujus, neque existit, neque non existit, eo quia sunt actus contradictori, qui eo ipso debent esse ejusdem de eodem secundum idem; atamen ex eo, quod primi sunt veri, non nisi sophisticè argues, secundos esse quoque veros. Nempe quia, licet objectum sit idem, modi tendendi sunt diversi, & auscultandi sunt modi tendendi propositionum, ut securè decernatur earum veritas; & hinc disparitatem dabis exemplo adducto; Homo namque, & rationale sunt idem, & ex alia parte modus tendendi actus pronunciantis, subjectum esse hominem, non est alienus à modo tendendi actus pariter enunciantis, subjectum esse rationale: ergo quoties verum fuerit, esse hominem, est quoque verum, esse rationale. Denique objectio ista solum probat, Rem esse possibilem non semper esse positivè, rem esse existentem, quod est verum; quia cùm non semper existant phylsicè ista duo, non semper datur illorum identitas physica absoluta; sed minimè probat, non semper esse negativè idem; hoc est non probat dati unquam positivam, & realem distinctionem inter utrumque.

65. Discessurus ab hac quæstione semel, ac iterum monitum te velim. Illam esse affinem controversiis arduis de scientia media necnon de veritate propositionum circa futura contingentia tum absolu-

soluta, tum conditionata, independenter ab omni de praesenti existente connexo cum eventu futuro, quodque sit verificativum objectivum formale, ac immediatum earundem propositionum. In omnibus his disputationibus altè tibi insideat, veritatem propositionis purè, ac præcisè conditionatæ non esse ullo indiguam de praesenti absolutè existente, distinctoq[ue] à propositione ipsa. Cujus ratio à priori philosophica (adsunt Theologicæ ex conceptu libertatis depromptæ) est, hujusmodi propositiones purè, ac præcisè conditionales non enunciare quidquam absolutè existere de praesenti; alias non erunt purè conditionales, & consequenter neque illæ, de quibus est quæstio: quamobrem sicut propositio affirmans, hanc papyrus esse albam, & nihil aliud non poscit ad suam veritatem hujus papyri motum, nempe quia ex suo modo tendendi ab illo præscindit: & sicut propositio afferens Regem degere Madriti, nec indiget ejusdem praesentia Complutensi: ita præsatæ propositiones cùm nihil enuncient de praesenti existere, idcirco non verificantur formaliter, & immediatè ab ullo de praesenti existenti: quia tam disparatum est respectu ipsarum illud de praesenti existens distinctum ab ipsis, & ab attributis necessariis Dei, quām motus papyri hujus respectu propositionis solummodo afferentis illam esse albam: quod exemplis à num. 16. conglobatis levigandum est. Quapropter verificativum objectivum formale, ac immediatum, quod vocari solet, determinativum hujus scientiæ mediæ: *Si existat libertas A, peccabit, non est quidquam actū de praesenti existens, quippe nil tale: si mat; sed dumtaxat, peccatum oriturum ab illa libertate, si illa existeret.* 2. Priorum locutiones Philosophorum suscipiendas esse, nec temerè abiiciendas; cautiè tamen intelligendas, & juxta conceptū metaphysicum eorū objectorum, de quibus controversia fuerit, ne in pudendos barbarismos laboris, si phrases illas indiscriminatim, & a *busto*, ut ajunt, accipias. Illis mente sagaci introspectis, deprehendes, verbalem dumtaxat esse distinctionem inter objecta, quæ alioquin realiter distincta videbantur. Recognosce cap. 3. ubi videbis necessitatem, eternitatem, indestructibilitatem, & alia id generis, (quæ boni antiqui passim tribuebant possibilitati, & negabant existentiæ, quæque copiosam argumentorum suppellebilem obtulerunt P. Ribadeneiræ) esse talia in sensu merè *negativo*, & alludente ad contradictionem in prædicatis rei possibilis, quatenus videlicet hæc contradictione neque existit, neque extitit, neque existet, neque existeret, neque unquam adhuc divinitus existeret potest: (Ubi tantum invenies di-

stinctionem inter eam contradictionem, atque carentiam absolutam, non verò inter possibilitatem, ac existentiam ) esse tamen falsa in sensu *positivo*, quasi possibilitas existat absolute & simpliciter semper in rebus, non secus, ac Deus ipse Optimus, Maximus; de hoc namque est quæstio, & non licet supponere probandum . 3. Modum loquendi vulgarem, laxum, metaphoricum sèpe, ac fermè concionatorum, non esse confundendum cum scholastico, rigido, formali, & uni soli veritati obsequente, quo circa abiiciendum esse, aut pressè capiendum in scholasticis disputationibus, quæ ferro, & ense accinctæ vulgaribus locutionibus non parcunt . 4. Conditionalitates non secus, ac disjunctiones, universalitates, affirmationsque, aut negationes, consistere formaliter, & immediate in aëribus intellectus, & non dari ex parte rerum plusquam merè fundamentaliter, quo circa falsæ suppositionis vitio laborant hic multæ propositiones. Neque audiendus est Adversarius clamans, se juxta hanc intelligentiam disputare: quia non raro id paciscuntur initio disputationis, hujus autem decursu ambo obliviscuntur pacti, & fallacia incantè dissimulata ad extremum disputationis triumphat . Redigendus igitur in ordinem est quæm primum, qui fuerit fallax Adversarius, nec quidquam ei condonandum, ne postea improvida indulgentia ruborem tibi offundat .

## CAPUT QUINTUM.

*In quonam consistit physice & ex parte rerum Ens Rationis, seu Impossibile.*

68.



Ost explicatum Possibile aggredimur suum oppositum, scilicet Impossibile (quod etiam prædere solet multa principia metaphysica) seu Ens rationis objectivum, quod vulgo definitur sic .  
*Quod tantum habet esse objectivè in intellectu: cumque definitio hæc ut talis cadere nequeat in possibile ullum ut late: inde est, quod Impossibile, atque Ens rationis sint termini convertibiles, de quibus eodem modo philosophari statuo . Gravis est quidem præterita disputatio de possibili, sed graviorem hanc reddiderunt acerrima DD. ingenia, gravissimam autem phrases, ac locutiones, quibus assidue imbuimur . Plerumque de rebus positivis, absoluteisque sermocinamur, unde objectorum id generis copiosiores habemus species . Et hinc deceptionis origo in quæstionibus de carentiis,*

tiis, de possibilibus, necnon de Ente rationis. Mens quippe locutionibus, de objectis physicis, atque absolutis assuefacta, ni reflexa veritatis consideratione cohibeatur, prona est ad apprehendendum quid crassum, praesens, positivum, physicum in his controversiis, & demum, quod voces ipsae praeserunt. Ceterum Philosophi est velum, quod substantiae rerum verba protendunt, amovere. Non est dubium quia potior, & major Nostratum factio Eximii Doctoris *P. Suarez.* vestigia premens entia rationis distincta adaequatè ab omni possibili *disput. 54.* agnoscat: sed non propter ea opposita sententia optabili authoritatis *metaph.* prædio nuda censenda est. Eam docuisse, videtur S. Magister Thomas scribens. Nullum intellectum posse concipere illud, quod implicat contradictionem; *Id enim, quod contradictionem implicat, verum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere:* ergo nullius cognitionis objectum implicat contradictionem: ergo objectum cognitionis efformantis ens rationis est re ipsa in se possibile: ubi prætereo Cajetanum. Consonat gravissimus Theologus Scotus inquiens: *Ex hoc apparet, quod falsa est imaginatio querentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo unum vel intelligibile, vel qualecumque ens, sit ex se formaliter impossibile,* sicut Deus ex se est neceſſe esse *Durand.* formaliter. Hos antesignanos sequuntur Durandus, Mirandulanus, *in 1. diff.* Mayo, Aureolus, (licet hic obscurè) citati per P. Ribadeneyra. *Ex nostris autem eidem sententiæ adhaerent PP. Herice, Perezius, Sparsa, Ribadeneyra, Eminentissimusque P. Pallavicinus, & ad ipsam deflectunt quotquot cum P. Junio censem, ens rationis non distinguunt entitatè, sed prædicativè solùm à possibili.* Demum eam *42. nu. 16.* sententiam corroborat Reverendissimus in Christo P. Tyrus, quem ad supremum Societatis Jesu culmen non tam aliena suffragia, quam *P. Ribadeneyra lib. de imposibili q. 24. c. 2.* propria merita olim evenerunt.

67. Brevitati studens unicam bimembrem conclusionem professo. Stando vulgar i, communique modo loquendi, impossibile, seu objectum cognitionis efformantis ens rationis est adaequatè distinctum ab omni possibili: si autem Scholastico rigore perpendamus rem, objectum omnis omnino cognitionis sive divinæ, sive creatæ, etiamsi efformet ens rationis, est quid subjectivè in se ipso possibile, licet eis terminorum involucris cœlatum, ut appareat esse adaequatè distinctum ab omni possibili. Prima pars videtur plana: quoniam juxta vulgarem, frequentemque modum apprehendendi, atq: loquendi objectum hujus actus, Alter Deus repugnat, est aliquid, quod in se ipso est independenter à fictione intellectus, alter Deus: & objec-

Etum hujus actus erroris, *Homo identificatur cum equo*, est aliquid, quod subjectivè in se ipso independenter à deceptione intellectus est samborum identitas, seu aliis identitatis chymærica applicatio, ut loquuntur alii. Sed objectum, quod in se ipso esset alter Deus, item, quod in se ipso esset hominis, & equi identitas, seu hujus identitatis applicatio objectiva, & quasi reflexa identitas, esset objectum adæquate distinctum ab omni possibili: ergo juxta vulgarem, communemque modum loquendi cognoscibile est ab intellectu objectum distinctum adæquate ab omni possibili: ergo tale est objectum cognitionis efformantis ens rationis. Et confirmatur, quia nulla frequentior locutio, præsertim extra hanc controversiam, quam illa, quæ de chymæris, de ente rationis, quæ talia sint subjectivè in se ipsis, procedit. Si autem cognoscibile foret ab intellectu objectum, quod in se ipso esset chymæra sive in genere, sive in specie, sive in individuo abs dubio esset cognoscibile ab intellectu objectum adæquate distinctum ab omni possibili, cum multæ ex chymæris, quas passim disputamus, non sint termini complexi, sed simplices, ut mendacium Dei, alter Deus &c.

68. Ad secundam partem conclusionis totum difficultatis pondus devolvitur, sic illam probo. Si aliqua cognitio efformans ens rationis haberet objectum distinctum adæquate ab omni possibili maxime haec, *Homo est lapis*; aut haec, *alter Deus est impossibilis*. Sed objectum terminativum harum cognitionum non est, stando scholasticos rigori, (juxta quem intelligito omnia, quæ sequuntur) aliquid adæquate distinctum ab omni possibili, sed vera ipsa distinctione realis inter hominem, & lapidem, cui distinctioni obducit intellectus pro suo libito fingendi hunc terminum, *Identitas*. Item objectum secundi actus est sola unicitas vera, & realis Dei, quam intellectus pro suo quoque libito vestit hoc termino, *Alter Deus*: ergo: Probaturus postea minorem prius illam appositis, nisi fallor exemplis declaro. 1. Aliud est, quod appetet esse objectum hujus actus, *Daturarentia Petri*; aliud, quod re ipsa est tale objectum: appetet quidem esse objectum hujus actus aliquid, quod in se ipso sit carentia Petri, at juxta longe veriorem Philosophiam, quam multi quoque ex adversariis amplectuntur, nosque postea stabilierimus, objectum hujus actus non est quippiam, quod in se ipso independenter ab omni actu intellectus sit carentia, sed ipsa existentia vera, & realis, quam intellectus negat, proponitque hoc termino negativo carentia. Profecto non capio, quo jure nobis dissentiant in hac contro.

controversia entis rationis illi, qui carentias objectivas relegant, & ajungunt, objectum terminativum, atque verificativum actus negativi esse, ipsam existentiam objecti: quia principia utrobique sunt eadem, & contraria rationes minimè dispare. Similiter in praesentiarum. Aliud est, quod apparet esse objectum predictorum actuum; aliud, quod re ipsa est tale objectum. Apparet quidem esse objectum illorum aliquid, quod in se ipso sit identitas hominis cum lapide, aut alter Deus, aut aliud simile monstrum, proindeque apparet esse objectum distinctum adæquate ab omni possibili, quo circa objectum exercitum illorum, idest objectum, prout exprimitur per actus eos distinguitur adæquate ab omni possibili; ast objectum signatum, illud, quod re ipsa est objectum actuum illorum, nihil aliud dicimus esse præter veram, & realem distinctionem hominis à lapide; veram insuper, & realem unitatem Dei, quas terminis dissonis proponit intellectus.

69. 2. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus apprehensionis, *Prædicabile de uno tantum*: aliud, quod re ipsa est objectum illius. Objectum exercitum, seu quod apparet esse objectum illius est res, quæ de uno tantum prædicari possit; at cum apprehensio illa constitutat universalem rationem individui secundo intentionaliter sumpti, objectum signatum, quodque re ipsa est illius objectum, est prædicabile de multis; alioquin non esset universale: hanc autem naturam de multis prædicabilem (multa enim sunt quibus competit hoc, quod est esse prædicabile de uno tantum) proponit præfatus actus instar *prædicabilis de uno tantum*. 3. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus erroris; *Inter hominem, & equum datur identitas vera, & realis, nulloque modo sive directo, sive reflexo impossibilis*; aliud, quod re ipsa est objectum signatum illius. Apparet sane esse objectum illius identitas vera, & realis, nulloque excogitabili modo chymérica inter hominem, ac equum: id enim præfert verborum cortex. Dicetis vero, objectum illius esse in se ipso hujusmodi identitatem? Absit. Sed esse identitatem prorsus chymericam, quam terminorum larvā illorum tegit intellectus, ut incautos decipiat, & oportere, quod vici, larvis perterritos facientibus pueros, non concutiantur, sed potius, illis spretis, intueantur, quid sub illis lateat. Idem nos in praesentiarum dicimus. 4. Aliud est, quod apparet esse objectum hujus Judicii, *Incognoscibile est incognoscibile*; aliud, quod re ipsa est objectum. Apparet procul dubio esse objectum illius aliquid, quod subjective in se ipso sit incognoscibile; id namque verba

sonant; verumtamen est in se ipso aliquid capax, ut cognoscatur; immo actu cognitum isto eodem actu, dissimulatum autem illo termino mentali, *Incognoscibile*. Quamobrem praedictus actus, qui juxta communem loquendi modum est identicus; in rigore scholastico est falsus, implicatoriusque, quia supponit objectum, quod in se ipso sit *incognoscibile*, & simul exercitè reddit ipsum cognitum, affirmando, aut negando de illo. Eamdem pronuncio sententiam de his, & similibus actibus, *Alter Deus non est possibilis*: *Mendacium Dei non est ipsius veracitas*, nempe illos in rigore Scholastico esse falsos. quoniam supponunt obj. cta, quæ in se ipsis sint *alter Deus, mendacium Dei*: cùmque de hoc sit quæstio, & sit quod nego; inde est; quod hujusmodi actus supponunt id, de quo est quæstio, quodque à nobis negatur. Quocirca quamvis evidentes appareant, constanter negandi sunt, quemadmodum neganda est veritas illius, *Incognoscibile est incognoscibile*, tametsi videatur ex terminis evidens; nempe quia omnes hi actus supponunt falsum, supposito tamen admisso, veri sunt. Sicut etiam est falsus hic, *Omnis homo est omnis homo*, tametsi videatur identicus. Non semper est credendum cortici Verborum.

70. Sed dices. Praedicti actus sunt falsi juxta scholasticum rigorem: ergo contradictorii sunt veri in eodem rigore. Atqui contradictorius primi est: *Incognoscibile non est incognoscibile*, qui implicat in terminis: & contradictorius secundi est, *Alter Deus non est impossibilis*; & contradictorius tertii est, *Mendacium Dei est ipsa veracitas*: ergo hi actus sunt veri in rigore scholastico. Nego minorem; quoniam sicut contradictoria hujus propositionis, *Petrus albus currit*, non est hæc, *Petrus albus non currit*, eo quod ambae supponunt idem, & consequenter ambæ possunt esse falsæ; sed est hæc, *Non Petrus albus currit*, quæ præponendo negationem toti propositioni totum negat & equivaletque huic, *Vel non est albus Petrus, vel non currit*. Ita contradictoriæ illarum trium propositionum non sunt, quas assignas, quia cùm negatio subsequatur subjectum, indemne relinquit hujus suppositionem: ergo omnes illæ supponunt idem: ergo si hoc suppositum sit falsum, omnes illæ falsæ erunt: ergo non sunt contradictoriæ. Sicut neque hæc, *Universale à parte rei est substantia*, *Universale à parte rei non est substantia*, cùm utraque supponat falsum, quippe quæ supponit universale à parte rei: qua propter contradictoria prima debet esse hæc, *Non incognoscibile est incognoscibile*, quæ reddit hunc sensum disjunctivum, *Vel non est objectum incognoscibile*,

vel

vel illud non identificatur secum ipso , quæ disjunctio ratione primi membra necessariò est vera . Item contradictoria secundæ est , non alter Deus non est possibilis , quæ similiter vertitur in hanc disjunctiōnem , *Vel non est cognoscibile objectum , quod subjectivè in se ipso sit alter Deus ; vel illud est possibile : quod etiam est verum ratione primi membra . Rursus contradictoria tertiss est hæc , non mendacium Dei non est ipsius veritas , cujus expositio est , *Vel non est cognoscibile objectum , quod in se ipso sit mendacium Dei , vel illud est divina veritas , cujus primum membrum est verum : ergo quamquam predictæ propositiones sint juxta rigorem scholasticum falsæ ob falsam , qua laborant , suppositionem ; non sequitur suas legitimas contradictorias esse quoque falsas . Hæc doctrina explicationem tibi suggeret aliarum propositionum , quæ hic objici solent . Neque sgrè feras novos indagari sensus , & plerūmque imp̄exos exponendi ergo istiusmodi propositiones , cùm idem vulgo faciant Doctores , ut explacent similes propositiones de veritatibus chymæricis , quibus Aliqui illudere solent tyronibus . Ego sanè eamdem hic , quam ibi , & non aliam intueor difficultatem .**

### §. I I .

71. SED redeamus ad explicationem illius minoris . 5. Aliud est , quod apparet esse objectum signatum , & terminativum actuum conditionalium , ac disjunctivorum : aliud autem , quod re ipsa est tale objectum . Videtur quidem esse objectum illorum aliquid in se ipso conditionatum , & aliquid in se ipso vagum , proindeque objectura exercitum eorum actuum , & prout per illos appartenens est modò conditionatum , modò disjunctum , & vagum : ceterum re ipsa tale objectum non est in se ipso quidquam conditionatum , aut vagum independenter ab actibus intellectus ( cùm immēritò adstruas ex parte rerum conditionalitatis , aut vagitatis ) sed entitatis ipsæ absolutæ , atque determinatæ , quas intellectus induit modò terminis conditionalibus , modò disjunctivis . 6. Aliud est , quod apparet esse objectum hujus apprehensionis , *Homo* ; aliud , quod re ipsa est objectum illius . Apparet esse objectum illius aliquid , quod sit unum , atque indivisum ; at quod re ipsa est objectum re ipsa est multiplex , atque divisum ; sed hanc multiplicitatem , atque divisionem humanæ naturæ tegit intellectus termino illo adunativo *Homo* . 7. Aliud est , quod apparet esse objectum harum apprehensionum ,

num, Nullatenas verum, Nullatenus falsum. Distinctam adæquatè ab omni possibili, & impossibili: aliud verò, quod re ipsa est objectum illarum. Apparet quidem esse obj. à m illarum aliquid, quod in se ipso independenter ab actibus intellectus sit nullatenas verum, nullatenus falsum &c. quia vocum tinnitus id sonat; cæterum quod re ipsa est objectum primæ apprehensionis est illud, quod re ipsa est capax terminandi cognitionem aliquam veram; & objectum secundæ illud, quod in se ipso capax est terminandi cognitionem aliquam falsam; & objectum tertiaræ illud, quod in se ipso, aut est determinatè possibile, aut determinatè impossibile, quidquid reclamat P. Aldrete: quamquam fœcunditas singendi indita intellectui à natura of-fundat illis realitatibus caliginem illorum terminorum, quibus ita dissimulantur objectivæ realitates, ut facile decipient inexpertos.

P. Aldre-te disp. 7.  
Metap. c. 2  
n. 35.

Hoc, & non aliud est, quod in præsenti dicimus; videlicet apparere esse objectum eorum actuum, quos num. 67. proposui. aliquid, quod subjectivè in se ipso sit identitas hominis cum lapide: aliquid, quod in se ipso sit alter Deus, proindeque apparere objecta eorum actuum esse distincta adæquate ab omni possibili. At verò quod re ipsa est illorum objectum esse veram, & realem distinctionem hominis à lapide larvatam terminis identitatis, sumمامque unitatem Dei larvatam, similiter terminis illis, Alter Deus, quod sic probo.

72. 1. Quia nullum est fundamentum ad asserendum, cognoscibile esse ab intellectu objectum, quod subjectivè in se ipso, præscindendo à fictionibus intellectus, sit alter Deus v. g. (& idem de cæteris). nam si aliquod, maximè quia id appetet esse objectum præfati actus, Sed hoc minimè probat objectum signatum, & terminativum prædicti actus esse aliquid, quod subjectivè in se ipso sit alter Deus, ut constat septem illis, quæ concessi, exemplis, & multis aliis, ad quæ passim offendes in Metaphysica: ergo. Profectò apprehensio ex frequenti modo loquendi orta, & inter Scholasticas disputationes adulta in contrariam sententiam vergit tota, multisque propterea indiget habenis, quibus intra rationis orbitam cohabeatur. 2. Per vos objectum hujus tendentiarum, alter Deus, est aliquid, quod in se ipso sit alter Deus: rogo, aut est aliquid, quod verè possibiliter, ac sine ulla fictione intellectus sit alter Deus: aut aliquid, quod chymaricè tantum, fictitiè, ac impossibiliter sit alter Deus? Si hoc secundum: ergo ipsa unicitas realis, & vera Dei potest esse objectum prædicti actus; cùm nihil magis chymaricè, magis fictitiè, magis im-

impossibiliter sit alter Deus , quām unicitas ipsa Dei secum ipso . Ut quid ergo communiscimini phantasmata alia , quae sint prædicti actus objectum ? Si illud primum ; parcens duræ assertioni de eo , quod dicitur agnoscibile sit ab intellectu objectum ullum , quod in se ipso sit verè possibiliter , ac citra omnem fictionem alter Deus , sic infero : ergo alter Deus non est ens rationis objectivum . Probo . Per vos ens rationis est illud , quod tantum habet esse objectivè in intellectu , idest , illud , quod nullo prorsus alio gaudet prædicato præter hoc , quod est ab intellectu cognosci : ergo illud , quod habuerit prædicatum aliud , non est ens rationis . Sed , ut modò concedis , alter Deus habet prædicatum aliud , nimirum , esse verè , possibiliter , ac sine ulla fictione directè , aut reflexâ alterū Deum : ergo alter Deus non est ens rationis .

73. Si dixeris 1. totam hanc veritatem , possibilitatemque essendi alterum Deum esse objectivè tantum in intellectu : id effet , eligere secundum membrum dilemmatis superioris ; nam re ipsa est dicere , objectum prædictæ tendentiae esse aliquid , quod chymaricè , fictitiè , atque impossibiliter sit alter Deus : esse namque verè , ac possibiliter alterum Deum ; sed veritate , ac possibilitate chymarica habente esse objectivè tantum in intellectu , est ludere terminis , vel est re ipsa dicere , objectum prædictæ tendentiae esse chymaricè , fictitiè , atque impossibiliter alterum Deum . Si dixeris 2. membrum illud secundum probare similiter , Bucephalum esse objectum prædictæ tendentiae , quandoquidem ille etiam est chymaricè , ac fictitiè alter Deus . Contra 1. Nam licet valida esset redargutio , subsistebat adhuc meum assumptum : quoniam esse chymaricè , fictitiè tantum , ac impossibiliter alterum Deum , est re ipsa , & ab actis frivilis vocibus , non esse alterum Deum : ergo si concedis , objectum illius actus esse fictitiè tantum alterum Deum ; concedis re ipsa ( quidquid sit de sonitu vocum ) objectum illius actus non esse re ipsa alterum Deum : & hoc intendo . Contra 2. tamen Bucephalus etiam sit chymaricè , ac fictitiè alter Deus ; at potior est ratio , ut objectum tendentiae illius sit unicitas Dei , quām Bucephalus ; quippe tendentiae mentales oppositæ debent habere idem objectum . Sed hæc tendentia , alter Deus , non est opposita huic Bucephalus ; sed huic unicus Deus : ergo illius debet habere idem objectum , quod hæc : ergo si objectum hujus est unicitas Dei , etiam debet esse objectum illius . Quid si argumentum regesteris inquiens , objectum hujus fore alterum Deum , eo quod est objectum illius , tenebris fateri hanc tendentiam , unicus Deus , efformare ens rationis , imò & omnem actum necessariò ve-

K k k

rum ,

rum; quia juxta vestra principia omnis actus intellectus attingens objectum impossibile efformat ens rationis. Sed tendentia dicta attingeret objectum impossibile, siquidem attingit suum objectum, & ait, suum objectum esse alterum Deum, & consequenter esse objectum entitativè impossibile juxta tua principia: ergo. Contra 3. Nam illo dilemmate solum conatus sum ostendere, summam, & realē unicitatem Dei posse esse objectum præstat tendentia; cūmque ex alia parte nil obstat, ut actū sit, prout obstat actū, esse objectum illius *Bucephalum*, ut pote objectum disparatum, id circa indirecte probavi, objectum illius tendentia esse unicitatem Dei.

84. Probo 3. conclusionem. Si objectum hujus actus, *Petrus coexistit suæ parentiæ*, esset Petrus quidem coexistens suæ parentiæ, ut adversarii ajunt: & objectum hujus, *Petrus identificatus cum lapide*, esset quoque Petrus quidam impossibilis identificatus cum lapide, hi actus forent veri; nam quemadmodum de Petro albo vere asserrimus esse album: ita de Petro coexistente suæ parentiæ, vere diceremus coexistere suæ parentiæ, nec non de Petro identificato cum lapide vere diceremus identificari cum lapide. Quid si responderis, esse Petros quosdam chymæricè coexistentes, & identificatos; reponam ego, hos esse Petros veros, & reales; nam hi sunt, qui fictiæ, & impossibiliter coexistunt suæ parentiæ, identificanturque cum lapide: ergo juxta adversam sententiam nullus est actus essentialiter, atque necessariò falsus, quia omnis id generis habebit pro objecto aliquid chymæticum, de quo enunciet prædicatum, cuique prædicatum conveniat, v. g. *Deitas est humanitas*, habebit pro objecto Deitatem quamdam chymæricam identificatam cum humanitate. 4. Repugnat, intellectum cognoscere objectum, quod in se ipso sit tale, quando repugnat objectum, quod in se ipso sit tale. At etiam per adversarios repugnat objectum, quod in se ipso sit alter Deus, vel sit identitas hominis cum equo: ergo repugnat, intellectum cognoscere objectum, quod in se ipso sit alter Deus, aut sit identitas hominis cum equo: ergo objectum illorum actuum neque est aliquid, quod in se ipso sit alter Deus, sed vera unicitas; neque quid, quod in se ipso sit identitas illa, sed vera distinctio hominis ab equo. Major sola explicatione contenta est, ideo repugnat intellectum cognoscere objectum, quod in se ipso sit vere, propriè, possibliter, circa omnem excogitabilem fictionem, atque repugnantiam identitas hominis cum lapide, quia repugnat objectum, quod sit in se ipso vere, scilicet nulla fictione, impossibilitateve identitas homini cum lapide.

Ec

Et ideo repugnat intellectum cognoscere objectum incognoscibile dicitum vel ab omni possibili, & impossibili, quia repugnat objectum, quod in se ipso sit vere, ac sine fictione ulla incognoscibile, & neque possibile, neque impossibile ergo repugnat intellectu cognoscere objectum, quod in se ipso sit tale, quando repugnat objectum, quod in se ipso tale sit. Quamobrem sicut tu negabis, & jure sane optimo, suppositum propositionis afferentis, intellectum posse cognoscere objectum, quod in se ipso sit vere, ac sine ulla excogitabili fictione, & impossibilitate identitas possibilis inter hominem, & equum: ita ego brevioribus agens armis nego suppositum sententiae tue afferentis, intellectum posse cognoscere objectum, quod in se ipso sit alter Deus, aut simile phantasma.

### §. III.

75. **R**ationes contrarias vulgari modo loquendi plerumque in duas dilues, si adverteris i. Propositiones, quas hic ultra citroq; mittuntur, sunt in triplici differentia: aliae enim procedunt de ente rationis, sive de impossibili secundum se, ac independenter ab alio v. g. Alter Deus est impossibilis, chymera repugnat. Aliae entia rationis conferunt cum entibus veris, & realibus v. g. mendacium Dei repugnat Deo. Identitas hominis, & equi non est eorumdem distinctione. Aliae demum componunt entia rationis cum actibus intellectus v. g. Identitas hominis cum equo verificaret hunc actum, Homo est equus. Omnes haec propositiones in rigore scholastico sumptae, atque in sensu, quem formaliter præferunt, sunt falsæ, quia per numerum 69. & 70. supponunt id, de quo est quæstio, quodque negatur à nobis; supponunt quippe, cognoscibile esse ab intellectu objectum, quod sit subjectivè in se ipso, alter Deus, chymera &c. de quo intellectus affirmet, aut neget illa prædicata. Cumque de hoc sit quæstio, & negetur à nobis, eo quia objecta ipsa possilia sunt, quæ chymericæ, ac fictitiæ sunt alter Deus, chymera &c. & propter ceteras rationes jam productas: idcirco præfatae omnes propositiones in sensu, quem formaliter præferunt, ac exanimate juxta lydium lapidem scholastici rigoris falsa suppositionis inveniuntur, tametsi tyronibus evidentes videantur. Sicut haec quoque propositiones, quæ evidentes apparent, falsa suppositione laborant: *incognoscibile est incognoscibile: universale à parte rei est univiale à parte rei: identitas vera, & realis, nullaque excogitabili modo chymarica inter hominem, & equum est cognita, omnis homo est sapiens homo, & multæ aliae, quæ*

K k k 2

pri-

principio aspectu evidentes apparent. Quod si quæsueris: alter Deus vel est possibilis vel non est possibilis? Negabo suppositum. Si intuleris: ergo alter Deus neque est possibilis, neque non est possibilis; negabo item suppositum, quoniam tricis istis non te explicas à falsa suppositione, sed in eamdem relaberis, quo circa propositiones iste non sunt contradictorij, ut explicui num. 70.

76. Cœterūm eadēm propositiones vulgari, communique modo loquendi mitigatæ sunt veræ: quia dum eas proferimus, præcipue extra hanc controversiam, innoxie supponimus, aliquid esse cognoscibile, quod in se ipso sit alter Deus, sit chymæra &c. Tum quia hæc vocabula multis retro annis investita in scholas id præseferunt & mentem habemus proclivem ad apprehendendum esse in objectis illud, quod cognitiones præseferunt. Tum ne passim disputationes alii (quarum nihil interest veritas, vel falsitas præsentis) bærent: cùmque verè esset impossibile, distinctumque adæquatè ab omni possibili objectum, quod in se ipso foret alter Deus, chymæra &c, id: o veræ sunt illæ propositiones acceptæ juxta communem, laxumque modum loquendi. Et hinc explicationem habes earum propositionum, quas ex Sacro Canone decerpas objicere solent Adversarii: licet enim propositiones illæ v. g. (*non est aliud Deus præter me*) juxta scholasticum rigorem sint falsæ qd falsam, qua laborant suppositione; nihilominus absolute, ac simpliciter, & in sensu, in quo per Spiritum Sanctum revelantur, sunt veræ; quia veræ sunt juxta communem modum loquendi, cui omnes assuevimus. Sed Spiritus Sanctus in Scriptura communem consuetudinem in loquendo sequitur, ut optimè observat P. Sanctius.

*Nam humanos, inquit, affectus induit Deus accommodatè ad hominum sensus, ut suum hominibus sensum, & consilium declarat. Et rursus. Id tamen Scriptura significat, quia de Deo cum hominibus humano lugacetur more. Et iterum: Scriptura Sacra sàpè non tam ad veritatem ipsam, quam ad hominum opinionem sermonem accommodat, ut pluribus docimus &c. Recognosce, quæ scribemus disputatione 1. Logicæ hac super re: ergo ex eis sacris phrasibus debile sumitur argumentum, ubi rigore toto scholastico congredimur.*

77. Adverte 2. quamquam omnes istæ propositiones in toto rigore scholastico essent veræ, adhuc non probaretur contrarium assumptum. 1. Nam quemadmodum hæc propositione, datur currentia Petri, ut veritatem nanciscatur neutram postulat suum objectum dari; sed potius determinatè poscit, suum objectum non dari; nimisrum quia

quis ( quidquid sit de verborum sonitu pueros perterrefaciente ) dīcere , carentiam Petri dari , nihil aliud est , quām dicere , *Petrum non existere* : quod enunciabile formale tam longē abest a desiderando sui objecti existentiam , ut potius esset falsum , si illa daretur . Ita veritas harum propositionum , *Alter Deus est impossibilis chymara repugnat* &c. neutquam desiderat , suum objectū esse impossibile , sed potius esse verē , & simpliciter necessarium : videlicet quia dicere , alterum Deum esse impossibilem ( quidquid sit de prima specie plerūmque decipiente ) nihil aliud est , quām dicere , *Deum necessariū esse unicū* : tota namque impossibilitas alius Dei unicē consistit ex parte rerum in necessaria unicitate Dei , quo circa re ipsa est de *necessitate illa propositione* , quæ primo aspectu est de *impossibili* ; sicut re ipsa est negativa hæc propositio , *datur carentia Petri* , quæ affirmativa in experto videbitur ; quocirca hujusmodi propositiones etiam in rigore scholastico possunt esse veræ , si tamen bene exponantur . Neque expositiones hæc displicebunt merito plerisque Adversariis , qui negantes objectivas carentias similibus utuntur æquivalentiis : legitur P. Herrera . 2. Quia sicut propositiones , quæ affirmant , vel negant modò identitatem , modò distinctionem rationis , sunt reflexæ , ut dico in Logica disp. 1. eo quod tota identitas , atque distinctio rationis unicē consistat in cognitionibus nunc claris , nunc obscuris ; quamobrem affirmare , aut negare identitatem , vel distinctionem rationis , dumtaxat est affirmare , aut negare claritatem , vel obscuritatem de ipsis cognitionibus , qua doctrina multa sophismata ibi consurgentia suppressimus : ita dici potest , hanc & similes propositiones , *Alter Deus est impossibilis* , esse reflexas , enunciateque hanc tendentiam , *Alter Deus* , dissonare suo objecto : nam cùm non ostendatur cognoscibile esse ab intellectu objectum ullum , quod in se ipso independenter à fictionibus sit alter Deus , aut impossibile : tota impossibilitas cuiuscumque objecti ex illis , quæ impossibilitas dicuntur , consistit unicē in necessaria dissonantia actus cum suo objecto reali , atque possibili : ergo enunciare eam impossibilitatem est enunciare dissonantiam necessariam actus , & objecti . Sed hæc dissonantia unicē consistit in complexo ipso actus , & objecti , quæ duo possibilia sunt : ergo . Neque dicas , eadem arte detorqueri posse ad sensus quosdam reflexos propositiones enunciantes , objecta possibilia esse possibilia ; quia certò nobis constat , cognoscibile esse ab intellectu objectum , quod in se ipso sit possibile , eo quod experiamur exi-

stere .

stere res, quarum prædicta non rixantur inter se: ergo possibilis, ut pote quid reale non consistit in actibus intellectus; ast impossibilitas, & impossibile, & ens rationis sunt mentis ludibria, sunt fictiones, sunt inania spectra, & non alibi quam in cerebro sedes figere possunt.

78. Adverte 3. Me partim assentire, & partim dissentire Nominalibus, qui entia rationis negabant. Aliud namque est, quod non sint entia rationis, quatenus non sit cognoscibile ab intellectu objectum, quod subjectivè in se ipso sit impossibile, aut sit ens rationis, vel potius quatenus objectum signatum, & terminativum omnis prorsus cognitionis sit ens reale (& hoc est, quod dicimus, & his terminis utendum est nobis in tota hac controversia, suffocandi, ergo reflexa quædam sophismata: & hoc nobis cum Nominalibus convenit.) Aliud autem longè diversum, quod absolute, & simpliciter fingi nequeant ab intellectu entia rationis: & hoc minimè dicimus; quoniam intellectum cognoscere objectum per tendentiam illi essentialiter dissont, seu necessariò falsam, abs dubio est fingere, formateque ens rationis. Sed quamvis objectum omnis omnino cognitionis sit subjectivè in se ipso possibile, potest nihilominus intellectus cognoscere illud per tendentiam illi essentialiter dissont: siquidem persuadebis agrè, non posse intellectum creatum prorum pere in cognitionem necessariò falsam, tendenterque in objectum undequaque possibile: ergo quamvis objectum omnis omnino cognitionis sit in se ipso possibile; potest nihilominus intellectus fingere, seu efformare ens rationis. Adverte 4. quando ens rationis definitur sic, quod tantum habet esse objectivè in intellectu; Illa particula exclusiva tantum intelligenda est sicut in definitione relativorum intelligitur illa particula totum. Relativa dicuntur esse illa, quorum totum esse est ad aliud: non quia à parte rei non habeant prædicatum aliud præter hoc, quod est esse ad aliud; (duo namque homines cùm possint invicem comparari, possunt esse actiū relativi; & tamen de unoquoque verificari possunt multa alia præter hoc, quod est esse ad aliud;) sed quia sub illo conceptu, sub quo relativa sunt, vel non appareat aliud prædicatum præter hoc, quod est esse ad aliud, vel quia omnia prædicta appareat, ut ordinem dicentia ad aliud. Similiter illa particula exclusiva tantum non est capienda objectivè, quasi objectum cognitionis efformantis ens rationis non habeat à parte rei prædicatum aliud ultra hoc, quod est cognosci ab intellectu; sed accipienda est in sensu formalí, quatenus nimirum ens rationis sub illo

con-

conceptu, sub quo est ens rationis, habet esse objectivè tantum in intellectu, seu apparet incapax habendi prædicatum aliud, subinde que apparet distinctum adæquate ab omni possibili; verumtamen non est quale apparet.

## CAPUT SEXTUM.

*Arduæ Objectiones repelluntur.*

79.



Bücies 1. intellectus creatus ex parte prædicati hu-  
jus actus, *Homo*, & *equus* identificantur realiter,  
cognoscit identitatem hominis, & equi; sed hæc  
identitas est objectum adæquate distinctum ab om-  
ni possibili: ergo intellectus potest cognoscere  
eiusmodi objectum. Major indubitate dicitur; nam intellectus per  
suum actum cognoscit illud, quod affirmat; sed affirmat de homine  
equo realem identitatem: ergo illam cognoscit. Idem argumentum  
fit de cognitionibus contingentibus hæc objecta, *Aler Deus*, *menda-  
ciam Dei* &c. Retorquetur facile hoc argumentum in Adversarios  
multos negantes objectivas parentias, docentesque objectum, atque  
verificativum actus negativi non esse aliquid, quod in se ipso sit ca-  
raria, sed solam physicam, & realem existentiam. Intellectus enim  
per hunc actum, *carentia Petri* existit, debet agnoscere illud, de quo  
enunciat, existere; sed videtur evidens, quod de *carentia* enunciat  
existere: ergo per hunc actum agnoscit *carentiam*: ergo objectum  
hujus actus non est sola existentia. Retorquetur insuper in omnes  
illos. Per hunc actum, *Inter hominem*, & *equum* datur *identitas va-  
ria*, & *realis*, & *nullo ex cogitabili modo chymærica*: & per hunc, ob-  
jectum *intrinsecè*, ac *extrinsecè incognoscibile est intrinsecè*, ac *extrinsecè  
incognoscibile*; & per hunc, *cognoscibile est objectum distinctum adæqua-  
tè ab omni possibili*, & *impossibili*, debet cognoscere illud, quod enun-  
ciat. Sed videtur evidens enunciare per primum identitatem inter ho-  
minem, ac equum nullo excogitabili modo chymæricam; & per se-  
cundum rem quazndam *intrinsecè*, ac *extrinsecè incognoscibilem*; &  
per tertium, objectum quoddam distinctum adæquate ab omni pos-  
sibili, & *impossibili*: ergone intellectus potest cognoscere identita-  
tem nullo excogitabili modo chymæricam inter hominem, & equum  
aut objectum *intrinsecè*, & *extrinsecè incognoscibile*, aut objectum,  
quod in se ipso neque sit possibile, neque *impossibile*.

80. Igi-

180. Igitur nego maiorem, & probationis minorem; quoniam aliud est, quod videtur enunciare praedictus actus; aliud, quod re ipsa enunciat, ut septem illis exemplis scriptis à num. 68. satis ostensum est. Videtur quidem enunciare objectū aliquod, quod subjectivè in se ipso sit identitas hominis cum equo; at solam amboū distinctionem veram, & realem terminis identitatis larvatam pronunciat, prout exemplis illis, & quatuor rationibus fancivimus; quo circa actus, qui affirmativus videtur, re ipsa est negativus huic philosophicè equivalentis, *Non possunt distingui homo, & equus*. Quemadmodum ipsi dicunt, hunc actum, datur carentia, qui affirmativus est juxta corticem verborum, cùm negatio sit post copulam, esse re verā negativum, & vertendum in huic, *Non datur existentia*. Neque dicas fore, ut per hunc actum, *Homo est animal*, de nullo subjecto affirmetur esse animal, ob aliam quamdam æquivalentiam, quam quivis alius comminisci valet. Tum quia, cùm vos ipsi ratione compulsi ad similes configiatis æquivalentias in his actibus: *Carentia Petri datur: objectum verè distinctum ab omni possibili, & impossibili est cognoscibile*, & aliis supra expositis; eidem obnoxii estis telo. Tum quia in actu isto nulla est fictio tribuens esse objecto, quod in se ipso nullum habeat esse: ergo ab illius tendentia standum est: ergo dicendum, esse objectum illius, quod per illum appetet. Cæterum actus ille, quem objicis, est fictio quædam efformans ens rationis: ergo falsus testis, ut credamus esse objectum illius illud, quod per ipsum appetet. Tum quia rationes illæ, quibus firmavit nos trahit conclusionem, non urgent, ut similem æquivalentiam præficiamus huic actui, *Homo est animal*. Obverte illas huc, & deprehendes nequitquam probare illas, objectum prædicti actus non esse aliquid, quod subjectivè in se ipso sit animal: ergo est disparitas.

81. Obji. 2. Omne id, quod actus suadet, est objectum illius; sed hic actus, *bomo, & equus* identificantur, suadet identitatem hominis cum equo, ut perspicuum videtur: ergo objectum illius est ea identitas. Confirmatur: in hac propositione necessariò vera, *Alter Deus est impossibilis*, de aliquo conceptu objectivo representato per ipsam prædicatur impossibilitas: per omne namque judicium objecti sibi intellectus aliquid, de quo affirmet, aut neget. Sed conceptus ille objectivus non est verus Deus, ut patet; neque aliud possibile, quia de quovis possibili falso diceretur esse impossibile: ergo est aliquid distinctum adequate ab omni possibili. Nego minorem objectionis cum sua perspicuitate; sicut enim hic actus, *Datur carentia*

*Petri*, non suadet objectum ullum, quod in se sit carentia, sed dissuadet existentiam: quia licet primo aspectu suavis us videatur, bene tamen inspectus est purè dissuasivus, seu negativus: & sicut hic actus, *Petrus existit, vel non existit*, non suadet quippiam, quod in se ipso sit, vel existere, vel non existere; sed dumtaxat suadet existentiam modo tendendi disiunctivo; ita actus iste, quem objicis, non suader objectum ullum, quod in se ipso sit identitas hominem inter, & equum; sed solummodo dissuadet amborum distinctionem realem, & crassam, quia bene inspectus non de genere suasivorum, sed dissuasivorum est. Similiter respondeo confirmationi, negando scilicet majorem; quoniam sicut propositio sèpè inculcata, datur carentia *Petri*, de nullo conceptu objectivo enunciat existentiam, nempe quia est purè negativa, ita propositio ita, *Alter Deus est impossibilis*, de nullo conceptu objectivo enunciat impossibilitatem plusquam verbaliter, quia strictè, ac philosophicè loquendo non est de *impossibili*, sed de *necessitate*, redditque hunc planum sensum, *Deus necessarius est unus*; quo circa tam longè abest, ut poscat suum objectum esse impossibile, quin potius requirat, illud esse necessarium. Oportet verborum velum amovere, ut latentes realites pandantur. Adde, propositionem istam solum esse veram in communi modo loquendi; falsam autem in scholastico rigore, ut Capite superiore diximus: adde cætera, quæ ibidem dedimus circa veritatem harum propositionum.

82. Objicies 3. Veritas formalis cuiuscumque propositionis unicè consistit in actu & objecto: ergo quoties ambo fuerint possibilia, possibilis quoque erit veritas formalis actus: at possibilis est hic actus, *Homo, & equus identificantur*: & ulterius possibile est per me objectum adæquatum illius, & quidem eo modo objectivo, quo est objectum: nam si ille modus esset chymæricus, in eo recrudescerent argumenta contraria: ergo possibilis est veritas formalis hujus actus. Confirmatur: Veritas præfati actus, vel est subjectivè in se ipsa possibilis, vel est aliquatenus distincta ab omni possibili? Si hoc, cùm talis veritas sit cognoscibilis, conficitur, cognoscibile esse objectum distinctum adæquate ab omni possibili: si illud; cùm veritas illius actus consistat in eo, quod *Homo, & equus identificantur*, profectò si est possibilis veritas illius actus, possibile erit, *Hominem, & equum* identificari. Venustum argumentum, quod similiter retorquetur in ipsos adversarios: quoties existit actus, & existit objectum, existit veritas actus; quoniam hæc in utroque solo consistit: sed existentiibus Petro, & hoc actu, *Petrus non existit*, existit hic actus, & existit suum

suum objectum adæquatum ; nam per vos suum objectum adæquatum est sola existentia Petri , quam hic actus negat : ergone, existentibus solis duobus, existit veritas actus negativi ? Absit. Igitur quando est possibile objectum, & est possibilis actus, & hic enunciat, suum objectum esse possibile , est quidem possibilis veritas actus : cæterum quando est possibile objectum , & actus ita est possibilis , ut neget possibilitatem sui objecti , actus necessariò est falsus : aequi actus ille , *Homo*, & *equus* identificantur , negat sui objecti possibilitatem ; juxta superiorem namque explicationem , dicere Hominem , & equum identificari , est dicere , non esse possibilem veram , & realem amborum distinctionem : ergo ex eo , quod possibile sit actus , & possibile sit suum objectum , tam longè abest , ut probetur possibilem esse , actus illius veritatem , quin potius convincatur , actum illum esse necessariò falsum . Ad confirmationem ; nego suppositum dilemmatis , sicut tu negares suppositum hujus : objectum prorsus incognoscibile , vel est album , vel non est albus ? & hujus , universale à parte rei , vel currit , vel non currit ? & hujus , objectum distinctum ab omni possibili , & impossibili , vel est cognoscibile , vel est incognoscibile ? & aliorum multorum , quæ formari possunt ex septem illis exemplis , quæ protuli . Ob eamdem rationem nego suppositum istius dilemmatis ; quippe supponit , cognoscibile esse ab intellectu objectum ullum , quod subjectivè in se ipso sit veritas illius actus ; objectum enim illius tendentiaz est necessaria falsitas actus illius , quam intellectus obducit terminis illis fingentibus , atque incautos decipientibus , *Veritas hujus actus* , prout contingit in septem illis casibus citatis . Si mavis , respondeo , veritatem prædicti actus esse possibilem objectivè ; id est possibile , iudicium necessarium esse objectum hujus tendentiaz , nimirum distinctionem realem hominis , & equi ; (ubi cave , ne inferas possibile esse , quod hi duo identificantur;) esse verò impossibilem verificativè , id est hanc tendentiam , veritas , necessariò dissonare illi objecto .

83. Objicies 4. Nos proferimus hanc propositionem , quam veram judicamus , *ens distinctum adæquate ab omni possibili cognoscere non potest* ; sed hanc propositionem proferre est cognoscere tale ens : quoniā nequimus illam proferre , quin agnoscamus illius subiectum , & illius subiectum est ens distinctum adæquate ab omni possibili : ergo nostra sententia implicat in terminis . Confirmatur ; illis vocibus , *ens distinctum adæquate ab omni possibili* , vel significatur , hujusmodi ens (& sic falso dicitur illud concipi non posse ab intellectu) vel præcisè significatur unum , aut plura entia realia , ut terminan-

tit̄ judicium ipsi necessariō diffsonum : & sic falsō quoque dicimus , obiectum illud cognosci non posse : namque entia realia , & judicium ipsum cognosci possunt ab intellectu . Retorquentur h̄c etiam in suos Authores : vos dicitis , ens verē & realiter distinctum ab omni possibili , & impossibili cognosci non posse , eo quod objectum omnis p̄t̄orsus intellectionis est determinatē possibile , vel determinatē impossibile : ergo per vestrum argumentum cognoscitis illud . Item , vos dicitis cognosci non posse ab intellectu objectum , quod sit vera , realis , & nullo modo excogitabili chymærica identitas hominem inter , & equum , eo quod objectum suco horum terminorum obtinetum est identitas chymærica omnino : ergo per vestrum argumentum illam cognoscitis . Item , vos dicitis , obiectum intrinsecè , & extrinsecè incognoscibile esse omnino incognoscibile ab intellectu , eo quod objectum omnis cognitionis sit cognoscibile : ergo per vestrum argumentum , cognoscitis obiectum intrinsecè , ac extrinsecè incognoscibile . Item aliqui dicitis non esse cognoscibile objectum , quod subjectivē in se ipso sit carentia , eo quod putatis , objectum terminativum actus negativi , sive formaliter , sive æquivalenter esse solam existentiam : ergo per vestrum argumentum cognoscitis illud . Pessimæ consequentiae ob pravum terminorum abusum .

84. Respondeo ergo objectioni , atque confirmationi , nos minime proferre illam propositionem in sensu , quem formaliter praeferset (nam sic est falsa , cūm supponat subjectum , quod in se ipso sit distinctum adæquate ab omni possibili , de quo sanè subjecto est quæstio , & negatur à nobis) sed in sensu huic æquivalente : obiectum omnis omnino cognitionis est possibile : imò his solis terminis explicare oportet nostram sententiam ad refecandum istiusmodi tricas ; hic autem sensus nihil olet distinctum adæquate ab omni possibili . Replicabis 1. quid ergo sentiendum est de illa propositione , *ens distinctum adæquate ab omni possibili cognosci non potest* ? Respondeo quod de illis , quas reposui : videlicet omnes illas in sensu , quem præferunt , atque scholastico rigore examinatas esse falsas ; quoniam h̄c v. g. tacitè supponit , tanquam subjectum Ens , quod in se ipso sit distinctum adæquate ab omni possibili ; cūmque de hoc sit quæstio , reputeturque à nobis , ut falsum ; idcirco falsum supponit . Replicabis 2. idem sunt , æquivalenter saltem , uni termini , ac alii : ergo utrique , aut neutri rejiciendi sunt . Nego æquivalentiam adæquatam ; quippe uni supponunt fallaciter id , de quo est quæstio , habeturque falsum ; secus hi , obiectum omnis cognitionis est possibile : ergo uni supponunt

āunt falso, non alteri: ergo pressè loquendo non sunt aequivalēter adēquatē idem,

85. Objicies s. tametsi Ens rationis non distinguitur entitativē ab omni possibili, ut concedimus; debet nihilominus distingui prædicativē, ut negamus: quod sic probatur. Omne, quod verē negatur de quolibet possibili, distinguitur prædicativē à quolibet possibili: sed Ens rationis, vel chymera verē negatur de quolibet possibili: quandoquidem vera est hæc prædicatio: nullum possibile est chymera, & alias insuper esset vera hæc prædicatio: hominem & equum distingui, est, bōniūm, & equum identificari: ergo. Falso supponit argumentum: etenim aliud est, ens rationis non distingui prædicativē ab omni possibili, quatenus cognoscibile sit ab intellectu objectum, quod in se ipso sit ens rationis, aut chymera, & de hoc enunciemus non distingui prædicativē ab omni possibili (eo modo, quo animal dicitur non distingui prædicativē ab homine, quia cū agnoscibile sit prædicatum, quod in se ipso, ac ex parte rerum sit animal, illud verē affirmatur de homine:) & aliud est, quodd ens rationis non distinguitur prædicativē, aut entitativē ab omni possibili, quatenus loquendo juxta scholasticum rigorem, supponat falso omnis propositio, quæ enunciat ens rationis, sive chymaram distingui prædicativē, aut entitativē ab omni possibili. Hoc secundum est, quod dicimus: illud primum est falso; quoniam si cognoscibile foret ab intellectu objectum, quod in se ipso esset chymera, aut ens rationis, illud non tantum prædicativē, ut volunt hi Auctores; verū etiam entitativē distingueretur ab omni possibili, ut nolunt.

86. Ægrè namque apprehenditur subjectum A esse in se ipso à parte rei, independenter à fictionibus intellectus, impossibile, atque omnino incapax, quod existat; subjectum verò B esse in se ipso à parte rei possibile, existentiaque capax; & tamen quodd non distinguitur entitativē, seu easdem prorsus claudat entitates: quia si hoc evenire posset, cur nequit fieri, quodd unum objectum sit à parte rei rationale, & alterum sit à parte rei irrationalē, & tamen quodd non distinguitur entitativē? Ægrè profecto salicatis convincetur juxta doctrinam contrariam, qui dixerit, hominem & equum distinguitantum prædicativē, non verò entitativē: quodcumque enim assumperis medium ad refellendum illud paradoxon, nequit esse efficacius ad probandum distinctionem entitativam hominem inter & equum, quam capacitas existendi, & incapacitas existendi: sed hoc non probat inter possibile, & impossibile per te distinctionem plus quam prædica.

dicativam, estque componibile cum indistinctione entitativa utriusque : ergo quodcumque assumperis medium , ut extat vagantem illum confutes, dumtaxat suadebit distinctionem prædicativam inter hominem , & equum , eritque compatibile cum amborum entitativa indistinctione . Speciosis exemplis levigat P. Junius suam hac super re opinionem , sed illa jam explicata habebis disp. 1. Logicæ : quidquid de hoc sit , parcens majori objectionis, distinguo minorem , quæ in communi modo loquendi supponente vel etiam admissidente objectum , quod in se ipso sit chymæra , aut ens rationis , vera est ; falsa autem in scholastico rigore ; quoniam hujusmodi objecta , de quibus nunc est quæstio , presupponit . Neque reclames: aut tale objectum potest verè negari de omni ente possibili , aut non potest ? Quippe jam dixi , dilemmata id generis laborare falsa suppositione , non secus ac si loquens de homine rudi dices : aut hic homo litteratus currit , aut non currit ? Quapropter legitima contradictria istius minoris est hæc : non verè negatur de omni possibili ens rationis seu chymæra : quæ reddit hunc sesum disjunctivum verum : vel non est cognoscibile objectum , quæ in se ipso subiectivè sit ens rationis vel chymæra ; aut tâle objectum non verè negatur de omni possibili ; quod ratione primi membra verum est . Similiter propositio illa : nullum possibile est chymæra ; vertitur in hanc : vel objectum omnis cognitionis est quid possibile , vel objectum , quod in se ipso foret chymæra , distinguitur ab omni possibili : & illa , hominem & equum distinguunt , non est , illos identificari ; vertitur in hanc : hominem & equum , distinguunt non est identificari , quatenus nihil est cognoscibile , quod in se ipso subiectivè sit , illos identificari .

P. Junius  
de rerum  
effec. cap. 3.

87. Ex his fit 1. Deum non posse ulla sua cognitione efformare ens rationis : quoniam hoc non à per cognitionem experimentem objectum subiectivè in se ipso impossibile , sed per cognitionem dissonam necessariò ipsi enti reali , quatenus hoc apparet aliter ac est , esseque potest in se : atqui Deus per se ab intrinseco est incapax habendi hujusmodi cognitionem : ergo & formandi ens rationis . Quod autem intueatur cognitiones multas creatas essentialiter dissonas suis objectis , efformantesque proinde ens rationis , non s. cit ad rem : quoniam cognitione illa divina quasi reflexa non dissonat suo objecto , sed perfectissimè exponit illud objectum , & falsam illius cognitionem conceptam à creatura . Fit 2. Angelos circa res supernæ turelles posse formare entia rationis , quippe secundum solam suam inspecti naturam , capaces sunt habendi cognitiones essentialiter falsas

fas circa id generis objecta; immo circa formalitates illas naturales (sponta potentiam obedientialem, connexionemque intimam unius cuiusque creature in sensu reali cum Sancta Trinitate) quae ob specialem, quam habent relationem cum terminis supernaturalibus, neque una clavis cognosci, quin termina illi cognoscantur; quia hujusmodi formalitates subterfugiunt claras cognitiones Angelorum entitativer naturales. Fit 3. quo pacto intelligenda est doctrina, qua toties uterbamur supra, videlicet pleraque ex argumentis collimantia in distinctionem possibilitatis ab existentia, dum taxat probare carentiam Petri v. g. non esse contradictionem in praedicatis illius. Id non est intelligendum, quasi ex parte objecti sit unus conceptus, qui subjectivè in se ipso sit carentia, & alter, qui subjectivè in se ipso sit complexio contradictiorum, & de his pronunciemus non esse idem, sicut pronunciamus de hoc calamo, & papyro, quæ subjectivè in se ipsis sunt talia ex parte rerum. Absit barbaries inconsequentia: ibi enim illis terminis uterbamur, ut frequenti modo loquendi, nobis omnibus solemnni extra praesentem controversiam, morem geremus: dum autem hic ad scholasticum rigorem locutio illa revocatur, sic intelligenda est. Pluraque ex illis argumentis tantum evincunt, quod, esse veram hanc propositionem, *Petrus non existit*, non sit esse veram hanc, *Prædicata Petri opponuntur invicem*, seu potius, sit compatibile cum necessaria falsitate hujus. Quod demum resolvitur in diversos modos tendendi harum propositionum.

88. Fit 4. objectum harum apprehensionum: *chymæra, ens rationis, impossibile*, esse re ipsa ens reale; sicut objectum harum existentias, carentia, est idem, eo quia illæ sunt apprehensiones oppositæ. Quod si intuleris, ens reale esse chymæram, aut chymæram esse ens reale; negabo suppositum propter septem illa exempla, & rationes, quas dedi: si vero inferas, objectum hujus apprehensionis, *ens reale*, esse objectum hujus, *chymæra*; annuam, sed commonefaciam, hanc secundam esse dissonam suo objecto. Fit 5. quid dicendum sit de definitione chymæras tum in genere, tum in specie v.g. impossibile est illud, quod si existeret, inferret duo contradictoria. Id generis propositiones, quæ instar primorum principiorum evidentes apparent, tales sunt juxta vulgarem modum loquendi admittentem chymæras objectivas, sicut objectivas carentias, juxta quem omnes vulgo admittimus illas extra praesentem disputationem: sunt insuper veræ in sensu conditionato, quatenus si cognoscibile foret ab intellectu objectum, quod in se ipso esset chymæra, illud inferret duo contradictoria: certum

terum in sensu absoluto, quem formaliter preferunt; atque in rigore scholastico, falsae sunt: quoniam tacite supponunt objectum, quod in se ipso sit chymera, & quod in se ipso sit complexio, simulatae contradictionum, unumque de altero praedicant: sed de hujusmodi objectis est praesens questio, illaque à nobis negatur: ergo istae definitiones, propositionesque, quae evidentes apparent, supponunt falsum: ergo in sensu absoluto, atque juxta scholasticam rigorem sunt falsae. Recognoscet numeri, 69. & 75. Neque id circa aditum intercludimus omni modo legitimo arguendi in hac controversia: aliud namque sunt argumenta supponentia chymeras objectivas, seu entia rationis; aliud autem, quae assumunt pro medio cognitiones ipsas, & hinc illarum objectum indagant: illa prima exulent omnino, neque ingressus ullatenus permittatur: sed quid mirum cum subdolè supponant probandum! Hac secunda admittatur. Diferentia hoc argumentationum peculiare non est: huic controversiae, sed illi comitate cum disputacione de carentiis, immo & cum aliis multis, si instituerentur circa objecta illa, quae perstrinxerintur à numeri. 68. Prætero questionulas huic maximæ annexi solitas, quia passim discutiuntur ab Authoribus.

*Finis Disputationis Sextæ.*

DIS.

# DISPUTATIO SEPTIMA:

## DE EXISTENTIA, ET CARENTIA, SEU, DE ENTE, AC NON ENTE.

Conterminas difficultates sejungere nolo . Disputaturus sum de identitate Essentiæ, atque Existentiæ eisdem principiis, quibus nuper de identitate possibilatis cum subjecto possibili. Item eodem modo philosophaturus sum de Carentiis, ac modò philosophabar de Ente rationis ; & quia existentiam concernit Duratio , carentiamque , difficultas paucis ab hinc annis exagitata super existentia gemini contradictorii pro diversis instantibus , ideo utramque etiam difficultatem aggrediar explicandi ergo Principia ex Ente , & non Ente prodeuntia . Septem igitur Capitibus Disputatio constabit .

**Caput I.** *An Existentia distinguatur ab Essentia?* Num. i.

**Caput II.** *An Duratio distinguatur à subiecto durante.* Num. ii.


**Caput III.** *Solvuntur objectiones.* Num. 21.

**Caput IV.** *An duo contradictionia possint existere pro diversis instantibus.* Num. 31.

**Caput V.** *In quonam consistat Carentia.* Num. 40.

**Caput VI.** *Illationes.* Num. 46.

**Caput VII.** *Quodnam sit verificativum actus negativi.* Nu. 52.



# CAPUT PRIMUM.

*An Existentia distinguatur ab essentia?*

**E.** Ssentia bifariam capi solet 1. *Metaphysicē*, & est binarium illud prædicatorum; quibus respondemus interroganti quid est haec res? quorum unum est genus infimum, & alterum differentia essentialis illius rei: sic aggregatum ex his duobus prædicatis; *Animal, rationale*, dicitur essentia metaphysica, seu quidditas hominis, quia sunt id, quo juxta considerationem metaphysicam respondemus querenti, quid sit homo? 2. *Physicē*. Et sic dupliciter quoque; nam essentia physica interdum sumitur pro complexione partium essentialium rei, juxta quam phrasim, materia, & forma spectare dicuntur ad essentiam physicam compōsiti. Interdum pro illis omnibus attributis rei, quæ cum ipsa identificantur; at non sunt genus infimum respectu illius, nec prima origo, primaque radix rationē nostra reliquorum prædicatorum. Sic omnipotētia, & unumquodque aliorum attributorum dicuntur esse de essentia physica Dei. Existentiæ trifariam accipi potest. 1. Pro ratione, quæ formaliter, atque immediatè terminat actionem causarum. 2. Pro ratione transcendentali, & metaphysica existendi. 3. Pro ratione physica, quæ essentia ponitur in rebus, extrahiturque à potentia suarum causarum: quorum notionem mox dabo. Nostrates toti eunt in identitatem essentiæ, atque existentiæ, Thomistæ eunt toti in distinctionem. Sed distinctione opus est nobis.

2. Sit conclusio. Existentiæ sumpta pro ratione physica, quæ formaliter, atque immediatè terminat actionem causarum, non distinguitur ab essentia (sive metaphysica, sive physica in secunda acceptione) animæ, v. g. Item neque sumpta pro ratione metaphysica, & transcendentali existendi: sin vero sumatur pro ratione physica, quæ essentia ponitur in rebus, extrahiturque à sua causa, pleniusque distinguitur ab essentia. Probo primam partem tum negativè: quoniam vetustæ illæ, atque veræ locutiones, quibus aliqui insistunt, videlicet essentiam esse aeternam, & indestruibilem &c. non sunt intelligendæ in sensu positivo, quem præferunt, ut notavi disputans de possibilitate; alioquin essentia animæ, v. g. esset vere, ac ex parte rerum Deus ipse, qui unus est aeternus, necessariusque;

M m m m

Sed

Sed in sensu more negativo, ut paulo ante differui etiam circa possibiliterem, quatenus nimirum numquam existit, existere, aut existerem potest distinctio positiva inter Animam, atque suam essentiam; item quatenus semper, ac in omni casu possibili esset vera proposicio conditionata enuncians de Anima hujus essentiam, sive existentiam; non tamen est semper vera propositio absolute enuncians essentiam, aut existentiam ( ubi meminoris queso non dari ex parte rerum quippiam, quod subjectivè in se ipso sit essentia, aut existentia conditionata; quia haec, sicut denominatio quoque universalis, disjuncti, affirmati, negati, & cæteræ, quas supra tetigi, est oriunda ab actu intellectus habente modum tendendi conditionatum ) Atqui omnia illa subsistere queunt, tametsi essentia vere, ac physicè incipiatur in tempore, termineturque formaliter in se ipsa actionem suarum causarum: ergo essentia est ratio, qua formaliter in se ipsa terminat actionem suarum causarum: ergo si existentia sumatur pro hac ratione, essentia est existentia.

3. Tum positivè. Nam essentia Animæ in se formaliter considerata, ut distincta à quovis alio, vel est à se, vel ab alio? Primum caue ne dixeris: ergo dicere oportet, essentiam animæ in se formaliter consideratam esse ab alio: ergo ut condistincta ab omni non ipsa est ab alio: Sed, essentiam ut condistinctam ab omni non ipsa esse ab alio, est, essentiam ut sic distinctam terminare actionem illius aliis: ergo essentia ut distincta ab omni non ipsa terminat actionem aliis, nempe sunt causæ. Sed hoc est esse rationem, qua formaliter, ac immediate suarum causarum terminat actionem: et ergo essentia est hujusmodi ratio. Confirmatur. Omne, quod ut tale non terminat actionem ullam productivam, ut tale est Deus, vel nihil: ergo si essentia in se ipsa formaliter, atque ut condistincta ab omni alio non terminaret actionem ullam productivam in se ipsa formaliter, atque ut condistincta ab omni alio esset Deus, vel nihil, quod est asperum nimis; siquidem essentia illa ut talis per se ab intrinseco, præscindendo à quocumque distincto, habet esse aliquid creatum. Neque decipiariis credens, sufficere, quod existentia propria essentiae sit ab alio, ad hoc ut essentia ipsa, ut condistincta ab alio, sit ab alio; nam hoc esset verum, si existentia poneretur indistincta ab essentia; ast si distincta ponitur, insufficiens est. Tum quia quodd aliquid à me distinctum, licet cum eo intimè connectar, fruatur aliqua denominatione, impar est probando universaliter, me frui denominatione illa; sic quamquam mea causa essentialis sit Sancta, æterna, & omni-

po-

potest ergo tamen ut distinctus ab illa expers sum horum attributorum : ergo si existentia ponitur distincta ab essentia , quod illa sit ab alio , insufficiens est ostendendo , hanc in se ipsa formaliter esse quoque ab alio . Tum quia discursus iste ad summum probabit , essentiam in alia esse productam , esse creatam , esse ab alio ; non autem in se ipsa formaliter ; quandoquidem formaliter in se ipsa non est ab alio , seu non terminat actionem aliis : ergo in se ipsa formaliter , vel est Deus , vel nihil . Exemplum autem Regis , & aliorum , qui aliquid agere , vel pati dicuntur ; quatenus suus Minister , vel Procurator illud agit , vel patitur , est a rigore philosophico valde alienum . Tum denique quia existentiam esse ab alio , probaret , essentiam quoque ab alio esse , si essentia ipsa esset existentia , ita ut aliquam hujus terminaret actionem : ( & sic jam haberemus , essentiam esse rationem , quae formaliter terminaret actionem alicujus causae , cur non omnium ? ) Cæterum si essentia non est ab existentia , hanc esse ab alio , neque sufficit , ut essentia sit per se immediata ab alio , ut patet , neque mediata ; quoniam esse mediata ab alio est esse ab aliquo , quod sit ab alio , ne tenor essendi ab alio interrumptatur ; ergo si essentia non est ab existentia , quod hæc sit ab alio non sufficit , ut essentia sit mediata ab alio .

4. Probo secundam partem. 1. Quia existentia illa superaddita , quam Capreolus , & Sodales comminiscuntur , identificatur cum sua essentia ( aliquid enim est in rerum natura existentia illa , quamvis fugiendi : ergo argumentum , verbis luderes ; essentiamque illius abolare affectares ) cumque essentia illa sit quid creatum , planè conficitur , essentiam aliquam creatam identificari cum sua existentia ; ubi illorum argumenta , alioquin non spernenda , hebetantur. 2. Existentiæ essentiaz sumpta pro ratione metaphysica , & transcendentali existendi , consistit in eo , quo solo intellecto in rebus , à quocumque alio præscindendo mentaliter , intelligitur in rebus essentia ; quemadmodum ratio metaphysica hominis consistit in illis prædicatis , quibus solis intellectis , & à quovis alio mentaliter præscindendo , intelligitur , subiectum esse hominem . Cumque , his solis duobus prædicatis *Animal* , *rationale* intellectis , intelligatur subiectum , cui illa congruunt esse hominem ; idcirco ratio formalis , metaphysica , & transcendentalis humanitatis consistit in illis solis duobus prædicatis . Atqui essentia ipsa est id , quo solo intellecto in rebus , à quocumque alio præscindendo , intelligitur essentia in rebus ; quoniam propositus repugnat in terminis ipsis , quod aliud distinctum ab essentia

ea sit illud, quo solo intellecto in rebus, intelligitur in rebus essentia; nam eo ipso, quod sit aliud ad distinctum ab essentia, ipso solo intellecto in rebus, non intelligeretur essentia, alias ipso solo intellecto, intelligeretur in rebus ipsam solum, & simul non intelligeretur ipsum solum: quandoquidem intelligetur etiam aliud ab ipso distinctum, nimirum essentia: ergo si existentia sumatur pro ratione metaphysica, & transcendentali existendi, essentia ipsa est existentia. Tertia denique pars est facilior; quippe existentia sumpta pro ratione physica, qua essentia ponitur in rebus, extrahiturque à potentia suarum causarum, nihil aliud est, quam exercitium illud formale, & immediatum producendi essentiam, idest actio productiva hujus (verè namque, & realiter producitur hæc in se ipsa, cùm verè, & realiter in se ipsa sit ab alio, & neque sit in se ipsa Deus, nequè nihil.) Sed actio productiva essentia plerūque distinguitur ab hac, ut modò suppono, licet actio illa nunquam distingui possit à suamet essentia: ergo existentia sumpta pro ratione physica, quā essentia ponitur in rebus, extraheturque à potentia suarum causarum, distinguitur ab essentia; atque ad mentem hanc revoco D. Bonaventuram, & alios multos veteres, & modernos ponentes existentiam in sola Duratioне rerum, hoc est in actione illarum productiva.

## §. I I.

S.Thom. I.  
p. q. 3. art. 5.  
3.

**O** Biicies 1. S. Magistrum Thomam, qui totus vergere videtur in contrariam sententiam; docens quippe existentiam Dei esse suum esse, idest suam existentiam, tres producit rationes, quarum secunda est. *Eſſe eſt actualitas omnis formæ, vel naturæ.* Non enim bonitas, vel humanitas specificatur in actu, nisi prout significamus eam esse: oportet igitur, quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sciat actus ad potentiam. Cùm igitur in Deo nihil sit potentiale; sequitur &c. Tertia est: *Sicut illud, quod habet ignem, & non eſt ignis, eſt ignitum per participationem:* ita illud, quod habet esse, & non eſt esse, eſt ens per participationem; Deus autem eſt sua essentia, ut ostensum eſt; Se igitur non sit suum eſſe, erit ens per participationem, & non per essentiam. Putant aliqui, S. Magistrum loqui non de existentia, sed de substantia, quæ eſt ultima actualitas, ultimumque complementum substantiale naturæ; confirmareque possunt opinationem suam, ex eo, quod in arguento, sed contra, solummodò adducit hæc verba

Hil.

Hilarii. *Essere non est accidens in Deo, sed subsistens veritas: ergo solum-* S. Hilari.  
 modo intendit stabilire identitatem essentiae divinae cum subsistentia. *de Trinitate*

Verum tamen haec solutio mihi non probatur, quia perspicuum mihi videtur, *to esse* juxta phrasim S. Thomae, significare hanc existentiam, non verum subsistentiam: ergo in hoc articulo identitatem facit essentiae divinae cum existentia, abstrahens a subsistentia.

6. P. Junius, cum haec testimonia protulisset, subjungit, manifestum esse, S. Doctorem loqui de distinctione reali, & quidem inter S. Junius  
 essentiam, atque existentiam creatam; sed manifestatio me fugit. *Sette 12. de  
 Prov. 6.1.  
 num. 9.*

Nam in primis, nec verbum profert S. Thomas in toto articulo de distinctione reali inter essentiam, & esse *creatum*, neque eam tacite supponit absolute, neque Cajetanus amicus alioquin hujus distinctionis eam eruit ex hoc articulo. Deinde tres rationes S. Magistri, nec quasi indirecte possunt adduci ad suadendum illam. Prima enim non est, ut scribit ipse P. Junius: *nullam essentiam esse causatam*. Incredibile enim est, sublimem illam S. Thomae mentem putavisse, essentiam *Creaturæ* esse formaliter in se ipsa Deum, vel nil; esset autem alterutrum, si formaliter in se ipsa non esset ab alio, proinde que si formaliter, ac immediate in se ipsa non esset causata physice, ac realiter, ut supra ponderatum est, ubi sanum quoque sensum exposuimus illius phrasis; *Essentia est necessaria*. Prima igitur ratio illius S. Patris est: *Quidquid est in aliquo, quod est præter essentiam ipsius, oportet esse causatum*. Unde infert, fore ut esse Dei esset causatum, si distingueretur ab ipsius Dei essentia. Hinc autem quodnam argumentum depromittur ad probandum, existentiam creatam distinctam esse ab essentia? Impropriè etiam detorquebitur secunda ratio ad idem intentum; quoniam esse est actualitas omissis formæ, vel naturæ, eo modo, quo differentia specifica vocatur quoque actualitas, seu forma prædicati generici, nempe ratione nostra, quantum determinationem ad unam speciem, quam non detegimus in solo conceptu generico abstrahente a speciebus, deprehendimus in conceptu differentiali. Sic determinationem ad existendum, quam nobis non pandit conceptus purus essentiae creatæ (quæ idcirco distinguitur per rationem ab existentia) proponit nobis conceptus existentiae; quocirca inter ambas non versatur distinctio realis, sicut, nec inter genus, & differentiam; sed distinctio solius rationis. Cave tibi a frequentia judicandi, objecta esse in se ipsis a parte rei, prout a pravo nostro modo apprehendendi abstractivo cognoscuntur; alias tibi persuadebis, Angelos esse in se ipsis formosos, & robu-

robustos Juvenes; neconon Patrem Eternum esse quendam senem. Absit. Et quandoquidem directè fallimur, ne decipiatur quoque reflexè. Si malueris, respondeto S. Magistrum docere, esse, sive existentiam esse à parte rei actualitatem omnis formæ, aut naturæ, à qua distinguitur realiter; addit namque, Oportet igitur, quod ipsa esse comparetur ad essentiam, qua est aliud ab ipso (idest, quæ fuerit, loquitur enim conditionatè, quia hoc sufficit ad intentum; & fundatum non perhibetur speciale, ut dicamus, supponere absolute hujusmodi arietatem) sicut actus ad potentiam. Nervus igitur rationis est hic. Si esse distingueretur ab essentia Divina, hæc esset potentia, & illud esset actus; atqui hoc repugnat: ergo esse divinum non distinguitur ab essentia. Si vero assumeret pro medio implicito, vel explicito distinctionem inter essentiam, & existentiam creatam (quam tot Doctores cum Scoto negant) probaturus identitatem inter essentiam, & existentiam divinam, (quæ longè certius constat) probaret notum per ignotum, seu per rationem falsæ, aut dubiæ saltem suppositionis. In tertia ratione procedit etiam conditionatè, & equivalenter scilicet, si aliquid baber esse, & nos est ipsum esse, est ens per participationem. Nam hoc est certum, & sufficit conclusionem ostendendo. Alius vero sensus est dubius, & apud multos falso: ergo ex hoc articulo S. Thomæ immerito elicetur distinctio inter essentiam, atque existentiam.

P. Jun.  
sup:

7. Objicit z. P. Junius. Omne, quod verè negatur de alio, distinguitur realiter, saltem prædicativè ab illo; sed esse conditionatè verè negatur de esse absolute; & viceversa: siquidem febricitantem fore sanum, si Deus vellat, non est, illum modò absolute esse sanum: ergo esse conditionatè distinguitur realiter prædicativè ab esse absolute. Sed esse conditionatè est re ipsa essentia, seu prædicata essentia; esse autem absolute est existentia: ergo hæc duæ distinguuntur realiter prædicativè. Similiter cum de Petro negetur quandoque existentia, fateri oportet, hanc distingui ab illo. Nodum majoris jam solvi disputans indistinctionem possibilitatis à re ipsa possibili, & uberioris disp. i. Logicæ tractans distinctionem prædicativam admixtam indistinctioni entitativæ. Primam insuper minorem, jam dixi, supponere falso: quia sicut non datur ex parte rerum quippiam, quod subiectivè in se ipso sit disjunctivum, copulatum, distributivum, affirmatum, negatum, universale, eo quod hæc omnes sine denominationes constitutæ per actus intellectus, quibus solis competunt strictè, scholasticèque loquendo hujusmodi qualitates, & non sunt

Sunt transferenda ad objecta illa , quæ propria sunt actuum sicut vul-  
gus transfert ad Solem ecclypsim , quam non Sol , sed nos ipsi pati-  
mur : & sicut nautæ transferunt ad terras motum , quem non terra ,  
sed ipsi habent : *terraeque, urbesque recedunt* ; ita non datur ex parte  
objecti quicquam , quod in se ipso sit , *Esse conditionatè* , seu essentia  
conditionata , seu existentia conditionata . Quod si propterea argu-  
mentum devolveris ad objectum horum terminorum ; dicam , objec-  
ta utrumque esse prorsus identificata , quando existant in rebus ,  
secus quando non existant ; quia tunc non dabitur illorum identitas ,  
ut pote ab illis indistincta . Hinc autem solùm lucraberis illa distinc-  
tio negative , non verò positivè : sicut nec distinguuntur positivè  
prædicata hominis non existentis in rebus , quamquā non exerce-  
tur illorum identitas . In istis autem argumentis loqui soletis de  
objectis non existentibus in rebus ; Quid ergo mirum , quod falsò  
affirmetur , & consequenter yerè negetur , illorum absoluta identi-  
tas ? Hæc dixerim , quando veritas conditionata hypothesim assum-  
pserit indistinctam à conditionato , ut esse solent veritates condicio-  
natae circa possibilitatem , essentiamque . Si autem hypothesis fuerit  
extranea , tunc veritas absoluta conditionati distinguitur realiter ina-  
dæquatè à veritate conditionata , sicut pars à toto ; & hoc contingit  
in ista , quam objicis , cùm volitio Divina sanitatis distinguitur ab  
hac . Idem vitium contrahitur , dum conferens possilitatem cum  
existentia opponit : *Petrum posse esse Regem* , non esse eum absolute  
*esse Regem* ; Et *Judam potuisse bearis* . Etenim posse , vel possilitas ,  
quam innuit subjectum istarum propositionum , non est , quam di-  
cimus identificari cum actualitatibus istis ; quoniam istud posse , est  
capacitas intrinseca , qua fruitur homo , ut sit Rex , atque , ut sit bea-  
tus : & ista capacitas , quippe quæ identificatur cum homine ipso ,  
distinguitur realiter prædicativè , atque entitativè ab actualitatibus  
illis , sicut homo ipse distinguitur : ergo istatum enunciationum ve-  
ritas non venit ad rem .

8. Obiicies 3. Si creatura identificaretur cum existentia , esset  
essentialiter existens , tamque essentialis foret hæc prædicatio , *creatua-  
ra existit* , quam hæc *Petrus est homo* . Sed hæc sunt absurdæ : ergo .  
Respondeo : si Creatura semper , ac in omni casu possibili identifica-  
retur cum existentia ( ut Deus identificatur cum sua ) esset essentia-  
liter existens ; at cùm creatura non semper , ac in omni casu possibili  
identificetur cum sua existentia , sed tantummodo , quando existi-  
ta in rebus ( quia quando ipsa non extiterit , neque existit ipsius identi-  
tas

tas cum sua existentia ) idcirco creatura nou est essentialiter existens semper , sed tantummodo, quando existit . Neque inconveniens est, quod creatura aliquando identificetur , aliquando non identificetur cum existentia, eo quod aliquando existat, aliquando non existat. Nam ex capitibus eisdem descendit , quod homo aliquando identificetur verè , & simpliciter cum animali , aliquando non ; cum enīm identitas rerum , nihil aliud sit , quām res ipsæ , est chymæra, exerceri aut esse veram identitatem , quando res non existunt , proindeque est chymæra identificari verè , ac simpliciter res non existentes ( mitto identitates purè conditionatas utpote impertinentes ad rem præsentem) Absurdum igitur dumtaxat staret in eo, quod creatura aliquando identificaretur cum existentia, & aliquando existens non identificaretur cum existentia, eo modo, quo hæc manus existens potest non esse alba; & existens potest esse alba: verutamen illud minimè docemus.

9. Hinc duæ istæ prædicationes objectæ pressè atque scholasticæ loquendo sunt essentiales , & tñrñque veritatis, nec non contingentes veritatis, prout fuerit sensus , quem reddiderint . Si reddant sensum absolutum , sunt contingenter veræ: quoniam eo ipso, quod detur identitas subjectum inter , & prædicatum sunt veræ : & eo ipso, quod non detur hujusmodi identitas sunt falso in sensu absoluto, siquidem non datur id, quod illæ absolute enunciant dari ; at fieri potest , quod detur illa identitas , & etiam fieri potest , quod non detur in rebus illa identitas , cùm ( utpote indistincta pñnitus ab illis subjectis ) eisdem obnoxia sit in sensu reali vicissitudinibus , quas illa patiuntur : ergo fieri potest , quod illæ propositiones sint veræ , & etiam , quod sint falsæ , si reddant sensum absolutum At si in conditionatum vertantur ambæ sunt æternæ, atque necessariae veritatis, quoniam æquivalent his , si creatura existat , identificabitur cum existentia : si homo existat , identificabitur cum animali , quæ sunt æternæ veritatis , quoniam in nullo casu possibile existere potest positiva distinctione creature à sua existentia , authominis ab animali . Quod si insurrexeris dicens : ergo 1. essentia , atque existentia conditionata distinguntur ab absolutis : ergo 2. verificativa illarum propositionum sunt æterna , & necessaria . Respondebo , has , & similes consequentias exarmatas jam fuisse disputatione 6. ubi similem disputabimus difficultatem conferentes possibilitatem cum existentia : quamobrem nego suppositum primi consequentis ; quia sèpè dixi , non dari ex parte rerum objectum ullum , quod subjectivè in se ipso sit essentia , aut existentia conditionata , cuius phrasis permisso , multas

tas parturit æquivocationes. Solum itaque infertur, actum intellectus tendenter conditionem non esse actum intellectus tendenter absolute; quandoquidem is esse potest falsus, quando ille est verus: item carentiam rei non esse positivam distinctionem illius rei à sua existentia, & à suis prædicatis essentialibus, quoniam tota defectibilitas veritatis illarum propositionum in sensu absoluto unicè constituit in eo, quod aliquando exerceri possit carentia eorum subjectorum: tota item aeternitas, necessitasque veritatis earumdem in sensu conditionato, cum sit necessitas, indefectibilisque in sensu merè negativo, unicè consistit in eo, quod numquam possit existere positiva distinctione eorum subjectorum ab illis prædicatis: ergo ex eo, quod illæ propositiones in sensu absoluto sint contingentes veræ, in sensu autem conditionato sunt aeternæ, indefectibilisque veritatis, quod, explicatis terminis, infertur, tantummodo est, carentiam illorum subjectorum, quandoque per se existere; distinctionem autem positivam eorundem ab illis prædicatis numquam: ergo tantummodo infertur, eam carentiam non esse hanc distinctionem. Secundam quoque consequentiam refelli multis exemplis, & ratione Disputatione antecedente, ubi ostendi, multas propositiones esse de praesenti veras, tametsi de praesenti non existat suum verificativum objectum, formale, ac immediatum, nempe quia ipse id non enunciant. Demum adverte, multas hic sine scrupulo concedi posse propositiones, quia juxta communem loquendi modum, habent sensum purè conditionatum, ut *Petrus est homo*, id est, *quotiescumque existat, erit homo*, & ceteræ, quæ vulgo essentiales putantur. Ceterum si hujus sensus consulto obliviscatur arguens, vel illo subdolè abutatur, monendus est, atque ad sensum eum retrahendus.

10. Objicies 4. Nulli creaturæ potest adimere Deus ullum suum prædicatum essentiale: ergo nil, quod potest Deus adimere creaturæ, est prædicatum identificatum cum illa; sed existentia est prædicatum, quod potest Deus adimere creaturæ; nam creaturam, quæ aliquando existit, potest Deus destruere: ergo existentia non est prædicatum identificatum cum creatura. Pravus terminorum abusus. Adimere creaturæ aliquid, sonat ipsū existentē spoliare aliquo illoscumque prouersus repugnet, quod creaturam, dum existit, spoliet Deus prædicato cum illa identificato; idcirco propriè loquendo repugnat, quod adimat Deus creaturæ prædicatum ullum essentiale, & in hoc sensu repugnat similiter, quod adimat Deus creaturæ existentiam, cum repugnat prouersus, quod illa, dum existit, existentiā orbetur. Ceterum

N n n

rūm

rum non repugnat, Deum, minus propriè loquendo, adimere creaturæ sua prædicata essentialia, unde & existentiam, quatenus scilicet creaturam ad nihilum redigat, in quo casu nihil erit illa, & consequenter neque existentiæ, neque ullo alio prædicato essentiali presb, ac strictè loquendo fungetur; male de re scholastica meretur, qui locutiones metaphoriaes, concionatoriasque scholastico inserit rigor. Sunt duo valde diversa vocabularia. Tacitas præstereo allegorias quasdam potentialitatis, compositionis, ac simplicitatis, ad quas aliqui confugere solent, quia passim solutæ inveniuntur. Solùm dico, conceptum creaturæ dumtaxat postulare compositionem in actu primo, idest capacitatem suscipiendi accidentia, quo differt in hac parte à Deo, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, capacem verò esse omnem creaturam suscipiendi accidentia, tametsi cum sua existentia identificetur. Idem dico ad illud de esse creaturæ irrecepto, ac irreceptibili in essentia ipsius creaturæ, que omnia satis probabiliter refutantur exemplo ipsius existentiae superadditæ, quo cum sua essentia identificatur, & consequenter non recipitur physicè in illa, quia propterea destinat esse creata.

## CAPUT SECUNDUM.

*An Duratio distinguatur à subjecto durante.*

II.



Isariam solet sumi Duratio. 1. Absolutè ac sine respectu ullo ad tempus extrinsecum reale (quod modò suppono esse motum primi mobilis, quia ob suam perpetuitatem, constantiam, atque universalitatem omnium aptissimus est ad taxandum rerum durationes) & sic idem est durare, atque existere absolutè: cùmque absoluta existentia identificetur cum essentia, ut nuper dicebamus; inde est, quod Duratio sic accepta identificetur etiam cum subjecto durante, sic intelligo nonnullos ex nostris ajentes, Durationem identificari cum re durante. Sed hæc acceptio est minus propria, neque de illa disputamus nunc. 2. Potest sumi, ut plerique sumuntur respectivè ad tempus, & sic idem est, rem durare, ac existere in tempore A determinato v.g. Rursus duratio respectivè ad tempus, que sola subjectū est presentis controversia, potest sumi in concreto, & in abstracto. Accepta in concreto, est totus hic conceptus objectivus, *Petrus existens in A;* cùmque hic cōceptus objectivus non

non distinguatur adaequatè à Petro , & tempore extrinseco, quando-  
quidem utrumque intrinsecè imbibit ; idcirco duratio respectiva, si in  
concreto sumatur , non distinguitur adaequatè à Petro , & tempore  
extrinseco . Accepta in abstracto est forma illa , aut quasi forma , be-  
neficio cuius immediatè , ac formaliter Petrus existit in A. v. g. pa-  
tiis , quām in B, & de hac queritur , distinguatur necne tum à Pe-  
tro , tum à tempore extrinseco , tum à complexo utriusque solius .  
**Complexo** Inquam non strīctè tali , nam sic ultra partes , importat  
illarum simultatem , conjunctionemve , in qua simultate stat dura-  
tio ; sed laxè tali , quatenus nimirum unicè importet entitatem Pe-  
teri , & entitatem temporis extrinseci . Porro hanc ultima divisio ex-  
plicatur relatione prædicamentali , que si in concreto sumatur , num-  
quam distinguitur adaequatè à fundamento , & termino ; sin verò in  
abstracto , quandoque distinguitur adaequatè ab utroque , quando-  
que non .

12. Respondeo igitur questioni : Duratio sumpta in abstracto ,  
per quam formaliter , ac immediatè Petrus durat , seu perseverat  
( durare quippe , propriè loquendo , non est primò existere , sed per-  
severare supposita primà existentia ) in instanti A , neque identifica-  
tur cum solo Petro , neque cum solo tempore extrinseco , neque  
cum complexo utriusque solius , quamobrem consistit in tertia ali-  
qua entitate , sive absoluta , sive modali , distincta realiter ab illis  
duobus solis : ad modum , quo præsenzia hujus papyri est tertia quæ-  
dam entitas distincta à solis papyro , & loco extrinseco . Probant  
Aliqui primam partem ex eo , quod possit Petrus existere absolute ,  
& simpliciter , quin detur hoc , quod est , Petrum durare in instanti  
A; unde inferunt , conceptum hunc objectivum aliquid importare  
distinctum à Petro . Bona illatio ; sed insufficiens : nam cùm hoc ,  
quod est , Petrum durare in A , intrinsecè includat tempus ipsum ex-  
trinsecum , & hoc possit distingui à Petro , quia ab hoc distinguatur  
duratio ; inde est , quod argumentum rem præsentem non assequa-  
tur omnino . Probo ergo primam illam partem . Potest Petrus sim-  
pliciter existere , quin coexistat temporis extrinseco A , potest insuper  
coexistere absolute huic tempori : ergo est physicè indifferens ad exi-  
stendum , vel non coexistendum huic tempori extrinseco : ergo cùm  
hæc non sit indifferentia liberi arbitrii per aliud debet formaliter , ac  
immediatè determinari , ut huic tempori extrinseco coexistat : hoc  
aliud est , quod vocatur duratio in abstracto : ergo hæc distinguitur à  
Petro . Prima consequentia est legitima ; quoniam id est physicè in-  
diffic-

differens ad aliud, quod potest physicè existere cum illo, & potest physicè existere sine illo: ergo si Petrus potest physicè existere coexistendo tempori extrinseco A, & potest physicè existere non coexistingo illi, signum est, eum esse physicè indifferentem, ut coexistat, vel non coexistat illi. Secunda quoque consequentia est legitima: quoniam si Petrus esset sua formalis, atque immediata determinatio, ad coexistendum tempori A; non esset per se ab intrinseco indifferens physicè ad illam coexistentiam: ergo si est indifferentes &c. Eadem ratione probatur, durationem sumptam in abstracto non identificari cum solo tempore extrinseco; siquidem potest physicè dari hoc tempus, quin Petrus duret, & potest insuper physicè dari, durante Petro: ergo hoc tempus extrinsecum est physicè indifferentes, ut Petrus duret, vel non duret.

13. Respondebis: stat benè, quod Petrus sit physicè indifferentes, ut duret, vel non duret in A, & tamen quod non distinguitur à ratione formalis durandi in A: quemadmodum stat benè, quod Petrus sit physicè indifferentes, ut cras sit, vel non sit absolute, ac simpliciter Animal rationale ( siquidem ex hypothesi, quod hodie existat, potest contingere, quod cras existat, & potest contingere. quod non existat cras: si existat; erit absolute, ac simpliciter animal rationale, secus si non existat, quia quod nihil est, non est absolute, ac simpliciter animal rationale) & tamen, quod non distinguitur ab ea forma, vel quasi forma, vi cuius erit cras animal rationale; hoc namque forma est summa identitas cum gemino illo predicato, que identitas nil aliud est ex parte rerum, quam Petrus ipse: ergo. Sed contra. In hoc enunciabili objectivo, *Esse cras absolute animal rationale*, duo clauduntur: unum, esse animal rationale; alterum, hoc esse cras. Forma essendi absolute animal rationale, non distinguitur à Petro ob istam rationem; ceterum ad hoc non est Petrus physicè indifferentes, quandoquidem capacitatem non habet, ut quando existit, sit, vel non sit absolute Animal rationale. Forma essendi cras animal rationale coalescit tum ex identitate cum gemino hoc predicato, tum ex duratione crastina, quia ille est conceptus copulativus illorum; at complexum hoc juxta nostra principia distinguitur realiter inadæquate à Petro, cum intrinsecè imbibat durationem crastinam, quam ponimus ab illo distinctam: ergo datur locus, ut Petrus sit physicè indifferentes ad subeundum, vel non subeundum hanc denominacionem essendi cras absolute, ac simpliciter Animal rationale. Et sic repulsa manet instantia.

Pro-

14. Probo ultimam partem argumento P. Arriaga, quod fallaciam insinuat Oviedo, sed cuius solutionem plusquam verbalem habet nos audiri. Hic conceptus objectivus; Petrus durans hodie, aliquid claudit ultra solas duas entitates Petri, & diei hodierni. Sed hoc aliquid, sive positivum, sive negativum (de quo non curio in praesentiarum) est duratio: ergo duratio, sive sit quid positivum, sive quid negativum, distinguitur a solis duabus entitatibus Petri, & diei hodierni. Probo maiorem præoccupando Adversariorum solutionem. Hoc, quod est, Petram, & diem hodiernum esse simul, seu coexistere, seu sequè distare ab eodem punto fixo temporis, seu esse per statum (ad quam verborum diversitatem idem tamen significantium recurrere solent illi) aliquid claudit præter duas solas entitates dictas. Sed Petrum durare hodie, est, Petrum, & diem hodiernum esse simul, coexistere &c. ergo. Probo maiorem. 1. Petrum, & hunc locum esse simul localiter aliquid includit ultra Petrum, & locum intrinsecum (nimicum præsentiam) ut ipse Oviedo cum plerisque adversariorum fatetur: ergo Petrum, & diem hodiernum esse simul temporaliter, aliquid etiam claudit ultra has duas entitates. Profecto termini, evasionesque, quibus hoc argumentum infringere conantur, eadem arte instrui possunt ad negandum, præsentiam distinctam esse a solis corpore, atque loco extrinseco. 2. Si haec objectiva simultas, aut coexistentia (idem proferio iudicium de terminis per statum, & reliquis) pure, ac præcisè involveret Petrum, & diem hodiernum, quoties verum fuerit præteritas, aut futuras esse has duas entitates: verum quoque erit, præteritam, aut futuram esse illam objectivam simultatem; nam cum haec per vos nil aliud sit, aut positivum, aut negativum præter illas duas entitates; repugnat omnino, illas præteritas, aut futuras esse, quin simultas ipsa præterita, aut futura sit: sicut repugnat, duas illas entitates existere de præsenti, quin simultas ipsa de præsenti existat. At fieri potest, quod præteritas, aut futuræ sint duæ illæ entitates, quin præterita sit, aut futura ambarum simultas, vel coexistentia, ut constat, si Petrus exitisset diem usque hesternam exclusivè; nam hodie esset verum, præteritas fuisse ambas entitates, quin præterita fuerit ambarum coexistentia, siquidem haec numquam fuit: item si Petrus non incepturnus esset vitium, nisi post crastinam diem; nam hodie esset verum, futuras esse ambas entitates, quin futura sit ambarum coexistentia: ergo haec importat aliquid, sive positivum, sive negativum, ultra duas illas entitates.

P. Oviedo  
contro. 16  
Phys.  
Tunc. 1.  
num. 27.

Idem con-  
tro. 15.  
Phys. p. 4.

Re-

15. Respondebis 1. Hanc simultatem nihil importare ultra has duas entitates simul sumptas, ac per statum; aliquid tamen ultra illas seorsim acceptas, nimirum uniuscujusque carentiam existentem, quando altera existit; proindeque verificabitur, simultatem esse præteritam, aut futuram, quoties illæ præteritas, aut futuras sunt per statum, ac simul; non verò quoties præteritas, aut futuras sunt seorsim, atque disparate. Sed contra 1. Nam respondere simultatem duorum sive aliud esse, quām duo illa simul sumpta; est, reddere idem per idem, & dicere, *duo esse simul, esse, duo illa esse simul*. Hic est quæstio. Duo illa esse simul, ac per statum includit tertium quid, sive positivum, sive negativum, vel non? Si affirmas; illud voco durationem, sit quid positivum, vel quid negativum, à quo abstrahō. Si neges; ergo quoties illæ entitates præsentes fuerint, præsens quoque erit hoc, quod est, illas esse simul, & quoties præteritas fuerint, præteritum quoque erit hoc, quod est, illas esse simul, quod falsum est. Dicere autem, duo illa esse simul, ac per statum, nil aliud includere præter duo illa simul, & per statum, est, definitum intrudere in definitionem. Explicatur exemplo ipso, quod appellant adversarii: verum est, compositum substantiale nihil claudere ultra materiam, formam, atque unionem sibi coexistentes. Hinc si rogemur, an materia, & forma simul sumptæ objectivè dicant tertiam aliquam entitatem ultra duas illas? Absolutè affirmamus, quia includunt unionem. Si rogemur iterum, an materia, & forma, & unio simul sumptæ importent objectivè aliquid aliud, sive positivum, sive negativum ultra tres illas entitates, & illarum durationes? Absolutè negamus, & consequenter concedimus, præteritam, aut futuram esse illarum simultatem, quoties præteritas, aut futuras sint omnes illæ entitates cum suis durationibus. Ad rem præsentem. Petrum, & diem hodiernum esse simul, ac per statum, includitne tertium aliquid ultra ea duo sola? Si distinguitis *ea duo simul sumpta, ac per statum*; intruditis definitum in definitionem, & respondetis idem per idem. Si absolutè affirmatis; conceditis, durationem distinctam. Si absolutè negatis; obligamini deglutire præteritum, & futurum esse hoc, quod est, Petrum, & diem hodiernum esse simul, quoties præteritas, aut futuras sint duas illæ sole entitates.

16. 2. Repugnat, non esse futuram rem, quando futura sunt omnia constitutiva illius, nullo dempto; quia unaquaque res nihil aliud est, quām omnia sua constitutiva: & hic obstruitur effugium ad

ad unionem, seu modum illorum constitutivorum; quoniam si res importat constitutiva illa, ut unita, vel uerexistens hoc, aut illo modo objectivo, talis unio, seu modus constituit intrinsecè illam rem, aut terminat connexionem alicujus sui constitutivi, pro ipsoque necesse est existere eam unionem, sive modum, quando existant omnia omnino constitutiva rei illius, nullo excepto; at per vos omnia constitutiva hujus, quod est, Petrum, & diem hodiernum existere simul, seu *per statum*, tantummodo sunt, Petrus & dies hodiernus: ergo repugnat, futura esse haec duo, quia futurum sit hoc, quod est, Petrum & diem hodiernum *eße simul* seu *per statum*: quod falsum est. 3. Hi distinguunt sic: Petrum & diem hodiernum existere simul, aliquid importat ultra Petrum, & diem hodiernum *simil*; negant: aliquid importat ultra Petrum, & diem hodiernum existens *seorsim*; concedunt. Sed hoc implicat in terminis, quandoquidem duorum simultas nequit importare constitutivè eorumdem divisionem: ergo perperam distinguunt concedentes implicationem in terminis. Respondebis 2. Cur loquimur de illis duabus entitatibus ut præteritis, vel futuris, & non potius ut præsentibus? Latet præculdubio fallacia. Nego id, quoniam tam evidens distinctionis signum est, unum esse præteritum, & non alterum; unum esse futurum, & non alterum; quam unum esse præsens, & non alterum: ergo medium, quod assumimus, non est fallax, & applicatio illius in minore est certa. Loquimur autem de iHis duobus ut præteritis, vel futuris; quia cum de præsenti sit unicum, ac indivisibile instantis, nequeunt existere de præsenti, quin existant simul: ineptè igitur hic formaretur argumentum; at cum instantia præterita, atque futura multa sint, latior patet argumentationi campus. Alias solutiones solis verbis distinctas ab hac prætermitto, quia dilemmate eodem respondendæ sunt.

17. Sed inqabis. Relatio similitudinis in natura humana inter Petrum, & Joannem nihil claudit poterit. utriusque entitates: eo namque præcisè quod Petrus sit homo, & Joannes sit homo, à quovis alio præsciendendo, intelligimus eos similes esse in natura humana. At nihilominus fieri potest, quod præteriti fuerint ambo, quia præterita fuerit amborum similitudo: ergo, quod fieri possit, ut præteriti sint Petrus, & dies hodiernus, quin præterita sit illarum, simultas, seu objectiva coexistentia, non probat, hanc includere quippiam ultra ambos illos. Prób. mi. Esto Petrum extitisse audius tertius, & non amplius; Joannem vero heri, & non amplius: in hac hypo-

hypothesi hodie est verum dicere , præteriisse Petrum , & Joannem ; & tamen non est verum dicere , præteriisse amborum similitudinem , quia numquam extitit ; nam consistit formaliter in utroque illo homine , & ponimus numquam extitisse utrumque illum : ergo . Utgetur . Veritas propositionis nihil claudit præter ipsam , & objectum ; ac nihilominus fieri potest , ut futura sint objectum , & propositionis ; quin futura sit hujus veritas . Probatur tum in affirmativis , tum in negativis . Esto Petrum extiturum esse cras , non amplius ; & similiter extituram esse propositionem hujusmodi tendentiam , Petrus existit post crastinam diem . Ecce futura est propositionis , & futurum est suum objectum ; & tamen non est futura veritas hujus propositionis : siquidem Petrus non est extiturus , quando enunciat propositionis ergo . Similiter in negativis . Ponamus hunc actum , Petrus non existit cras , perseverare ad crastinam usque diem , & ponamus insuper Petrum extiturum esse cras . In hoc casu est futurum objectum propositionis ; nam est futurus Petrus : item est futura propositionis ipsa , quin futura sit veritas actus , cum potius futura sit falsitas : ergo .

18. Distinguo majorem instantiam . Relatio similitudinis *ut exercita* in aliquo determinato tempore , nil claudit &c. nego majorem : ut præscindens à tempore determinato ; concedo , & distinguo minorem : quin præterita sit hæc similitudo ; *ni absolute exercita* in aliquo determinato tempore ; concedo : ut præscindens à tempore determinato ; subdistinguo : & tunc verificatur de Petro , ac Joanne præteriisse ; nego : & non verificetur ; concedo . Aut loqueris de prædicta relatione sumpta in abstracto , ac cum præcisione à tempore : ( & sic nihil claudit præter entitates Petri , & Joannis ; ceterum loquendo cum hac præcisione neque de illis duabus entitatibus , neque de relatione prædicta potest verificari hoc , quod est præteriisse : nam hoc importat abs dubio tempus : ergo si à tempore præscideris , nequit hoc verificari ) aut loqueris de prædicta relatione , *ut absolute exercita* in aliquo tempore ? Et sic præter entitates Petri , & Joannis imbibit utrinque durationes ; nam licet hoc , quod est , ambos esse homines , unicè dicat amborum entitates ; attamen hoc , quod est , ambos esse homines *in tempore A* v. g. ultra rationem formaliter constituentem illos in ratione hominis addit rationem constituentem illos *in eodem tempore A* , quæ ratio est ipsa duratio , quæ juxta nostra principia distinguitur realiter à complexo illorum . Ad urgentiam , qua sibi videntur adversarii evertere funditus nostram rationem à priori , distinguo majorem . Veritas actus negativi consistit in actu , & objecto existente;

stente ; nego : veritas actus affirmativi ; subdistingo ; in actu & objecto adaequato , seu objecto existente tempore importato per copulam ; concedo : in actu & objecto inadaequato , seu non existente tempore significato per copulam ; nego , & similiter explico cetera .

19. Aliud est veritas hujus actus negativi , *Petrus non existet cras* ; aliud veritas hujus actus affirmativi , *Petrus existet post crastinam diem* . Veritas actus negativi non constituitur per actum , & objectum existens tempore , pro quo actus negat illud existere ; immo potius indisponibiliter esset falsus actus negativus , si objectum existret pro tempore , pro quo ipse negat , illud existere : quamobrem ex eo , quod futura sint objectum , & actus , tam longe abest , ut concludatur , futuram esse actus negativi veritatem , ut potius inferatur , futuram esse illius factitatem . Quod si quæras in quoniam consistat actus negativi veritas ? Respondebo postea , illam sumptam inadaequatè consistere in solo actu , sumptam verò adaequatè consistere , juxta communem loquendi modum , in actu & carentia objecti ; in rigore autem scholastico negabo suppositum quæsiti ; nam supponit esse cognoscibile ab intellectu objectum ullum , quod in se ipso sit veritas adaequata actiis negativi , & tale objectum cognoscibile non est , sicut neque objectum , quod in se ipso sit carentia Petri ; eo quod objectum hujus actiis mentalis , carentia , nihil aliud sit ; quam existentia ipsa : quemadmodum objectum hujus apprehensionis , incognoscibile , non est quidquam subjectivè in se ipso incognoscibile , sed aliquid cognoscibile , immo actu cognitum . Sed de hoc postea . Rursus veritas actus affirmativi consistit quidem in actu & objecto , sed non quomodolibet existente , sed existente tempore significato per dictum , actu : quapropter veritas hujus actus , *Petrus existet post crastinam diem* , consistit in hoc actu , & in Petro existente non hodie , neque cras , sed post crastinam diem , quia hoc & non aliud enunciat actus ille : ergo objectum adaequatum illius non est Petrus solus , sed etiam post crastina duratio hujus : ergo si illa non est futura ; non est futurum objectum adaequatum actu , seu non est futurum objectum pro illa duratione , pro qua enunciatur ab actu . Quid ergo mirum , quod non sit futura veritas actu ?

20. Replicabis . Fieri potest , ut sint futura duratio Petri A , & tempus extrinsecum , quin sit futura amborum coexistentia ; item ut sint futuras durationes Petri , & Joannis , quin futura sit illarum coexistencia : ergo juxta modum nostrum discurrendi necessaria est superaddita duratio , ut duratio A Petri coexistat tempori extrin-

seco, & durationi Joannis ; unde abibimus in infinitum ; siquidem in reflexis illis durationibus instaurari potest idem argumentum . Permissio ambiguo antecedenti , nego consequentiam : quoniam vel loqueris de duratione A, & tempore extrinseco potentibus coexistere ; vel de nequeuntibus coexistere ? Si primum ; repugnat illa esse futura , quia futura sit illorum coexistentia ; nam duratio , & tempus extrinsecum affixa sunt propriæ mensuræ ; idest per se ab intrinseco determinatae , ut existant , quando existunt : sicut præsentia sunt per se ab intrinseco determinatae , ut existant ubi existunt ; quemadmodum quippe haec sunt rationes formales distandi localiter , illæ sunt rationes formales distandi temporaliter : ergo , si illa extituta sunt , indisponibiliter debent existere simul : ergo impossibile est , illa esse futura , quia futura sit illorum coexistentia . Si secundum ; cum impossibile sit , illa coexistere ; necessaria non est reflexa duratio , ut eexistant : quia nil possibile est necessarium ad id , quod est chymæra . Similiter respondeo ad secundum exemplum . Et haec est disparitas inter rem præsentem , & istam , quam obiicis . Cum enim fieri possit , ut sit futura , quia sunt futura simul duo objecta absolute , ut Petrus , & Joannes , item duo objecta , quorum unum est absolute affixum mensuræ determinatae ut Petrus , & quedam alias duratio : inde est , quod illa esse futura simul importat aliquid ultra utramque præcisè . Cæterum cum objecta ista , quæ opponis , sunt essentialiter affixa propriis , atque determinatis mensuris , vel repugnant coexistere , vel si existunt debent necessariò coexistere : ergo superaddita duratio introducta , ut eexistant , vel est impossibilis , vel superflua .

## CAPUT TERTIUM.

### *Objectiones.*

12.



Ostenses contrarii divisi sunt , alii opinantur , durationem identificari cum solo Petro , quia identificetur cum existentia identificata cum essentia : Alii ajunt , durationem non consistere in solo objecto durante , sed in complexo ex eo , atque tempore extrinseco . Obiiciunt illi . Petrus durat in A per suam existentiam ; sed haec non distinguitur ab illo : ergo neque duratio . Probat majorem i. Petrus durat in A per id , per quod coexistit Paulus .

lo in A; sed per suam existentiam coexistit Paulus in A: ergo. 2. Ille durat in A per id, per quod excludit suam carentiam in A; sed hanc excludit formaliter immediatè per suam existentiam: ergo. 3. Quod verificat hanc propositionem, *Petrus existit*, est existentia: sed duratio verificat hanc propositionem: ergo duratio est existentia. 4. Petrus durat, & Petrus existere idem sunt: qua propter idem est, Petrus durare hodie, ac Petrus existere hodie; sed primum est duratio, & secundum existentia: ergo duratio, & existentia idem sunt. 5. Res durans in B. perseverat in eodem esse, quod habuit in A; si quidem est idem Petrus in utroque instanti; sed, si duraret per durationem superadditam, non perseveraret in eodem esse, quoniam non haberet durationem eamdem; ergo. 6. Petrus ut distinctus à superaddita duratione durat in A: ergo durat per se ipsum. 7. Sicut duratio est variabilis, capaxque augmenti, & decrementi; ita existentia absoluta: nam etiam verificatur, rem existere absolute aliquando plus, aliquando minus: Et alias sequentur duo absurdia. Primum, rem non exituram absolute plus, si centum annos, quam si unicum viveret. Secundum, rem semel existentem non posse à Deo destrui absolute; nam idem esset semel existere absolute, ac semper existere absolute. Atqui ex hypothesi, quod semel existat, nequit impediri, ne semel existat: ergo.

22. Respondeo: aliud est, quod Petrus duret in A per suam existentiam: aliud, quod duret *per seipsum* suam existentiam. Primum est verum, & secundum falsum. Nam hoc, quod est durare strictè sumptum, est conceptus copulativus duo dicens, *nempe* quod res existat, & quod existat in tempore determinato A, v. g. Quod existat absolute, debetur sive absolute existentia; quod existat in tempore A determinato debetur durationi, ad quam res habet indifferentiam physicam, ut supra ostendimus: quemadmodum quod res existat in loco A, debetur tum existentia absolute, vi cuius absolute, & simpliciter existit, tum praesentia superadditæ (ut putant multi ex Adversariis) nam per hanc formaliter immediatè constituitur res in loco determinato: quapropter nec Petrus per suam existentiam duret in A, existat in A, coexistat Paulus in A, excludat suam carentiam in A, & verificet hanc propositionem, *Petrus existit*, non fortitur has denominations per seipsum suam existentiam, quippe sola haec est physicè indiferens, ut subeat has denominations; existere namque potest cum illis, & existere potest absque illis (quod etiam contingit. quoad verificationem propositionis:

tionis declaratnam cum haec constet verbo; & de essentia verbi sit significare tempus; etiam haec significat aliquod tempus intrinsecum) quæ omnia explicabis traducens has denominations ad locum extrinsecum, & intrinsecum, diluesque sic objectionem, ac tres priores probationes. Ad 4. dico Petrum durare absolute, seu latè sumptum, & Petrum existere, idem sunt prout initio statuimus; respectivè autem ad tempus determinatum, atque strictè sumptum sunt idem inadæquatè, quia Petrum existere, si à ceteris omnibus præscindatur, dicit solam existentiam; durare vero dicit copulativè existentiam, & quod haec exerceatur in tali tempore determinato, proindeque durationem. Hæc dico, si sermo sit de hoc, quod est, Petrum durare, sumpto in concreto; quod si sumatur in abstracto, neque adæquatè, neque inadæquatè identificatur cum hoc, quod est, Petrum existere; sicut licet Petrum esse in loco A sumptum in concreto identificetur inadæquatè cum illius existentia; attamen sumptum in abstracto pro sola præsentia nullatenus identificatur cum existentia, quamvis cum illa intimè connectatur.

23. Ad quintam respondeo, rem durantem in B perseverare cum eodem esse absolute, quod habuit in A, nempe cum eisdem prædictis essentialibus, quæ habuit in A; sed non cum eodem esse respectivo, idest non cum eadem duratione; sicut transiens de loco A ad locum B retinet essentiam eamdem, sed non eamdem præsentiam. Philosophamus de duratione, quemadmodum illi de præsentia. Ad sextam nego consequentiam, quia etiam hoc papyrus, ut distinctum ab albedine denominatur physicè album per illam, quin sit album per se ipsum. Debueras dixisse, Petrum ut præscindentem à superaddita duratione durare: & sic legitimè inferres per se ipsum durare; verumtamen antecedens esset falsum. Ad septimam fateor, rem non extitaram plus quoad intensionem, si centum annos, quam si unicum viveret; extitaram vero plus absolute quoad extensionem, idest in prolixiore tempore identificandam iri cum sua existentia absoluta: sicut homo tot illos annos vivens non esset plus quoad intensionem animal rationale; licet esset plus quoad extensionem. Ad secundum absurdum; nego illud cum sua probatione: quamquam enim existentia absoluta, quæ semel datur, non sit distincta ab illa, quæ semper daretur; nihilominus non esset idem, semel existere, ac semper existere: quoniam hi duo conceptus intrinsecè important durationem ultra existentiam absolutam, & unica duratio non est sempiterna duratio, proindeque semel existere, seu unam

unam habere durationem, non est infinitas habere durationes, seu semper existere.

24. Obj. 2. rationem à priori P. Oviedo: coexistentia duorum nihil aliud est, quām utriusque existentia: ergo eo præcisè, quod <sup>16. par. 1.</sup> intelligantur existentia Petri, & existentia diei hodierni, intelligitur <sup>n. 16.</sup> utriusque coexistentia; sed in hac consistit duratio: ergo eo præcisè, quod intelligantur existentia Petri, & existentia diei hodierni, intelligitur hodierna duratio Petri: ergo hæc duratio non distinguitur à complexo utriusque. Confirmatur. Eo præcisè, quod Petrus existat, & successivè pertranseat motus cœlorum, quovis alio seculo, intelligitur Petrus coexistens eis motibus: sic ut eo præcisè, quod arbor sit fixa ad ripam fluminis, & successivè decurrant undæ, arbor est præsens illis undis. Sed Petrum coexistere motibus cœlorum, est, Petrum coexistere tempori, & durare: ergo eo præcisè, quod existat Petrus, & successivè pertransiant motus cœlorum, coexistit tempori, & consequenter durat: ergo hujusmodi coexistentia, & duratio unicè consistit in complexo ex Petro, & tempore extrinseco. Retorquetur facile in adversarium admittentem, præsentiam distinguitam à complexo ex corpore v. g. & loco extrinseco. Sicut enim <sup>Idem controver. S. Physica.</sup> coexistentia localis Petri, & hujus loci non stat in utriusque sola existentia; sed in hac, & existentia tertiarum alias entitatis, quam vocamus præsentiam, eo quia stat in utriusque existentia, simul localiter, & in hac simultate locali, agnoscitur aliquid ab utroque distinctum; ita coexistentia Petri, & temporis exteriseci non consistit præcisè in utriusque existentia, sed in hac, & alia tertia, quam durationem, nuncupamus; eo quia stat in utriusque existentia simul temporaliter, ac per statum, & per argumentum supra fabricatum, hujusmodi simultas aliquid addit supra eas duas solas existentias; alioquin toties erit futura simultas illa, quoties futuræ sint eas duæ solæ tñates. Igitur nego antecedens, aut distingue, si vis: nihil aliud est, quām utriusque existentia seorsim accepta; nego: simul sumpta simultate temporali; concedo: idem respondeo confirmationi. Sicut in hoc, quod est, arborem sicut esse ad ripam fluminis, & undas decurrere, non agnoscitis dum taxat entitates arboris, & undarum; sed ulterius præsentias distinctas nimirum præsentiam arboris *in ea ripsa*, & præsentiam undarum *juxta ripam illam*; ita in hoc, quod est, Petrum existere, & successivè moveri cœlos; non agnoscimus solas entitates Petri, & motuum, sed ulterius aliam tertiam entitatem, quam dicimus durationem. Quapropter dist. major i eo: præcisè, quod Petrus

trus existat, & successivè transeat motus cælorum simul cum existentia Petri, intelligitur Petrus coexistens illis motibus; concedo ( At in hac simultate imbibitur aliquid distinctum à solis Petro, & illis motibus ) & successivè transeant illi motus divisim ab ea existentia; nego maiorem: exemplum autem ipsos urget: quoniam arbor non coexisteret localiter illis fluctibus prætereuntibus, si nos haberet præsentiam in illa ripa ab ipsa arbore distinctam.

25. Objicit 3. idem Author. Res pro priori ad superadditam durationem intelligitur durans; nam est causa materialis illius, & consequenter debet existere pro priori ad illam: ergo supervacans est duratio superaddita. Nego antecedens, & probationem: quoniam duratio stat formaliter immediate in actione productiva rei ( duratio enim, sive conservatio est iterata productio ) & nulla res existit pro priori naturæ ad suam actionem productivam. Instabis. Nihil existit pro priori temporis ad suam productionem; sed existet ante suam productionem, si duratio esset productio: quippe hodie physicè existit Petrus ante durationem, qua gavisurus est cras: ergo. Et confirmatus. Prima actio productiva Petri est verè, ac propriè productio illius; sed non est duratio: quippe duratio strictè talis est conservatio rei; & prima actio, cum non supponat aliam, non est conservatio. Major instantia est vera de prima productione, sed falsa de secundâ, tertiat &c. Ad confirmationem respondeo, hanc phrasim, *res datur*, gemino sensu posse donari; uno convertibili cum eo, quod res illa perseveret, seu conservetur: & sic prima productio, reduplicativè ut prima, non est duratio. Altero convertibili cum eo, quod res existat in tempore extrinseco reali, vel imaginario existente, vel possibili: & sic etiam prima productio est duratio.

26. Obji. 4. eo ipso, quod Petrus intelligatur existens absolute, intelligitur durans; ergo duratio non distinguitur ab existentia absoluta. Prob. antecedens. Eo ipso, quod intelligatur productus, intelligitur durans, quia inquimus, durationem consistere in productione. Sed eo ipso, quod intelligatur existens absolute, intelligitur productus: nam eo ipso intelligitur extra omnes suas causas, & distinctus à puro nihilo: ergo. Mala est prima consequentia, ubi ex connexione infertur identitas; sed nego antecedens, distinguo que minorem probationis: intelligitur productus ratione identitatis existentiae cum productione; nego: ratione metaphysicæ connexionis; concedo. Interdum dicimus, *eo ipso*, quod intelligatur A, intelligitur B; non quia A identificetur cum B, sed quia cum illo ex suo

Actio conceptu metaphysico connectitur. Sic eo ipso, quod intelligatur actio, intelligitur agens; & eo ipso, quod intelligatur unio, intelliguntur extrema, quia ex suis conceptibus metaphysicis connectuntur actio cum agente, & unio cum extremis. Hoc in presenti. Existentia cuiusque creature titulo essendi, sive dependendi ab alio metaphysice connectitur cum sua productione, & consequenter cum sua duratione; quocirca eo ipso, quod creatura intelligatur existens, intellegitur producta; quod si haec phrasis, eo ipso, quod intelligatur A, intelligitur B, sonet tibi amborum identitatem, ob istam eamdem rationem negabo, quod eo ipso, quod creatura intelligatur existens, intellegatur producta.

27. Objec. 5. Argumentum, quod hic proponit P. Lynce tamquam ingenti plausu suscepimus. Si Petrus duraret per superadditi<sup>P. Lynce  
bit cap. 4.</sup> tam durationem, etiam carentia Petri, quae ab aeterno fuit, duraret ab aeterno per durationem superadditam. Sed hoc est falsum; quia illa non duravit per durationem positivam, ut est certum; deinde non per negativam. Probatur. Si illa carentia duravisset per durationes negativas, fluxas, & successivas, daretur infinitum successivum à parte ante. Sed hoc repugnat: ergo. 2. Ipsa duratio hodierna non existit ab aeterno: ergo ab aeterno extitit, & duravit carentia hujus durationis. Sed haec carentia nequivit durare per durationes negativas, quia inassignabiles sunt: ergo. Dissimulato, quod de carentiis sermonem instituat, non secus, ac si essent aliquid respondeo. Carentia Petri duravit ab aeterno per superadditas durationes negativas, quae nihil aliud sunt, quam totidem carentiae durationum, quas Petrus potuit habere ab aeterno. Quo circa sicut existentia Petri durat per durationem illius; ita carentia absoluta Petri durat impropriissimo suo, & frivolo modo per carentiam durationis Petri. Quod ait, repugnare infinitum successivum à parte ante; falsum est. Non enim est de conceptu illius, non babere finem, sed carere principio, quia non est infinitum deorsum; sed sursum: sicut infinitum à parte post non est infinitum sursum, sed deorsum: unde illud potius vocandum est *Imprincipiatum temporaliter*, quam *infinitum*, & licet daretur infinitum, hoc est, imprincipiatum successivum à parte ante (quod sane jam petratisvisisset) sive carentiam, sive generationum, nulla fuisset prima; nam sicut in infinito à parte post durationum nulla est assignabilis, postquam non maneat infinita; ita in utroque illo infinito, hoc est, in illo imprincipiato nulla esset assignabilis generatio, antequam non fuissent infinita, & simi,

similiter de carentiis. Ad confirmationem respondeo, carentiam hodiernæ durationis per se ipsam durasse ab æterno: quia cum duratio hodierna per se immediatè sit affixa huic mensuræ hodiernæ, nullatenus potuit existere ab æterno: ergo necessariò extitit ab æterno carentia illius: ergo hæc non indigeret duratione superadditâ, ut ab æterno duraret.

28. Objicies demum absurdâ multa, quæ sequerentur ex duratione superaddita. Nam sequeretur 1. Dandam esse reflexam aliam durationem, ut Petrus denominaretur durans à propria, & directa duratione; est enim indifferens quoque, ut denominetur, vel non denominetur à duratione hodierna. Est verum; sed cum duratio hodierna non sit indifferens physicè, ut Petrum denominet durantem hodie, necessaria non est alia duratio præter hodiernam: ergo absurdum hoc male inferatur. Sequeretur 2. Dandas esse durationes quasi reflexas in infinitum; ideo namque ponimus durationem distinctam à Petro, & tempore extrinseco, quia ambo possunt existere, quin sibi coexistant. Sed etiam duratio Petri ex una parte, & duratio Joannis ex altera possunt existere, quin sibi coexistant, ut patet: ergo admittendæ sunt reflexæ aliæ durationes, per quas determinentur durationes directæ, ut sibi coexistant: & de illis reflexis fit argumentum idem. Jam dixi, quod si loquaris de durationibus semel coexistentibus, nequeunt existere, quin coexistant: quia unaquæque est per se ab intrinseco determinata ad existendum, quando existit ( idest ex suppositione, quod extitura sit, debet existere, quando existit) sed si semel coexistunt, existunt in eadem mensura: ergo si semel coexistunt, sunt per se ab intrinseco determinatae ad coexistendum: ergo non indigent reflexa duratione. Si autem loquaris de durationibus non exturis simul, si existerent haec, nequeunt umquam coexistere; neque per se neque per aliud: ergo inutilis esset reflexa duratio, ut coexistant.

29. Sequeretur 3. Posse Deum facere, ut ego immediatè post durationem hodiernam durarem in anno proximè futuro, conferendo nimirum mihi durationem illam. Nego id: quia sicut praesentis sunt rationes formales distandi localiter, & ob hanc rationem sunt essentialiter affixa suis spatiis imaginariis, & consequenter distant inter se essentialiter; & ideo nequit fieri, ut praesentia Romana sit immediatè localiter post Complutensem; ita durationes sunt rationes formales distandi temporaliter: ergo essentialiter distant temporaliter inter se, quæ semel distaverint: ergo duratio hodierna, & du-

duratio anni futuri essentialiter distant inter se : ergo nequit fieri , ut una sit immediata alteri . Sequeretur 5. Deum non posse producere durationem hodiernam ante diem hodiernum , cum illa duratio ponatur essentialiter affixa diei hodierno . Sed hoc mutilat dominium Dei , cuius est proprium posse producere , atque conservare res , quando libuerit : ergo . Nego minorem , cuius probatio est vera de rebus non alligatis essentialiter determinatis spatiis temporalibus physieis , aut imaginariis ; falsa autem de rebus sic alligatis . Igitur quemadmodum in sensu composito infinitæ amplitudinis divini dominii nequit Deus facere , quod homo non sit animal , nempe quia ille habet per suam essentiam esse animal , & non coarctat dominium Dei , quod homo gaudeat hujusmodi essentiæ , aut quod ipse invertere nequeat essentias rerum ; ita conjunctim cum infinito dominio Dei nequit hic facere , quod hodierna duratio existat heri ; quia haec habet per suam essentiam non existere heri , neque hujusmodi essentia oblitus dominio Dei . Multoties sibi occurunt dominium Dei , & essentiæ rerum ; nam aliquando censem unum Autores essentiam hujus , vel illius generis esse impossibilem ; quia inde sequeretur , Deum nequire facere hoc , vel illud ; è converso alii docere solent , nullum esse absurdum , quod Deus nequeat facere hoc , vel illud , quia est contra essentiam rei illius , quam disputatione .

30. Reor utrorumque argumentum , nisi aliis rationibus foveatur , esse debile , & vitioso circulo obnoxium . Interdum sed non semper , dominium Dei eviciit , impossibilem esse talem quandam essentiam creaturæ : sic ex dominio Dei infertur efficaciter , impossibilem esse creaturam , quæ per suam essentiam habeat existere semper , & ubique , velit nolit Deus ; at non infertur , impossibilem esse creaturam , quam nequeat Deus facere rationalem , eo quod illa habeat per suam essentiam non esse rationalem Interdum item , sed non semper essentia creaturæ infert , non esse contra dominium Dei , quod facere nequeat hoc vel illud : Sic ex essentia malitiæ formalis peccati bene concluditur , non posse Deum illum strictè physicè determinare , quin ex hac potentia dedecus ullum aspergatur Deo : sic ex essentia canis legitimè arguitur , nequire Deum , illum facere rationalem absque sui dominii mutilatione . At non semper , quoniam abs dubio resistet dominio divino creatura , quæ haberet per suam essentiam semper , & ubilibet esse beatam . Quamobrem quando haec duo sibi occurrant , perpendendum est , an essentia , quæ ponitur in crea-

creatura, de qua est sermo, efficaciter positivè probetur, an non? Si probatur: ab illa standum est, & consequenter dicendum, non Imedi dominium divinum ex eo, quod facere nequeat hoc, vel illud, quod esset contra essentiam creaturæ illius. Si non probatur positi- vè: standum est à dominio divino, & consequenter dicendum, ejus- modi essentiam repugnare, eo quod dominum coarctet divinum.

## C A P U T Q U A R T U M .

*An duo contradictoria possint existere pro diversis instantibus.*

31.



P. Lynce  
lib. 7. sr. 2.  
c. 4. nu. 28.

Ccasione superata modò difficultatis aliam exagita-  
vit P. Lynce, quam in Dialectica tetigi etiam. An  
scilicet entitatem semel existentem possit Deus de-  
struere per defectum absolutum, an per defectum  
solum respectivum, qualis est defectus non rei ip-  
sius, sed suæ durationis? Quod aliis terminis prponi solet sic. An

duo contradictoria objectiva possint existere pro diversis instantibus? Dubiolum profectò ad quæstionis dignitatem, non tam propriis me-  
ritis, quam DD. altercationibus evictum. Tuentur partem nega-  
tivam ipse Lynce; & Ribadeneyra, qui multos ex suis discipulis

P. Ribadeneyra  
lib. de  
contingen-  
tiq. 60. &  
disp. 9. de  
scientia  
cap. 12.

traxit post se. Ajunt igitur, rem semel existentem non posse debi-  
cere, nisi per defectum suæ durationis, ita ut modò non detur caren-  
tia absoluta, formalis, & immediata Adami; sed solummodo caren-  
tia durationis, qua ille existere poterat hodie: quemadmodum in  
hoc loco non datur absoluta, formalis, & immediata carentia Re-  
gis ( alioquin duo contradictoria existerent in eodem puncto tempo-  
ris, quamquam in diversis locis ) sed præcisè carentia præsentia, que  
Rex poterat hic esse. Partem affirmativam protegunt PP. Qairós,

P. Quiros,  
1. p. disp.  
48.

& Izquierdo, & utrosque sequuntur multi ingeniosi DD. Paucis me-  
expidiā, sicut in Dialectica à dubicio hoc utpote inter solos mo-  
dos loquendi concepto, nutritio, & adulto. Certum est mihi, hene

P. Izqui-  
trat. de  
Deo disp.  
8.

quæstionem supponere falsum, quia supponit contradictoria obje-  
ctiva, carentias, defectus, negationesque; cum tamen nihil sit co-  
gnoscibile ab intellectu, quod in se ipso independenter ab intellectu  
sit carentia, defectusque, & quod subjectum intrinsecum termina-  
tum omnis prorsus intellectus sit vera, phisica, & realis exis-  
tia,

ea , quidquid sit de terminis, quibus hæc obducitur , movetque , atque terret incautos tyrones .

32. Certum est 2.duas propositiones strictè contradictorias , nec pro diversis instantibus posse esse veras ( pro diversis inquam *subjectivè* , quatenus propositiones in diversis concipientur instantibus ; non *objectivè* , quasi in diversa tendant instantia , quia si hoc contingenteret , non essent illæ contradictoriaræ . ) Probatur . Si hæc propositione , *Petrus peccat in instanti A* , esset vera in instanti B. & hæc , *Petrus non peccat in instanti A* , esset vera in C; sequeretur , Petrum peccavisse , & non peccavisse in A; sed hoc est chymæra : ergo chymæra est , quod hæc duas propositiones existentes in diversis instantibus sint veræ . Sed hæc sunt duas contradictoriaræ : ergo est chymæra , duas contradictoriaræ existentes adhuc in diversis instantibus esse veras . Quid si tibi objecerint alias , quæ in diversis instantibus sint veræ : animadverte , illas non esse contradictoriaræ , quia subdolè mutant significationem instantium ; & contradictoriaræ respicere debent idem omnino instans , in qua suppositione modò disputo . Major hujus discessus videtur certa ; quoniam ubicumque fuerit vera propositione illa affirmativa , veritas illius consistit in eo , quod Petrus peccet in A: ergo si propositione illa est vera in B, necesse est , quod Petrus peccaverit in A: alias fieri posset , illum non peccavisse in A; & tamen quod verè dicteremus in B, illum peccavisse in A. Præterea quandocumque vera sit propositione altera negativa , veritas illius consistit in eo , quod Petrus non peccaverit in A: ergo si propositione illa est vera in C, necesse est , Petrum non peccavisse in A: alioquin fieri posset , illum peccavisse in A, & tamen quod postea in C dicteremus verè , illum non peccavisse in A: ergo si utraque propositione est vera , licet in diversis instantibus , quia ipsæ concipientur in instantibus diversis , sequetur , Petrum peccavisse , & simul non peccavisse in A. Sicut enim acus , quæ eamdem magneticam virtutem ebiberunt , ubicumque ponantur , eamdem polum mundi respiciunt ; ita duæ propositiones contradictoriaræ , ubicumque concipientur , idem respicere debent instans , alioquin qui profert unam , non contradicet afferenti alteram .

33. Neque dixeris quæso , has propositiones ut veras dumtaxat efflagitare peccatum , & carentiam peccati pro eis instantibus , in quibus ipsæ sunt veræ ; cumque ipsæ sint veræ pro diversis instantibus , idcirco tantum efflagitare peccatum , & carentiam peccati pro diversis instantibus : in quo nullum absurdum . Sic ne discresset : quoniam propositione ut vera non indiget suo objecto verificativo pro

instanti illo, in quo ipsa existit, & est vera; sed pro instanti illo, pro quo dari suum objectum enunciat. Sic veritas hujus propositionis, *Rex degit Madrissi*, quæ in hoc cubiculo est vera, non poscit, Regem degere in hoc cubiculo; sed Madriti; quia licet ipsa non proferatur Madriti, sed in hoc cubiculo, & in hoc sit vera; attamen non enunciatur, Regem vivere in hoc cubiculo, sed Madriti. At quamquam duas præfatae propositiones proferantur in diversis instantibus, non affirmant, & negant pro diversis instantibus, sed pro eodem omnino: ergo non poscent peccatum, & carentiam peccati pro diversis instantibus, sed pro eodem. Præterea neque hinc sumas argumentum in favorem primæ sententiae, quia ut exemplis, & ratione ostendi disp. 6. ex eo, quod propositio sit vera in hoc instanti, pessime arguitur, universaliter loquendo, dari in hoc instanti suum verificativum objectivum, vel deficere in hoc instanti ex eo, quod propositio in hoc instanti sit falsa. Fax enim, quæ prælucere debet intellectui judicaturo, quæ propositio sit vera, & quæ sit falsa, est ipsum enunciare propositionis: quo circa si propositio neque affirmat, neque negat, suum objectum existere in hoc instanti, tam impertinens est ad veritatem, ac falsitatem propositionis, quod suum objectum existat, aut non existat in hoc instanti; quam importunum foret, quod illud esset rubrum, aut viride, nisi forte illud, quod propositio enunciat, intime habuerit connexionem cum eo, quod suum objectum de presenti existat; vel determinatè cum eo, quod de presenti non existat.

34. Certum est 3. Quod si carentia Petri secundum se, & defectus absolutus Petri sit carentia, sit defectus, sit exclusio adeo universalis, ut removeat Petrum ab omni instanti non modò præsenti ipsi carentia; verum etiam præterito, atque futuro: ex hypothesi existentia Petri in reliquo instanti nequit umquam dari carentia absolute Petri, seu carentia Petri secundum se, proindeque juxta intelligentiam hanc neque dare duo contradictoria pro diversis instantibus. Quoniam ex hypothesi, quod Petrus existat in A prorsus repugnat, quod non existat in A; nam quodvis dura est, necesse est, esse; quia alijs posset esse, ac non esse in eodem instanti; ergo ex hypothesi, quod semel existat in A, prorsus repugnat, quod umquam detur aliquid removens illum ab omni omnino instanti: ergo si carentia Petri secundum se, & defectus absolutus illius, sit carentia, defectus, exclusio adeo universalis, ut illum removeat ab omni prorsus instanti; repugnat, quod umquam detur carentia illius secundum se, seu defectus absolutus illius, si ille aliquando ex.

## *Contradicторia pro diversis instantiis.* 757

exitit. Juxta hanc igitur terminorum acceptationem frivola est quæstio: quamobrem vel hi termini, Petrus existens secundum se, carentia Petri secundum se, & id generis alii, qui hic ultrò citroque proferuntur, significant *objectivam præcisionem*, atque *realem à tempore*, quatenus ille existat, quin existat in tempore; aut deficiat, quin deficiat in tempore; vel significant, præcisionem pure mentalem propositionum, quatenus haec dicant, Petrum existere, aut non existere abstrahentes omnino ab omni tempore: vel tandem, significant solam distinctionem tum Petri à sua duratione, tum carentiae à carentia durationis? Si primum, aut secundum; præterquam quod est impossibile (siquidem de essentia verbi est *consignificare tempus*, & omnis propositio iæthegorica essentialiter constat verbo, & consequenter per suam essentiam habet significare tempus,) est usus terminorum oppositus quæstiōni ipsi: nam haec est. An rei semel existentis in A v.g. dari possit carentia secundum se in B: ergo si istud sicut *theorema*, secundum se, tibi sonet præcisionem objectivam, vel mentalem à tempore, seu instantibus, rescindis quæstiōnem. Et hinc emergit frequens implicatio in terminis, quam sibi mutuo imputare solent utrique Authores; sed quid mirum, cum juxta acceptationem hanc illius secundum se titulus etiam ipse quæstiōnis implicit in terminis. Dicendum ergo est tertium, nimirum præfatos terminos dum taxat significare distinctionem tum Petri à sua duratione, tum suæ carentiae à carentia suæ durationis, & sensus quæstiōnis est: An ex suppositione, quod Petrus, *ut distinctus à dura-*  
*tione*, extiterit in aliquo instanti, possit dari in alio carentia illius, *ut sic distincti*, seu carentia illius, *ut distincta à carentia durationis*, juxta quam terminorum acceptationem commodè possumus dicere, existere Petrum secundum se in instanti A, & deficere secundum se, & dari in instanti B carentiam illius secundum se: quoniam solidam significatur præcisio distinctionis à duratione, & carentia hujus, quæ distinctionis subsistere potest, tametsi Petrus existat in duratione A, & tametsi sua carentia existat in duratione B, proindeque hujusmodi propositiones non implicant in terminis. Hoc triplici funiculo constringendi sunt qui diverticula querentes, ut contrarium fugiant, puluerem implicationis in terminis excitant, non advertentes quæstiōnem ipsum implicaturam in terminis, si gemina esset acceptio illius secundum se, quam ipsi comminiscuntur.

35. Certum est 4. contradicitoria ut talia respicere idem omnino instantis ut disputatione 1. dicebamus. Exponentes principium illud: *impos-*

*impossibile est, idem simul esse, & non esse, docens nos oppositionem;* seu reciprocam contradictionem repugnantiam, id est contradictionem ut talium naturam. Etenim non repugnat, rem esse, & non esse in diversis temporibus, neque sunt contradictiones propositiones, quae id enunciant v.g. *Petrus est in instanti A; Petrus non est in instanti B:* quae autem fingantur praesciendere à tempore, praescindunt quoque à contradictione, suntque indifferentes, ut sint, vel non sint contradictiones, prout ipsis addatur, vel admittatur significatio temporis eiusdem v.g. finge hanc propositionem, *Petrus existit*, praescindere objectivè ab omni tempore, non contradicet positivè, qui praescindendo similiter ab omni tempore dixerit, *Petrus non existit*. Nam pone addi priori propositioni hos terminos, *in instanti A*, & posteriori hos, *in instanti B*, contradicet ne? Absit. Pone addi posteriori hos, *in instanti A*, tunc abs dubio contradicet: ergo praefatae propositiones sunt positivè contradictiones, si ipsis addantur dicti termini, & non sunt positivè contradictiones, si ipsis non addantur. Sed illæ ut praescindentes à tempore sunt indifferentes, ut ipsis addantur, vel non addantur illi termini: ergo ut sic praescindentes non sunt positivè contradictiones: ergo, si finxeris, hujusmodi propositiones praescindere objectivè à tempore, positivam earumdem contradictionem arces. Absolutè vero, & simpliciter loquendo sunt contradictiones, quia absolutè loquendo supponimus, illas idem tempus significare. Similiter absoluta carentia rei, seu carentia rei secundum se, idest ut distincta à carentia durationis, dicitur contradictionum formale, atque immediatum rei relatè ad instantem idem, in quo exerceatur hujusmodi carentia, quatenus repugnat in eo quoque existere ipsam rem. Quid si de re, & de sua formalic carentia loquaris, praescindens omnino à tempore eodem, seu similitate; non erunt positivè contradictiones, sed indifferentes, ut sint, vel non sint contradictiones, ut modo dicebamus de propositionibus. Quamobrem praescindendo à tempore intrinseco, & extrinseco reali & imaginario, neutruam repugnat, rem esse, & non esse: quoniam dumtaxat repugnat, rem simul esse, & non esse: ergo expungendo, tò *simul*, id non repugnat, quia tunc non coibunt duo contradictiones. Sed praescindere à tempore modo dicto est expungere tò *simul*: ergo praescindendo à tempore intrinseco, & extrinseco reali, & imaginario, non repugnat rem esse, & non esse, sicut nec repugnat, rem esse *in uno tempore*, & non esse *in alio*. Et suadetur ultra his posteriori. Finge, rem existere, praescindendo ab omni tempore di-

dicto, sive insuper, existere cum simili præcione carentiam illius ut distinctæ à quolibet alio, hoc est, rem existere *nusquam*, *nuspianam*; item carentiam suam existere *nuspianam*, *nusquam*. In hoc calu quænam est similitas contradictiorum, ut repugnet existere rem, existere carentiam illius secundum se? Porro si his objectis adjunxeris idem instans, repugnabunt in vicem; sive vero instantia diversa, non repugnabunt in vicem. Atqui objecta illa in ea præcione sunt indifferentia, ut ipsis adjungantur diversa instantia, vel idem instans; ergo in ea præcione sunt indifferentia, ut sint, vel non sint contradictiones: ergo non sunt positivæ contradictiones. Constat ergo, tam arduum esse spoliare contradictiones simultate, seu respectu ad idem instans; quam hominem rationalitatem, cum contradictiones tam objectiva, quam mentalia oporteat esse *eiusdem de eodem secundum idem*, & consequenter respectiva ad idem, atque in hoc sensu omnia, quæ verè fuerint contradictiones acti, absolute, debent esse contradictiones respectiva, nimirum ad unum, idemque tertium. Deceptione Doctorum aliquorum stat in eo, quod ex una parte amovent repugnantiam contradictionum, nempe simultatem, & ex alias putant manere repugnantiam. Ubi primum simultatem expunxeris, falso est, impossibile esse, quod res sit, quod res non sit: non addo copulam, & quia simultatem importat.

36. Respondeo igitur quæstioni sicut in Dialetica. Impossibile omnino est, duo contradictiones strictè talia existere adhuc pro diversis instantibus *in sensu positivo*, possunt tamen existere pro diversis instantibus *in sensu mere negativo*. Et sic conciliari possunt ambæ opiniones alloquin contrariae. Explicatur. Aliud est, quod non detur in hoc loco aliquid, quod subjectivè in se ipso sit, *Regem vivere Madriti*: aliud longè diversum, quod in hoc loco detur aliquid, quod in se ipso sit, *Regem non vivere Madriti*; mutatur quippe negationis appellatio. Ex hypothesi, quod Rex vivat Madriti, est impossibile, quod in hoc loco detur quippiam, quod subjectivè in se ipso sit, *Regem non vivere Madriti*; alloquin in eodem punto temporis, quamvis in locis distinctis darentur duo contradictiones positivæ talia. Ceterum adhuc ex hypothesi, quod Rex vivat Madriti, potest contingere, quod non detur in hoc loco hoc quidpiam, quod in se ipso sit, *Regem vivere Madriti*, ut per se patet; neque ex eo, quod non detur hic quippiam, quod in se ipso sit, *Regem vivere Madriti*, argui potest dari in hoc loco quippiam, quod in se ipso sit. *Regem non vivere Madriti*. Hoc in praæsentiarum. Aliud est, quod non

non detur in instanti B aliquid, quod in se ipso sit, *Petram durare in instanti A*; & aliud plurimum diversum, quod in B detur aliquid, quod subjectivè in se ipso sit, *Petram non durare in A*: quia, ut videtis, variatur negatio. Ex hypothesi quod Petrus duraverit in A, repugnat omnino, quod in B, aut in ullo instanti detur quippiam, quod in se ipso sit, *Petrum non durare in A* (& hoc esset dari duo contradictionia in sensu positivo pro diversis instantibus) tum quia ex hypothesi, quod Petrus duraverit in A, est necesse, quod duraverit in A, & impossibile, quod non duraverit in A.

37. Ergo ex hac hypothesi est impossibile, quod omquam detur aliquid metaphysicè oppositum cum eo, quod ille duraverit in A, & connexum cum eo, quod non duraverit in A. Sed objectum, quod in se ipso foret, *Petrum non durare in A*, esset metaphysicè oppositum cum eo, quod ille duraverit in A, & subinde connexum cum eo, quod non duraverit in A: quoniam licet tale objectum non existeret in A, sed in B. v.g. attamen ex instanti ipso B destrueret, quod Petrus in A duraret: ad modum, quo licet divina revelatio transiens non existat in instanti ipso A; at verò si exicit vel post ipsum, & enunciat, *Petrum non existere in A*, non permittit, illum existere in A; sed potius metaphysicè opponitur cum eo, quod ille existat in A: ergo ex hypothesi, quod Petrus duraverit in A, est impossibile, quod in B detur quidquam, quod in se ipso sit, *Petram non durare in A*: tum quia si in B daretur hujusmodi objectum, in B esset vera hæc propositio, *Petrus non durat in A*: ubi verbum non supponitur de præsenti, ac per statum; sed alienatur per adjunctum syncategorema ad tempus præteritum. Etenim quoties datur aliquid intimè connexum cum eo, quod Petrus non duret in A, est vera propositio solummodo enuncians Petrum non durare in A. Præterea cum supponamus, Petrum durare in A, etiam foret vera hæc propositio, Petrus durat in A: ergo si ex hypothesi, quod ille duraverit in A, detur in B aliquid, quod in se ipso foret, Petrum non durare in A; sequeretur, esse veras in B has duas propositiones, *Petrus non durat in A*, *Petrus durat in A*. Sed haec sunt strictè contradictiones: ergo sequeretur, esse veras in B duas propositiones strictè contradictiones.

38. Cæterum adhuc ex hypothesi, quod Petrus duraverit in A, contingere potest, quod non detur in B aliquid, quod in se ipso sit, *Petrum durare in A* (& hoc est dari duo contradictionia pro diversis instantibus in sensu mere negativo) quia objectum, quod in se ipso esset,

esset, Petrum durare in A, intrinsecè clauderet ipsam durationem A: ergo si in in B daretur objectum, quod in se ipso esset, Petrum durare in A, in B daretur duratio ipsa A. Sed hoc repugnat, cum durationes sint essentialiter successivæ, vel saltem non est necessarium, quod contingat: ergo ex hypothesi, quod Petrus duraverit in A, repugnat, quod detur in B aliquid, quod subjectivè in se ipso sit, Petrum durare in A, vel saltem potest contingere, quod non detur in B hoc aliquid: ergo duo contradictoria possunt existere pro diversis instantibus in sensu mere negativo. Neque ex uno sensu argues ad alterum dicens: deficere unum contradictorium est existere alterum: ergo deficere in B objectum, quod in se ipso sit, Petrum existere in A, est existere in B. contradictorium hujus objecti. Sed contradictorium illius, est Petrum non existere in A: ergo si in B deficit objectum, quod in se ipso sit, Petrum existere in A, in B datur objectum, quod in se ipso sit, Petrum non existere in A; ergo si duo contradictoria possunt existere pro diversis instantibus in sensu mere negativo, possunt quoque existere in sensu positivo. Fallaciam hanc ne objecceris: nam suppone maximæ illi generali hanc minorem: *Sed pro priori ad equum non datur bac papyrus, quippe quæ neque est causa, neque conditio necessaria ad equum;* & inferes; ergo pro priori ad equum datur contradictorium hujus papyri: & subinfieres: ergo hujus papyri contradictorium est causa, vel conditio necessaria ad equum gignendum. Suppone item hanc minorem: *Sed in hoc loco non datur hoc, quod est, Regem vivere Madriti;* & inferto: ergo in hoc loco datur contradictoriū hujus, quod est, Regem vivere Madriti. Sed contradictorium hujus est, Regem non vivere Madriti: ergo in sensu composito vitæ, & præsentia Madritensis Regis datur in hoc loco aliquid, quod subjectivè in se ipso sit, Regem nō vivere Madriti.

39. Ita igitur generalis maxima, quæ assumitur pro antecedente nata, & adulta est inter manus eorum Doctorum, qui admittunt positivè, aut supponunt, contradictoria objectiva positivè talia, quæ ego nego; proindeque nego suppositum, pressè, ac scholasticè loquendo, antecedentis istius. Præterea deficere unum contradictorium est existere alterum, quando hoc alterum durataxat excludit illud unum ab eo instanti, in quo exercetur hoc alterum; scilicet quando hoc alterum excluderet (si existeret) illud unum etiam ab instanti, in quo supponitur illud unum; & non existit hoc alterum, quia id metaphysicè repugnat. Jam si in instanti B daretur aliquid; quod subjectivè in se ipso foret, Petrum non existere in A,

tale aliquid excluderet Petrum ab instanti A, in quo is supponitur existens, & in quo non existit tale aliquid; ergo desicere in B ali- quid, quod subjectivè in se ipso sit, Petrum existere in A, non est dari in B aliquid, quod subjectivè in se ipso sit, Petrum non existere in A. Hinc 1. utrisq; Doctoribus satisfacies: nam argumenta longa, & subtilia P. Ribadeneyræ soldū evincunt, duo contradictoria formaliter, ut talia, non posse existere *in sensu positivo*, adhuc pro diversis instantibus; minimè autem suadent, illa non posse existere in diversis instantibus *in sensu merè negativo*. E converso argumenta P. Izquierdo, & sequacium concludunt, duo contradictoria posse existere pro diversis instantibus *in sensu merè negativo*; non autem *in sensu positivo*, & cùm respectu ad instans idem. Utrisque supersedeo, quis multa sunt ex terminis datis explicatu facilia. Hinc 2. Nostra senten- tia his circumscribitur terminis: aut loquimini de contradictoriis formaliter, ut talibus, idest ut respicientibus idem omnino instans; aut de contradictoriis, ut præscindentibus ab hac similitate, respe- ctuque ad idem prorsus instans? Si hoc secundum; loquimini de contradictoriis, prout non contradictoriis, quia Petrus, & quod vulgo dicitur carentia Petri, si exuantur realiter, aut mentaliter à respectu ad idem instans, non sunt contradictoria; proindeque licet nequeant *similē* existere, quia id esset relabi in respectum ad idem in- stans, à quo clamatis vos præscindere; possunt tamen existere, idest co-tingere posset, quod, cùm Petrus extiterit, existat carentia illius secundum se. Si illud primum; dico duo. Unum est. Objectum omnis penitus cognitionis esse existentiam physicam, veram, & rea- lem, quæ jam his, jam illis terminis cœlari solet: ergo non est co- gnoscibile objectum ullum, quod in se ipso sit verè carentia, nega- tio, contradictiorum existentiæ juxta disp. antecedentem: ergo sup- ponit falsum. Alterum est: illo primo dissimulato; duo contradic- toria formaliter ut talia, atque ut respiciens idem instans, qualia sunt, quæ protuli, posse existere pro diversis instantibus *in sensu merè negativo*; secus *in sensu positivo*. Hinc 3, quæstiunculæ hu- jus moles plus justo assurrexit; quia Utrique distinctionis hujus im- memores, aut absolutè affirmant, aut absolutè negant: & unius qui- dem loquuntur de contradictoriis formaliter ut talibus, atque ut re- spicientibus idem omnino instans, ut deprehendet quisquis argu- menta Ribadeneyræ, vel perfunctoriè legerit; alteri vero de contra- dictoriis præscindendo à dicto respectu: ergo uni eunt unam viam, & alteri aliam - Quid mirum, quod sibi non occurrant?

CA.

# CAPUT QUINTUM.

*Quid respondeat ex parte resum buic termino Carentia?*

40. 
- I alicubi, hic maximè, vulgaris, frequensque modus loquendi secerneadus à rigore scholastico. Nullum principium scholasticum altiores in scholis indices jecit, quām locutio de Carentiis, de Contradictoriis objectivis, de objectiva ipsa contradictione; quasi ex parte rerum sint phantasmata quedam, quae in se ipsis, præscindendo à nostro modo concipiendi, sint carentia, sint negationes, sint defectus, sint contradicторia. Cumque paulo frequenter locutionis exardescat vis apprehensiva, & hoc longè, latèque dominetur in judiciis, & discursibus; proclivis est animus ad iudicandum re ipsa ex parte rerum id, quod frequenter audit, proindeque majorem scholasticorum partem corripuit apprehensio objectivarum carentiarum. Sed Philosophi est proprias apprehensiones, quibus intellectum decipi, multoties expertus est, examinare, atque scholastica veritatis igne probare: alias fas esset credere, Angelos esse venustos quosdam, & intrepidos Adolescentes, quia sic illos plerūque apprehendimus: necnon Primam Sanctissimam Trinitatis personam esse quemdam senem, quippe instar senis antiqui dierum, fontanam illam, & exuberantem lucem apprehendimus. Cohibent igitur reflexus discursus directum, & obvium apprehendendi modum toties fallentem. Accedit summa difficultas in locutionibus humanis, si illiusmodi objecta abigimus, & vulgari loquendi modo reje-  
cto, rigido, disticto, atque scholastico utimur. Ausculta Augustini conantem se se explicare ab hac difficultate non moderna, ut lib. de be- Moderni quidam putant, sed antiqua satis. Nescio quomodo dicamus S. Augu-  
babet egestatem; tale enim est, ac si locum aliquem, qui lamine caret, di-  
camus, babere tenebras: quod nibil aliud est, quod lumen non babe-  
re: non enim tenebrae quasi veniunt, aut recedunt. Sic dicimus, ali-  
quem babere egestatem, quasi dicamus babere nuditatem; egestas enim ver-  
bum est non babendi; quamobrem ut quod volo explicem, ut possum, ita  
dicimus babet egestatem, quasi dicamus babet non babere. Ecce S. Do-  
ctor non refellit ut falsam arduitatem locutionum circa carentias,  
sed admittens ut veram non succumbit vulgari, laxoque modo lo-  
quendi, cui omnes affuevimus extra hanc controversiam; sed pres-

Qqqq 2

sum, atque scholasticum amplectitur.

41. Respondeo questioni. Attento vulgari, communique modo loquendi cognoscibile est ab intellectu objectum, quod subjectivè in se ipso sit carentia, & defectus, & negatio, & purum nihil, & contradictorium existentia. Attento autem scholastico rigore non est cognoscibile ab intellectu objectum ullum, quod in se ipso sit hujusmodi carentia. Clarius, & expeditius. Quidquid sit de eo, quod appareat, & de objecto exercito; attamen illud, quod re ipsa est objectum intrinsecum terminativum omnis actus etiam negati- vi; est sola vera, physica, & realis existentia sui objecti. Utramque partem explicabis exemplis illis, & rationibus, quibus disputatione antecedente suasimus idem de Ente rationis, & tota illa doctrina hoc obvertenda est, quia eadem sunt principia, & difficultates eadem. Igitur primam partem probat frequens, quo omnes utimur, modus loquendi: sic dicimus Carentiam necessitatis, atque impossibilitatis simpliciter antecedentis constituere libertatem indifferentia: Carentiam inculpabilem advertentia excusare à peccato: Privationem esse principium entis naturalis in fieri per generationem, quæ sit mutatio. Ex his autem vulgaribus locutionibus leve derivari argumentum ad veritatem ipsam rigidam, scholasticumque rigorem jam ostendi ibi: tum quia inutilia sunt objecta, quæ in se ipsis essent carentia. Nam si propter aliquam rationem desiderarentur, maximè quia Petrus v. g., verè, ac propriè deficit ex parte rerum, independenter ab omni actu intellectus (hoc est argumentum, quod plures fecerunt) sed hoc non probat dari ulla tenus ex parte rerum objectum, quod in se ipso sit carentia Petri, seu Petrum deficere. Prob. Ex parte rerum, independenterque ab omni actu intellectus, Quellibet est, vel non est; & tamen nihil datur ex parte rerum, quod subjectivè in se ipso sit formaliter, immediatè, quodlibet esse, vel non esse; nisi opinoris existere à parte rei vagitatem, & disjunctiones formales: recognosce alia exempla, quæ ibi produximus: ergo Petrum verè deficere ex parte rerum independenter prorsus ab omni actu intellectus, non suadet, dari ex parte rerum quidquam; quod subjectivè in se ipso sit, Petrum deficere. Rationem à priori ex conceptu ipso, & varia natura denominationum erui disputatione antecedente agens de possibiliitate. Etenim aliquæ sunt denominations; quæ poscunt, subje- ctum, & formam existere ex parte rerum, ut denominatio albi, ca- lidi &c: aliæ, quæ subjectum, non verò formam requirunt existere... ut denominatio Religiosi, uxorati, Regis, & alia, quas ibi meminim alia,

alio, quæ formam; non autem subjectum de praesenti esse desiderant, ut denominatio cogniti, simpliciter amat: alio, quæ neque subjectum, neque formam physicè existentia exigunt ex parte rerum, ut denominatio præteriti, futuri, possibilis, deficientisque: Rem namque deficere presè, atque scholasticè loquendo ( quidquid sit de vulgari apprehensione ) non est quidquam esse ex parte rerum; sed purè, & præcise non esse; quia ut optimè notavit Augustinus, *babere tenebras*, nil aliud est, quām *lumen non habere*; aliquid autem plus esset, si ex parte rerum daretur aliquid, quasi reflexum, quod in se ipso esset *lumen non habere*. Quamobrem ut quod volo explicem, ut possum; ita dicimus *babere egestatem*, quasi dicamus *babet non habere*, scribebat ille Pater, ubi satis innuit improprietatem illius locutionis, *babet non habere*, è tamen utitur, quia licet impropria, usitata nihilominus est, & alia non suppetit. Similiter, ut quod volumus explicemus, ut possumus, dicamus esse ex parte rerum carentias, quasi dicamus esse non esse, ex parte rerum; sciamus tamen locutionem esse valde impropriam, alienamque à scholastico rigore, & potius esse indulgentiam, quām veritatem: ergo tametsi, juxta vulgarem loquendi modum, agnoscibile sit objectum, quod in se ipso sit formalis, & immediata carentia; non tamen juxta rigidam proprietatem scholastici idiomatis.

42. Tum quia, si cognoscibile esset objectum aliquod, quod subjectivè in se ipso esset objectiva carentia Petri, hujusmodi objectum esset in se ipso aliquid, aut purum nihil; sed utrumque est falsum: ergo nullius cognitionis objectum signatum est in se ipso carentia objectiva Petri. Probo primam partem, videlicet tale objectum non fore in se ipso aliquid positivum. Quia non aliquid positivum creatum, alias 1. aliquid positivum creatum extitisset ab æterno: quoniam objectum illud extitisset, quando Petrus non extitit; sed hic non extitit ab æterno: ergo si objectum illud foret aliquid positivum creatum, aliqua creatura extitisset ab æterno contra PP. Lateranenses aperte docentes, Deum ab initio temporis utramque, id est omnem, ex nihilo condidisse creaturam. Alias 2. Deus numquam potest se se explicare ab omni creatura, quandoquidem, destructio universo hoc v. g. existeret illico universum aliud compactum ex tot creaturis, quot essent carentia rerum priùs destrueturam. Deinde non aliquid positivum increatum, ut opinabatur P. Ribadeneyra, dandi ergo verificativum physicum, & crassum propositioni negativæ: quoniam si objectum, quod in se ipso esset carentia formalis,

malis, immediata Petri, esset aliquid positivum increatum, maxime decretum destrutivum Petri. Sed hoc decretum nequit esse immediata carentia illius: tum quia decretum productivum Petri non est immediata, & formalis existentia illius: ergo neque decretum destrutivum est formalis, & immediata carentia. Arbitrariæ quippe videntur disparitates, quas excogitant adversarii: tum quia, datis objectivis carentiis, nil, quod formalius, atque immediatus opponatur cum alio, quam cum existentia Petri, est formalis, & immediata carentia illius. (Si enim admittis carentiam, defectum, atque contradictorium objectivum, illa ita immediatè opponi debet cum existentia, ut non opponatur immediatus cum alio; alioquin non esset carentia immediata, sed illativa.) Sed decretum destrutivum Petri formalius, & immediatus opponitur cum alio, nempe cum sua immediata carentia, sive omissione, quam cum existentia Petri: ergo. Dices, id esse implicationem in terminis; quoniam existentia Petri est formalis carentia illius decreti. Sed contra: quidquid non est formaliter, & immediatè liberum Deo, non est formalis, immediataque carentia illius decreti; omnis enim immediata libertas est ad duo contradictoria; aliquando sola, & tunc vocatur libertas contradictionis; aliquando simul cum alio, & tunc dici solet libertas contrarietatis: cumque decretum illud sit immediatè liberum Deo oportet suam carentiam immediatam, seu suum formale contradictorium esse quoque immediatè liberum: ergo quod non fuerit immediatè liberum Deo, nequit esse formale, atque immediatum contradictorium illius decreti. Atqui existentia Petri non est formaliter immediatè libera Deo, quia, ut pote opus ad extra, presupponit aliud exercitium divinæ voluntatis, nimirum decretum sui causativum: ergo.

43. Probo jam, objectum, quod in se ipso sit carentia formalis, & immediata, non esse purum nihil pressè, atque scholasticè loquendo. 1. Quia videtur clara implicatio, vel abusus terminorum esse purum nil strictè loquendo, physicè, ex parte rerum. Nam omne, quod physicè realiter est ex parte rerum, aliquid est: ergo si ex alia parte est purum nil, sequetur esse verè, & simpliciter aliquid, & simul nil: hoc est verè, & simpliciter esse, & non esse ex parte rerum. 2. Quia, vel esset purum nihil in sensu positivo stricto, atque rigoroso, quatenus daretur positiva identitas inter illud, & nihilum quoddam objectivum, quemadmodum datur inter animal, & rationale (& hoc manifesta implicatio in terminis videtur: esset namque

que dicere, hujusmodi objectum esse nihil, & esse aliquid.) Vel esset purum nihil in sensu pure negativo, laxo, & improprio: & sic inferatur 1. quod strictè, pressèque loquendo, tale objectum non est ullum purum nihilum: quemadmodum homo pictus strictè, pressèque loquendo non est homo, nempe quia in sensu laxo, & improprio dumtaxat est homo: ergo si tale objectum in simili tantum sensu est nihil, rigorosè loquendo, non est nihil. Etenim homo pictus licet impropriè sit homo; propriissimè tamen, atque in sensu positivo est homo pictus per positivam identitatem sui cum homine picto: ergo si objectum, quod in se ipso sit carentia, in sensu tantum laxo, & improprio est nihil; sequetur, quod pressè loquendo, neque tale objectum est aliquid, neque tale objectum est nihil: quod est meum assumptum, permisso interim vulgari modo loquendi. Dicere autem, hujusmodi objectum propriissimè esse nihil, per quem terminum evacuat rigor illius adverbii, est tergiversatio inutilis. Nam omnis improprietas resolvitur, & desinit in aliquam proprietatem (in eo, tamen sensu, quo disputatione antecedente explicui hoc principium P. Ribadeneyræ) ne abeamus in infinitum reflexorum impropriatum: sic hominem pictum impropriè esse hominem, importat, propriam, & rigorosam identitatem cum pictura; Sic Prata impropriè ridere, importat, illa, citra ullam improprietatem, esse virentia, & florida: sic Possibilitatem rei non existentis existere conditionatè, importat, existere sine alienatione ulla cognitionem tendentiæ conditionalis.

44. Sic demum constat doctrina illa P. Ribadeneyra, quam dedimus disputatione antecedente, & postea dissecimus, quia non concludebat assumptum hujus Authoris, videlicet possibilitatem formalem, atque immediatam rei non existentis existere absolutè, ac simpliciter, premit tamen hos opinantes, esse ex parte rerum objecta, quæ in se ipsis sint carentia, negationes, atque nihila: ergo si istiusmodi objecta propriissimè sunt nihila, ita tamen ut rigor alienetur per hunc terminum in aliquam proprietatem absolutè, & simpliciter, talem desinere oportet hanc alienationem, sive improprietatem: quænam est illa? Restat ergo, ut dicamus, nihil aliud hic intercedere, pressè, & rigorosè loquendo, quam actum ipsum intellectus negantem existentiam. Inferatur 2. Ipsam veram, & realem existentiam posse esse languidam istam carentiam; exindeque solam ipsam existentiam esse objectum signatum, verum, & reale hujusmodi apprehensionis Carentia (quidquid sit de apparentia improvidos

dos corriente: ) quoniam si objectum, quod in se ipso sit carentia, est purum nihilum in sensu mere negativo, improprietati, atque latitudini admixto, ipsa existentia in instanti, in quo deficit, est purum nihil in sensu mere negativo, & improprio: ergo existentia ipsa potest esse objectum adæquatum præstatæ apprehensionis: ergo est; quia super vacaneum videtur alia quedam communisci objectiva nihila. Infertur 3. Istud objectum non esse purè, & præcisè nibil: quandoquidem aliis gaudebit prædicatis, puta existere ex parte rerum independenter ab intellectu, constituere interdum libertatem indifferentiæ, principiare ens naturale, & multa alia. Quid si dixeris, hæc omnia prædicata esse purum nihil; æquivocè procedes: nam vel sis, illa esse purum nihil, quatenus omnia illa suo modulo infabili identificantur cum nihilo: & sic, cur non inquis, Petrum ipsum esse puram remotionem suæ carentiæ, aut præcisè animal? cum omnia illius prædicata identificantur cum remotione suæ carentiæ, & cum animali? Vel quatenus de carentia nihil aliud enunciari possit, quam esse nil: & hoc est falsum, quia, semel admissis objectivis carentiis, multa possunt de illis enunciari, ut nuper dicebamus. Crediderim ergo dissidium inter nos, & Authores docentes, carentiam esse purum nihil, esse mere vocale; nos verò pressius loqui. Prima deceptionis origo est apprehendere, huic termino, carentia, respondere objectum, quod in se ipso sit à parte rei carentia, nihilum, negatio, contradictiorum existentiæ. Hac apprehensione supposita inter ens, & nihilum discurrunt aliqui ajentes, illud objectum existere ex parte rerum; verūtamen vim, & acrimoniam horum terminorum sentientes retrahunt pedem ad latibula nihilorum; sed neque hinc quiescentes, quia revera nihil est nihil, ad esse objectivum, atque independens ab intellectu regrediuntur: & tunc remedium illorum terminorum, suo modo, negativè; & aliorum adhibent. Nos verò primam radicem implexi hujus virgulti convellimus, & ab initio dicimus, quid strictè, rigorosè, atque scholasticè loquendo, objectum hujus actus, carentia, est sola vera, & realis existentia, quam velamine terminorum negativorum vestit intellectus, quemadmodum naturam à parte rei multiplicem proponere solet terminis unitivis, vel disjunctivis, vel conditionalibus.

F. Junius  
opus. de  
serum esse  
ac non esse 45. Hinc falsum supponit doctrina P. Junii ajentis, carentiam non distingui entitatib; ab existentiæ, sed prædicativæ: quoniam, vel est cognoscibile ab intellectu objectum, quod subiectivè in se ipso sit carentia, eo modo, quo papyrus hæc est in se alba, vel non; sed

sed potius objectum omnis omnino actus, etiam negativi est sola existentia? Si hoc secundum; falsa suppositione laborat quæcumque propositio ejusmodi objectum supposuerit, proindeque falsæ sunt propositiones enunciantes, carentiam distingui entitativè, aut prædicativè ab existentia; & insuper si objectum hujus termini mentalis, *carentia*, est sola existentia; dicere, carentiam distingui prædicativè ab existentia, est dicere, existentiam ipsam distingui prædicativè ab existentia: prædicatum quippe affirmatur, aut negatur de objecto attracto ex parte subjecti mentalis. Si illud primum; objectum id generis non tantum prædicativè; verum etiam entitativè distinguitur ab existentia. Illud quippe est separabile ab hac, est metaphysicè oppositum huic, & multa alia similia habet prædicata. Porro si talibus constare prædicatis contentum est sola distinctione prædicativa, & entitativam non inducit; unde probabis P. Junius, distinctionem plusquam prædicativam inter hominem, & equum? cur unum esse rationalem, & alterum irrationalem inferet eos distingui entitativè? Evidem semel admissis phantasmulis carentiarum, capita omnia, vel præcipua saltem summæ distinctionis inter illas, atque existencias reperio: ergo si illis satisfit sola distinctione prædicativa cum indistinctione entitativa; simili distinctione admixta indistinctioni simili satisfaciet quispiam aliis argumentis, quibus distinctionem inter hominem, & equum suadere conaberis. Neque confugias ad Philosophum docentem, contradictionem versari circa idem, & secundum idem, nam hoc esset duobus dominis servire, & identitatem, seu indistinctionem maritare cum summa oppositione, qualem esse oportet inter contradictoria, si semel contradictoria admittuntur. Igitur firma est regula ista Aristotelica, non quia ex parte objecti sint contradictoria, & hæc sint indistincta: absit talis diptongus; sed quia alia non est in rerum natura contradictione, strictè loquendo, quam propositionum: cùmque objectum harum sit sola physica, & realis existentia rerum; idcirco subsistit, contradictionem versari circa idem omnino: hoc est:

Affirmationem, & negationem esse de eadem  
penitus existentia,



## C A P U T   S E X T U M .

*Illationes.*

46.



Rgumenta contraria tacita præteriens , quia mutatis verbis , sunt eadem , quæ disputatione 6. dissolvi disputans de ente rationis . Juxta hæc eadem principia inferuntur 1. ex dictis : si cognoscibile foret ab intellectu objectum ullum , quod strictè loquendo esset in se ipso parentia ; illud distingueretur prædicativè , atque entitativè ab existentia , essetque aliquid positivum : utrumque tamen conditionatum nego absolutè , quia nego hypothesis , eo quod strictè loquendo sola existentia est objectum respondens huic termino , parentia , juxta exempla , quæ dedi disputans de ente rationis . Inferuntur 2. Actum affirmativum , & negativum non differre ex objecto , sed ex solo modo tendendi in idem objectum . Etenim quemadmodum lineæ ex oppositis peripheriæ punctis ductæ in idem centrum desinunt , in eodemque punto coeunt : ita actus affirmativus , & negativus conditionalis , & absolutus , disiunctivus , atque determinatus , expressivus solius possibilitatis , & affirmativus existentiæ in idem prorsus tendunt objectum ( quidquid sit de apparentiis ) & solummodo differunt ex modo subjectivo , atque intentionaliter enunciandi illud : unde provenit , quod uni sint falsi , alii contingenter veri , alii necessariò veri , alii necessariò falsi , & consequenter efficiant ens rationis ; quia cum veritas , & falsitas formalis non minùs constituantur intrinsecè per actum ipsum , quam per objectum , sufficit actuū mutatio , & non semper desideratur objectorum , ut veritas , atque falsitas varientur : qua propter rigidè loquendo Scientia visionis , atque simplicis intelligentiæ in eamdem feruntur rerum essentiam , atque existentiam , eo tamen discrimine , quod una absolute affirmet hanc existentiam , & ideo est contingenter vera , & consequenter est libera Deo : altera autem non enunciet absolute hanc existentiam , & ideo datur locus , ut sit necessariò vera : quia tamen vulgo dicunt DD. unam ex his Scientiis habere pro objecto solam possibilitatem , & alteram existentiam solam , transferentes videlicet ad objectum affectiones proprias scientiarum , indulgere potes huic modo loquendi vulgari , quando aliquis non abutatur illo ad probandum in rigore , & severitate scholastica distinctionem inter possibili-

bilitatem, ac existentiam. Jam ratio illustrationis est. Si judicium affirmativum, & negativum different ex objecto, maximè quia objectum negativi esset aliquid pressè loquendo, quod subjectivè in se ipso sit carentia, seu sit, non existere. Atqui hoc nos contingit, ut probatum manet: ergo non differunt ex objecto, sed ex solo modo tendendi, ut amor, & odium.

47. Insertur 3. Quomodo intelligendæ sunt propositiones causales, atque conditionales, quæ innuunt, carentiam esse causam, vel conditionem respectu alicujus tertii: v. g. *quia homo non peccat diligitur à Deo. Si homo non peccaret diligenteretur à Deo.* In primis, juxta communem modum loquendi, sunt veræ hæc propositiones. Præterea licet in sensu, quem formaliter præferunt, sint falsæ suppositionis, cum supponant objectum, quod in se ipso sit ex parte rerum non peccare: attamen in sensu æquivalentे sunt veræ. Nam, vel procedunt de subjecto cognoscitivo spiritualiter, vel materialiter, vel de non cognoscitivo, v. g. hæc: *Si lapis non descenderebat in centrum, esset violentus?* Si primum; reddunt hunc sensum: Cognitio negans existentiam talis rei moveret, aut prohiberet tam effectum: Sic prima ex illis propositionibus æquivalet huic: *Cognitio divina negans peccatum in homine, movet exercitè per se ipsam divinam voluntatem, ut hominem diligat,* quia sicut peccatum cognitum affirmativè movet odium: illud idem cognitum per cognitionem negantem itius existentiam, movet amorem. Secunda huic: *Si Deus haberet cognitionem negantem peccatum in homine, bunc diligenteret:* quapropter character causæ, ac conditionis licet vulgo per figuratam locutionem tribuatur objecto, quod in se sit carentia existentiæ; ipsi rei diversimodè cognitæ scholasticè adscribendus est. Quid si sermo sit de non cognoscitivis; propositiones causales, atque conditionales tantum sunt veræ in rigore scholastico, si significant, appetitum innatum, connexionem ve physicam unius cum alio: quamobrem illa propositio, *si lapis non descenderebat, esset violentus*, sic exponi debet rigidè loquendo, *lapis innatè exigit descensum.* Passim autem, ac sine scrupulo admittimus præfatas locutiones extra præsentem controversiam, quia extra hanc, vulgari modo loquendi indulgemus: quando autem ad lydium lapidem severas veritatis vocantur; falsæ, aut ambiguæ deprehenduntur. Quid si scrupulositatem reprehendas; memineris quæsto Augustini num. 40. adducti.

48. Insertur 4. in quonam consistant carentiae necessariæ. Juxta Rrrr 2

super-

superiorem doctrinam illæ consistunt physicè in solis existentiis rerum possibilium ; si à veritate stare velimus , vulgaribus locutionibus , & apparentiis spretis . Sic necessaria carentia alterius Dei , nihil aliud est ex parte rerum , quæm vera , & realis existentia Dei unius . Et necessaria carentia identitatis hominem inter , & equum , pressè loquendo , est sola amborum distinctio physica . Et necessaria carentia chymæræ est ens reale . Quorum ratio est . Si illud , quod vocatur necessaria carentia , non esset , amotâ verborum cōtinâ , existentia ipsa entis realis , aut esset quippiam subiectivè in se ipso impossibile , aut quippiam quod in se ipso esset pura carentia , pura negatio , purum nihil : ( quæ ambo refutata sunt in superioribus ) aut quod in se ipso esset disjunctio objectiva , vel objectiva conditionalitas ? Et hæc etiam duo sunt commenta nullo fundamento suffulta ; ergo carentia necessaria , retractio verborum velo , nihil aliud sunt ex parte objecti , quæm ipsæ veræ existentiæ rerum possibilium , tametsi aliud appareat .

49. Infertur 5. falsam esse absolute , ac in rigore scholastico multorum Doctorum opinionem statuentem puram omissionem libertam sive Deo , sive creaturæ ; quia nullius cognitionis humanæ , angelicæ , sive divinæ objectum est in se ipsa pura omissione , vel pura carentia actus liberi ; quoniam strictè loquendo omnium omnino cognitionum objectum intrinsecum est sola existentia . Nec mireris , opinionem illam implexis scatere difficultatibus : cum DD. illi ex una parte doceant , puram omissionem esse purum nihil , & ex alias appingere velint illi eadem prædicata libertatis passivæ , laudabilitatis , prohibitionis , & reliqua , quorum , strictè loquendo , solidum est capax actus positivus . Videntur tamen sibi huic vulneri mederi pulvere illarum vocum , negativæ , suo modo , & aliorum similium , unde involucra resultant , & licet non formaliter ; virtualiter tamen dicunt , puram omissionem esse nihil , & esse aliquid , & neque esse aliquid , neque esse nihil . Ex non bona radice pullulare nequeunt ramæ boni , neque ex falsa suppositione rectus discursus plerūmq[ue] præfertim si falsa ipsa suppositio per totum serpat discursum .

50. Infertur 6. Id , quod summoperè curandum est , ne videlicet modus tendendi , qui proprius , atque characteristicus est actuum intentionalium , affigatur objectis , neve credamus , hæc esse in se ipsis à parte rei , prout à nobis apprehenduntur . Hinc multarum æqui . vocationum radix ; solent quippe multi credere , esse in objectis ipsis illud , quod præfert modus tendendi cognitionis , & hinc originem quo-

quoque trahunt illæ prædictiones, quibus aliqui formalitates purè, ac simpliciter identificatas eadem libertate dividunt, ac separant suæ imaginationis cultro; ac si realiter essent distinctæ. Falluntur tamen, quia incautè sibi persuadent, objecta esse in se ipsis à parte rei eo modo, quo illa apprehendunt: cùmque apprehendant illa per species, seu per modum distinctorum, atque separabilium liberè sine ullo timore dividunt, discerpuntque illa objecta. Profectò si hujusmodi Philosophia vera est; cur non dicunt, Patrem æternum senectute, Angelos juventa fungi: siquidem illum instar senis, hos instar juvenum apprehendimus? Similiter cur non adstruunt vaguitates, conditionalitates, universalitates objectivas, & quidem non purè fundamentaliter tales, quandoquidem multi actus intellectus hujusmodi affectiones præferunt? En radicem æquivationis, tum in hac controversia, tum in illa de Ente rationis. In hoc actu, Petrus non exsilit; Datur carentia Petri, tianitum audiunt negationis, carentiaeque, ac illicd objectum advolant, ut ibi sibi querant negationem, atque carentiam, quam in actu intellectus odorati sunt. Item hic actus, homo, & equus identificantur, identitatem sonat, & statim currunt ad objectum, ut ibi identitatem quamdam chymæricam, velimus nolimus, inveniant. Cur similiter quando audiunt, Petrum existere, vel non existere, est necessarium; non se proripiunt ad objectum, ut ibi vaguitatem quamdam formalem, & immediatam detegant? Cur quando audiunt, Incognoscibile est incognoscibile, non pergunt similiter, ut querant objectum, quod in se ipso sit incognoscibile, si forte inveniant ipsum? Cur quando audiunt, universale à parte rei non est rubrum, non insudant inquirendo objectum, quod in se ipso sit universale à parte rei? Cur quando audiunt, si Petrus haberet inspirationem A, converteretur, non indagant conditionalitatem objectivam, quæ in se ipsa, præscindendo ab actibus intellectus, sit talis. Cur quando audiunt, inter hominem, & equum datur identitas vera, & realis nullo excogitabili modo chymærica, non querunt identitatem quamdam nullo excogitabili modo chymæricam, nisi quoad solam apparentiam, quæ hominem cum equo neicit? Omnia quippe hæc sonant respectivè per actus hos. Itaque neque semper est, neque semper non est, quod apparet esse: aliunde, quām ex hoc principio dubio, inquirenda est realitas.

51. Infertur 7. quod quamquam veritas actus consistat in actu, & objecto, quando actus affirmat existentiam illius; attamen quando actus negat, objectum suum existere, quod existant actus, & objectum

Etum tam longè abest à probando, actum esse verum, ut potius probet illum esse falsum, siquidem negat esse, quod est: quapropter ex eo, quod existant hi actus, *Datur carentia Petri*, *Petrus deficit*, & alii id generis, & existat ipsorum objectum; perperam arguitur, hos actus esse veros: nempe quia hi non suadent, non affirmant suum objectum existere; sed potius id dissuadent: quoniam sunt re ipsa, & philosophicè loquendo actus negativi, & solum grammaticaliter, atque apparenter affirmativi. Infertur 8. Id, quod toties repetivi, nimirum opus esse discernere inter vulgarem, iuxtam, communem, ac plerumque figuratum modum loquendi; & inter rigidum, pressum, severum, atque scholasticum. Si vulgarem consulamus dialectum; fateor, agnoscibilia esse objecta, quæ in se ipsis independentes ab actibus intellectus sint carentia, sint chymæræ, sint entia rationis, & hujusmodi alia ludibria mentis humanæ. Sic enim loquimur omnes, has per manus majorum accepimus locutiones, & nisi his vocabulis utamur, hærebunt sàpè disputationes aliae, vel nova querere vocabula tenebimur. Cæterum, si locutiones illas perpendiculo metiamur rigido, scholastico, tortuosas deprehendemus. Nec mirum, cum sacratoribus locutionibus, & infallibilibus, quales sunt, quæ per os authorum canonorum protulit Spiritus Sanctus, idem contingat, ut cum præclaro Sanctio aderti disp. antecedente explicans aliquas sacras propositiones alludentes ad entia rationis. Deus namque homines cunctos alloquens, communem dialectum sequitur, & à scholastico rigore declinat: quocirca licet multæ Sacri Canonis propositiones juxta scholasticum rigorem, in quo Deus non protulit illos, falso deprehendantur: semper tamen subsistit, illas esse veras, & prorsus infallibiles in sensu, & significatione vocum, juxta quam loquitur Spiritus Sanctus.  
 Consule locum  
 citatum.



## CAPUT SEPTIMUM.

*Quodnam sit verificativum actus negativi.*

52.  *Ic est implexus ramus superioris doctrinæ. Respondeo. Vel attendimus vulgari, communique modo loquendi; vel scholastico rigori? Si primum; verificativum actus negativi, v. g. hujus, *Perrus non existit*, est carentia Petri, seu id, quod est, Petrum non existere: quia verificativum objectivum, formale, ac immediatum cuiuslibet actus est illud, quod actus enunciat. (Si enim per actum non enunciatur erit ad summum verificativum illativum) quodque est tale, ut, ipso solo existente, actus sit *verus*, si hic quoque existat, &, ipso non existente, actus sit *falsus*. Atqui, juxta frequentiorem loquendi modum, quod enunciatur per ejusmodi actus est sola carentia, &, hac existente, actus, si forte existat, est *verus*; ipsaque deficiente, actus est *falsus*: ergo juxta frequentiorem, laxum, atque expeditum modum loquendi verificativum actus negativi est sola carentia. Major videtur firma. Quoniam ab eo, quodd res est, vel non est (æquivocè sanè, ac juxta modum tendendi, quem propositio habuerit) propositio dicitur *vera*, vel *falsa*. Id est propositionem esse *veram*, consistit formaliter, atque immediate in eo, quodd enunciet esse, quod est: vel non esse, quod non est: *Vel fuisse*, quod fuit: vel non fuisse, quod non fuit &c. Nam licet interdum aliud aliud desideretur, videlicet omne id, quocum intimaam habet connexionem, aut objectum ipsum prout tale, aut ipsa propositio: attamen in illis solis duobus consistit formaliter, immediate propositionis veritas; quoniam, illis solis intellectis, à quocumque alio mentaliter praescindendo, intelligitur, propositionem esse conformem suo objecto, seu esse, quod ipsa dicit; proindeque intelligitur vera propositio. Sic cum audis, Petrum esse in foro, exploraturus veritatem non inquiris, an ille sit albus, an currat; sed an sit in foro? & eo præcisè quodd exploratum habeas, illum esse in foro, judicas, te audivisse verum: sicut eo præcisè quodd noveris, illum non esse in foro, pronicias, te audivisse falsum: ergo illud, quod per actum enunciatur &c.*

53. *Si secundum; respondeo, quodd strictè, proprièque loquendo verificativum actus negativi in sensu positivo nullum est; in sensu autem*

Autem merè negativo est sola existentia. Et è converso falsificaturus  
actus negativi, quod tale sit in sensu positivo, est sola existentia Petri;  
quod tale esset in sensu negativo, nullum est. Actui affirmativo  
ordine inverso contingit res. Verificativum illius, quod tale sit in  
sensu positivo, est sola existentia sui objecti; quod autem tale esset in  
sensu negativo, nullum est. Falsificativum vero in sensu positive  
nullum est; in sensu merè negativo est sola existentia. Pendent hæc  
omnia ex intelligentia verificativi, atque falsificativi, tum in sensu  
positivo, tum in sensu negativo, quo explicato nebulæ dissipantur.  
Probo primam partem. Verificativum cuiusvis actus, quod tale  
sit in sensu positivo, est illud, quod attingitur per actum, & insuper  
est tale, ut ipso existente, proportionatè ad modum tendendi  
actus hic est verus: & ipso absente, est falsus. Atque ideo peccatum  
Petri in instanti A v. g. est verificativum in sensu positivo, atque  
stricto hujus actis, *Petrus peccat in A*; quia exprimitur per hunc  
actum, & insuper est tale, ut, ipso existente in A, hic actus (quem  
existere supponimus etiam) est verus, & ipso deficiente, actus hic est  
falsus. Sed nihil est assignabile, quod habeat tria hæc attributa respe-  
ctu actus negativi: ergo nihil est assignabile, quod sit verificativum  
in sensu positivo actus negativi. Probo minorem. Non decretum  
divinum destructivum Petri: quoniam licet, existente illo decreto,  
sit verus is actus negativus, *Petrus non existit*; attamen illud decre-  
tum non attingitur per hunc actum; quemadmodum neque per  
hunc, *Paries est albus*, attingitur decretum divinum determinati-  
vum unionis albedinis cum pariete: non enim omnis cognitio ter-  
minata ad fundamentum connexionis metaphysicæ tendit eo ipso in  
terminum, ut suo loco ostendimus; & alioquin omnis cognitio  
quamcumque representans creaturam representaret Deum eo ipso.  
Ad hæc, si cognitio negans existentiam Petri haberet pro objecto  
decretum hujus destructivum, non esset possibilis cognitio purè, ac  
præcisè negativa, sed omnis foret assertiva divini decreti. Recur-  
rere ad illationem illius decreti, vel ad terminos *virtualiter*, *implici-  
tè*, *indirectè*, vel alias similes, videtur quid frivolum: siquidem  
non omnis actus, cuius veritas infert aliquid, habet pro obj. &c. hoc  
aliquid. Et in præsentiarum loquor de objecto explicito, atque  
formali.

54. Præterea ejusmodi objectum non est existentia ipsa Petri;  
nam quamvis hæc attingitur per actum negativum, non est id, quo  
existenti, actus est verus; sed positis id, quo existenti, actus est falsus.

De-

## *Verificativum actus negativi.* 777

Deinde non est objectum , quod propriè ac rigorosè loquendo sit in se ipso carentia Petri , seu Petrum non existere: quia has phantasmas supra abegimus : ergo nihil est assignabile , quod in sensu positivo verificet actum negativum. Probo secundam partem. Verificativum in sensu negativo voco illud, quod attingitur per actum, & est tale, ut , ipso non existente , ( ecce distinctionem à verificativo in sensu positivo ) actus sit verus . Sed existentia ipsa Petri attingitur per actum illum negativum , siquidem is negat illam : & deinde talis est , ut , eo præcisè , quod illa non existat , actus negativus sit verus , si forte ille detur: ergo existentia est verificativum in sensu merè negativo actus negativi : similiter philosophandum est de falsificativis . Falsificativum igitur in sensu positivo cuiuslibet actus in sensu positivo est illud, quod per actum exprimitur: (alias non erit falsificativum objectivum , formale , ac immediatum ; sed ad summum illativum , & remotum ) & tale est , ut , eo existente , actus sit falsus . Atqui existentia ipsa est illud , quod attingitur per actum negativum , & , quo existente , actus est falsus: ergo existentia est falsificativum in sensu stricto , & positivo actus negativi . Cœterum nihil est assignabile, quod in sensu negativo falsificat actum negativum , & hac est quarta pars superioris conclusionis: quoniam falsificativum in sensu negativo est illud , quod exprimitur per actum , & insuper est tale , ut , ipso deficiente , actus sit falsus . Sed nihil est assignabile , quod has qualitates exerceat respectu actus negativi . Quia non ipsa existentia obiecti ; nam licet hac exprimatur per actum negativum ; attamen non est talis , ut , ipsa deficiente , actus sit falsus , quin potius tunc est verus : non objectum , quod rigorosè loquendo sit carentia formalis , & immediata , ut sèpè dixi : non decretum divinum conservandi Petrum , quoniam licet , absente hoc decreto , actus negativus sit verus ; at verò per hunc non exprimitur : ergo non est assignabilis conceptus ullus objectivus , qui tres illas exerceat qualitates respectu actus negativi .

55. Jam , super verificativis , atque falsificativis objectivis , formalibus , immediatisque actus affirmativi uniformiter difformites philosophari pergo . Verificativum illius , quod tale sit in sensu positivo , est physica ipsa existentia sui objecti : quoniam hac & enunciatur expressè per actum , & insuper talis est , ut , ipsa intellecta in rebus , intelligatur , esse verum actum affirmativum , si forte detur : nam eo ipso , quod actus pronunciet , Petrum existere , & is existat , actus dieit , quod est , proindeque est verus , seu consonus suo

suo objecto. Et hinc habes, quod licet veritas *objectiva* consistat in solo objecto ipso relatè ad actum verum, quo cognoscitur: sicut objectiva falsitas nihil aliud est, quam objectum ipsum relatè ad actum, quem immediatè falsificat: item, licet veritas, aut falsitas *determinationis* interdum consistat in solo ipso actu intellectus, eo quia ille aliquando per sola sua intrinseca connectatur cum sua objectiva veritate, aliquando illi metaphysicè repugnet. At vero veritas *formalis*, semper, ac necessariò consistit in actu ipso, & objecto: quoniam veritas formalis hujus actus (& idem censeto de quibusvis aliis) Petrus existit in instanti A, consistit formaliter, ac immediatè in consonantia sui ipsius cum objecto, seu in eo, quod ille dicat, quod est, & nihil aliud. Sed ipse dicit, Petrum existere in A: ergo veritas formalis illius consistit in eo, quod ipse id dicat; & in eo, quod Petrus existat in A. Sed quod ipse dicat id, identificatur cum actu ipso, juxta communiorē Philosophiam (cujus tameō contradictionē non esse prorsus improbabile dixi Disp. I. Dialecticā) juxta quam unusquisque actus intellectus habet per solam suam essentiam enunciare, quod enunciat, & non enunciare quod non enunciat, quod autem Petrus existat in A, identificatur adæquatè cum objecto, quandoquidem objectum adæquatum praefati actus est complexum ex duratione A, atque existentia Petri: ergo veritas formalis actus praedicti consistit formaliter in actu ipso, & objecto: ergo & veritas formalis ceterorum omnium actuum affirmativorum, de quibus solis loquor, quia compar est ratio.

56. Rursus verificativum in sensu mere negativo actus affirmativi nullum est: quia non ipsa existentia; nam quamvis hec exprimatur per illum, non est talis, ut, ipsa deficiente, actus affirmativus sit verus, cum potius tunc sit falsus: non objectum, quod presē loquendo sit in se ipso defectus formalis existentia, sive contradictionē objectorum existentiarū, quia licet extra præsentem questionem omnes utamur hic vocibus; at paulo ante negavi suppositum ipsarum, si in rigore loquamur. Non decretum conservativum, aut destrutivum Petri, quia neutrum exprimitur formaliter per actum: ergo nil. Ob eamdem divisionem, atque explicationem nihil est affinabile, quod in sensu positivo sit falsificativum actus affirmativi: in sensu autem pure negativo falsificativum illius est sola existentia: nam hec est, quæ attingitur per actum affirmativum, & talis insuper, ut is actus sit falsus, quando illa defecerit. Hinc i. verificativum actus affirmativi, quod tale sit in sensu positivo, & falsificativi-

## *Verificativum actus negativi.* 779

cātivūm ejusdem in sensu mērē negativo idem omnīnd sunt: quo-  
niam verificativum in sensu positivo est id, quod per actum exprim-  
itur, &, quo solo existente, simul cum actu hic est verus: p̄-  
terea falsificativum in sensu mērē negativo est id, quod per actum  
etiam exprimitur, &, quo deficiente, actus est falsus: atqui illud  
ipsum, quo existente, actus eo ipso est verus, est illud, quo defi-  
ciente, actus est falsus: ergo illud ipsum, quod respectu actus affir-  
mativi est verificativum in sensu positivo, est falsificativum in sensu  
mērē negativo. Similiter illud ipsum, quod respectu actus negati-  
vi est falsificativum in sensu positivo, est verificativum in sensu purē  
negativo: quippe falsificativum in sensu positivo prædicti actus est  
illud, quod per eum exprimitur, & p̄terea tale est, ut, ipso exi-  
stente, actus sit falsus: rursus verificativum illius in sensu purē ne-  
gativo est, quod per illum exprimitur, & tale est, ut, ipso deficiente  
actus sit verus. At illud idem, quo existente actus negativus est  
falsus, est illud, quo deficiente actus negativus est verus, quia est  
existentia ipsa physica, & realis Petri v.g: ergo falsificativum in sen-  
su positivo, & verificativum in sensu negativo respectu actus nega-  
tivi sunt idem.

57. His terminis solves hunc nodum, qui objici potest. Nihil, quod fuerit falsificativum objectivum, formale, atque immediatum actus, potest esse ullatenus verificativum ejusdem objectivum, formale, ac immediatum: at existentia objecti est falsificativum objectivum, formale, ac immediatum actus negantis talem existentiam: ergo existentia objecti nequit esse ullatenus verificativum actus negativi. Nascitur æquivocatio ex volitione metiendi actum negativum eādem regulā, qua affirmativum, quasi ambo convenienter univocè physicè in modo habendi veritatem, nec non ex distinctio-  
ne verificativi in sensu positivo, & in sensu mērē negativo. Absit utrumque. Hinc a. falsificativum in sensu positivo, & verificati-  
vum in sensu negativo actus affirmati vi non sunt idem (quia ambo  
extrema supponunt falsum.) Item neque falsificativum in sensu positi-  
vo, & verificativum in sensu eodem; quia primum supponit falsum,  
& secundum supponit verum; neque verificativum in sensu positi-  
vo, & verificativum in sensu negativo; quia primum supponit ve-  
rum, & secundum falsum. Similiter verificativum in sensu positi-  
vo, & falsificativum in sensu negativo respectu actus negativi neque  
sunt, neque non sunt idem, quippe utrobique latet falsa suppositio.  
Neque verificativum in sensu positivo, & falsificativum in sensu po-

stivo ; quippe hoc datur ; illud autem est falsæ suppositionis. Neque falsificativum in sensu positivo , & verificativum in sensu positivo propter eamdem rationem. Si tot præcisiones , combinacionesque arduæ tibi visæ fuerint, atque idcirco superior displicuerit doctrina , ex qua illæ descendunt ; memineris Augustini , qui paulò ante sentiebat , se quasi irretitum eisdem difficultatibus hac super re , nascentibus ex modis loquendi .

58. Objicies : Veritas hujus actus negativi , *Petrus non existit* , non consistit in hoc solo actu ; alias quoties daretur is actus , foret *verus* : ergo aliquid aliud est assignabile , in quo etiam consistat . Sed hoc aliud non est decretum ullum divinum , ut supra diximus : deinde non est existentia ipsa exercita in rebus , cùm potius actus ille sit falso , quando existentia exercetur : ergo est existentia non exercita : ergo cognoscibile est objectum , quod in se ipso sit existentia non exercita in rebus . Sed objectum , quod in se ipso foret existentia non exercita , foret in se ipso carentia , seu defectus existentia : ergo agnoscibile est objectum , quod in se ipso sit carentia , seu defectus existentia . Confirmatur: eo præcisè , quod intelligatur , *Petrus non existere* , intelligitur vera illa propositio negativa , si illa adsit . Rursus ed præcisè , quod non intelligatur , *Petrus non existere* , non intelligitur vera propositio illa : ergo objectum , atque verificativum illius est Petrum non existere : ergo cognoscibile est ab intellectu objectum , quod in se ipso sit , Petrum non existere : ergo objectum , quod in se ipso sit carentia . Multifariam potes hæc amplificare , cùm frequentior loquendi modus , primaque apprehensio suppetias tibi ferat . Respondent docti quidam DD. existentiam ipsam negativè sumptam verificare præfatum actum . Solutio anceps: quia existentia sumpta negativè vel est sola ipsa existentia , vel sola sumptio negativa mentalis , ipsa nimirum propositio negativa ; vel sumptio negativa objectiva , videlicet carentia , vel complexum ex existentia , & negativa sumptione ? Si primum ; redit argumentum superius , nempe fore , ut , quoties detur existentia , detur verificativum prædicti actus , cùm potius nunc ille sit falso . Si secundum ; sequetur actum negativum esse adæquatum verificativum sui ipsius , & consequenter fore verum , quoties existat : quod dici nequit , cùm fieri possit , ut , ipso existente , existat Petrus . Si tertium ; jam concedis objectivas carentias . Si quartum ; quoties detur complexum existentia , atque illius negativæ sumptionis , erit verus actus negativus existentia , qui exploratus est error philosophicus .

Rē

59. Respondeo ergo, vel loqueris de veritate prædicti actus negativi sumpta in sensu positivo; vel in sensu mere negativo? Si hoc secundum; dico, illam consistere in existentia ipsa exercita: nam ut explicavi num. 54. existentia ipsa est, quod in sensu mere negativo verificat eum actum. Quod si intuleris, futurum esse, ut detur veritas in sensu negativo, quoties detur hæc existentia; implicabis in terminis offendens ad intelligentiam terminorum: quoniam verificativum in sensu negativo non est illud, quo dato, actus est verus, sed illud, quo dato, actus est falsus, &, quo deficiente, actus est verus: ergo ex eo, quod existentia objecti verificet in sensu negativo illum actum, tam longe abest, ut inferatur, actum illum esse verum consentaneè ad suam naturam, quoties detur in rebus illa existentia, ut potius concludatur tunc falsum esse. Præterquam quod dari veritatem in sensu negativo est novus terminorum abusus; significat quippe dari in rebus aliquid, quod in se ipso sit deficere existentiam: & de hoc est questio, negaturque à nobis. Si elegeris primum; scissor iterum: an loquaris de veritate in sensu positivo, attento vulgari modo loquendi, an scholastico rigore, & proprietate consultis? Si primum; jam dixi, illam veritatem consistere patim etiam in objecto, quod in se ipso sit carentia. Si secundum; nego suppositum istius antecedentis: quoniam nil est assignabile, quod in se ipso sit veritas in sensu positivo illius actus; nam, vel esset quid constitutum per divinum decretum eversivum Petri; vel per existentiam Petri; vel per objectum, quod in se ipso sit strictè, ac propriè loquendo carentia hujus: & hæc omnia repuli supra. Ad confirmationem respondeo, antecedens illud esse verum consulto solo vulgari modo loquendi; esse tamen falsum in rigore scholastico: quoniam supponit cognoscibile esse objectum, quod in se ipso sit strictè, verè, ac propriè, *Petrum non existere*: quemadmodum falsâ quoque suppositione laborant hæc propositiones, quæ in vulgari modo loquendi sunt veræ. Eo ipso quod intelligatur objectum A esse intrinsecè, atque extrinsecè incognoscibile, intelligitur esse veram hanc propositionem, *Objectum A est prorsus incognoscibile*. Item eo ipso, quod intelligatur, *Petrum existere*, vel non existere, intelligitur esse veram hanc propositionem, *Petrus existit, vel non existit*. Item eo ipso, quod intelligatur identitas nullo excogibili modo chymærica inter hominem, ac equum, intelligitur esse veram hanc propositionem, *bomo est equus*. Hi namque modi loquendi tacite presupponunt objectum, quod in se ipso sit pror.

*profusus incognoscibile*, quod in se ipso sit existere, vel non existere, quod in se ipso sit identitas hominis cum equo, nullo excogitabili modo cibymerica. Dices, quid ergo requiritur, ut propositio negativa sit vera? Respondeo nihil requiritur in sensu positivo, quia propositiones negativae non sunt ex eis, quæ strictè, ac propriè requirunt aliquid, ut veræ sint; sed ex eis, quatum veritati officit præcisè aliquid, nimirum existentia sui objecti. Agnosco harum locutionum duritiem; sed Augustinus initio citatus, illam quoque expertus, non postulavit illam de falsitate, imò tacitè approbavit locutiones, quas duras sentiebat. Mitto alia, quia bene scripsit, qui scripsit. *In supervacuis rebus noli scratari multipliciter.*

Eccl. c. 3.

En utcumque explicata Axiomata, Aphorismos, Proverbia, Principiaque metaphysica, quorum enodationem initio pollicitus sum. Non diffiteor supereesse alia; sed fateberis, credo, hęc esse, quæ frequentius occurruunt inter disputandum. Columnæ omnis humani discursus sunt hęc quatuor. *Identitas, Distinctio, Connexio, Oppositio* unarum rerum cum aliis. Duas priores ad Logicam maiorem reservo consuetudini Authorum obsecundans. Duas posteriores hic per otium erigere volui, cùm primarium adeptæ sint locum inter metaphysica Principia. His Prolegomenis datis, hocque Prodromo emisso.

Cursum integrum Philosophicum in quinque partes divisum, favente Deo propediem publicæ luci dabo. Prima pars est *Dialectica*, seu Logica minor, in qua post explicatos terminos supra ducentos, notabo legitimos, & efficaces modos arguendi ( præter notissimos illos Aristotelicos ) depromptos ex infallibili connexione, aut oppositione unarum rerum cum aliis, quam connexionem, ac oppositionem innuunt loca dialectica, quibus illegitimos quoque, atque sophisticos adjungam, & quæstiones, quæ vulgo dicuntur Proemiales, opus illud claudent.

Secunda Pars est *Logica Major* quatuor disputationibus circumscripta; in qua fusè proponam species omnes, naturam, characteres, ac proprietates omnium identitatum, atque distinctionum, quæ frequenter occurruunt in Philosophia, & Theologia, digrediens in re ea ad explicationem pro modulo nostro Mysterii ineffabilis Sanctissimæ Trinitatis, non arcedi ergo difficultatem; sed apprehendendi causā veritatem. Agam postea de Universali in genere. Tum de Universalibus in particulari. Demum de Predicamentis, ubi maximè tractabo de Subsistentia, & Persona, de Quantitate, Distinctio-

ctioneque Corporis à Spiritu , de Relatione , ac Opinione Connatorum , de Connexione Dei cum Possibilium possibilitate , ac de multiplici specie , naturaque Habituum .

Tertia Pars est Physica naturalis in quatuor disputationes redacta . Ibi naturam disputabo physicarum qualitatum in genere . Intensionem , Remissionem , Compositionem , Resistentiam , Successione alterationis , Raritatem , ac Densitatem . Postea compositionem continui , necnon finitum , & infinitum . Demum proportionam systema hujus mundi materialis , exordiens à centro terræ , & discursu pergens usque ad cœlum supremum , aperiens utcumque , face experientię humanę , rationisque naturalis ductus , mundum subterraneum , Mare , Methæra Athmosphæræ , Cœlum lunare , Solare , Martiale , Joviale , Saturnale , Stellatum , Aquæunque juxta opiniones vero magis similes circa motus , quantitatē , compositionem , atque distantiam coelestium globorum , quas tamen opinio-nes non multū disputabo , ne in alienam messim falcam mittam .

Quarta Pars est Physica speculativa . Ubi super systemate argumentabor Entis naturalis : pulchras ( sed forsitan non prorsus solidas ) cogitationes perpendens Doctorum , nec paucorum ; nec hebetum , qui magno studio , ingenio , atque eruditione subvertere conantur priscum Aristotelicum systema , & quorum non spernendae , sed ut par est , solvendæ difficultates , magno juventutis praesertim plausu non in una , aut altera tantum Europæ regione circumferuntur ; transibo postea ad tractatum de Causis , de Actionibus , de Loco , de Præsentiis , de Tempore , de Duratione , & reliquis , quæ disputari solent in Physica speculativa .

Quinta Pars est Animastica : Ubi de natura , & multiplicitate Animarum sermo erit de Vivente Physico , & Intentionali , de Operationibus Intellectus , & Voluntatis , de Comprincipiis alterutram adjuvantibus potentiam ad suas operationes , & illarum duarum potentiarum , quæ primariæ sunt , occasione potentias reliquas Animæ disputabo .

Hæc omnia , & singula correctioni S. Romanæ Ecclesiæ , nec non Piorum reliquorum , & Sapientium Virorum jam nunc subjicio , & subiecta intellige .

*Finis Disputationis Septimæ.*

## INDEX

# INDEX-RERUM, ET VERBORUM.

*Prior Numerus disputationem : secundus marginalem numerum indicat.*

## A

**A** B actū ad potentiam quomodo valeat consequentia . 1. 93.

Ab Indifferenti , ut indifferenti , quo sensu non possit origi determinatio . 4. 197.

Absurdo uno dato &c. quo sensu sit verum . 1. 116.

Accidens non est virtus immediatè operativa substantiæ . 4. 9. & 14. Accidentia supernaturalia non eo ipso sunt absolute perfectiora , quam Anima nostra . 3. 19.

Actiones quo jure sint suppositorum . 3. 1. & seq. Actio quid sit . 4. 73. Actio actionis aliùs productiva est impossibilis . Ibid. 70. Actio omnis habet ex sua essentia nasci ab Agente , à quo nascitur , & non ab alio . Ibid. 62. Actio externa quandoque auget meritum , quandoque non supra internam . 5. 168.

Actus an beat perfeccior esse , quò perfeccior est sua Potentia . 2. 14. Actus supernaturales prodeunt à potentiis inæqualibus , quo sensu sint inæquales . Ibid. 21. Actus distinguunt , quo sensu . 4. 190. Actus , & Potentia in eodem genere , quo sensu . Ibid. 40. Actus , quo sensu sit prior , quam Potentia . Ibid. 3. & seq. Actus negativi verificatum . 7. 52.

Ad præteritum qua ratione non detur Potentia . 4. 146. per totum Caput 14.

Æqualitas perfectionis stat cum diffimilitudine essentiali . 4. 207.

Affirmatio est causa affirmationis &c . 2. 102.

Agens esse mediatè applicatum passo quid sit . 2. 95. Agentia naturalia operantur uniformiter dissimiliter . 2. 88. Quando possint operari in distante , quod non operantur in proximo . Ibid. 92. Agentium multitudo juvat . Ibid. 97.

Amor , & volitio sicut odium , & nolitio solent esse actus distincti . 5. 286.

Angeli possunt facere ens rationis . 6. 87.

Anima rationalis non recipitur in corpore philosophicè loquendo . 3. 47. Anima rationalis perfectior est absolute , quam accidentia licet supernaturalia . 4. 7. Quomodo identificatur cum suis potentiis . Ibid. 18. Appetit reunionem . Ibid. 130. Apparentiis non est credendum . 6. 68. 71.

Ars syllogistica quomodo valeat in Divinis . 1. 45.

Augustinus tradit regulam , quomodo suscipiendi sint Authores non Canonici , quamvis alias gravissimi sint . 3. 38.

Au-

## *Index Rerum, & Verborum.*

Auxilium efficax quo sensu sit, & quo sensu non sit juxta nostra principia Prærequisitum, & inacquiribile. 4. 184.

### B

Bonum ex integra causa, quod sensu.  
1. 81. Bonum est diffusivum sui.  
4. 200.

### C

Carentia quid sit. 7. 40.  
Causa non existens physicè, nequit physicè operari. 3. 39.  
Cognitiones tum fundamenti, tum termini connexionum, & oppositionum comparatur inter se. 5. 128.  
Cognitionum formantium ens rationis objectum non distinguitur ab omni possibili, eo quia objectum omnis penitus cognitionis est quid in se ipso possibile. 6. 68.  
Conclusio quo sensu sequatur debiliorem partem. 1. 61.  
Concordia Divinæ Præscientiæ cum libertate creata. 4. 165. per totum Caput 16.  
Conditionales veritates possunt unæ esse priores aliis. 5. 198.  
Confirmatio in Gratia stat cum libertate ad peccandum. 5. 289.  
Connexio quid, & quotuplex. 3. 1.  
Connexio mediata per quid regulanda est. Ibid. 5. Conditionata qualis esse debeat. Ibid. 8. qua ratione identificatur cum suo fundamento, & qua non. Ibid. 9. Ad-

mittit magis, & minus, excepta Connexione metaphysicæ. Ibid. 14. Connexio purè moralis nequit prævalere ita, ut per se solam excludat formidinem. Ibid. 25. Interdum datur ex parte rerum: interdum consistit in sola experientia resolvenda in arbitrium divinum, vel humanum. Ibid. 28. Connexio terminativè conditionata pro casu conditionis non identificatur adæquatè cum fundamento conditionatè connexo. Ibid. 47. Quomodo comparatur cum conditione, & conditionato. Ibid. 54. Potest opponi metaphysicè cum eisdem. Ibid. 55. Connexio, & oppositio conditionales conferuntur cum copulativa. Ibid. 68. Item cum disjunctiva. Ibid. 93. Item Connexiones, & oppositiones tum Fundamenti, tum Termini connexionis, & oppositionis. Ibid. 143. Connexio mediata duobus tantum modis probari potest. Ibid. 74. Conditionalis simul cum defectu conditionati non semper infert defectum conditionis. Ibid. 61. Tripli sensu donari potest. Ibid. 62. Connexum cum Fundamento connexionis quando sit conexum cum termino. Ibid. 143. & seq. Connexum cum fundamento oppositionis, quando oppositum sit termino: & connexum cum hoc, quando sit oppositum illi. Ibid. 149. Connexum cum termino connexionis metaphysicæ interdum opponitur fundamento. Ibid. 147.

Ttt

Con.

## *Index Rerum,*

- Connexa cum eodem tertio non semper connectuntur inter se. *Ibid.* 154. Connexum, aut oppositum physicè dum taxat potest stare cum libertate indifferentiæ; & potest esse hypothesis objectiva Scientiæ mediae. *Ibid.* 170. Connexum, & inevitabile quando tollit, & quando non tollit libertatem. *Ibid.* 236. Correspondētia inter potentiam activam, & passivam quando, qualis, & quæ. 4. 54. & seq. Conscientia simul cum quantitate, consensū est forma constituens offensam Dei. 2. 73. Consequentia ab actu ad potentiam, quando valet. 1. 93. Contingentia essentialis creaturis impugnatur sophisticè. 1. 99. Contradictorium repugnat alteri absolute, & non purè conditionatè. 1. 3. Contradicitoriorum simultas quo sensu impossibilis. 1. 1. Contradicторia purè conditionata possunt simul deficere ab existendo absolute. 1. 14. Absoluta possunt deficere merè negativè; secus positivè in eodem signo naturæ. *Ibid.* Contradicторia pro diversis instantibus. 7. 31. Sunt essentialiter respectiva ad idem tertium. *Ibid.* 35. Contradicторia possibilitatis, & existentia quo sensu sint idem. 6. 36. Quo item sensu deficere unum contradictorium sit existere alterum. *Ibid.* 50. Contrariorum eadem causa. 2. 102. Conversio non poscit absolutam distinctionem termini à quo, nec

novam productionem termini ad quem. 4. 83. Conversiones propositionum quomodo faciendæ, ac non faciendæ in Divinis. 1. 49. & seq.

Creatura omnis est connexa cum Deo, ut trino in sensu reali. 5. 145. Creatio Angeli non potest consistere in volitione, seu Decreto Divino. 4. 116. & seq. Creatio non potest reflexè educī. *Ibid.* 74. Creatio quid sit. *Ibid.* Non competit de facto creature vis creandi. *Ibid.* 84. An possit competere. *Ibid.* 91.

## D

Decretum collativum libertatis unicum, & cum altero exercitio determinatè connexum an cohæreat cum libertate. 5. 238. Præscindens, & concomitans, quæ non regulantur per Scientiam Medium, non cohærent cum libertate. *Ibid.* 282. Decretum concomitans, nec non Præscindens nō stant cum libertate actionis decretæ. *Ibid.* 282.

Decremente uno usque ad non esse; num alterum debeat crescere supra omne esse, atque mensuram. 4. 109.

Deficere omne verificatum alicujus propositionis non semper est eo ipso existere aliquod verificatum contradictorie. 6. 45. Deficere unum contradictorium, quo sensu est existere alterum. *Ibid.* 50.

Demonstratio à priori: à posteriori: à comitanti. 1. 18.

De-

## *Et Verborum.*

**Denominationes** conditionalitatis , disjunctionis , & aliæ id generis oriundæ sunt à solis actibus Intellectus . 5. 48. **Denominationes** una poscent actū existere subiectum , & formam : aliæ subjectum solum : aliæ formam solum . 7. 41.

**Densitas agentis** juvat , sed non est necessaria ad operandum . 2. 96.

**Determinatio stricta** quid , & quotuplex . 5. 284. **Determinatio** quo sensu non possit oriri ab indifferenti . 4. 197. **Determinatio** quoad ibdividuum , secus quoad speciem non probat distinctionem inter gradus illos . 6. 31.

**Deum** connecti cum possibilitate , seu essentia hominis , non autem cum existentia , non infert , hanc distinguui ab illa . 6. 37. Deus non potest formare ens rationis . *Ibid.* 87.

**Dici de omni** : dici de nullo . 1. 47. **Difformiter** , uniformiter . 2. 88.

**Dignitas personæ** offendæ , quomodo grayificet offendam . 2. 55.

**Dissimilitudo** stat cum æqualitate perfectionis . 4. 207.

**Distantia** inter ens , & nihil quæ , & qualis 4. 104. & sequent.

**Distinctio** , ac **Identitas** inadæquatæ sunt termini convertibiles . 1. 54.

**Distinctio** quo sensu venit ab actu . 4. 190. **Distinctio** rationis quo sensu par sit , quo sensu impar vitando identitatem extremonum , quæ identificantur uni tertio . 1. 39.

**Distinctio** omnis qua ratione sit mutua . *Ibid.* 48. **Est fundamen-**

**tua conversionis negativæ** . *Ibid.*

Duratio , quid , quotuplex ; & quomodo distinguitur à re durante , ac tempore extrinseco . 7. 11. & seq. Durationes , quæ coex istunt , non possunt non coexistere ; & quæ durant temporaliter non possunt non distare temporaliter . 7. 28. & 29.

## **E**

**Ebrietas** quomodo contingat . 4. 17. **Eductio** non potest reflexè creari . 4. 74. **Eductio** quid sit . *Ibidem*.

**Effectuum** perfectio per quam causam taxanda . 2. 25.

**Elevari** quamlibet creaturam ad producendum quamlibet aliam , non subsistit . 2. 51.

**Ens** rationis quid sit . 6. 66. quo sensu non distinguatur adæquate ab omni possibili . *Ibid.* 67. An distinguatur ab omni possibili . *Ibidem* 68.

**Esse** qua ratione sit , & qua non sit terminus creationis . 4. 142.

**Essentia** , & existentia quadrupliciter sumi possint , & in quo sensu distinguuntur , iu quo non distinguuntur . 7. 1. & seq. An distinguuntur prædicative . *Ibid.* n. 6.

**Excessum** unarum rerum supra alias nequimus certis terminis explicare sumper . 2. 19.

**Ex duobus** entibus in actu , quo sensu non resultet unum per se . 4. 194.

**Exemplar** quotupliciter potest intellegi . 1. 127.

**Existentia** , & essentia quo sensu di-

T t t 2

stinctio

# *Index Rerum,*

Ringuantur prædicativè à possibiliitate , & quo non 6. 26. In eis stat formaliter immediatè possibilitas formalis, immediata rei contingens, *Ibid.* 28.

## F

Falsificativum actus affirmativi , aut negativi quid , & quodnam sit. 7. 53.

Fides potest esse discursiva . 1. 71.

Forma substantialis perfectior est , quam materia . 4. 6.

Frustra fiunt per plura &c. quo sensu sit verum . 1. 100. Frustra Potentia , qua non reducitur ad actum : quo sensu sit verum . *Ibid.* 105.

Fundamenti , ac termini tum connexionis tum oppositionis , reflexæ connexiones , ac oppositiones invicem comparantur . 5. 143.

## G

Generatio unius , quo sensu est corruptio alterius . 2. 98.

Gradus componentes intentionem , qualitatis sunt æquales 2. 82. quot gradibus superant unam offendit alias , nescimus pro statu praesenti. *Ibid.* 19.

Gratiæ consortium cum peccato . 5. 259.

Gravitas ordinis superioris quid sit in offensa Dei . 2. 66.

## H

Habitus non est tota ratio agendi actum supernaturalem . 4. 25. Habitus charitatis potest influere in actum præceptum salvâ hujus libertate etiam si physicè opponatur cum lethali . 5. 170. Imò licet metaphysicè . *Ibid.* 242.

Honor est in honorante , quo sensu . 2. 74.

## I

Idem manens idem &c. 2. 106.

Identitas omnis qua ratione sit mutua . 1. 48. Est fundamentum conversionis affirmativa . *Ibid.* Identitas prædicatorum rei est hujus formalis , & immediata possibilitas . 6. 28. Quo sensu sit variabilis . 7. 8. & seq. Identitas , ac Distinctio adæquatæ sunt termini repugnantes ; inadæquatæ vero sunt termini convertibiles . 1. 54.

Imperium efficax stare potest cum libertate immediata actus imperati . 5. 277.

Impossibilitas essendi , ac non essendi quæ , & quo sensu . 1. 1. & seq. Quo sensu sit , & quo non sit primum Principium . 1. 17. Non est demonstrabile 1. 26. Quo sensu sit universaliter verum . *Ibid.* 27. Quæ identitatem subjecti innuat . *Ibid.* 5. Cui subjecto applicari debet , ut propositio sit vera . *Ibid.* 12. Precedit signis etiam naturæ . 1. 13. Impossibilitatem chymicæ esse impossibi.

## *Et Verborum.*

sibilem, non probat Chymoram esse possibilem. 6. 63. Impossibile quo sensu non distinguatur adaequata ab omni possibili. *Ibid.* 67. ex Impossibili, quodlibet quo sensu. *J. 116.*

Inacquiribile prærequisitum quando tollit, & quando non tollit libertatem. 5. 270.

Individuatio, quo sensu sumitur à materia. 4. 208. Individuum determinari per Deum, secus speciem, non probat, hanc distingui ab illo. 6. 31.

Inevitabile, & simul connexum quando tollit, & quando non tollit libertatem. 5. 236.

Infimum supremi, quo sensu est superium infimi. 4. 206.

Infinitum successivum à parte ante non repugnat. 7. 27.

Innata inclinatio actualis infinita non datur in Deo ad se communican- dum Creaturis. 4. 92.

Intellectio non est absolutè perfe- ctior, quam potentia intellectiva. 4. 8. Intellectio in quo stat physi- cè. *Ibid.* 22. Intelligens in actu, quo sensu fit intellectum in actu. 2. 9. & 4. 199. Intellectus, quo sensu amat, est liber &c. 4. 34.

Irreverentia est in peccatore, juxta S. Thomam, sicut honor in hono- rante. 2. 74.

Judicium regulativum spei non semper expellitur per evidentiā ab solutam futurā damnationis. 5. 256.

## L

Libertas ad fundamentum conseq- uentis quando sit libertas ad terminum, & vice versa. 5. 166. & seqq. Libertas ad fundamentum oppositionis quando sit libertas ad terminum, & vice versa. 5. *Ibidem.* Amborum exceptio. *Ibid.* 231. Li- bertas in Christo Domino ad ac- ceptandum mortem. *Ibid.* 240. Li- bertas creata non cadit propter æternam Præscientiam Dei. 4. per se totum caput 16.

Locutiones præcæ explicantur, quæ innuere videntur distinctionem realem. 6. 31.

Loquimur sicut cognoscimus. 4. 30. Lumen Glorie non est tota ratio agendi visionem. 4. 25.

## M

Magis ad magis sicut simpliciter ad simpliciter. 2. 99.

Majestas divina non est forma gravi- ficans offensam. 2. 79.

ex Majore non semper arguitur ad minus. 4. 92.

Molam ex quocumque defectu: quo sensu. 1. 81.

Materias prima non existit per ex- stentiam Formæ; sed per propriam.

4. 194. Materia quo sensu est prin- cipium Individuationis. *Ibid.* 208.

Materiales potentias, quo sensu sint materiales in homine. 4. 37.

Materiale peccati materialiter sum- ptum

## *Index Rerum,*

- ptum , & prout non dicit imperfectionem , & sub similibus reduplicationibus , quid tandem sit à parte rei . 5. 298.  
 Modus cognoscendi , quo sensu sequatur modum essendi . 3. 17. & seq.  
 Item Modus operandi , recipiendi , prædicandi . Ibid. 34. & seq.  
 Motus localis corporis divisibilis , cur debet esse successivus . 4. 113.  
 Multitudo agentium juvat . 2. 97.  
 Multum probare , quo sensu sit nil probare . 1. 128.

## **N**

- Natura quo sensu abhorreat superfluum . 1. 100.  
 Naturale non potest connecti cum termino creato entitativè supernaturali . 1. 71. potest tamen complexum ex naturali , & supernaturali . Ibidem.  
 Nemo dat quod non habet , quo sensu sit verum . 1. 112.  
 Nil , & Ens quomodo , & quantum distent . 4. 104.  
 ex Nihilo fieri quid sit , & quid non sit . 4. 196.  
 Nolitio , & Odium sunt actus distincti . 5. 286. Nolitiones , ac volitiones tum Fundamenti , tum Termini , & Connexionis , & Oppositionis conferuntur invicem . Ibid. 289.  
 Non sunt multiplicandas entitates , quo sensu sit verum . 1. 100.

## **O**

- Obedientialis virtus non est quid distinctum à subiecto illam habente . 2. 52.  
 Objectum quod perfectius est , ed &c . 2. 1. Objecti perfectioris cognitio , quando superet , & quando non superet cognitiones objectorum imperfectiorum . Ibid. 7.  
 Obsequia puræ creaturæ cur non exquant gravitatem offendæ . 2. 71.  
 Occursus divini dominii , & essentie rei . 7. 30.  
 Odium , & nolitio ; sicut amor , & volitio solent esse actus distincti . 5. 286.  
 Offensa quomodo crescat ob incrementum dignitatis offendæ . 2. 55.  
 quæ forma constituit actum in esse offendæ Dei . Ibid. 73. Non est infinita simpliciter . Ibid. 54.  
 Omne , quod movetur ab alio moveatur . 4. 203.  
 Operatur unumquodque secundum quod est in actu : quo sensu . 3. 37.  
 Oppositio non semper est mutua . 5. 162. Oppositiones fundamenti , & termini tum connexionis , tum oppositionis per otium comparantur invicem . Ibid. 143.  
 Oppositum cum termino connexionis quando est oppositum cum fundamento oppositionis non semper est oppositum cum termino , aut vice versa . Ibid. 149.  
 Ordo superior in peccato gravi quid sit . 2. 79. & 80.

Par-

## *Et Verborum.*

### P

Partem debiliorem quo sensu sequatur Conclusio. 1. 61.

Passum patiendo reagit : quo sensu. 2. 82. Passum magis distans potest suscipere ab agente majorem effectum. *Ibid.* 92.

Peccatum an sit simpliciter infinitum. 2. 54. Peccatum cum Gratia. 5. 169.

Perfectiones non esse multiplicandas, quo sensu. 1. 100. Perfectiones rerum non sunt taxandæ uno, vel altero titulo. 2. 18. Perfectio effectus non est taxanda per causam universaliorum, sed per particularem. 2. 25.

Plura ut plura cognoscere possumus eadem cognitione. 5. 137.

Possibile, Possibilitas quid, & quotuplex 6. 1. & seq. Possibilitas formalis immediata rerum non stat in attributis necessariis Dei. *Ibid.* 9.

Pura Possibilitas includit res essentialiter oppositas. *Ibid.* 1. & seq. Possibilitatem formalem existere physicè de praesenti non est necessarium, ut res sit possibilis, vera que sit propositio id enuncians. 6. 16. Possibilitas formalis, & immediata, quo sensu distinguatur prædicativè, & quo sensu non distinguatur ab existentia. *Ibid.* 26. Stat formaliter immediatè in eis solis.

*Ibid.* 28. Quæ Possibilitas effectus sit prærequisita ad illum., & quæ non sit prærequisita. 4. 77.

Potentia quæ non reducitur ad actū, quo sensu sit frustra. 1. 106. Potentia, quod perfectior est, an perfectiores habeant operationes. 2. 14. Potentia perfectior, quo sensu exigitur ab actu perfectiore. *Ibid.* 35. Potentia obedientialis non inest cuivis creaturæ ad producendum quælibet aliam. *Ibid.* 52. Potentia quo sensu non detur ad præteritum. 4. 146. Potentia animæ quomodo cum illa identificantur. *Ibid.* 18. Potentia, & Actus qua ratione sint in eodem genere. *Ib.* 40. Passiva potentia, quo sensu respondeat activæ, & viceversa. *Ibid.* 54.

Præcisiones mentales quid sint, & quam inducant utilitatem. 5. 300.

Prædefinitio absoluta pœnitentiarum, aut redemptionis ante visionem absolutam peccati est possibilis. 5. 296.

Prædestinatio ad gloriam ut coronam, vel ad cruciatum ut pœnam stat cum libertate hominis. 5. 261. tamen si non presupponat visionem absolutam. *Ibid.* 279.

Prædeterminatio physica debet esse acquiribilis, ac vitabilis libertati creatarum. 5. 174. sua carentia constituit libertatem indifferentem. 4. 170.

Prædicandi modus quo pacto sequitur modum essendi. 3. 34.

Præmissæ simul probabiles simultate subiectivæ, sed non objectiva inferunt conclusionem improbabilem. 1. 79.

Prærequisitum inacquiribile quando tollit, & quando non tollit libertatem. 5. 270.

Præ-

## *Index Rerum,*

**P**räscientia divina non lèdit creatam libertatem. 4. per totam Caput 16. Primates, sive Patriarchæ qui sunt. 1. 122.

**P**rimum in unoquoque genere est causa cæterorum, non est Aristote-licum. 1. 119. quem sensum ha-beat, & quem non habeat. *Ibid.* & seq.

**P**rincipia redundantia licet sint con-nexa, & immediata stant cum li-bertate. 5. 280.

**P**roportionatum cum improportio-nato quando sit improportiona-tum cum altero. 4. 106.

**P**ropositionem esse formaliter veram quid sit. 7. 52. Aliquæ apparent es-se de Impossibili, & sunt de neces-sitate: affirmativæ, & sunt negativæ: identicæ, & sunt falsæ. 6. 77. Quæ omnino præscindunt objectivè à tempore non sunt contradictoriar. 7. 25.

**P**ropter quod unumquodque tale, &c. quo sensu sit verum. 1. 86. & seq.

## *Q*

**Q**ualitatum intensio constat gradibus æqualibus. 2. 84.

**Q**uantitas licet sit subjectum acci-dentium est imperfectior multis il-lorum. 4. 7.

**Q**uae sunt eadem uni tertio &c. quo sensu sit verum. 1. 28.

**Q**uae repugnant uni tertio &c. quo sensu sit verum. 1. 28.

**Q**ui dat formam dat consequentias ad

formam, quo sensu. 4. 14. Quodlibet est, vel non est. Vide. Impossibile est simul esse, & non esse. 1. 1.

**Q**uo major est Persona offensa, ed &c. qua veritate dicatur. 2. 54.

**Q**uo perfectius est objectum ed per-fectior cognitio, qua veritate di-catur. 2. 1. & seq.

**Q**uo perfectior est Actus ed perfectio-rem exigit potentiam, quo sen-su. 2. 25.

**Q**uo perfectior est Potentia ed perfe-ctores habet operationes, quo sensu. 2. 14.

## *R*

**R**eactio, & Actio quid sint. 2. 82.

**R**ecipitur unumquodque ad modum recipientis, quo sensu. 3. 43.

**R**elatum non potest cognosci ut rela-tum, quin per eandem cognitio-nem agnoscatur terminus. 5. 138.

**R**emoto priore removetur posterius. 2. 105.

**R**equisitum, & Prærequisitum in quo differant. 4. 185.

**R**evelatio absoluta futuræ damnatio-nis, beatitudinis, peccati que stan-respectivè cum libertate ad spem timorem, & propositum non pec-candi. 5. 251.

## *S*

**S**acramenta non causant physe grati-am. 2. 51.

**S**atisfactio cur crescat crescente di-gni.

## *Et Verborum.*

gnitatem Personæ operantis. 2. 77.

Sciœtia Media potest assumere pro hypothesi objectiva rem physicè con-nexam, aut physicè oppositam cum conditionato. 5. 170. Scientia me-dia reflexa non est impedibilis, aut determinabilis. indirec[t]e per crea-turam. 5. 193. Non potest attin-geret, seu exprimere absolutè scien-tiam medium directam. *Ibid.* 197. Scientia Media directa, & reflexa quid sint. *Ibid.* 207. Ipsarum veri-ficativum, seu determinativum ob-jectivum formale, & immediatum non est quid de præsenti existens. 6. 45.

Scientia visionis an sit causa rerum 4. per tot. Caput 17. Scientia Visio-nis non est causa rerum. *Ibid.* 185. Scientia Visionis, & Necessaria, sive simplicis intelligentiæ habent idem objectum. 7. 46.

Scoti argumentum contra Creatu-ram creatricem. 4. 94. omne Secundùm quid, quo sensu reducatur ad aliquid simpliciter. 1. 61.

Sensationes materiales ubi recipian-tur. 4. 36.

Sensus corporeus cur incapax cognoscendi res spirituales. 3. 29.

Sequeretur, & non sequeretur simul quando dicendum, & quando non 1. 116.

Sicut simpliciter ad simpliciter &c. 2. 99.

Simile nequit intendere sibi simile. 2. 84.

Simultas contradictiorum quo sen-

su impossibilis. 1. 1.

Si Spiritus Sanctus non procederet &c. quem habeat sensum verum. 4. 117.

Syllogistica Ars quomodo valeat in-Divinis. 1. 45.

Sophismata contra contingentiam, Creaturarum. 1. 99. Contra Scien-tiam Medium. 5. per caput XI. XII. & sequentia. Contra Libertatem indifferentiæ. 1. 77.

Species sunt sicut numeri, quo sensu. 4. 207.

Spei regulativum judicium. 5. 256.

Subsistens, posito quodd sit quid po-sitivum, quomodo sit conditio præ-requisita ad operandum. 3. 10. & seq.

Substantia est virtus immediate ope-rativa. 4. 14. & accidentium quo-que in passo extraneo. *Ibidem* 15. Quomodo specificatur ab opera-tione. *Ibid.* 29.

Supernaturale præsupponere potest intrinsecè rem naturalem. 1. 71.

Supernaturalia non posse cognosci cognitione naturali non bene pro-batur ex eo, quodd modus cognoscendi sequatur modum essendi. 3. 22.

Superfluum quo sensu abhorret Natu-ra. 1. 100.

Suppositoriū quo jure dicantur actio-nis. 3. 1. & seq.

## T

Tempus extrinsecum est motus pri-mi mobilis. 7. 11.

S.Tho.

## *Index Rerum, & Verborum.*

S. Thomas quam infinitatem agnoscat in peccato. 2. 54. Quomodo sufficiendæ ipsius propositiones ex sententia M. Victoriæ, & Cani. 3. 37.

## V

Valor consequentiæ ab actu ad potentiam. 1. 93.

Valor satisfaktionis, ac meritorum cur crescat, crescente sanctitate Personæ operantis. 2. 77.

Verificativum objectivum formale, & immediatum non semper existit absolute, ac simpliciter, quando est vera Propositio. 6. 16. Deficere omne verificativum unius non semper est eo ipso existere absolute verificativum contradictria. Ibid. 45. Verificativum actus negativi. 7. 52.

Veritas formalis, in quo stet. 7. 55.

Veritas una conditionalis potest esse prior, quam altera. 5. 198. Veram esse Propositionem quid sit. 7. 52. Veritates objectivæ, quo sensu claræ, obscuræ. 2. 12.

Vinum quomodo calefaciat stomachum. 4. 17.

Virtus unita, quo sensu, fortior diffusa. 2. 96.

Virtus obedientialis non distinguitur à subiecto, 2. 52.

Visio absoluta, seu Scientia absoluta visionis non est causa rerum. 4. 185. Visiones beatificæ prodeentes à potentiis naturalibus inæqualibus cum equali lumine gloria,

quo sensu sint inæquales. 2. 23.

Visio beatifica num sit quodammodo infinita. Ibid. 8.

Vita creata in actu secundo sive physica, sive intentionalis consistit in actione. 4. 21.

Vivens quid sit. 4. 20.

Unisomiter disformiter quo sensu dicatur. 2. 88.

Unio hypothatica non est forma gravificans merita Christi Domini. 2. 78. Ejusdem finitudo non tollit infinitudinem meritorum Christi Domini. Ibidem. Illius consortium cum libertate ad acceptandum mortem. 5. 240. Unio hypothatica, visioque beatifica quomodo possint in alia providentia stare cum libertate proxima ad peccandum. Ibid. 263. Unio physica quid importet ex sua essentia. 3. 50. Unio reflexa unionis quo sensu sit naturaliter impossibilis. 4. 73.

Unum per se ex duobus entibus in actu. 4. 194.

Unumquodque cognoscitur ad modum cognoscentis, quo sensu. 3. 32.

Volitio, & Amor sunt res diversæ. 5. 286. Virtualitas in volitionibus quadruplex. Ibid. 288. Volitiones, ac nolitiones fundamenti conferuntur cum volitionibus, ac nolitionibus termini cum connexionis tum oppositionis. Ibid. 284. Volitio Divina non potest esse creatio Angeli. 4. 116.

Voluntas quo sensu intelligit, videt, audit &c. 4. 34.

**FINIS INDICIS.**

Digitized by Google

# ERRATA

# CORRIGE

*Primus Numerus Disputationem, Secundus marginalem  
Numerum significas.*

## DISPUT. I.

Num. 67 secus quoad  
*ibid.* Aut modalitatem

88 Materiali, & formali  
120 Prætererunt

seu quoad  
*Addc.* Si secundum ; Conclusio sequitur partem debiliorē quoad veritatem , probabilitatem , certitudinem , atque evidētiām . Secus quoad supernaturālitàtem , perfectiones desumptas ex objecto , principiove physice influente quantitatē , qualitatem , aut modalitatē : materiali , & finali  
Prætererunt

## DISPUT. II.

Num. 31. Est respectus

est . Effectus potest respicere

## DISPUT. III.

In Elencho Capitūm . Cap<sup>IV</sup>.  
scilicet unumquodque

scilicet Modus prædicandi sequitur modum essendi . Unumquodque

## DISPUT. IV.

Num. 135 universaliter  
142 interpretatione  
151 habet potestatē ad non amandum , ex hypothesi

universalissimus  
interpretationi  
habet potestatē ad non amandum .  
Ex hypothesi

## DISPUT. V.

Num. 1 quæ cum altera  
4 Erit immediata  
31 gravissimam intentionem  
*ibid.* ad primam intentionem  
*ibid.* ex eo quod  
80 Item cum eo  
89 Non omne physicè  
111 quod independenter ab omni indefetibili  
228 invisibilia tamen  
149 debet existere  
262 Divino pendentem  
266 alliciendi

cum qua altera  
erit mediata  
tentationem  
tentationem  
ex eo præcisè quodd  
vel cum eo  
Non omne metaphysicè  
defetibili  
  
invisibilia enim  
debet deficere  
*Addc.* Potest facere ne umquam fuerit  
in Deo individua illa Prædestinatio  
allicientem



ROMÆ, M D C C X I.

Ex Officina Cajetani Zenobii Typographi,  
& Scalptoris SS. Domini Nostri  
CLEMENTIS XI.  
*SUPERIORVM FACULTATE.*









